JONÆ SLICHTINGII à BUKOWIEK

COMMENTARIA
POSTHUMA,

In pleroſque

NOVI TESTAMENTI

Libros.

Digitized by Google

Digitized by Google

JONÆ SLICHTINGII de BUKOWIEC

COMMENTARIA POSTHUMA,

In pleroſque

NOVI TESTAMENTI

Libros.

Cuncta hactenus inedita.

In duos Tomos diſtincta.

Quorum Catalogum verſa pagina exhibet.

Quibus additi ſunt tres indices copioſiſſimi, quorum primus eſt locorum S. Scripturæ, in hoc opere vel breviter vel prolixius explicatorum. Secundus eſt rerum memorabilium. Tertius Phraſium in hoc opere ex Vetere, præſertim vero ex Novo Teſtamento indicatarum.

B. R. NEAPOLIS

Irenopoli, Sumptibus IRENICI PHILALETHII, poſt annum Domini CIƆ IƆ C LVI.

Digitized by Google

Catalogus Commentariorum Slichtingianorum, hoc volumine contentorum.

Priori Tomo continetur Commentarius

In Euangelium S. Joannis.
Paraphraſis in initium ejuſdem Euangelii.
Epiſtolam Pauli ad Romanos.

Alter Tomus habet Commentarios

In I. Epiſtolam Pauli ad Corinthios.
II. Epiſtolam ad Corinthios.
Epheſios.
Coloſſenſes.
Philippenſes.
I. ad Theſſalonicenſes.
II. ad Theſſalonicenſes.
I. ad Timotheum.
II. ad Timotheum.
ad Titum.
Philemonem.
I. Petri.
II. Petri.
III. Petri.
I. Joannis.
II. Joannis.
III. Joannis.
Fragmentum in Epiſtolam Judæ.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Commentarios hoſce ſcripſi, Lector! non publico nomine, ſed meo privato, quos nec publicæ ſubjicere potui cenſuræ, diſperſis gravi perſecutione Eccleſiis. Proinde nolim ullo dicto, ullâ ſententiâ, Eccleſiam oneratam. A privato dictum eſt, quidquid dictum, ſcriptumve eſt. Quod ſi verum eſt, publicum eſt; ſi quid ſit falſum, nollem dictum, & quamvis dixerim, pro meo non agnoſco. Vale.

Digitized by Google

Exemplum Epiſtolæ

STANISLAI LUBIENIECII de LUBIENIETZ,

Qua Viro cuidam Magno

Hiſtoriolam Commentariorum,

Et vitæ ac mortis

JONÆ SLICHTINGII p.m.

Pertexit.

GRatiſſimæ mihi fuerunt nuperæ literæ Tuæ, quibus Viri omnibus modis Nobiliſſimi *Jonæ Slichtingii* piæ memoriæ, nonnulla Tibi à me miſſa, gratiſſima Tibi fuiſſe apertè indicaſti. Cenſes etenim Virum illum, pro ea quâ Dei munere præſtitit, multa & ſolida eruditione, difficilia quoque S. Scripturæ loca ſecundum apertæ veritatis normam ita propoſuiſſe, ut omnibus qui ſanis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſermonibus, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ acquieſcere voluerinr, ſatiſſactum eſſe merito dicendum ſit. Tu quidem hæc pro eximia Tua eruditione & pietate inter pretioſiſſima κειμήλια repoſiturum, anxiè conſervaturum, & ubi ſe opportuna occaſio obtulerit, prompturum, polliceris. Cum autem plura ejuſdem generis cognoſcere deſideres, æquum eſſe duxi rem à capite arceſſendo vota Tua implere, & unà multorum aliorum, quos talium apperentes eſſe, probè novi.

Integrum abiit ſeculum, ex quo reſtituta puriori veritate cælеſti Eccleſiæ Chriſtianorum Catholicorum, ſive Unitariorum (quos vulgi iniquitas in contrarium euntibus, Arrianorum & Photinianorum compellat titulis) ad Cracoviam propagari cœptæ, ad tollendum inveteratas, non tantum Eccleſiæ Romanæ in ritibus & moribus corruptelas, ſed & omnes erroneas opiniones, magno ivêre animo. Exemplo namque multi Viri, pietate & eruditione præſtantes, prodierunt, qui cum non ſolum blanditiis vel terriculis furentis, & magis magiſque in præceps ruentis ſeculi, vinci ſe paſſi non fuerint, ſed omnibus illis ſpretis & fractis, vel etiam calcatis, victores ſeculi extiterint, Invicti Heroës, & ſeculi domitores merito dicendi ſunt. Nempe & Phocylide judice

Βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σεσοφισμένος ἀνήρ
Præſtantior robuſto vir ſapientia præditus.

Hi poſtquam ad purgandum & excolendum rigidum Eccleſiæ agrum, infinitis ſeptum undique vepribus acceſſerunr, cæleſti illo Satore, qui initio bonum & ſalutare verbi divini ſemen cordibus hominum inſeverat, pios adjuvante conatus, feliciter brevi tempore adfectum opus promoverunt. Ita Eccleſiis per totam Poloniam & Lituaniam conſtututis, animi hominum veritate magis magiſque excoli, & pietate ſubigi gaudebant.

debant. Verum tamen hinc Deo homines, utpote creaturam rationalem, & omnium principem, libertati arbitrii relinquente, & terrenæ iſti glebæ affixis ac ventri obedientibus, ut in horridis commentorum & vitiorum dumetis lateant permittente, illinc Satanâ, mille fraudum artifice, in perniciem humani generis ingenioſiſſimo, per Eccleſiæ campos audacter graſſante, & errores ex erroribus ſerente, infinita adverſariorum veritatis turba, viribus ſeculi armata, ſpiritualem illam agriculturam quovis modo peſſum dare ſtudebant. Quapropter & enſem Herodis, illius Agrippæ Majoris, quo Joannem & Jacobum peremit, pro illo verbi divini, quem Paulus Apoſtolus Heroi Chriſtiano, panopliâ divinâ induto, in dextram porrigit, & D. Auctor ad Hebræos commendat, arripientes & vibrantes, ſævire in inſontes auſi ſunt. Quod tamen non impedivit quo minus in excolenda portione agri à Domino ſibi credita, illi haud ſegnes operarii ſtrenuè laborarint, & impiis illis conatibus fortiter ſe oppoſuerint. Hinc tot diſputationes contra adverſarios veritatis, voce & ſcripto habitæ, & acria illa certamina, inermia tamen & innoxia, ac pugnæ ſine cæde & vulnere, in agro Eccleſiaſtico commiſſæ. At hæ ſemper nonniſi convitia & calumnias, tum mulctarum irrogationes, carceres, proſcriptiones, bonorum publicationes & exilia, mortes ſævas præmii vice tulerunt, ab iis qui juſto rationum pondere deſtituti, ideoque ad illa impotentis animi armamenta properantes, cauſâ ſe cecidiſſe manifeſto æquis rerum judicibus monſtrarunt. Ita tamen adhuc pugnatum eſt diſputando, ut confeſſores veritatis Commentaria in varios Novi Inſtrumenti libros ſcribere minime neglexerint. Documento ſunt Fauſti Socini & Joannis Crellii (ut annotationes Valentini Smalcii in totum Novum Inſtrumentum nunc ſileam) præcipuorum in Eccleſia noſtra virorum operâ, & hujus quidem poſthuma multa ejus generis ſcripta, jam demum lucem publico bono vident. Secutus jam olim eſt feliciſſime tam bonum Ducem Crellium *Jonas Slichtingius*, Vir & genere & eruditione & pietate Nobiliſſimus, in ſuis, quos ex prælectionibus Crellianis ante complures annos in epiſtolam ad Galatas & Hebræos edidit Commentariis. Qui quanto cum gaudio & fructu à veritatis pietatiſque cultoribus excepti fuerint, non tantum triſtis invidia, felici veritatis, progreſſu marceſſens, ruptaque obligans ilia teſtatur, ſed & res ipſa docet. Videmus enim hos Commentarios in linguam Belgicam verſos. Videmus & in Anglicam tranſlatum illum ad Hebræos, cum hac inſcriptione: *Expiator peccatorum*; & commendatione æqui cenſoris publica; *Hic liber eſt doctus, pius & lectu utilis.* Sed ecce juſtum Commentariorum ab eadem manu elaboratorum volumen! De quo nonnulla ſcitu digna, hic intra privatos amicitiæ noſtræ libertati aſſuetæ parietes, dicenda ſunt nobis, qui omnium ad Commentaria pertinentium circumſtantiarum gnari & certi ſumus. Non eo inficias à multo tempore multos noſtrum ardentibus votis expetiiſſe ab Auctore τῷ μακαρίτῃ, quem in eruendis Scripturæ S. etiam reconditis ſenſibus, & connectendis textus Biblici periodis noveramus feliciſſimum, in omnes Novi Inſtrumenti libros Commentaria. Sed virum excellentiſſimis naturæ & ingenii dotibus, tum exquiſita rerum divinarum humanarumque, præcipue variarum linguarum notitia præditum, ac peregrinationis uſu expolitum, ideoque huic rei perficiendæ aptiſſimum, & ſacris alioqui ſtudiis annorum circiter XL ſpatio unice deditum, & in poſtulata noſtra facilem, operoſæ Eccleſiarum, quarum præcipuas regebat, Racovianam ſcilicet & Luclavicianam, curæ, crebræ Eccleſiarum remotarum tanto monitore & cenſore conſtituendarum viſitationes, tum vero & acria, quæ contra difficiles adverſarios (Clementinos, Meiſneros, Cichovios, Placeos alioſque) ſuſceperat, certamina, impediverunt. Tum verò & calamitas proſcriptionis, quæ illi occaſione Notarum in Concionem D. Vechneri ſupra initium Euangelii Joannis, (nempe enim quod typographus tranſmarinus invidiæ metu, Racoviam, jure typographiæ injuria privatam, & Sebaſtiani Sternacii nomen ad ſe occultandum ſuppoſuerat, id in crimen & argumentum pœnæ ab illis, qui cum malè facere velint, nunquam non cauſam inveniunt, tractum erat) ob confeſſionem fidei Chriſtianæ ſecundum Symboli Apoſtolici capita, ipſis ferè SS. LL. verbis conſcriptam, orbi notam, in Comitiis Varſavienſi-

bus

bus. A. 1647 obtigit, malignum bonis ejus inſtitutis oppoſuit pedem. Namque his iniquitatis telis in eum vibratis, per aliquot annos Vir nobiliſſimo loco natus, & nullius criminis convictus, in patria exul, & in liberrima Repub. adverſariorum veritatis libidini obnoxius, incertis ſedibus vagari, & oras Transboryſthenias, Ponto Euxino & Moſchicæ ac Scythicæ barbariei vicinas, adire & incolere neceſſe habuit. Ubique tamen terrarum munia ſuæ vocationis circumtulit & obivit, & aliquot annis in Luclaviciano, inter perpetuum perſecutionis & mortis ipſius, quæ in proſcriptum cuique arbitraria fuit, metum, animum ſervans æquum, contra Placeum Salmurienſem Theologum, & Cichovium Jeſuitam ad annum ſcilicet 1655, multa pro veritate, multa cum laude conſcripſit. Sed poſtquam belli Suecici procella in patria An. 1655, & mox in diſſidentes à Romanis perſecutio coorta eſſet, Schlichtingius [illegible] ſub Regis Sueciæ (in cujus tunc partes tota prope Polonia juratâ fide tranſiverat) protectionem confugit. Cæterum & nonnulli alii, qui ſcilicet triſtibus aliquot Fratrum, crudeliter in regione monti Carpatho ſubjecta, occiſorum exemplis, ſed & ſævo edicto ſibi pariter & Suecis nuncium diræ mortis ferente, patriis laribus pulſi, ac terga ſua, plebe ruſtica in ſeditionem armata, acriter premente fugientes, cum in Ungariam & Sileſiam vicinam, tum ſeditioſorum fines regni obſidentium, tum egeſtatis in peregrino ſolo difficilius tolerandæ metu, recipere ſe non poſſent, idem facere neceſſe habebant. Quod commodam ante hac ruri hic illîc agentibus præbuit tunc occaſionem, ut mox 1656 anno menſe Aprili ſeptem octove noſtrum inſtituto Collegio, ad nos in Scriprurae ſacræ intelligentia exercendum, operam & tempus converterimus. Cum autem tempus haud multum nobis reliquum eſſe, tum rebus in patria turbatis, tum ſi hæ componerentur, unoquoque noſtrum ſtationem rationemque vitæ ſuam animo cogitante, tum vero & Auctore ſexaginta annos prætergreſſo, præviderem us, ab hoc ſententiam rogati, quamnam potiſſimum Novi Teſtamenti partem explicari nobis optaremus, in Euangelium Joannis, tum principii ſingulari excellentia, tum eximia dictionis, præſertim in concionibus & ſermonibus Chriſti ante mortem habitis enarrandis, majeſtate & dulcedine præ cæteris merito commendatum, animo & ſuffragiis ivimus. Hujus explicationem, ſubeunte mœnia urbis cum exercitu Polono duce Joan. Dembinio de 18 Maji cœptam, non ſtatim ab initio, imo verſus finem demum ore Auctoris dictatam, ſed ex commentantis ore exceptam, ae die 23 Auguſti, decimo quarto ante ſecundæ obſidionis Zebridovianæ cum menſe Julij inchoatæ ſolutionem, finitam habemus. Hæc tamen demum Stetini Pomeranorum (quo dedita Cracovia An. 1657 ob magni ponderis rationes veniens, Auctorem, utpote Affinem cariſſimum, & ſemper parentis loco habitum An. 58 habui convictorem) ex meo exemplari tumultuarie conſcripto, ſive potius adverſariis, adornata, & die 8. Octobris An. 1659 durante obſidione, inter media belli tonitrua, ut ipſe Auctor in illis meis adverſariis annotat, perfecta eſt. Ita ut hicce in Euangelium Joannis, qui nihil magis quam charitatem ſpirabat, & ſcriptis ſuis inculcabat, commentarius inter medios belli in Polonia & Pomerania furores, & trinæ obſidionis ſtrepitus, Chriſto ſcilicet cæleſtiſſimo Magiſtro ſuos à mundo, ut omnibus vitiis, ita & bellis iniquiſſimis dedito ſegregatos, charitatem illam ſingularem & germanam, verorum ſuorum diſcipulorum notam, per bunc inſignem ſuum ſervum docente fuerit adornatus. Sed audi quæ & aliorum Commentariorum fuerit fortuna. Commentarius in epiſtolas Joannis (ita enim Auctori has Euangelio adjungere, & eodem curſu abſolvere viſum erat, nobis ſponte ductum ejus ſequentibus) die 24 Auguſti anni 1656, ſupra memorati adſectus, & exeunte menſe Octobri perfectus eſt. Interim decurrente menſe Septembri exercitus Polonus tertiam, & longe majori, utpote ex duarum priorum obſidionum damnis inſtructam paratu, inchoaverat, ductu Georgii Lubomirſcii, Magni per Regnum Mareſchalci, & Ducis Campeſtris, ideoque multo graviorem obſidionem, quique menſium ſpatio continuatam, ac tandem adventu Georgii Racocii Principis Tranſylvani ſolutam. Auctor vero noſter Commentarium in Epiſtolam ad Romanos die 31 Octobris inceptum, inter medios armorum ſtrepitus conti-

nuatum, & ſolventibus die 10 Februatii 1657 obſidionem Polonis, in explicatione capitis octavi ad Romanos occupatus, quin & ipſa die 29 Martii, cunctis in ſalutando Principe Tranſylvaniæ, qui urbem & regiam pridie iniverat, occupatis, capitis decimi verſum decimum tertium, (ut & minutiora Tibi cuncta huc ſpectantia pernoſcere cupido recenſeam) tanquam penſum graviſſimum alacriter pertractans, cuncta temporum momenta ad ſancti operis ſuſcepti promotionem ſingulari revocans induſtriâ, die 6 Junii abſolvit. Mox die 11 Junii Commentarium in 1 Petri epiſtolam orſus, & ad capitis ſecundi verſum decimum nonum, Rege Poloniæ Joanne Caſimiro cum exercitu Polonico & Germanico urbem obſidente, die 12 Julii perveniens, poſtridie nuncium triſte de acerba filii morte accepit. Is nempe (quod inter illos privatos amicitiæ noſtræ parietes referre tibi liceat) à Polonis militibus una cum altero juvene nobili captus, vitam potius, cujus cum jactura fidei & mortis cum ignominia junctæ optio data utrique erat, morte atrociſſima exempli & beneficii à Servatore præſtiti memores, quam conſcientiam & veritatis profeſſionem perdere maluerunt. Hoc tam ſævo nuncio, mirum dictu! ſed ita ſe res habet, me cuncta ab initio ſedulò annotante, illa ipſa die ad aures ſuas perlato, Auctor magis in Filium Dei, quam in proprium Filium dilectionis memor, verba illa verſ. 23 & 24: *Qui cum convitiis afficeretur, non viciſſim convitiabatur, patiens non minabatur, ſed tradebat ei qui juſtè judicat, qui peccata noſtra ipſe ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper lignum &c*, ex ordine inſtituto explicuit, & ad cuncta triſtia invictum gerens animum, ac inter lachrymas ſolatia ex his verbis Apoſtoli & exemplo Servatoris deprompta miſcens, egregium & memorabile patientiæ & conſtantiæ nobis omnibus præbuit exemplum. Tandem feliciter, non obſtantibus obſidionis quartæ incommodis, commentarium illum die 13 Auguſti abſolvit. Poſtridie ſine mora, temporis anguſtiam prævidens, commentarium in 2 Petri epiſtolam aggreſſus, ad verſum primi capitis decimum ſeptimum die 23 Auguſti, jam dedita Polonis urbe pervenit. Atquè hic eum non *Plato*, ſed dura neceſſitas *juſſit quieſcere*, cum urbs diſpari, antiquo tamen & verò domino dominari eſſet cœpta, ſed ſub cujus præſidio non integrum ampliùs nobis erat æqua libertate religionis frui, qua parentes noſtri Rege Sigiſmundo Patre ejus ante annos ſexaginta ſeptem, in illa ipſa regni metropolis & aliis urbibus Regiis gaviſi fuerant.

Sed finem pietas contigit iſta ſuum.

Atque his verè Chriſtianis occupationibus aſſiduis integer annus cum trimeſtri nobis τῷ καιρῷ τε ϗ χρόνῳ monente Apoſtolo Rom 13. 11, (nempe enim & res ipſa, ſed & ratio recta idem docet, unde Græcus Poëta Phocylides

Καιρῷ λατρεύειν μηδ᾽ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.
Tempori ſervi, nec refla ventis.)

ſervientibus, & quietè, nec minus ſuaviter in cæleſtium contemplatione defixis, inter minas ſeculi tranſiit. *O felices omnes, qui*, ſicut neſcio quis vir pius cum veritate dixit, *ea agunt in terris, quorum uſus perſeverat in cœlis*! Antequam ulterius progrediar, unum adhuc monere Te volui debuique, ad legenda illa commentaria Schlichtingiana properantem. Ne mirêre Auctorem noſtrum in hoc opere quandoque cum Hugone illo, re & nomine Magno, quo Inclyta Batavia meritò gloriatur quemque pium *Delphicum oraculum*, utpote patria *Delphenſem*, vocare poteſt, conſentire. Summo namque loco ponebat, & meritò quidem, Virum Maximum & Incomparabilem, de quo dicere ſolebat, *Orbem Chriſtianum per 15 amplius poſt Apoſtolos ſecula talem expectaſſe virum.* Ideò noſter lectioni Annotationum ejus aſſuetus facilè potuit, ipſa utrumque ducente veritate, cum illo convenire. Cæterùm quod in Commentario in Evangelium

Joannis

Joannis quandoque verba Grotiana veluti mutuata ponat, & eum κατὰ πόδας ſequatur, me habes, Tu quidem, Amicorum integerrime! ſi quæ in eo culpa eſt, confitentem reum, ita vero confitentem, ut ingenuè agnoſcam, me Annotata Grotii ante oculos ſemper habente, Schlichtingiana audita, cum Grotianis lectis, mente & calamo celeri miſcuiſſe, poſtea verò cum Auctor illa mea adverſaria Stetini emendaret, abſentem (nam in Pruſſia tunc agebam) fuiſſe, nec Auctorem à reditu meo Stetini reperiſſe, & nec eum in Marchia degentem amplius, nec Commentarium, niſi poſt fata demùm ejus vidiſſe, ut taceam neutri noſtrûm Grotium ad manus, ſicut nec ullum Auctori, dum commentaretur, librum, præter Novum Inſtrumentum, præſto fuiſſe. Initium tamen Commentarii in Euangelii primum caput ad verſum 29, datâ operâ conſcripſit Auctor, & in adverſariis poſt illa verba: *Et hic eſt totius iſtius & exordii & Euangelii ſcopus unicus*, ſequentia adſcripſit: *Hucuſque Auctor ipſe commentatus eſt: quæ ſequuntur ex ejus ore inter explicandum Cracoviæ ſunt à Staniſlao Lubienieccio excepta, & ab Auctore ipſo Stetini Pomeranorum deinde lecta, & recognita, imò tota alia facta.* Poſtquam verò Auctor Cracovia excedens in Möſtichiano Generoſorum Saccorum pago in Sileſia, Poloniæ & Marchiæ finibus vicinâ, ſito, ſedem Anno 1657, exeunte Septembri fixiſſet, benè exorſam telam pertexens, Commentarium poſterioris Petrinæ ibidem abſolvit, & in 1 ad Corinthios ſeptem capitibus abſolutis inchoavit. Inde ob rumores & motus bellicos, ſed & ob perſecutionis metum, Stetinum die 10 Maji Anno 1658 veniens, ac mihi tanquam pater filio cohabitans, in componendis Commentariis felicitèr & aſſiduò pergebat. Atque ita ad initium Februarii 1660, urbis obſidione proximè præterito menſe Novembri ſolutâ, ibidem permanens, commentarium in Euangelium Joannis & utramque ad Corinthios epiſtolam peregit, Dehinc tum uxore paulò poſt ſolutionem obſidionis orbus, tum novi belli in Pomerania motus metuens, tum denique liberis, è quibus tres filii & unica filia ſuperſtites erant, vicinior fieri volens, inde profectus eſt. Sed Deo patientiam Viri Sancti tot experimentis probante, Starogardiæ à præſidiariis Brandenburgicis, quòd ex urbe tunc inimica veniret, ſuſpectus habitus & in vincula datus eſt, de Commentariis detentis, ut pretioſo theſauro, maximè ſollicitus. Inde juſſu Electorali in caſtrum Spandavienſe die 23 Februarii perductus & cuſtodiæ traditus, die 26 Februari commentarium in epiſtolam ad Epheſios inchoavit, eundemque ibi die 2 Aprilis finivit, invictum illum Heroa, ac Satanæ mundique victorem, non magis ſcripto quam opere pulcherrimè referens. Poſtridie commentarius in epiſtolam ad Coloſſenſes (quam, utpote parallelam, præcedenti adjungere, & illi ad Philippenſes, licet prius poſitæ, quin & prius ſcriptæ, præponere ſtudio voluit) orſus, cum die 5 Aprili hora ſeptima matutina verba illa cap. 1 verſ. 13 explicaret, *qui eripuit vos ex poteſtate tenebrarum &c.* Sicut manu propria in adverſariis adnotavit, redditum eſt illi diploma ſereniſſimi Electoris, quo juſſus eſt dimitti, ubi etiam brevem doxologiam in doxologia explicanda occupatus, *Deo gloria, innocentia mea defenſori!* appoſuit. Mox Berolinum ad ſereniſſimum Electorem ſe conferens, benigne, quâ laudatiſſimus ille Principum eſt clementiâ, admiſſus, innocentiæ & veritati præbuit teſtimonium, ac benignum accepit reſponſum, detentionem ſui tempore dubiò factam providæ circumſpectioni eſſe tribuendam, ideòque æquo animo ferendam: quo facto & menſæ Electorali adhibitus & liberaliter habitus eſt. Cum autem poſt aliquot dies in Aulam rediiſſet, Commentarios ſuos, quorum ardentiſſimo flagrabat deſiderio, ex manu Principis Anhaltini, ad quem à Principe Vinarienſi Stargardiæ præfectò erant miſſi, recepit, & tunc demùm ſe libertati priori ex integro reſtitutum eſſe profeſſus eſt, poſtquam commodas occaſiones de religione publicè & privatim colloquendi, & veritati Commentariis ſuis illuſtratæ teſtimonium dandi ſibi feciſſet, benignè quoque ad ultimum dimiſſus eſt, Illinc profectus Selichovianum, in domo Nobilis & Piæ Matronæ Eliſabethæ Falkenrehdianæ ſedem fixit. Ibi Commentarium in epiſtolam ad Romanos recognovit,

 & die

& die 10 Maji à cap. 1. ad Coloſſ. verſ. 15 (huc uſque enim munimento Spandaviano incluſus pervenerat) commentarium inſtaurans, eundem Kalendis Juniis: illum ad Philippenſes poſtridie orſus, die 18. Junii: de hinc illum 1 Theſſ. die 22. Junii inchoatum, die 4. Julii abſolvit. Hoc ipſo die cœptum in 2 ad Theſſalonicenſes commentarium, ſex dierum ſpatio finivit. Illi in priorem ad Timotheum dies 10. Julii, præfixione exilii tot innocentibus celebris, initium, dies 11 Auguſti finem dedit. Commentario in poſter. ad Timotheum dies 12^{mus}. Auguſti auſpicium, dies 27. ejuſdem menſis coronidem attulit. Mox illum in epiſtolam ad Titum die 28. Auguſti inchoavit, die autem 10. Septembris ad finem perduxit. Tandem illa ipſa die commentarium in epiſtolam ad Philemonem cœptum, die 13 Septembris conſummavit, & addidit: *Finivi per eandem Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, quæ cum ſpiritu meo fuit Selichoviæ, die 14 Septembris 1660.* Atque ibi etiam poſt annum recognoſcendis commentariis exactum, ſed & cum morbo, quem impigro labore & vita ſedentaria ſibi accerſiviſſe putabatur, fortiter conflictatus, placide tandem, cunctis, pone duos filios, Chriſtophorum & Jonam ſibi cognominem, tunc præſentes, & pietatis officiis in chariſſimum genitorem egregiè defunctos, benedictione impertita, nec abſentium oblitus, obdormivit in Domino. Primus Novembris Styli Gregoriani dies ultimus vitæ ejus fuit, mox honeſta ſepultura in edita vinea Sacciana ſubſecuta. Quæ cuncta accuratius Tibi pro jure amicitiæ recenſere volui, ut hiſtoriolam, non tantum Commentariorum, ſed & præcipuorum vitæ ejus actorum, tum & exitûs tanti Viri, rudi penicillo inter tot curas totque labores adumbratam verius quam delineatam habeas, & videas quam bene vir pius, & divinæ gloriæ zelo flagrans, horas ſuas locare, & tempus, cujus ſolius honeſtam avaritiam & rationem reddendam eſſe veteres monuerunt Philoſophi, & Plinius Senior ſingulari docuit multa cum laude exempla impendere, & officia vocationis ſuæ inter & contra adverſa cuncta, animo intrepido & infracto exercere poſſit. Hos ille Commentarios tribus filiis, illis ſcilicet duobus & tertio Paulo, natu inter eos minimo, libros chariſſimos liberis chariſſimis, ſed una & mihi & Joanni Preuſſio, fideli Jeſu Chriſti ſervo, & Eccleſiæ ejus vigilantiſſimo Paſtori, quem etiam ut filium dilexerat, commendavit. Cæterum quicquid nos quinque junctâ operâ & conſiliis ac ſtudiis hîc fecimus, fecimus officium, Schlichtingii ut filii naturales, nos duo ut affectu filii, & curatores poſthumorum operum deſignati. Nulli ergò noſtrum debetur hic quidquam, at Deo plurimum, imò totum hoc quod eſt. Deus enim eſt, qui nos ad moliendos hos Commentarios Cracoviam (dicat quicquid velit invidia, quam virtutis umbram nemo mirabitur morabiturve, ad honeſta vadens ipſo contempto contemptu) coëgit, quos certè omnibus nobis per multum diſſita loca diſperſis, nec Auctorem ad eos pangandos efficaciter incitare, vel tam commodè juvare valentibus, nunquam habuiſſemus. Ita vel errores noſtri rebus in patria adeò turbatis & confuſis, occaſione inevitabilis neceſſitatis (ſi qui fuerint, eventu in culpam facti tranſeunte, cum tamen nonnemo dicere non dubitarit: *Mea conſilia ſunt meliora, licet illius ſint feliciora*) commiſſi, hoc egregio opere apud æquos rerum judices excuſationem mereantur, par eſt. Deus eſt qui eos inter quinque obſidionum mala, & in mediis bellorum furoribus, ac in captivitate, à viro fortitudine Chriſtiana prædito, componi voluit. Deus eſt, qui eos ita cuſtodivit, ut & rapacium militum manus, & voracis ignis fortuiti ſacrum opus amburentis, tantum ac veluti tangere non auſi violentiæ, ut de contagionis virulentia hic illic ſæviente nil dicam, eripuit. Deus denique eſt, qui eos multis obicibus amotis in publicum prodire voluit. Hic autem pro eodem illo amicitiæ noſtræ jure dicere Tibi debeo, id quod ſcire Tua intererit, & fortè aliorum multorum, qui etſi avidi horum lectores, tamen & ſeveri Ariſtarchi forte futuri ſint, & quædam in hoc opere cenſoria virgula notare velint. Profectò qui virum hunc, cui naſcenti modeſtia & humanitas adſtitere, noverant, fateantur neceſſe eſt, eum libenter judiciis aliorum ſe ſuaque, more ſemper apud nos obſervato, ſubmiſſurum fuiſſe, quod etiam nonnulli, quos in hac triſti noſtrûm diſ-

perſione

perſione præſto habuit, experti ſunt. Adeòque non offendiſſet eum limæ labor & mora, utpotè benè doctum facilè juſtam incurrere reprehenſionem ſcriptum

—— —— —— Quod non
Multa dies & multa libra coërcuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

Cum autem plurima in hoc præclaro opere niteant, vel ipſa judice invidia, nemo paucis, ſi quas fortè repererit, offendetur maculis,

—— —— —— Quas aut incuria fudit.
Aut humana parum cavit natura —— ——

Quam æquitatis Legem Lyricorum Princeps præſcribit, adeòque hanc cogitabit, ut & quod mox idem ſubjicit

—— —— Quandòque bonus dormitat Homerus,
Quippè opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

Quod ego tamen ex mente illorum dictum velim. Satis autem per legem æquitatis certus ſum, nemini noſtrum, tantò minùs Eccleſiæ univerſæ, ullo jure imputari poſſe, etſi quædam in hoc libro erronea (ſicut, fateor, nonnulla mutanda vel omittenda quibuſdam noſtrarum viſa fuerant, aliis tamen, præcipuè hæredibus, iniquum id poſt. fata Auctoris eſſe, judicantibus) inveniantur. Nam ex illa, licet brevi, at pia & docta, Auctoris præfatione, clarè patet, eum & Commentaria ſua Fratrum cenſuræ ſe vivo, ſi id per diſperſionem licuiſſet, ſubmittere, ſicut id quidam experti ſunt, eademque non publico, ſed ſuo privato nomine, cum illa cenſura fieri non poſſet edere, & ſi quid in eis à veritate alienum foret, nec pro ſuo agnoſcere voluiſſe. Atque ſic opus iſtud feliciter perfectum eſt, de quo meritò dicere queas:

Hic meret æva liber ſoliis: hic & mare tranſit;
Et longum noto ſcriptori prorogat ævum.

Nam & poſt fata per eum vivit, & vivus volitat per ora virûm. Unde vides, qua occaſione & à quibus initiis, quave via, & inter quot quantaque impedimenta, & ad quod laudis faſtigium opus iſtud pervenerit, divina ſcilicet favente gratia multis nominibus celebrandâ. Itaque ei, ut Patri luminum, à quo deſcendens omne bonum donum, omneque perfectum munus ſupernè eſt, quique non ſpiritum timiditatis, ſed fortitudinis & charitatis ac ſobrietatis huic quoque eximio ſervo ſuo dederat, illi dico, *Soli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum*, hoc etiam nomine dignæ debentur gratiæ. Is cunctis librum hunc lecturis det oculos ad videndum, & cor ad intelligendum, ut qua in re vitæ æternæ conſequendæ, ipſo Chriſto teſte, ratio continetur, cognoſcant illum, utpote *Solum verum* ſive ſummum *& unum Deum, & quem ille miſit*, ac humano generi Servatorem & Mediatorem unicum, ac ſummum Pontificem dedit, *Jeſum Chriſtum*. Is nos omnes in viis ſuis cuſtodiat, Spiritu Sancto regat, & contra omnes blandientis & ſævientis ſeculi tentationes roboret in iiſdem, ac per eas ad æternæ beatitudinis perducat gaudia! Amen.

Vale, Vir Magne! Amice integerrime! & à me hîc Tibi pro jure amicitiæ dicta boni & æqui conſule. Dabam Hamburgi die $\frac{14}{24}$ Junij 1665.

EPITAPHIUM

Viri Nobiliſſimi, Reverendi & Clariſſimi DOMINI

JONÆ SCHLICHTINGII DE BUCOWIESZ
Theologi Excellentiſſimi.

JONAS SCHLICHTINGIUS DE BUCOWIETS
LUMEN ECCLESIÆ
PATRIÆ
FAMILIÆ
EGREGIUM PIETATIS CHRISTIANÆ EXEMPLAR
INSIGNIBUS LABORIBUS
PRO VERITATE DEI GNAVITER EXANTLATIS,
ACRIBUS PERSECUTIONIBUS
PRO EADEM FORTITER TOLERATIS,
VIVA ET FIRMA FIDE
SERVATORI SUO AD EXTREMUM SERVATA,
INDUBITATA SPE
RESURRECTIONIS ET GLORIÆ FILIORUM DEI FULTUS,
AD SPIRITUS JUSTORUM CONSUMMATOS
RELICTO HIC TERRENO TABERNACULO,
IPSIS KALENDIS NOVEMBRIBUS
ANNO SALUTIS CIↃ IↃC LXI.
ÆTATIS LXIX.
TRANSIVIT.

Digitized by Google

JONÆ SLICHTINGII à BUKOWIEK

Equitis Poloni

COMMENTARIUS

In

EUANGELIUM
JOANNIS

Apoſtoli.

COMMENTARIUS
IN
EUANGELIUM JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT I.

IOannem Apoſtolum Euangelium hoc fine ſcripſiſſe, ut Chriſtianos in fide, qua Jeſum credunt eſſe Chriſtum, Dei filium, confirmaret, contra maxime tum exorientes Antichriſtos, qui id negabant, (quamvis alioquin Jeſum ſanctum fuiſſe virum, & à Deo miſſum, eorum aliqui ſaltem, fortaſſis non negarent) ipſius Apoſtoli verba docent apertiſſima cap. xx verſ. ultimo: *Hæc ſcripta ſunt*, inquit, *ut credatis, quod Jeſus ſit Chriſtus, ille Dei Filius, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Qui ſcopus etiam fuit illi præcipuus in ſua Epiſtola. Idque & alii Apoſtoli unice prædicabant Actor. 2. 36. viij. 37. x. 42. Rom. x. 9. 1 Tim. 2. 5. 1 Cor. viij. 6. Nec mirum: cum hæc fides fundamentum ſit Chriſtianæ pietatis. Quia vero huic fidei, illud inter alia ponere poterant, & haud dubie ponebant obſtaculum, Antichriſti, ut Joannem Baptiſtam Jeſu præſtantiorem dicerent, amolitur ante omnia obſtaculum iſtud Apoſtolus. Argumentum, quo nitebantur, hoc erat, quod Joannes Baptiſta principium fecerit Euangelii de regno cælorum appropinquante, & baptiſmum prædicarit pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Jeſu necdum uſquam cum ſua prædicatione comparente, quin & Jeſum comparere incipientem, baptizaverit. Hoc igitur ipſorum argumentum primo tollit, deinde ipſius Baptiſtæ teſtimonio Jeſum eſſe Baptiſta multo præſtantiorem & Chriſtum ipſum, evincit.

Qui procemium hoc Euangelii contra Cerinthum ſcriptum dicunt, ſibi ipſis contradicunt. Ajunt enim ipſimet, Irenæo & Euſebio auctoribus, Cerinthum docuiſſe, Jeſu adjunctum fuiſſe æternum Chriſtum ſeu λόγον τοῦ θεοῦ, & hunc in principio mundi fuiſſe, & fuiſſe apud τὸν θεὸν, & ipſum fuiſſe quoque θεὸν, & omnia in veteri creatione per ipſum facta eſſe, eundem denique in Jeſu incarnatum ſeu inhominatum fuiſſe. Quomodo igitur hæc contra Cerinthum ſcribere potuit Apoſtolus, quæ Cerinthus pro ſe potius ſcripta eſſe diceret, quam contra ſe?

Qui item ajunt procemium hoc opponi iis, qui non credunt Jeſum extitiſſe antequam exiſteret, ſeu anteqoam conciperetur & naſceretur, (quam προϋπάρξιν dicunt) ab ipſo refutantur Apoſtolo, qui totum Euangelium, proinde & hoc ipſum procemium, eo ſe ſcripſiſſe dicit fine, ut Jeſum credamus eſſe Chriſtum illum, Dei Filium, Prophetarum oraculis notum in vulgus, quod nihil habet commune cum iſta, quam dicunt προϋπάρξιν Jeſu. Nam & Chriſti & Filii Dei nomine κατ' ἐξοχὴν, Hebræorum phraſi, non alius ſignificabatur, quam homo. Nam hoc procemio doceri, Jeſum eſſe unum illum Deum, tantum abeſt, ut ſingula pene verba huic ſententiæ, quod infra videmus, reclament.

Relictis igitur erroneis, & ex erroneo verborum iſtorum intellectu profectis traditionibus hiſtoricis, ad ipſa Apoſtoli accedamus verba, quorum vero & genuino ſenſu intellecto, facile apparebunt adſcititia, quamvis protinus, & ſic antiquitus (quod & aliis ſcripturis accidit 2 Pet. iij. 10.) arrepta. Ut fruſtra ſint, qui objiciunt, hunc Joannis locùm in tota antiquitate non fuiſſe ſic intellectum, ſicut à nobis explicetur. Primum enim præſtaret, hunc locum non intelligere, quam ei talem dare interpretationem, quam nulla clara contineat Scriptura, imo quæ cum clariſſimis Scripturæ teſtimoniis non congruat, quibus Jeſus homo fuiſſe docetur, ex Spiritu Sancto conceptus, & natus ex virgine à viro intacta. Deinde quotnam habent Auctores ex antiquitate, ut ex iis de totius antiquitatis circa hunc locum ſententia judicare poſſint? Ignatius, Irenæus, Juſtinus, Tertullianus, nondum ſunt tota, nec Apoſtolorum temporibus æqualis antiquitas. Ut omittam Ignatium non eſſe Ignatium, ſed Pſeudo-Ignatium. Et iſti ipſi cur magis ab Antiquitate primæva in multis aliis recedere potuerunt, quam in ſententia de Chriſto? Ignatius iſte, Epiſt. ad Philippenſes & Antiochenos, Chriſtum eſſe dicit inhominatum, voce nova, ut & in ſententia nova. Apoſtoli enim Chriſtum hominem fuiſſe docuerunt, non inhominatum. Juſtinus Dialo. cum Tryph. Judæo, etiam duos ſe Deos agnoſcere, unum altero ſuperiorem, profiteri non eſt veritus, quod ei evenit ex mera imperitia phraſis Hebraicæ, qui nomen repetunt loco pronominis, aut nomine tetragrammato illum etiam appellant, in quo Deus ipſe nomen hoc, cum vellet, ponebat Exod. xxiij. 20, 21. Qui idem tamen Juſtinus multos Chriſtianorum ſuo tempore fuiſſe fatetur, qui minime crederent Chriſtum fuiſſe Deum, antequam homo fieret. Certe nullam cauſam video, ut ex paucis iſtis de totius antiquitatis pronuncietur ſententia. Nam poſteriores, & qui iſtos ſecuti ſunt ſcriptores, non antiquitatem primam illam & ſimplicem, ſed doctos iſtos ſequi potuerunt; præſertim, cum antiquitatis illius puræ vix ulla alia præter Sacras Scripturas extarent monumenta. Nemo tamen etiam aliquantum ultra Nicæni Concilii tempora eo proceſſit,

ceſſit, ut τὸν λόγον, unum illum Deum eſſe crederet. Nam Tertullianus, lib. adverſ. Hermog. longe ante aperte ſcripſit: *Non quia Deus ſemper, ideo & Pater ſemper: fuit enim tempus, cum Filius non fuit, qui Deum Patrem faceret.* Patripaſſianos hic non attendimus, qui Patrem & Filium eandem perſonam eſſe dixerunt, etſi iſtorum opinio antiquiſſima ſit, & ſimul nata videatur cum opinione illorum, qui Filium, antequam naſceretur, Deum eſſe crediderunt. Nam & Ignatius ille, ep. ad Tarſenſes, meminit iſtorum tanquam hæreticorum à Satana diſſeminatorum. Et huc tandem res devenit, ut Pater & Filius etſi non eadem perſona, tamen idem numero Deus eſſe ſtatuatur. Quæ vocabulorum tantum, non rerum diverſitas eſt. Apoſtolicas mihi proferant Eccleſias, aut Nazaræorum illorum auctoritatem, quorum è numero Paulus ſeſe profitetur, ſi poſſunt, aut ſi non poſſunt, maneant in primæ antiquitatis monumentis, id eſt in Apoſtolorum ſcriptis, & primo illo Chriſtianorum Catholico Symbolo; nec obſcuriora Scripturæ loca pro ſua ſententia allegent, antequam eam aliis clariſſimis demonſtraverint. Aliter enim non Scripturæ teſtimoniis, ſed hominum interpretamentis & auctoritatibus agent, quibus abſque Scripturæ clariſſimæ ductu, non minus quam aliis in proclivi ac præcipiti fuit errare. Quod, ne nobis etiam uſu veniat, nuſquam à clariſſima Scripturæ luce recedere conſtitutum eſt, longeque præſtat, ut diximus, in obſcurioribus locis ignorantiam profiteri, quam eos ſine hac luce ingredi. Non huic tantum Sacræ Scripturæ loco evenit, ut protinus in pravam interpretationem & ſenſum arriperetur; ſunt & alii non pauci. Non aliunde profluxit antiqua illa & epidemica Judæorum opinio de adventu Eliæ, proprie dicti, antè Meſſiæ adventum, & Chriſtianorum, de adventu Antichriſti tribus annis cum dimidio, ante adventum Chriſti. Etiam illa Apoſtoli verba, ut Epiſcopus ſit unius uxoris vir, quis hominum non protinus ſic eſt interpretatus, ut putaret, ſecundum connubium cum Epiſcopatu nullo modo poſſe conſiſtere? quæ tamen, non ſanctorum virorum, qui talia Spiritus Sancti ductu prodiderunt, culpa eſt; ſed hominum, ad immota religionis & rationis principia cuncta non revocantium. Si antiquorum omnium ab Apoſtolicis temporibus ſcripta extarent, tum aliquid ex illis de totius Antiquitatis ſententia pronunciare poſſemus: Nunc cum nulla extent, niſi paucorum aliquot, eorumque immani poſt Apoſtolos intervallo viventium, verus & Catholicus antiquitatis ſenſus ex illis peti nequit.

Verſ. 1. *In principio erat ſermo.* Vox Principii eſt relativa. Ideoque ſi ponatur abſolute, ut hic fit, vel ſtatim aliquid apponitur, ex quo appareat, cujus rei principium intelligatur; vel, ſi nihil addatur, ipſe libri titulus ac materia id protinus docere debet, ne lector ſuſpenſus hæreat. Dicunt quidam, principium hic deſignari notum, proinde principium mundi. Quaſi vero principium Euangelii non æque ſit notum Chriſtianis quam principium mundi, aut quia principium aliquod ſit notum, liceat abſoluta principii voce ſic uti, ut non ex rebus ſubjectis & adjectis debeat intelligi. Cum cujuſque rei principium, de qua ſimus acturi aut agamus, ſemper ſit potius ac notitiæ propius, quàm quidvis aliud, aut quaſi Joannes deſcribat hiſtoriam mundi, ut facit Moſes, & non hiſtoriam Euangelii. Sic Moſes, ad eaſdem voces, *In principio*, protinus adjecit, *creavit Deus Cælum & terram*, ut hinc eum de principio rerum mundi, quarum & hiſtoriam texendam ſuſcepit, loqui conſtet. Sic idem hic Apoſtolus Epiſtolam ſuam per eaſdem principii ac ſermonis voces exorſus eſt; *quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris; quod ſpectavimus, & manus noſtra contrectarunt, de ſermone vitæ, &c, annunciamus vobis* 1 Joh. 1. 1, 3. At quis protinus ex re ſubjecta & adjecta non videt Euangelii principium hic deſignari, à quo Apoſtoli una cum Jeſu erant Joan. xv. 27, ut tanto certius quid à principio eſſet, teſtari poſſent. Sic & cap. 2 Epiſtolæ dictæ eaſdem abſolutas à *principio* voces, non de alio, quam Euangelii principio accipit verſ. 7: *mandatum, quod habuiſtis a principio, ſermonem quem audiviſtis a principio*, & verſ. 24: *quod audiviſtis a principio in nobis maneat, ſi in nobis manſerit, quod a principio audiviſtis, & vos in Filio, & in Patre manebitis.* Cur vero ad *principii* vocem, nuſquam addit vocem *Euangelii*? quia & hic res ſubjecta & adjecta protinus id cuique ſuggerit. Et ut profanum etiam adducamus Auctorem, (nam quid attinet alia complura ex S. literis accumulare exempla) *Urbem Romam*, inquit Tacitus, *a principio Reges habuere.* Quis ex Urbe Roma non protinus, cujus rei principium deſignetur, intelligat? Igitur & hic vel ex adjecta voce τοῦ λόγου, id eſt, Sermonis, vel ex ipſo libri titulo ac materia, vel ex utroque protinus intelligi debet, cujus rei principium deſignetur. Et de voce quidem ſeu appellatione τοῦ λόγου ſeu ſermonis, quem deſignet, & quare, mox dicemus. Libri enim titulum ac materiam eſſe Euangelium, nemo dubitat, quod & totius libri complexus docet. Nemini igitur etiam dubium eſſe debet Euangelii principium hic intelligi. Nec ulla cauſa eſt, ut idem Apoſtolus aliter vocem principii acceperit in exordio Euangelii, aliter in exordio Epiſtolæ, ubi etiam ſermonis meminit, idque cum adjectione vocis *Vita*, ut ſimul tituli iſtius rationem explicet. Nec vero per ullum melius quam per ſeipſum Apoſtolus explicatur: ſunt enim loci paralleli. In utroque ponitur vox principii abſolute, ponitur titulus & appellatio Sermonis: In Epiſtola appellatur ſermo vitæ, quod vitam æternam annunciarit, in Euangelio dicitur vitam in Sermone fuiſſe: in Epiſtola dicit, & vita manifeſtata eſt; in Euangelio autem, & vita erat lux hominum: denique & Epiſtolæ & Euangelii idem eſt ſcopus, nempe docere, Jeſum, qui ſermo Dei erat, eſſe Chriſtum illum Dei, idque ab ipſo Euangelii principio ſtatim auditum eſſe Joan. xx. 31. 1 Joh. 2. 24. IV. 2, 3. V. 1. Denique quid opus eſt multis? Apoſtolus ipſe, quodnam principium intelligat verſ. 6 exponit, dum Joannis Baptiſtæ commemorat adventum. Neque enim adventus Joannis Baptiſtæ cum ullo alio principio quam Euangelii copulari poteſt, ut mox dicemus.

At enim ajunt, principium creationis hic debere intelligi, idque patere ex voce λόγου, id eſt ſermonis, & ex ſequentibus, in quibus mox per ſermonem omnia dicuntur eſſe facta.

Si

Si creationem intelligant novam, non multum cum illis pugnabimus; ſin veterem, nihil cum illa commune habet hic λόγος ſeu ſermo, ut mox dicemus. Et vox principii jam antea debuit intelligi, quam lector ad iſta perveniret, in quibus omnia per ſermonem eſſe facta dicuntur, cum hæc ipſa quoque ex ſubjecta materia, quod Euangelium eſt, intelligenda ſint. Principium porro Euangelii ſuit Joannis Baptiſtæ prædicatio, locupletiſſimo teſte Marco, *Principium*, inquit, *Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis: Ecce, ego mitto Angelum meum coram facie tua, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino, rectas facite ſemitas ejus. Erat Joannes baptizans in deſerto, & prædicans baptiſma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* Marc. 1. 1, 2, 3, 4. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum* Matth. iij. 2. Atque hinc eſt, ut omnes Euangeliſtæ prædicationem Joannis prius deſcribant, quam Chriſti. Itaque apprime hoc pertinebat ad ſcopum Apoſtoli, ut ante omnia doceret, Jeſum eſſe principalem auctorem Euangelii, non Joannem Baptiſtam, licet is prior prædicaverit, quam Jeſus. Quod & Marcus ſignificavit in allegatis verbis, Euangelium ad Jeſum Chriſtum Dei Filium referens, quamvis Joannis prædicationem, principium ejus dicat, quin & Jeſum à Joanne, quod & alii Euangeliſtæ faciunt, baptizatum eſſe teſtetur verſ. 9. Non dicit autem Apoſtolus, Jeſus erat in principio Euangelii, (quis enim hoc neſciret? cum Jeſus non multo junior eſſet Joanne, & Joanni ſupervixerit) nec dicit in principio Euangelici erat Chriſtus: jam enim pro conceſſo ſumeret, quod de Jeſu probare inſtituit, ſed, *in principio*, nempe Euangelii, *erat ſermo*. Ut enim ſermo verus Euangelii enarrator, in principio Euangelii eſſet, plane conveniebat. Non addit, cujus eſſet ſermo, quia hoc ex reipſa intelligitur, quod eſſet ſermo unius illius Dei. Similem ellipſin habes infra cap. IV. 20, 21. Coloſ. 1. 19. Per ſermonem hunc, Jeſum intelligi, nemini dubium eſt, ut & res ipſa docet, & Joannes exponit verſ. 17, ſed Jeſum, ſermonis munere ac dignitate jam præditum. Si ergo vox *principii* ex Jeſu, & ex ſermonis officio debeat intelligi, profecto non aliud principium intelligi poterit quam Euangelii, niſi prius aliunde jam notum ſit, Jeſum fuiſſe antequam eſſet, & ſermonis officium geſſiſſe. Unde patet fruſtra eſſe eos, qui ex hoc Euangelii procemio προΰπαρξιν τοῦ λόγου probare volunt, quam niſi prius aliunde demonſtrent, nos & vocem principii, & ſermonis appellationem, & omnia, ex Jeſu interpretabimur. Vide plura verſ. 17. Hic autem primum Euangeliſta tam ſublimi ſermonis Dei titulo Jeſum præfert Joanni, quem titulum merito ſe Jeſu tribuere mox evincit. Appellat enim Jeſum ὁ λόγος cum articulo emphatico, ſeu ſermonem Dei κατ' ἐξοχὴν. Solebant Judæi Græcizantes Angelos Dei appellare λόγους, id eſt, ſermones, ut ex Philone inter cæteros patet, apud quem etiam unus eſt inſignis & κατ' ἐξοχὴν dictus λόγος Dei Filius, quem is in Platonica edoctus Schola, ideam hominis putat, & imaginem illam Dei, ad quam homo conditus ſit. Vocabantur autem Angeli Sermones Dei per metaphoram, quod tanquam immediati interpretes voluntatem Dei declararent, & effectui darent, quæ eadem ſermonis Dei proprie dicti vis eſt. Quod quia Jeſu nemo perfectius fecit, qui nobis omnia divinæ voluntatis de ſalute noſtra, tanquam immediatus interpres, expoſuit arcana, eademque & exequitur, merito eum Euangeliſta hoc titulo κατ' ἐξοχὴν exornavit. Idem & in Epiſtola ſua facit, ubi eum primum ſermonem vitæ appellat ab objecto, quod primus vitam, quæ erat apud Patrem, protulerit, & nobis manifeſtaverit 1 Joh. 1. 2. Deinde ſimpliciter ſermonem cap. v. 7 (quanquam hic locus in multis minime ſuſpectis, imo antiquiſſimis quibuſque ante Hieronymi tempora deſit codicibus) in Apocalypſi vocatur ſermo Dei, & ſic à Deo, cujus ſermo eſt, aperte diſtinguitur. Chaldæus Paraphraſtes Jonathan & Onkelos ſermonem Dei ſæpe pro Deo ponunt per metonymiam effecti pro cauſa. Nam nuſquam ſermonem Dei a Dei perſona diſtinguunt, ut apud Joannem fit, nec intelligunt Meſſiam, cum iis ipſis in locis, in quibus de Meſſia agitur, ſermonem Dei, prout ipſi vocem hanc ſumunt, Meſſiæ opponant. Patet hinc, quam ſemetipſos fallant, qui hic ſermonem, quo vetus creatio peracta eſt, intelligunt. Ille enim ſermo, verba Dei erant, quibus ut aliquid fieret, imperabat: at iſte ſermo, perſona eſt proprie dicta, eaque Jeſus. Veriſimile quidem eſt, Apoſtolum ad Moſis alluſiſſe verba, dum exorditur iiſdem vocibus *in principio*, dum *ſermonis* meminit, dum per eum omnia facta dicit, dum ei lucis effectum tribuit, dum per eum mundum eſſe factum ait; ſed hæc omnia alio eoque eleganti ſenſu & ſignificatione dicit, ut ſolent, qui alludunt: hinc enim oritur alluſionis gratia. Propterea talia de iſto ſermone pronunciat, quæ in illo ſermone apud Moſen nullum habent locum, quippe, qui Dei dictio fuit, non perſona ulla. Quem, dum Dei Filium fuiſſe dicunt, eo ipſo Dei filium perſonam fuiſſe negant, & modo fuiſſe, modo non fuiſſe ſtatuunt. Dum enim Deus loquebatur, erat, dum deſinebat loqui, non erat. Quin imo, cum veriſimile ſit Moſen per ſimilitudinem ab hominibus ſumtam opus deſcribere creationis, ſicut & multa alia deſcribuntur ſacris in literis: (cur enim Deus proprie loqueretur, ſi non ſint, qui proprie loquendo audiant?) quid aliud dicunt, quam Dei filium non magis reipſa fuiſſe, quam ſermo ille fuerit? Nam, ſi proprie loquamur, Deus potenti ſua virtute, omnia, quæ voluit, protinus creavit. Et cum toties alibi legamus in Scripturis, hoc vel illud dixit Deus, cur nuſquam dictionem illam pro perſona accipimus? Hæc certe omnia, quæ Joannes habet, *in principio erat ſermo, & ſermo erat apud* τὸν θεὸν & θεὸς *erat ſermo. Hic erat in principio apud* τὸν θεὸν, & quæ ſequuntur, non niſi de perſona dici poſſunt, proinde nec de ſermone Dei proprie dicto, nec de ſermocinandi facultate, nec de ratione, nec de potentia, nec de ullo alio Dei attributo. Quo enim fine diceretur, quod ſermo, quo Deus omnia fieri juſſit, tum fuerit, cum fieret? aut quo ſenſu diceretur, quod apud Deum eſſet, quod Deus eſſet, & quod in principio apud Deum eſſet? Dei autem naturalia attributa non tantum in principio, ſed ſemper, nec apud Deum, ſed in Deo ſunt & fuerunt, nec perſona a Deo diſtinguuntur. Quis vero neſciat, creatorem in principio creationis eſſe?

Neque qui erat in principio, protinus ante principium illud, multo vero minus & ipſe abſque principio erat. Cœlum & terram creavit Deus in principio. Ita cœlum & terra in principio erant, & tamen ante principium illud oon erant. Quis porro Deum illum unum, ſermonem appellet unius illius Dei, ab uno illo Deo perſona diſtinctum? quis unum illum Deum dicat, apud unum illum Deum fuiſſe? Quis Deum illum unum, uni illi Deo, tanquam diverſum opponat? idque ſic, ut eum uni illi Deo opponens, non abſolute & ſubjective, nec cum articulo emphatico, ſed prædicative tantum & ſine articulo emphatico, Deum fuiſſe dicat? Nam, ſi quis antiquos Patres ſecutus, perſonam dicat intelligi ab uno illo Deo diſtinctam, ſed quæ in principio creationis veteris jam fuerit, & deinde homo Jeſus facta ſit, hanc aliunde prius claris Scripturæ dictis demonſtret. Hic locus obſcurior eſt, quam ut id præſtare poſſit, præſertim cum huic loco exhauriendo ipſe homo Jeſus, ſine iſta perſona, prorſus ſufficiat, imo perſona iſta nihil ad locum hunc pertineat, & Jeſum hominem ejuſque divinam gloriam penitus obſcuret, & ut ſuo loco dicemus, nec ipſa homo fieri potuerit (deſiiſſet enim eſſe, id quod erat) nec homo viciſſim fieri potuerit perſona, quæ jam ante eſſet (quod enim fit, nondum erat) nec duæ perſonæ poſſent eſſe una perſona, & ſi eſſent, nova & alia perſona eſſent; nec homo ſit, qui ſua natura non ſit ſubſtantia, proinde cum ſit intelligens, non ſit perſona, nec ſi ſit homo, qui perſona non ſit, tanto minus tamen eſſe poſſit iſta, quæ ante mundum conditum extiterit perſona, imo nec ullam cum ipſa componere, (quamvis aliam ac novam) poſſet perſonam, omni per ſe carens hypoſtaſi & ſubſiſtentia Homo eſt homo, non aliud aliquid, ſubſtantiæ ſuæ reſpectu, multo vero minus, divina ante mundum exiſtens perſona. Homo excludit omnia quæ ſunt non homo. Quodlibet eſt, vel non eſt, & omne, quod eſt, tam eſt unum, quam eſt. Hinc etiam patet, quid de perſona illa ſentiendum ſit, quæ imago Dei dicitur eſſe, quam Deus contemplatione ſui concipiat, quæ, quia Deus ſeipſum perpetuo contempletur, perpetuo etiam generetur. Hæc enim, quia nuſquam diſertis Scripturæ verbis ſunt prodita, nec ipſa per ſe ullam veriſimilitudinem habent, fruſtra ex appellatione τοῦ λόγου, eaque Jeſu tributa, colliguntur. Hæc talia relinquenda ſunt iis, qui ſeſe mentis ſuæ conceptu paſcere malunt, quam ſolida rerum veritate. Habeant ſibi Dei Filium, qui intra divinæ mentis conceptum & cogitationem ſemper conſiſtat, & ſic ſemper generetur; nobis relinquant jam pridem genitum, & ex divinæ mentis antiquo & ſeculis priore conceptu, ubi venit plenitudo temporis in effectu exhibitum.

His igitur miſſis dicit Euangeliſta, *Sermonem in principio fuiſſe*, quod Jeſus, (qui per ſermonem intelligitur) jam tum, cum inciperet Euangelium, ſermonis, κατ' ἐξοχὴν dicti, munus à Deo ſibi commiſſum haberet, quamvis illud tum nondum exerceret. Ut hinc appareat Jeſum, licet principio Euangelii jam facto venerit, & à Joanne baptizari ſuſtinuerit, non diſcipulum tamen fuiſſe ejus, qui principium Euangelio dederit, & ſe baptizaverit, ſed principalem Dei legatum, cujus ille præcurſor eſſet, qui hunc præcederet, quaſi Lucifer ante ſolem, quique proinde non magiſter ſecuturi, ſed diſcipulus futurus eſſet. Solent vero etiam principales legati prius deſignari ac conſtitui, quam eorum prodromi viam illis paraturi præmitti. Ita vindicat Apoſtolus dignitatem Jeſu, dum eum & ſermonem Dei κατ' ἐξοχὴν, & ſic principalem Dei in Euangelio Legatum appellat, & quod hujus conſequens eſt, in principio, quamvis ab alio ipſi præmiſſo inchoati Euangelii, jam munere iſto inſignitum à Deo fuiſſe docet. Nimirum Joannes vox erat clamantis in deſerto, parate viam Domino, Jeſus autem erat Dei κατ' ἐξοχὴν ſermo, qui non ſolum omnia divinæ voluntatis de ſalute noſtra arcana nobis enarraret, ſed etiam divina virtute inſtructus, omnem ſalutem noſtram perficeret. Et cum apertum ſit titulo ſermonis Jeſum deſignari, non debemus ex voce principii & ſermonis, quæ variam per ſe pati poſſunt interpretationem, & conſequenter ex iis, quæ hic de ſermone dicuntur, Jeſum facere perſonam, quæ fuerit, antequam Jeſus conciperetur & naſceretur, immo ipſum unum illum Deum, ſed ex Jeſu, tanquam ex re omnium notiſſima & certiſſima, omnia iſta intelligere & interpretari.

Hinc porro patet vocem λόγου rectius verti *ſermonem*, ut ab Eraſmo & aliis quibuſdam factum eſt, quam *verbum*. Nam ad exponendum Dei voluntatem pluribus verbis opus eſt, ex quibus conficitur ſermo, ipſaque etiam vox λόγου propriè *ſermonem* ſignificat. Sed ſi verbum per Synecdochen accipiatur pro ſermone, ut ſæpe ſolet, res eodem redit: nam & λόγος aliquando verbum ſignificat. Patet hinc per λόγον haud intelligi perſonam, quæ ſummus ille Deus ſit. Miniſtrum Dei, titulus hic, de perſona, ab uno illo Deo diſtincta, acceptus, declarat, non ipſum ſummum Deum. Ponunt quidem Chaldæi Paraphraſtæ ſermonem Dei pro ipſo Deo, ſed per metonymiam effecti, ut dictum eſt, non autem ſermonem Dei, ab uno illo Deo tanquam perſonam à perſona diſtinguunt. Sic vox clamantis in deſerto Joannes dicitur per eandem metonymiam verſ. 22. Sic per metonymiam adjuncti pro ſubjecto nomen Dei ponitur pro ipſo Deo, & Regum Majeſtas, vel gratia, vel dignitas, ut & aliarum perſonarum, ponitur pro ipſis perſonis, ſed ab iis perſona non diſtinguitur. Quis porro, ut jam ante monuimus, dicat, Deum illum unum & ſummum in principio creationis fuiſſe? an enim ullus tam amens eſt, ut id ignorare poſſit?

Pergit Apoſtolus; *Et ſermo erat apud Deum*, πρὸς τὸν θεόν. Aliud quiddam de ſermone iſto aſſerit, non minus, immo magis etiam, quam prius eximium: aſcendit enim Apoſtoli oratio. *Et ſermo*, inquit, *erat apud Deum*, unde nec opus habebat, ut a Joanne aliquid diſceret, & ejus eſſet diſcipulus, Magiſtrum & Doctorem alium in cœlo habens ipſum Deum, ſic nimirum decuit, ut Jeſus, qui ſermo Dei, id eſt, immediatus divinæ voluntatis interpres ac princeps, Euangelii legatus & adminiſter futurus erat, aſſumeretur ad Deum & apud Deum eſſet, & ab eo mandata acciperet, quod & ipſemet ſæpe de ſe teſtatur in hoc Euangelio, & hic idem Apoſtolus de illo verſ. 18. Notetur autem articulus emphaticus voci Dei præfixus, ad ſignificandum Deum illum unum & ſummum, ſeu Deum κατ' ἐξοχὴν, & conſequenter abſo-

abſolute ſeu ſubjective ac per Antonomaſiam dictum. Hinc manifeſtum eſt, ſermonem haud eſſe Deum illum unum & ſummum. Duo enim omnino ſunt, non unus, quorum alter apud alterum eſt. Nam refugium ad duas, quas ipſi dicunt perſonas, nullum habet locum. Utraque enim illis perſona unus ille Deus eſt, proinde earum altera non eſſet apud unum illum Deum, ſed utraque eſſet unus & idem numero Deus, quod & ipſum apertam involuit contradictionem. Deinde magnum hic inter utramque perſonam diſcrimen oſtenditur. Altera appellatur ὁ λόγος, nempe τοῦ θεοῦ, altera appellatur ὁ Θεὸς, unus ille & ſummus Deus. An vero alter alteri hoc titulo poſſet opponi, ſi utraque unus ille & ſummus Deus eſſet. Et ſermo apud unum illum Deum fuiſſe dicitur, tanquam Legatus apud Regem, non autem unus ille Deus apud ſermonem. Apparet etiam agi hic de temporibus Euangelii, non autem de prima creatione rerum omnium. Nam, dum nihil quicquam eſſet præter Deum, quid opus erat dicere, eum qui tum eſſet, apud Deum fuiſſe? Sunt, qui putent, ſermonem apud Deum fuiſſe dici, quod ſoli Deo notus eſſet, inducti ejuſdem Joannis verbis 1 Epiſt. 1. 2: *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem & manifeſtata eſt nobis.* Sed vel ob id ipſum ſermo ſoli Deo notus erat, quod in cœlis apud Deum eſſet. Nimirum id ipſum dicit hic Apoſtolus de ſermone, quod ipſe ſermo de ſe: *Filius*, inquit, *hominis aſcendit* ἀναβέβηκεν (in præterito) *in cœlum & deſcendit de cœlo* cap. 3. 313, *& aſcendet in Cœlum, ubi erat prius*, cap. vj. v. 67. nempe quia illuc aſcenderat. Neque enim Filius hominis in cœlo eſſe poteſt, niſi eo aſcendat. Ita diſcipulus dicit, quod a magiſtro didicerat. Cæterum allegatus ex epiſtola Joannis locus, aliam nobis hujus in Euangelio loci explicationem ſuppeditat, quam vide cap. 8. 58. Dicit enim Joannes vitam manifeſtatam eſſe quæ erat apud Patrem, quod illius aperta promiſſio, quæ jam olim a Patre deſtinata, nec rebus ipſis exhibita erat, jam nobis eſſet exhibita, ſic igitur & ſermo apud Deum erat, quamdiu nobis rebus ipſis non exhibebatur.

Et Deus erat ſermo; Tertium eſt, idque majus quam priora duo, quod de ſermone iſto Apoſtolus affirmat, nempe, quod Deus eſſet, quod certe eum, ſicut Joanne multo præſtantiorem ac diviniorem, ſic haudquaquam unum illum Deum eſſe docet: neque enim Joanni cum uno illo Deo ulla eſſet comparatio: cum tamen hoc haud dubie in comparatione dicatur ad Joannem. Vide verſ. 6. Ponit autem hic vocem Dei ſine articulo emphatico, ut ſignificet ſermonem haudquaquam unum illum Deum eſſe, quem etiam illi manifeſte, tanquam diverſum oppoſuerat, ſed Deum prædicative, ut loquuntur, dictum, qui ab uno illo Deo factus ſit Elohim, id eſt, Deus, accepta nimirum ab eo divina virtute ac poteſtate, quali etiam ad hoc ſermonis diviniſſimum munus fuit opus. Nam, licet vox θεοῦ in hoc enunciato prius ponatur, vox τοῦ λόγου poſterius, Joannis more, qui ſententiam ſequentem incipit a voce quæ finit antecedentem (quod & Apoſtolo Petro in uſu eſt,) tamen vox τοῦ λόγου ſubjectum ſignificat, vox θεοῦ prædicatum. Sunt enim multi Dii, [Elohim] iique veri, prædicative ſic dicti, licet unus tantum ſit Deus, κατ᾽ ἐξοχὴν & ſubjective ſic dictus, nempe Chriſti Pater 1 Cor. viij. 6, qui etiam ideo Altiſſimus Deus & Deorum Deus, & ὁ Θεὸς per emphaſin appellatur. Inter illos autem, qui prædicative tantum dicuntur Elohim, id eſt, Dii, primum & præcipuum habet locum Chriſtus, qui iſte Dei ſermo eſt, quippe Rex Regum, & Dominus dominantium, & Judex omnium vivorum, ac mortuorum, & caput etiam Angelicarum poteſtatum, a Deo factus & conſtitutus. Tacite ſignificat Apoſtolus, Joannem Baptiſtam cum Jeſu comparandum non eſſe, quippe qui ob divinam virtutem ac poteſtatem hominibus eximi mereretur, etiam in terris adhuc verſans. Et ideo dicit, *ſermo erat Deus*, ne quis eum, cum in terris mortalis inter mortales verſaretur, Deum haud fuiſſe putaret. Quis vero de uno illo Deo ſic loquitur? an ullum dubium eſſe poteſt, Deum illum unum & ſummum ſemper eſſe & fuiſſe Deum? Et, ſi ſermo unus ille Deus erat, quid aliud diceretur, quam unum illum Deum in principio fuiſſe, & unum illum Deum apud unum illum Deum fuiſſe, & unum illum Deum fuiſſe unum illum Deum, & unum illum Deum in principio fuiſſe apud unum illum Deum, & unum illum Deum omnia feciſſe per unum illum Deum; at hæc omnia quam abſurde dicerentur!

Verſ. 2. *Hic erat in principio apud Deum.* Dixit, ſermonem in principio fuiſſe, dixit eundem apud Deum fuiſſe, dixit & Deum (prædicative tantum hac voce accepta,) fuiſſe: ſed non dixit, ubi in principio erat, & quando apud Deum erat; nunc dicit. Poterat enim aliquis interrogare, ubi ergo ſermo in principio erat? ubi ſe continebat? ubi latebat? cur quieſcebat, & ſilebat in principio? & quando apud Deum erat? At huic interrogationi & dubitationi nullus erat locus, ſi de principio veteris creationis agebatur, & ſi ſermo ſemper apud Deum erat, immo ſi ipſe Deus ille unus erat. At, ſi principium intelligamus Euangelii, omnia recte coherent. Sermo, inquit, erat apud Deum in principio Euangelii. Verſabatur tum adhuc in illa cœleſti Regia apud Deum. Sane merito. Nam & præcurſoribus dimiſſis, principales Legati verſari ſolent adhuc aliquantum apud Reges. Significat Apoſtolus ſermonem poſt principium non fuiſſe apud Deum, ſed apud homines. A Deo enim poſt principium, ad homines venit, apud quos verſabatur, & ſermonis munus peragebat, ut ſtatim in ſequentibus ſignificatur, & verſ. 9, 10, 11 expreſſe dicitur. Non repeto hic, quod ſupra dictum eſt, ſermonem unum illum Deum eſſe, & ſermonem apud unum illum Deum fuiſſe, contradictionem apertam continere. Unus enim eſſet apud ſeipſum, & ſic eſſet unus, & non unus.

Verſ. 3. *Omnia per eum facta ſunt.* Cauſam exprimit ob quam Sermonis titulo Jeſum condecoret, alludens ad ſermonem illum Dei, quo rerum omnium olim creatio peracta eſt, & conſequenter ad ipſam veterem rerum omnium creationem; quanquam & omnis divini ſermonis hæc ratio eſt, ut omnia efficiat quæ Deus velit & voluntatem Dei declaret. Cum igitur per Jeſum omnia, in nova creatione ſint facta,

& divina voluntas de ſalute noſtra perfecte ſit declarata, merito ſe Jeſum ſermonis Dei κατ' ἐξοχὴν titulo inſignire oſtendit. *Omnia*, inquit, *per eum facta ſunt*. Intellige, quæ facta ſunt, ut in ſequenti commate ſignificat. Intelliguntur ergo omnia ad Euangelium, & ſic ad novam creationem pertinentia, quæ etiam tum adhuc erant recentia. De Euangelio enim hic agitur, & vox *omnia* ſemper ad ſubjectam materiam refertur. Nec eſt ut quis dicat, Euangelii principium ad Euangelium haud dubie pertinere, & tamen per ſermonem factum non eſſe. Res enim ipſa loquitur, intelligi hic omnia ad Euangelium pertinentia, quæ poſt Euangelii principium facta ſunt, cum jam dictum ſit, in Euangelii principio ſermonem apud Deum fuiſſe, ita nimirum, ut nondum eſſet in ſui muneris executione. Adde, quod Joannis Baptiſtæ prædicatio, etſi aditus & præparatio quædam fuit, ad novam creationem, tamen pars ejus non fuit. Soli Chriſto in ſolidum nova debetur creatio, tanquam cauſæ per quam Epheſ. 3. 10. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. Et qui ad Joannis Baptiſtæ prædicationem pœnitentiam agebant, novi homines, quales hic intelligi debent, non fiebant, cum pœnitentia quam docebat, antiquam Legis diſciplinam non excederet. *Omnium* igitur voce intelligitur lux mundi vera verſ. 4, gratia & veritas verſ. 17; intelliguntur omnia illa miraculoſa opera, inter quæ copioſiſſima Spiritus Sancti effuſio, intelligitur tot Judæorum ad fidem in Chriſtum converſio, gentium vocatio & cum Deo reconciliatio, & inter omnia, quæ in cœlis & in terris ſunt, pacificatio, ac in ſummam ſub Chriſto capite collectio Epheſ. 1. 10. Col. 1. 20, 21, quibus in rebus etiam nova creatio conſiſtit, 2 Cor. v. 17, 18. Gal. v. 15, 16. Epheſ. ij. 10, 15. iij. 9, 10. Col. 1, 16. Heb. 1. 2. Dicit autem Apoſtolus, omnia per ſermonem eſſe facta, nempe a Deo, quod Deus ſit primus & princeps omnium iſtorum effector. Sermo autem, ut titulus ipſe ſermonis loquitur, ſit is, per quem Deus fecit hæc omnia, ſeu cui Deus hæc omnia faciendi vim ac poteſtatem largitus eſt. Quis ergo ſermonem dicat eſſe unum illum & abſolute ſummum Deum?

Et ſine ipſo factum eſt nihil. Addit hoc quia etiam per Apoſtolos multa facta erant, ſed tamen non ſine ſermone iſto, qui omnibus virtute Spiritus, Sanctis & cura ſua adfuit. Unde ipſemet dicit Joannes cap. xv. 5: *Sine me nihil poteſtis facere.* An vero quiſquam de veteri loquens creatione dicat, ſine uno illo Deo nihil eſſe factum? An enim ullus alius aliquid in ea peregerit, non ſine uno illo Deo, & non Deus ille unus omnia, ſine ullo alio.

Quod factum eſt. Hæc addit Apoſtolus, ut ſignificet, ſe loqui de tali rerum omnium factione, reſpectu cujus multa ſunt, quæ facta non ſunt: quis enim alioquin neſciret, factum non eſſe, quod factum non eſt? & ſi nihil prorſus eſſet, quod factum non eſſet, quid attineret, excludere id, quod nihil eſt? unde liquido apparet, Apoſtolum de veteri creatione non loqui, reſpectu cujus nihil eſt, quod a Deo factum non ſit, ſed de rebus ad materiam ſubjectam, id eſt, ad Euangelium, pertinentibus, quarum effectione nova continetur creatio. Nam, ſi quis dicat, excludi Deum vel ſermonem ipſum, ineptus ſit. Quis enim non videat, Deum, qui omnia per ſermonem fecit, per ſermonem factum non eſſe, nec ſermonem, quamvis alioquin & ipſe a Deo ſit factus, per ſeipſum eſſe factum? Sunt, qui Spiritum Sanctum excludi putant. At iidem Spiritum Sanctum ipſum eſſe dicunt Deum. Æque igitur nihil attinuit, ut Spiritus Sanctus excluderetur, quam ut excluderetur ipſe Deus. Idem etiam ex eo conſequitur, quod Spiritus Sanctus ſit Dei virtus, qua ipſe ſermo omnia fecit. Alii materiam primam ajunt excludi. At materia prima a Deo creata eſt: Nam eſt finis cauſa. Finis autem vim cauſandi non habet, niſi ſit in efficientis intentione. Habuit igitur & materia prima cauſam efficientem Deum. Quodſi autem ponatur nihil fieri ex nihilo, & ſermonem omnia feciſſe ex aliquo, perinde nihil id attinuit excipere, quam ipſum Deum, vel ipſum ſermonem. Sunt, qui denique peccatum hic in auxilium vocent. Id vero cavendum erat ſcilicet, ne peccatum a Deo per ſermonem crederemus eſſe factum? Immo ſi hic omnia in univerſum intelligenda ſint, ut excipiatur nihil, profecto peccatum non minus, quam virtus includendum foret, cum & peccatum factum ſit, & non ſit nihil. Neque eſt ut dicas, excludi ea quæ nondum ſint facta. Quis enim neſciat, facta non eſſe, quæ nondum ſint facta? Cum igitur in Apoſtoli verbis, haudquaquam inanis & inepta ſit locutio aut tautologia, neceſſe eſt, ut in illis contineatur omnium, quæ per ſermonem facta dicuntur eſſe, limitatio, ſeu ad materiam ſubjectam, quam diximus, reſtrictio. Ut, ſi quis dicat, omnia per ſermonem eſſe renovata & reſtaurata, & ſine eo nihil eſſe renovatum & reſtauratum, quod renovatum ac reſtauratum eſt; haud dubie ſignificet, multa eſſe quæ renovata ac reſtaurata non ſint, quippe ad renovationem ac reſtaurationem non pertinentia. Sic etiam, cum per ſermonem omnia dicuntur eſſe facta, quæ facta ſunt, haud dubie excluduntur omnia, quæ ad Euangelium & novam creationem nihil pertineant.

verſ. 4. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Rem ſingulariſſimam de ſermone commemorat, nempe, quod in ipſo, non in ullo alio ante ipſum, vita, & conſequenter vera hominum lux fuerit. Ita dictis ac tacitæ alluſioni ad veterem creationem inhærens, docet, per ſermonem lucem eſſe factam. Nam & in veteri creatione, lux primum omnium eſt facta. Sed, quia hic lux Euangelii intelligitur, & generi illi ſubjicitur, apparet etiam in ſuperioribus de ea rerum omnium creatione agi, quæ ad Euangelium pertineat, id eſt, de nova.

In ipſo. Nempe in ſermone.

Vita erat. Nempe æterna, quæ abſolute & per antonomaſiam vita vocatur. Unde loco parallelo 1 Joh. 1. 2, *& vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur & annunciamus vobis vitam æternam*, quam modo vitam abſolute dixit) *quæ erat apud Patrem, & manifeſtata eſt nobis.* Erat autem in ſermone vita, quatenus eam ſermo, apud Patrem prius abſconditam, manifeſtabat & annunciabat, idque ſic, ut eam omnibus in ſe credentibus daturum ſeſe polliceretur: (quo ſane pacto vel maxime Prophetis omnibus & Joanne Baptiſta major erat) & Dei decretum ante ſecula factum, de danda hominibus per Meſſiam æterna vita, in lu-

in lucem proferebat Tit. 1. 2, 3, ejuſque conſequendæ rationem per fidem in ſe tradebat. Hinc Apoſtolus Paulus, *Chriſtus deſtruxit mortem, in lucem autem protulit vitam & incorruptibilitatem per Euangelium* 1 Tim. 1. 10.

Et vita. Nimirum quatenus manifeſtabatur & annunciabatur, per fidem nimirum, & ratio illius conſequendæ tum facilis & expedita promulgabatur.

Erat lux hominum. Per metaphoram à corpore. Admirabili luce hominum animos complebat, oſtendens illis verum & unice expetendum bonum, illiuſque adipiſcendi non minus certam quam expeditam rationem, ingenti ac perpetua cum animorum lætitia. Hinc de populo, qui primus in Galilæa meruit hujus ſermonis audire præconium: *Populus ſedens in tenebris vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione & umbra mortis, lux exorta eſt eis* Matth. IV. 16. Intelligitur autem *lux* κατ' ἐξοχὴν, vera nimirum & perfecta. Ideo Græcus textus habet τὸ φῶς cum articulo emphatico, qui non vulgarem, ſed ſingulariſſimam & prorſus eximiam lucem declarat. Porro *vita* hic per metonymiam ponitur pro nuncio de vita, ſeu ut Petrus loquitur infra cap. vj. 68, pro verbis vitæ æternæ, Hoc ſenſu & Chriſtus infra cap. xij. 50 mandatum Patris, vitam æternam dicit, id eſt, vitæ æternæ annunciationem, & 1 Joh. 1. 2 vita ponitur pro promiſſione vitæ æternæ, quæ apud Patrem erat, nunc autem manifeſtata eſt. Docemur hoc loco ante ſermonis adventum, clarum de vita æterna, deque illius conſequendæ ratione nuncium, & conſequenter lucem veram & perfectam inter homines non fuiſſe. Unde etiam lucem mundi ſeſe appellare ſolet. Et infra verſ. 9 *lux vera*, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν cum articulis emphaticis, appellatur, & ſermo, hoc nomine, quod in ipſo vita & vera lux hominum eſſet, etiam ipſi Baptiſtæ opponitur. Prædicavit quidem Baptiſta regni cœlorum appropinquationem, ſed regnum cœlorum dixit pro regno Dei, per metonymiam continentis pro contento. Regnum autem Dei regnum ſignificat Meſſiæ, per quem Deus ſingulariſſima & cœleſtiſſima ratione in terris regnaturus eſſet. Solet quidem Chriſtus regni Dei vel regni cælorum nomine vitam æternam & beatum illum in cœlis ſtatum, non raro intelligere, ſed jam ex ſuo, non ex Joannis Baptiſtæ & aliorum ſenſu: nec cum voces regni vel cœlorum hoc ſenſu accipit, illud appropinquaſſe vel adeſſe dicit, ſed id tanquam mercedem recte factorum pollicetur, & conſtituit. Veteres, temporibus præſertim Maccabaïcis, haud dubie ex deſiderio & exemplis Martyrum conceperant ſpem vitæ poſt mortem ſucturæ, ſed cum nullam haberent certam & claram illius promiſſionem, expetebant cum Meſſia nuncium vitæ æternæ. Id ipſum mulier illa Samaritana innuit, infra cap. IV. 25, & Paulus ſignificat Act. xxiij. 6. XXIV. 15. xxvj. 6, 7, 23. *Lucem hominum*, in ſpecie dicit Apoſtolus, ut oſtendat; ſe de animorum luce loqui, non de corporum, ſeu de ſpirituali, non de corporali luce; proinde ad lucem illam corporalem initio creationis factam, tantum alludere. Quis vero non videt his verbis ad Euangelii tempora plane reſpici, quibus lux iſta venit ad homines? Unde conſtat etiam ſuperiora de iiſdem temporibus intelligenda eſſe. Ex ſuperioribus enim hoc pendet & conſequitur.

Verſ. 5. *Et lux in tenebris lucet.* Nectit iterum catenam Apoſtolus, & docet, quanta virtute lux hæc de vita æterna, deque illius adipiſcendæ ratione condita ſit ac conſtituta, tanta nimirum, ut lux iſta luceat inter medias tenebras hominum illi ſeſe omni conatu opponentium. Tenebras vocat inſcitiam & ignorantiam veritatis ſeu ſermonis Dei, ſicut & Euangelium, lucem per metaphoram. Notanda eſt vox præſentis temporis *lucet*. Ut & hinc appareat, Joannem non de rebus antiquis & veteribus, ſed de novis & Euangelicis loqui.

Et tenebræ eam non comprehenderunt. Hebræo more rem eandem declarat per negationem contrarii: quaſi dicat, quamvis id totis viribus per homines luci adverſantes conentur. Comprehendunt tenebræ lucem, cum eam occupant & tollunt. Sic infra Chriſtus ipſe, *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant* cap. xij. 35, id eſt, vos occupent, luce ſcilicet ſublata. Significat Apoſtolus lucem hanc, quæ Chriſti Euangelium eſt, nunquam tenebris concedere, ut ſicut inter tenebras & lucem olim creatam; ſic inter iſtam lucem & tenebras mutuæ ſint vices. Nunquam tenebræ lucem hanc tollent. Manet & manebit ſemper Euangelii ſeu verbi Dei lux de vita æterna per fidem in Jeſum Chriſtum adipiſcenda, tenebris nec quicquam ad eam tollendam nitentibus. Præteritum κατέλαβεν ita ſumitur, ut etiam præſentis ac futuri temporis ſignificationem habeat, per enallagen temporis, Hebræis familiarem: Quaſi dicat nec comprehenderunt, nec unquam comprehendent. Licet enim hæc lux pravis opinionibus & interpretationibus obſcurari poſſit, & obſcurata ſit, manet tamen id, ex quo tenebræ depelli, & lux veritatis priſtino ſuo nitori, reſtitui ſemper poſſit. Alius eſt ſenſus, ut Ioannes dicat, lucem hanc in tenebris lucere, quatenus ea illata, tenebræ non protinus ceſſerint, eamque non comprehenderint, id eſt, acceperint & admiſerint; quod mirum videri queat; cui ſimile quiddam infra verſ. 10, 11 dicitur. Hoc ſenſu declaratur ſumma hominum malitia & contumacia illo vero, ſumma & invicta veritatis Euangelicæ potentia. Qui poſterior ſenſus ideo magis placet, quod non ſolum illud minus ſit admirandum in tanta hominum pravitate; ſed etiam, quod verbum κατέλαβεν, puram & meram actionem ſignificet, non paſſioni mixtam. Et cur Iohannes non dixiſſet clare & ſimpliciter, & luci huic tenebræ non ceſſerunt, aut ab ea illuminari ſe paſſæ non ſunt.

Verſ. 6. *Erat homo miſſus a Deo.* His de Ieſu dictis, & lucis per eum allatæ & conditæ mentione facta, redit ad principium Apoſtolus, & diſſerit de Ioanne Baptiſta, qui principium Euangelii fecit, deque ejus officio, ut ſcrupulum omnem lectori eximat, quia dicat: quod ad principium attinet Euangelii, ut eo revertar, unde ſum exorſus, & ne quis in hoc principio hæreat, ac Ieſum, quod non per eum principium Euangelii ſit factum, inferiorem putet, aut exiſtimet in principio protinus lucem hanc affulſiſſe & exortam eſſe, dicam quid in principio ſit factum, & quis fuerit, qui principium Euangelio dederit, quæque fuerit ejus dignitas ac officium.

Erat homo miſſus a Deo, nomen ei Johannes. Hic mihi

mihi aliquis verba iſta, ſi poteſt, cum principio veteris creationis connectat. At cum Euangelii principio, quam pulchre omnia cohærent, & apta ac nexa ſunt? Nihil igitur certius eſt, quam omnia iſta de temporibus & rebus ad Euangelium ſpectantibus intelligenda eſſe. Fatetur, Ioannem fuiſſe hominem à Deo miſſum, & magnæ dignitatis, non tamen æquandæ cum Jeſu dignitate. Ideo etiam videtur Ioannem hominem dicere, ut eum Jeſu, quem Deum dixerat, opponeret. Ioannes enim nulla fecerat miracula, quæ Jeſus fecit maxima & innumerabilia cap. xxj. 25. Videtur etiam Ioannis nomen tacite Jeſu opponere, quorum illud etiamſi de gratia dictum ſit, tamen hoc multo eſt anguſtius. Plus enim eſt Salvatorem dici, quam gratioſum.

Verſ. 7. *Hic venit in teſtimonium.* Exponit, quo fine Ioannes à Deo miſſus venerit. Notetur hic relatio inter venire, nempe in mundum, ſeu, ad homines, & à Deo mitti: Venit enim Ioannes, non quando natus eſt, ſed quando à Deo miſſus eſt, ſeu, quando verbum Domini ad eum factum eſt Luc. ij. 2, 3. Venit igitur in mundum, id eſt, ad homines, ad quos à Deo miſſus erat. Non aliter & Jeſus in mundum, ſeu ad homines venit.

In teſtimonium. Id eſt, teſtimonii cauſa.

Ut teſtaretur de luce. περὶ τοῦ φωτὸς, cum articulo emphatico, quam emphaſin exprimit verſ. 9, cum ait: *Erat lux vera*, τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν. Exponit cujus teſtimonii cauſa venerit, ejus nimirum, ut teſtaretur lucem veram & κατ' ἐξοχὴν dictam mox poſt ſe venturam eſſe, ſe illius eſſe prodromum, & ei viam parare: (quo pertinebat etiam prædicatio & baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ne homines in peccatis perſeverantes, & reatu peccatorum innexi, tanto Dei privarentur beneficio;) utque luce iſta jam comparente, hanc eſſe diceret. Lucis nomine hic intelligit Apoſtolus ipſam ſermonis, qui Jeſus eſt, perſonam, per metonymiam cauſæ pro effecto, vel ſubjecti pro adjuncto, quo pacto etiam ſolem lucem appellamus.

Ut omnes crederent per ipſum. Finem exprimit iſtius teſtimonii Joannis, ut ſcilicet luce adveniente omnes crederent, nempe in lucem cap. xij. 36, auctoritate Joannis teſtimonii, lucem hanc oſtendentis, inducti, & antequam lux veniret, jam ad credendum præparati ac diſpoſiti. Nam alioquin luci non deerant propria, & Joannis teſtimonio multo majora, ac diviniora argumenta cap. v. 33 & ſequentibus. Ex *omnibus*, non excipit Apoſtolus expreſſe ipſum Baptiſtam aut ipſam lucem, quia res ipſa utrumque excipit. Sic ex *omnibus* Chriſto ſubjectis non excipitur Deus, quia per ſe manifeſtum eſt, eum qui ſubjecit Chriſto omnia, in iis includi non poſſe 1 Cor. xv. 27.

Verſ. 8. *Non erat ille lux.* Rem dictam urget, & plane tollit opinionem eorum, qui Joannem primarium ac principem Euangelii legatum putabant, & ſic Jeſu præponebant. *Non erat ille Lux*, inquit, nempe vera & κατ' ἐξοχὴν dicta. Fruſtra hoc de Joanne creditur. Τὸ φῶς iterum cum articulo emphatico, quaſi dicat, non annunciabat ille vitam æternam, nec eam ſe daturum credentibus in ſe promittebat. Vita enim æterna erat lux iſta hominum verſ. 4. Patet hinc manifeſte, lucis titulo, haudquaquam unum illum Deum deſignari. Quis enim tam inſanus eſſet, ut Joannem Baptiſtam unum illum Deum eſſe crederet? At lucis & ſermonis titulus idem ſignificat, & alter pro altero ponitur. Sermonis ergo titulo non minus quam lucis ea ſignificatur dignitas ac divinitas, quæ hominum opinatione, etſi falſa, in Joannem cadere poterat, & cadebat. Non ſimpliciter negatur, Joannem fuiſſe lucem, ſed lucem fuiſſe veram & κατ' ἐξοχὴν dictam, ut mox additur. Fuit & Joannes lux Joan. v. 35, ſed tanquam lucifer ante ſolem exorientem.

Sed ut teſtaretur de luce. Quaſi dicat, ſed hoc erat illius munus, quod dixi, ut teſtaretur de luce, nempe vera & κατ' ἐξοχὴν ſic dicta: teſtaretur inquam lucem poſt ſe venire, cujus comparatione ipſe lux non eſſet & ea veniente illi protinus teſtimonio ſuo ſuffragaretur.

Verſ. 9. *Erat lux vera.* De qua nimirum Ioannes teſtaretur; τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν. Quaſi dicat, non qualiſcunque lux. Nam hoc ſenſu & Ioannes lux erat, eaque etiam eximia; ſed vera, id eſt, cui vox & appellatio lucis in perfectiſſimo ſenſu conveniat, non erat. Qua loquendi ratione & Deus ille unus ὁ ἀληθινὸς Θεὸς dicitur, quanquam etiam articulus voci ἀληθινῷ (dicit enim τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν) additus, non ſimpliciter veram lucem, ſed excellenter veram, deſignare poteſt, vide cap. iv. 37. Sic & ſol eſt, lux & lux vera, non quod alia ſidera non ſint lux vera, ſed, quod a ſolis luce, cui lucem ſuam acceptam ferunt, longe ſuperentur.

Qua illuminat omnem hominem veniens in mundum. Deſcribit lucem veram ad inſtar ſolis, qui, cum exoritur, omnem hominem illuminat. Erat ergo Ioannes, ut ipſe Chriſtus dicit cap. v. 35 *lychnus ardens*, brevi ad finem perventurus, *& lucens, vos autem*, addit, *voluiſtis exultare ad horam in luce ejus.* Iſtos ipſos intelligit Chriſtus, qui Ioannem veram lucem eſſe putabant, Iohannes Judæorum tantum gentem illuminabat, idque obſcure admodum, comparatione lucis veræ, & ad horam, id eſt, ad breve tempus, plane ut lychnus ardens. At lux vera, quæ Jeſus eſt, ſermo Dei, omnem hominem illuminat, & perpetuo illuminat.

Veniens in mundum. Alludit ad ſolis exortum. Non Judæos tantum illuminat, ſed omnes omnium gentium homines. Omnibus enim in ſe credentibus vitam æternam pollicetur. Ideo non lychnus eſt. non lux aliqua parva & obſcura, quæ longe pertingere non poteſt, non ad breve tempus lucens, ſed perpetuo lucens, ac verus mundi ſol. Ponit autem Apoſtolus effectum pro efficacia. Effectu enim ipſo *lux in tenebris lucet*, ut verſ. 5 dicitur. Proinde non illuminat omnem hominem, quod neque ſol facit, ſed omnem hominem illuminandi vim habet qui oculos non claudunt, qui tenebras non quærunt, qui vitiis, qui pravis affectibus & opinionibus excœcati non ſunt, omnes illuminantur ab hac luce. Quorum hominum, quia pauci ſunt præ aliis, idcirco facto ipſo paucos illuminat, ſed hominum propria culpa, non defectu ſuo. Solet ſæpe effectus poni pro efficacia. Sic per Chriſtum dicuntur omnia renovata, creata, reconciliata, pacata. Sic Chriſtus mundi ſervator appella-

pellatur. Sic infra verſ. 29: Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, & propitiatio pro peccatis totius mundi dicitur, & alia his ſimilia. Eandem phraſin & mox verſ. ſequenti habebimus.

Addit, *veniens in mundum.* Nam, antequam lux in mundum veniret, nullum hominem illuminabat. Sic neque ſol illuminat, antequam exoriarur. Neceſſarius igitur erat lucis iſtius in mundum adventus, qua adveniente Joannnis illa lux protinus obſcurata eſt, & huic luci conceſſit, ſeu præ illa evanuit, ſicut lychnus ardens, immo & phoſphorus, exorto ſole. Mundi voce hic homines intelliguntur, conſueta Synecdoche. Conſ. iij. 19. vj. 14. ix. 39. xij. 46. xvj. 28. Joan. xvij. 19. 1 Joan. IV. 1. Itaque *venire in mundum*, hoc loco eſt, venire ad homines. Sic & Apoſtolos Chriſtus mittere ſe dicit in mundum: Sic & Antichriſti dicuntur veniſſe in mundum. Sic & Chriſtus ipſe mox dicitur *veniſſe in propria*, id eſt, ad propria. Qui hic interpretantur *venientem in mundum*, primum non conſiderarunt, phraſi *venire in mundum* non ſignificari, naſci, ſed jam pridem natum, venire ad homines, ut diximus. Eſt enim mutua relatio inter venire in mundum, & mitti in mundum, qua de re verſ. 6 & 7 egimus. Deinde non conſideraverunt ſine ulla emphaſi addi *venientem in mundum.* An enim ulli homines ſunt extra mundum, qui illuminari poſſint antequam naſcantur? At lux erat extra mundum apud Deum, quæ ut illuminaret omnem hominem, opus erat, ut ad homines veniret in mundo verſantes, ſicut & ſol opus habet, ut exoriatur & veniat. Denique non conſiderarunt mutuam relationem, inter hæc, & ſequentia verba, *in mundo erat:* incipit enim Joannes a fine antecedentis ſequentem ſententiam. Ideo, quippe lux in mundo erat, quia in mundum veniebat, & in mondum veniebat, ut in mundo eſſet. Rem ſatis per ſe manifeſtam non obſervarunt antiqniſſimi interpretes; quid igitur mirum, ſi in aliis obſcurioribus, in voce puta *principii*, *ſermonis* & eorum, quæ de ſermone dicunrur, ab Apoſtoli mente adeo delirarint?

Verſ. 10. *In mundo erat.* Nempe veniens in mundum. Illud enim eſt iſtius conſequens. Ideo & vocem *mundi* hic repetit ſuo more, unum ex alio nectens, & vocem in fine præcedentis ſententiæ poſitam, in principio ſequentis reſumens. Expoſuit in ſuperiobus cauſas tituli ſermonis, Jeſu tributi, ex qua occaſione, eundem & alio lucis veræ & κατ' ἐξοχὴν ſic dictæ titulo ornavit, quum in mundum venientem, & omnem hominem illuminantem, diſerte induxit; nunc porro de ſermone in mundo verſante expreſſe agit, & res ab eo geſtas ſpecialius perſequitur, quas verſ. 3 generaliter tantum expreſſerat.

In mundo erat. Nempe ſermo, ut patet ex ſequenti pronomine maſculino αὐτόν, quod ad λόγον, non ad τὸ φῶς refertur. Nimirum Apoſtolus titulo ſermonis & lucis de Jeſu promiſcue utitur, ex uno delabens in alium, prout res & occaſio ſert. Cum de rerum ageret factione, ſermonis uſurpabat titulum, cum de hominum illuminatione, utebatur lucis titulo: nunc iterum, cum de mundi agit factione, ad titulum ſermonis revertitur. Nec mirum, cum utriuſque tituli connexæ & cohærentes ſint cauſæ. Conſtituit jam ſermonem in mundo, id eſt, apud homines: poſtquam nimirum ad homines venit, qui in principio erat apud Deum; at poſt principium Euangelii à Ioanne Baptiſta factum, venit ſermo in mundum, & ſic in mundo erat. Diximus mundi voce homines intelligi, conſueta phraſi, quod etiam ex effectu patet. De mundo enim dicitur quod ſermonem non cognoverit.

Et mundus per eum factus eſt. Docet quid ſermo in mundo ſeu apud homines verſans egerit. *Mundus*, inquit, *per eum factus eſt:* hoc enim prioris conſequens eſt. Unde patet, hic non agi de prima & vetere mundi creatione, ſed de ſecunda & nova. Jam enim mundus & homines erant reſpectu creationis primæ, cum ad eos ſermo venit, & cum per eum fierent. Mundus ergo ſeu homines per eum facti dicuntur, quatenus per eum renovati ac reſtaorati ſunt, Hebræorum phraſi, quibus verba deſunt compoſita, pro quibus utuntur ſimplicibus, cujus rei exemplum & verſ. 12 habemus. Ἔλαβον pro παρέλαβον. Præſertim id fit in hoc ipſo faciendi verbo. Nam & quæ renovanrur ac reſtaurantur, fiunt. Hinc Apoſtolus: *Si quis eſt in Chriſto, nova eſt creatura. Vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia* 2 Cor. v. 17. *Dei ſumus factura, creati per Chriſtum Jeſum ad opera bona* Epheſ. 2. 10: *Deus fecit nos, & non nos*, quatenus nimirum nos ſecit populum ſuum Pſal. c. 3, & multa alia ſimilia in ſacris Literis ab aliis annotata: ſic Heb. 1. 2. Deus per Filium, quem conſtituit hæredem omnium, etiam ſecula ſeciſſe dicitur, quatenus ea renovavit & reſtauravit, ſeu quatenus per Chriſtum Regem ſecit cœlum novum & terram novam, ſecundum Prophetarum vaticinia Eſa. lxv. 17. lxvj. 22. Notat enim Auctor ad Hebræos effectum Regni Chriſti, qui Mundi collapſi verus conditor ac reſtaurator eſt, ut etiam hic mox explicatur verſ. 12. vide & Epheſ. iij. 9. Col. 1. 20 collato cum verſ. 16. Supra verſ. 3 de ſimplici factione maluimus interpretari, non de ſola renovatione: primom ne videretur Apoſtolus rem eandem hic iterum redicere. Deinde, quia per ſermonem non tantum omnia ſunt renovata, quod hic dicitur, ſed etiam multa ſimpliciter ſont ſacta, ad novam creationem ſpectantia. Renovantur autem & reſtaurantur homines per ſermonem, cum ad fidem in ipſum adducuntur, & per eum novum ſpiritum, adoptionis nimirum, hauriunt, quo carnem & carnis opera mortificant, ex peccatoribus & vitiis deditis, ſancti fiunt, ex damnatis & perditis, æternæ ſaluti aſſeruntur. Si velimus mundi voce omnes homines hic deſignari, ponitur & hic, ut ſupra verſ. 9, effectus pro efficacia, quatenus nimirum ſermo omnes homines renovandi ac reſtaurandi vim habet. Sed quia indefinite loquitur Apoſtolus, nihil nos cogit ab effectu ipſo recedere, cum ſufficiat, multos hominum per Chriſtum renovatos ac reſtauratos eſſe, & quominus homines omnes renovarentur ac reſtaurarentur, non per Chriſtum ſtetiſſe.

Et mundus eum non cognovit. Taxat mundi ſeu hominum aliorum pervicaciam & contumaciam, quod, quamvis tantam ſermonis virtutem & efficaciam adeo divinam in tot hominibus factis ac renovatis viderent, tamen eum non cognoverint. Hinc quoque manifeſtum eſt, non hic agi de veteri creatione, quam per Jeſum fuiſſe perfectam, nulli mortalium

patere potuit. Cum autem & hic & infra, jure ac merito reprehendantur homines, quod ſermonem non cognoverint nec receperint; profecto reprehendi non potuerant, quod eum tanquam perſonam in uno Deo ſecundam, quæ carnem induerit, non cognoverint, nec receperint: cum de tali perſona ne cogitare quidem ullus unquam mortalium potuerit. Mundum quidem creatum eſſe cognoſci poteſt, & ex mundi creatione Deus; at ſecunda iſta perſona nullo modo. Notavit hoc eximius inter Romano-Catholicos interpretes in hunc locum. Non repugnat hoc autem commati præcedenti. Utrumque verum eſt, & quod mundus per ſermonem ſit renovatus ac reſtauratus, & quod mundus ſermonem non cognoverit, non tantum, quatenus prius comma loquatur de efficacia, poſterius de effectu; (Nam & ſupra dictum eſt, quod lux illuminet omnem hominem, & tamen lux in tenebris luceat;) ſed etiam, quod prius comma loquatur de multis hominibus, poſterius de pleriſque, iiſque ſecundum carnem potioribus. Nam & mox rem eandem explicans dicit Apoſtolus, *Et proprii eum non receperunt*, cum tamen ibidem *propriorum* meminerit qui eum receperint. Mundus igitur ſermonem non cognovit, quia plerique homines, & in commune loquendo, eum non cognoverunt, nempe, quod eſſet ſermo Dei κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, vera lux mundi, & conſequenter Meſſias ille, Dei Filius ille, humani generis ſervator & ſoſpitator. Non excuſat hic mundum Apoſtolus, ſed accuſat. Nam, etiamſi ideo Chriſtum rejicerent, quod eum non cognoſcerent: (*ſi enim cognoviſſent* inquit, Apoſtolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* 1 Cor. 2. 8.) quia tamen maximas & efficaciſſimas illius cognoſcendi cauſas habebant; hinc patet, nihil illis aliud ad cognitionem ejus, præterquam probam mentem defuiſſe, ſeu ſolam malitiam, & averſum a bene agendo animum iis obſtitiſſe.

Verſ. 11. *In propria venit.* Exponit ad quos homines ſermo venerit. *In propria venit*, inquit, id eſt, ad propria, ſicut & in mundum, id eſt, ad mundum. Utitur neutro genere in ſenſu communi. Nam homines intelligi ſequens comma docet:

Additur enim *& proprii eum non receperunt.* Dicit ergo Apoſtolus, ſermonem veniſſe non ad homines extraneos & gentis alienæ, ſed ad populares ſuos, ad gentem ſuam propriam, cuique etiam a Deo promiſſus erat: quæ eum proinde pronis animis recipere debebat. *Et proprii eum non receperunt.* Quaſi dicat, ſi id alieni feciſſent minus mirandum erat, nunc, quia id ſui & proprii fecerunt, id eſt, Judæorum gens, maxime mirandum eſt.

Non receperunt. Ut ſcilicet illi crederent. Repulerunt eum & in crucem egerunt.

Verſ. 12. *Quotquot autem receperunt eum.* Significat, non defuiſſe tamen, qui eum reciperent, id eſt, in eum crederent, ſicut in ſequentibus explicatur. Solet abſolute dici, quod in commune & multo majori ex parte verum eſt, ut verſ. 10 vidimus. Multo enim maxima & potiſſima Judæorum pars ſermonem non recepit, ἔλαβον ſimplex pro compoſito,

Dedit eis poteſtatem, ut filii Dei fierent. Docet, quantum bonum contulerit iis omnibus, nullo excepto, qui eum receperunt, & quam per eum facti & reſtaurati ſint. Dedit autem illis hanc poteſtatem, quatenus illis dedit jus filiorum Dei. Sunt, qui filios Dei fieri hoc loco interpretentur fieri Deo naturæ immortalitate ſimilem. Sed Apoſtolus de adoptione loquitur, ſeu de eo, quod jam ſimus Dei filii, cujus conſequens erit & hæreditas Dei, in qua continetur & naturæ ſimilitudo cum Deo, ſeu immortalitas. Vide, quanta ſit ſermonis iſtius dignitas & majeſtas, quanta eorum omnium, quotquot eum receperunt, beatitas! & ſimul vide ſermonem tanquam diverſum opponi Deo κατ' ἐξοχὴν & ſubjective dicto, ſeu illi uni ac ſummo, eumque ſolum patrem noſtrum omnium doceri, cujus & ſermo ipſe Filius unigenitus mox appellatur verſ. 14, 18. Neque enim ulli alii poſt Deum conveniebat jura dare hominibus filiorum Dei, præterquam filio unigenito & principi.

Credentibus in nomen ejus. Hoc apponit per exegeſin, ut ſcilicet exponat, quid ſit, ſermonem recipere, quod nimirum ſit in nomen ejus credere. *Nomen* ponit pro re. Sic & nomen Dei poni ſolet pro ipſo Deo. Credere in ſermonem, eſt illi vitam æternam nobis ſe daturum promittenti confidere, & conſequenter ejus imperio totum ſeſe dedere. Nam qui aliquid pollicetur, eam in ſe fiduciam requirit, ut ſimul, ſi quid jubeat, & a nobis prius fieri velit, toti ſimus in eo exequendo. Abſque hoc, ſtulta & inanis foret noſtra in illo fiducia, præſertim, ſi ſciamus, tantam illius eſſe bonitatem & æquitatem, ut non tam ex facti ipſius, quam ex fidei noſtræ menſura obedientiam noſtram velit æſtimare. Quæ ſane Dei & Chriſti bonitas & æquitas eſt. Qui idcirco credentibus in ſe vitam æternam & fidei ad juſtitiam imputationem pollicetur. Juſtus enim non ex juſtitiæ ſuæ merito, cui multa deſunt, ſed ex fide ſua vivet. Non tamen vivet, niſi juſtus, ſi nimirum a Deo & Chriſto vocetur ad fidem eo tempore, quo juſtus fieri poſſit, ut pleriſque uſu venit. Pauci ſunt, qui in exitu diei demum vocentur in vineam. Nam, ut latronis illius fides ulli nunc contingat, fieri nequit. Neque enim Chriſtus amplius pendebit in cruce, ſed ſedet, æternumque ſedebit, a dexteris divinæ majeſtatis, & latro tamen pro ſuis peccatis pœnas luebat in cruce.

Verſ. 13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis; neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt.* Deſcribit credentes in ſermonem, ut cauſam indicet, cur in filios Dei adoptentur. *Qui non ex ſanguinibus*, nimirum, quatenus credunt in ſermonem. Nam alioquin, quatenus homines mortales ſunt, ex parentum & majorum ſuorum ſanguinibus nati ſunt. Utitur autem plurativa ſanguinum voce, ut doceat, carnalem generationem, quamvis ſit ex multorum majorum antiquo & illuſtri ſanguine, nihil per ſe facere ad id, ut filius Dei ſis.

Neque ex voluntate carnis. Voluntatem carnis credo dicere maluit, quam cupiditatem, quia de hominum generatione loquebatur.

Neque ex voluntate viri. Hoc addit, ut virum Deo tanto rectius opponat. Reſpicere videtur ad Abrahamum, quo Patre maxime gloriebantur Judæi, qui, etſi vir eximius, cum Deo tamen comparatus, quid erat? Nam Judæos hic ab Apoſtolo tangi, dubium non eſt, qui ob id ſolum, quod eſſent ex Abrahamo,

Digitized by Google

Iſaaco, & Jacobo ſeu Iſraële progeniti, jus filiorum Dei ſibi deſpondebant. Hoc falſum eſſe docet Apoſtolus. Si credidiſſent in ſermonem, tum demum id fuiſſent adepti. Quod & ipſe ſermo illis dixit cap. VIII.32,33,34. & ſequentibus.

Sed ex Deo nati ſunt. Nempe quatenus in nomen ſermonis credunt. Nam ſermonis Euangelium, eſt Dei ſemen, ex quo credentes naſcuntur, & ſic nati a Deo adoptantur in filios. Hinc videmus, eum, qui velit a Deo adoptari, debere prius ex Deo generari & naſci per fidem in ſermonem Dei.

Verſ. 14. *Et ſermo caro factus* vel *natus erat*. Quaſi dicat, non minus quam cæteri omnes homines, licet ex ſpiritu ſancto & virtute Altiſſimi conceptus eſſet. Exponit enim Apoſtolus admodum opportune ſermonis, cum in mundo verſaretur, naturam; (Nam nunc non amplius eſt caro, poſtquam ſpiritus vivificans eſt factus 1. Cor. XV. 45,50) quod nimirum & ſermo factus vel natus eſſet caro, id eſt mortalis, intellige homo, non minus, quam cæteri homines, ne quis mortalium de jure & conſequenter de hæreditate filiorum Dei dubitet. En habet in exemplum ipſum Dei ſermonem, qui, etiamſi non minus quam cæteri mortales, caro factus, vel natus eſſet, nihilominus in Filium Dei unicum & hæredem omnium evaſit, adeo, ut cæteris omnibus in ſe credentibus filiorum Dei jura diſtribuat. Hoc loco vel maxime refutantur, qui ſermonem extitiſſe putant antequam caro factus, vel natus eſſet; qua de re paulo poſt.

Vox ἐγένετο etiam verti poteſt, *erat*, quæ ſignificatio ſæpe occurrit, & illius exemplum habuimus hoc ipſo capite verſ. 6. Nam γίνομαι tam ſignificat ſum quam fio, & ſimiliter declaratur, qui ſermo eſſet naturæ ſuæ reſpectu, cum inter mortales ageret, qua de re hic agitur. Sed libenter damus, ut ſermo dicatur fuiſſe caro factus vel natus, quo ſenſu eadem vox accipitur ad Gal. IV. 4. Hinc enim conſequitur ſermonem antea non fuiſſe, quam caro factus eſſet. Nam ſi fuit & caro factus eſt, deſiit eſſe non caro, deſiit igitur eſſe, & id quod erat. Nam haud dubie erat non caro, tanto magis, ſi unus ille Deus erat, qui nihil minus quam caro eſt. In mutationibus accidentalibus non infertur ſubſtantiæ mutatio, cum una & eadem ſubſtantia multa & varia ſuſcipere poſſit accidentia: At cum una ſubſtantia alia dicitur facta ſubſtantia, prior ſubſtantia tollitur, quia una ſubſtantia non poteſt eſt duæ ſubſtantiæ, nec ſi facta eſt alia ſubſtantia, non poteſt eſſe non facta. Ens enim & unum convertuntur, & nihil poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Verum eſt, inquiunt, quod ſermo deſierit eſſe merus Deus, cum fieret caro, ſed Deus eſſe non deſiit. Factus igitur eſt, inquam, Deus non merus. At Apoſtolus dicit, quod ſermo factus ſit caro. Hoc longe aliud eſt. Vinum merum cum fit non merum, non fit aqua, ſed diluitur aqua. Nam ſi fiat aqua, jam vinum eſſe diſinit Quod ſi ob adjunctionem tantum alterius ſubſtantiæ, aliqua ſubſtantia dicatur eſſe facta alia ſubſtantia, ut ſi verbi cauſa materia dicatur equus eſſe facta, aut oſſa apud Ezechielem dicantur homines eſſe facta, aut pomus inſerta piro dicatur eſſe facta piro-pomus: primum id improprie dicitur. Proprie enim dicendum foret, ex materia factus eſt equus, ex oſſibus facti ſunt homines, ex piro ſimplici facta eſt piro-pomus & ſimilia. Et materia cum fit equus &c, deſinit eſſe ſimplex materia. An ergo & Deus deſiit eſſe ſimplex Deus, & factus eſt non ſimplex Deus? ſic inquiunt. Atqui ſermo factus eſt caro, quæ certe nihil minus quam Deum non ſimplicem ſignificat? deinde hæc ad rem nil faciunt. Neque enim unus ille Deus ad componendam carnem quidquam pertinet. An vero, ſi dici poſſit, corpus vel animam factam eſſe hominem, quia ex anima vel corpore fiat & conſtet homo, tanquam totum ex parte, idcirco etiam dici poſſet corpus factum eſſe animam, & animam factam eſſe corpus? Quanto minus igitur dicendum eſt, Deum illum unum factum eſſe carnem, quia cum carne ad unum ſuppoſitum faciendum concurrerit? An vero præterea unus ille Deus ſuppoſiti alicujus pars erit? Quaſi pars, inquiunt. At etiam hoc abſurdum eſt. Et ſi Deus quaſi pars erit, non vere pars, etiam quaſi ſuppoſitum & non vere ſuppoſitum ex ſe & carne conſtituet. Æs, inquiunt, recte dicitur factum eſſe Mercurius, non tamen æs deſiit eſſe. Primum hæc mutatio eſt accidentalis, nec ad rem noſtram quidquam pertinet; deinde ſi proprie loquamur, non æs factum eſt Mercurius, ſed ex ære factus eſt Mercurius. Tertio, cum æs fit Mercurius, deſinit eſſe ſimplex æs, & fit æs non ſimplex, Mercurii forma præditum, non autem fit ipſa forma Mercurii. At ſermo caro factus eſt. Nam, ſi dicas Jupiter æreus factus eſt Mercurius, certe dices, Jupiter deſiit eſſe Jupiter, deſiit enim eſſe non Mercurius. Non habent igitur quo ſe vertant, qui Deum illum unum factum eſſe carnem dicunt. Et, licet aliquam loquendi rationem invenirent, quæ ſenſum, quem volunt, ferre poſſet, quid nos hic cogit a propria locutione recedere? Sermo enim factus erat caro, cum ſcilicet fieret, ſicut & omnia facta ſunt id quod ſunt, cum fierent. Sic Adam factus eſt anima vivens cum fieret, & quiſque noſtrum factus eſt caro vel homo mortalis cum fieret. Itaque dictum hoc, *ſermo caro factus eſt*, ponit primum, tanquam rem per ſe claram ac minime dubiam, ſermonem eſſe factum ſuæ ſubſtantiæ reſpectu non minus, quam reſpectu ſui muneris & officii: eſtque de natura ac ratione omnis ſermonis, ut fiat. Deinde, de quo hic agebatur, oſtendit, quid ſermo factus eſſet, ſuæ ſubſtantiæ reſpectu, quod nimirum factus eſſet, non Angelus, non ſpiritus aliquis, ſed caro, non minus, quam alii omnes homines. Hoc autem verum fuiſſe, tota illius in terris vita & mors ſine ulla dubitatione docuit. Iſte profecto ſenſus, egregie & verbis ipſis, & rebus, de quibus hic agitur, reſpondet. Nam, quæ natura ſermonis fuerit, hic convenientiſſime dicitur. At hic primum ſermonem incarnatum fuiſſe dici poſt expoſita ejus, quæ ſub Enangelio fecit opera, nulla ratio permittit.

Et habitavit in nobis. ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *in nobis* pro *inter nos*. Hebræa phraſi, quaſi dicat, quippe cum caro eſſet, ſeu homo naturæ mortalitate nobis ſimilis. Hoc addit Apoſtolus, ut oſtendat, ſe compertiſſima loqui, quæ de ſermonis ſive natura, ſive rebus geſtis dicat, cum ſit unus ex illis, inter quos ſermo habitarit. Uſus autem eſt verbo ἐσκήνωσεν, quod proprie habitationem in tabernaculo ſignificat, quæ de-

ſultoria eſt, & peregrinabunda, ut hac metaphora exprimeret, ſermonis perpetuam cum ſuis diſcipulis ex uno loco in alium peregrinationem. Loquitur enim de tempore, quo munere ſuo fungebatur. Neque enim antea diſcipulos habebat, cum quibus habitaret & converſaretur. Simul etiam ſignificare videtur, ſermonis in terris vitam, vere peregrinationem fuiſſe, quod in cœlis haberet verum Patrem, & veram Patriam, in quam brevi, ex tetris profecturus erat.

Et ſpectavimus gloriam ejus. Adjicit hoc Apoſtolus in parentheſi, ut doceat, quid interea in ipſo viderint, ex quo eum vere Dei ſermonem fuiſſe conſtaret.

Spectavimus, inquit, fixo & ſtabili intuitu, ut fraus & fucus ſubeſſe non poſſet.

Gloriam ejus. Id eſt, admiranda & diviniſſima opera, per metonymiam effecti. Sic & infra cap. 2. 11 per admirandum illud opus converſionis aquæ in vinum optimum, gloriam ſuam manifeſtaſſe dicitur. Imprimis autem deſignare videtur Apoſtolus transformationem illam glorioſiſſiman in monte Sancto, de qua Matth. xvij. & 2 Pet. 1. Nam inter gloriæ iſtius ſpectatores Joannes fuit.

Gloriam tanquam unigeniti. Explicat gloriam non vulgarem, aut quæ ulli alii cum ipſo fuerit communis, ſed quæ conveniebat unigenito, ſeu unico Filio Dei, ex qua manifeſtiſſime conſtaret, eum unigenitum eſſe Dei Filium, ſeu Chriſtum illum, qui credentibus in nomen ſuum omnibus jus daret filiorum Dei. Reſpicit enim Apoſtolus ad id, quod aſſeruerat verſ. 12. Nam & opera fecit, quæ nullus ante ipſum cap. xv. 24, & in transformatione ejus, quæ nulli unquam contigit tam glorioſa, vox cœlitus fuit allata; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite* Matth. xvij. 5. Merito autem unigenitus ſeu unicus Dei Filius appellatur, qui cæteris omnibus ex Deo natis hominibus dat jura filiorum Dei quique in tantum cæteros omnes Dei filios & ex Deo natos excellit, ut illius comparatione, ſive charitatem Dei erga illum ſpectes, ſive charitatis Dei effecta in ipſo, id eſt, ſtatum & conditionem ac Deo aſſimilationem, cæteri omnes ſint ejus ſervi. Id ſolum, quod Deo ſumme charus eſſet, ad unigeniti ſufficit appellationem. Unigeniti enim ſeu unici Filii ſunt ſumme chari. Nam & Deus ipſe, cum eum maxime commendare vellet, dixit, hic eſt Filius meus ὁ ἀγαπητὸς, ille dilectus, cum articulo emphatico, id eſt, ille ſumme dilectus, in quo complacui. Hinc & Apoſtolus Chriſtum τὸν ἠγαπημένον abſolute & κατ' ἐξοχὴν appellat Epheſ. 1. 6. & Filium τῆς ἀγάπης, id eſt, dilectionis Col. 1. 13. Sic Iſaacus dicitur Abrahami filius unicus ſeu unigenitus, quod eſſet unice, id eſt, ſumme dilectus, & ſolus hæres. Similiter & Salomon unigenitum ſe filium matris ſuæ appellat, propter ſingularem inter fratres excellentiam vel dilectionem Prov. IV. 3. quin & David ipſe Salomonem filium ſuum unicum appellare videtur eandem ob cauſam 1 Paral. XXIX. 1. Animam certe ſuam vocavit unicam & unigenitam ſuam, quod eam unice id eſt, ſumme charam haberet Pſal. xxij. 21. Quam ſæpe Pater filium ſuum unicum appellat, quem præ cæteris diligit, aut ſtatu & conditione filiali cæteris potiorem facit! Et cum parentibus filii ſimiles eſſe ſoleant, cur unicus filius vel unigenitus non vocetur, qui Patri inter omnes ſit ſimilimus? Jam ſi inter homines, qui proprie loquendo generant, unigeniti, ſeu unici filii dicuntur, qui unigenitis ſunt ſimiles, quanto magis id locum habet in Deo, ut is unicus Dei Filius ſeu unigenitus dicatur, qui inter omnes maxime diligitur; qui ſolus Dei hæres eſt & cæterorum omnium Dominus? Deus quos ſibi ſimiles facit, generare dicitur. Quem ergo ſibi maxime ſimilem effecit, cur non eundem etiam maxime generaſſe, & hactenus ſolum generaſſe dicendus eſt? Deus item electione, adoptione, ſanctificatione filios generat. Cur igitur unigenitus ſeu unicus Dei Filius dici non debeat, qui ſingulariſſima ratione electus a Deo in Filium & ſanctificatus ſit? Quid multis opus? Qui κατ' ἐξοχὴν & abſolute, ſeu ſubjective Dei Filius dicitur, eo ipſo dicitur eſſe Dei Filius unigenitus ſeu unicus. (Græci adjiciunt vocem υἱὸς, quia μονογενὴς communis eſt generis.) Quod enim ſummum & excellentiſſimum eſt, illud etiam unicum eſt ac ſolum. Et Chriſto titulum hunc excellentiæ cauſa competete, illud docet, quod & alii ſint & dicantur Dei filii, neque Chriſtum pudeat eos fratres ſuos appellare.

In ſumma: Sicut Filium Dei dici, metaphoram continet, ſeu, per ſimilitudinem ab hominibus ductam dicitur; ſic & unigenitum Dei Filium dici, metaphoram habet, & unigenitus Dei Filius dicitur ob ſimiltudinem cum unigenitis hominum filiis. Nam & Deus ipſe per eandem metaphoram dicitur Pater. Inepti ſunt, qui ideo vel Deum dici Patrem metaphoricum, vel Chriſtum Dei Filium metaphoticum inferunt; cum metaphora non ad rem, ſed ad vocem tantum pertineat.

Accedit, quod is ſolus divino ſpiritu & virtute genitus ſit ex virgine ſine ullius viri opera. Nam & hanc ob cauſam vocatum eum iri Dei Filium prænunciavit Angelus Luc. 1. 35. At enim ajunt, unigenitum dici, quod is unus ſit, ex Dei genitus eſſentia, idque ab æterno, nec alius numero a Patre Deus, ſed numero idem. Id vero ut credamus proferant ſacra teſtimonia. At ſi Scripturam proferre non poſſunt, patiantur nos Scripturam intelligere & interpretari ſecundum Scripturam, & uni illi Deo convenienter & congrue. Nec enim omne quod generat, ex eſſentia ſua generat, præſertim quod unum eſt & ſingulariſſimum. Quam multa generat ſol, neque tamen ulli ſuam eſſentiam communicat? Sol & homo generat hominem, inquit Philoſophus, an vero homini ſuam eſſentiam ſol communicat? Et ſi ſol hominem ſua virtute generare poteſt, quanto magis Deus. Sol, inquies, ſolus non poteſt. Quid tum? at ſolus Deus poteſt. An ergo, ſi Deus eam virtutem ſoli daret, ut ſolus ſine homine generaret hominem, homo ille non recte vocaretur Solis filius, & a Sole genitus? Cur non igitur & homo, ſolius Dei virtute ex muliere genitus, vocandus ſit optimo jure Dei Filius? Adam certe ex terra a Deo creatus, non ex muliere productus, quod pleniorem facit generationis & metaphoram & ſignificationem, Dei filius dicitur Luc. iij. 38, proinde & a Deo genitus. Improprie inquis, & per metaphoram. Nimirum, quia uni illi & ingenito & increato Deo, ut proprie loquendo generet, id eſt, plures & ingenitos & increatos producat, non competit. Deus generat filios & generavit unicum, ſed

modo

modo ſibi conveniente & congruo. Deus generare dicitur, quos ad imaginem ſuam producit. Hinc homines Dei genus dicuntur Act. xvij. 29, præſertim, quos ex ſpiritu ſuo, aut ex ſemine ſuo, quod eſt Euangelii ſermo, producit Joan. iij. 5. 1 Pet. 1 23, 25. 1 Joan. iij. 9. quanto magis Chriſtum genuiſſe & ſolum genuiſſe dicendus eſt, quem non tantum ex omnibus ſibi ſimillimum, ſed etiam ſolum per ſpiritum & virtutem ſuam ex virgine, & a viro intacta matre, produxit.

A Patre, παρὰ Πατρός. Hæc verba non referuntur ad proxime antecedentem unigeniti vocem, ſed vel ad vocem *gloriæ*, ut iis ſignificetur hanc gloriam a Patre, qui unus ille Deus eſt, profectam eſſe. Nam & Petrus de eadem loquens gloria ait, λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ Πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν 2 Pet. 1. 17: vel notant venientem a Patre, quæ vocis παρὰ cum genitivo ſolet eſſe ſignificatio: quaſi dicat, gloriam tanquam unigeniti, venientis a Patre, uno ille Deo, id eſt, gloriam Chriſti illius; cui profecto non vulgaris, nec ulli communis gloria conveniebat. Hic jam aperte, ſermonem eſſe Chriſtum illum ſignificat, poſtquam eum Joanne Baptiſta longe præſtentiorem & principem Euangelii legatum ſuiſſe oſtendit, & ſic impedimentum huic veritati cognoſcendæ amovit.

Plenus gratia & veritatis. Abſoluta parentheſi redit ad rectum de ſermone caſum. *Plenus*, nempe ſermo.

Gratia & veritatis. Reſpicere videtur Apoſtolus ad Joannem, cujus nomen a gratia deductum eſt, quaſi dicat: ſermo fuit plenus gratiæ & veritatis, non Joannes, qui, etſi magnam gratiam annunciavit, (unde & nomen accepit) multum tamen illi defuit ad gratiæ & veritatis plenitudinem. Intelligit autem Apoſtolus gratiam Dei, idque per metonymiam cauſæ pro gratiæ divinæ effectis, & docet omnia gratiæ divinæ erga homines effecta in ſermone fuiſſe, vitam æternam, imputationem fidei ad juſtitiam, adoptionem, libertatem a lege, & conſequenter ab omnibus legis ritibus, ſpiritum adoptionis, omni lege efficaciorem, & hæc omnia ſine diſcrimine erga omnes in ſermonis nomen credentes. Nihil etiam illi defuit ad veritatem. Nam pro ritibus & ceremoniis, tradidit veram ac ſolidam juſtitiam, charitatem, ſanctitatem, & pietatem Epheſ. iv. 24, legis moralia præcepta omni ex parte plena reddidit Matth. v. 17, 20. Sic enim decuit. ut ab iis qui liberaliter & pro filiis habentur, omnia ſumma requirantur. Veritas hoc loco non opponitur mendacio, ſed umbris & imperfectioni, ut ex verſ. 17 apparet. Erat autem plenus gratiæ & veritatis, ſive quis doctrinam ejus ſpectaret, ſive facta. Hic jam Apoſtolus relinquit ſermonis titulum, nec illum deinceps toto uſurpat libro. Poſtquam enim eo rem deduxit, ut hunc ſermonem, unigenitum ſeu unicum Dei Filium, id eſt, Chriſtum illum eſſe oſtenderit, jam porro manet penes Chriſti & Filii Dei titulum. Nam & de eo agebatur, iſque unicus erat Apoſtoli ſcopus, demonſtrare Jeſum eſſe Chriſtum illum, Dei Filium illum. Id vero in principio ponere noluit Apoſtolus, ne videretur id ſumere, quod nondum probaſſet, quodque verſabatur in quæſtione, & cui evertendo, Joannis Baptiſtæ dignitas in Euangelio major opponebatur. Itaque Jeſum ſermonem appellavit, quod ſine ulla controverſia poterat, cum tituli iſtius effecta in oculis eſſent. Quo tamen titulo, & objectionem ex Euangelii principio per Joannem facto, amolitus eſt, & Jeſum Joanne multo digniorem, ac verum Euangelii auctorem eſſe aſſeruerit.

Verſ. 15. *Joannes teſtatur de ipſo.* Mentione gratiæ facta, & Joanne per id tacite deſignato, peropportune ipſius Joannis teſtimonium ad ſuperiora confirmanda adducit. Unde etiam apparet, nihil in ſuperioribus de ſermone dictum eſſe, quod in hoc non contineatur teſtimonio.

De ipſo. id eſt, de ſermone, qui Jeſus eſt.

Et clamavit. Quaſi dicat, & teſtimonium hoc clara & edita voce magna cum animi contentione protulit, conſpecto nimirum Jeſu. Vide verſ. 30.

Dicens. Exponit teſtimonium Joannis.

Hic erat. Monſtrans Jeſum ad ſe venientem, *quem dixi*, id eſt, de quo dixi, cum nondum adveniſſet, nec compareret. Veneram enim ad perhibendum illi teſtimonium verſ. 7, 8, & viam præparandam verſ. 23.

Qui poſt me venit. Nempe cum Euangelio, qui me in Euangelii prædicatione conſequitur. Præſens ponit pro mox futuro.

Ante me factus eſt, ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Id eſt, mihi prælatus & antepoſitus eſt, nempe a Deo, priorem ante me locum adeptus eſt, & me poſt ſe habet, nimirum, ſicut Joannes, licet poſt alios Prophetas venerit, tamen ante illos factus eſt; ſic & Jeſus, quamvis poſt Joannem venerit, tamen ante Joannem factus eſt. Sic Ephraim dicitur a Jacobo poſitus ante Manaſſem Gen. xlviij. 20. Nam præpoſitio ἔμπροσθεν anterioritatem loci proprie ſignificat, non temporis. Et ſi Jeſus temporis reſpectu ante Joannem factus eſt, profecto Deus ille unus non fuit. Nam γέγονεν hoc loco ſignificare non poteſt *erat*: Sequitur enim *quia prior me erat*; πρῶτός μου ἦν. poſitivus pro comparativo, ut verſ. 42. cap. xv. 18. Cauſam addit iſtius pacti divini juſtiſſimam, quaſi dicat, & merito quidem mihi antepoſitus eſt a Deo, quia etiam dignior me erat. Quid enim æquius eſt, quam ut dignioribus etiam dignior concedatur locus? Digniorem dicit Jeſum, quod multo dignius a Deo adeptus eſſet officium. Neque enim Jeſum tempore priorem dicit, ſed priorem muneris & officii dignitate. Nam aliter nulla eſſet in dictis conſequentia. Non enim, quia aliquis tempore ſit prior, idcirco protinus anteponendus eſt alteri. Si vero in utroque membro de tempore ageretur, manifeſta eſſet nugatio. Et infra Joannes ipſe hæc verba de dignitate interpretatur v. 27. Idem fit & apud alios Euangeliſtas Matth. iij. 11. Marc. 1. 7. Luc. iij. 16. Jam mihi vide, an hoc Joannis teſtimonium contineat, Jeſum eſſe unum illum Deum? an de uno illo Deo diceret, *ante me factus eſt?* & a quo factus eſſet? Ad humanam naturam nullum hic refugium eſt. Nam ejus reſpectu, Jeſus poſt Joannem eſt factus; an diceret, *quia prior me erat?* Id vero magnum fuerit, Deum illum unum priorem eſſe Joanne ſive dignitatis, ſive temporis ratione! At Jeſum eſſe Joanne digniorem magnum & eximium eſt. Quid multis? ipſe Joannes infra expreſſe dicit, ſe verbis iſtis de viro loqui, non de uno illo Deo. verſ. 30. Cum ergo nihil minus in hoc te-

ſtimonio dicatur, quam Jeſum eſſe unum illum Deum, conſtat hinc, neque in ſuperioribus id ullo modo dici. Et quia totum hoc teſtimonium eo tantum ſpectat, ut Jeſus doceatur eſſe Chriſtus ille Dei, idcirco etiam ſuperiora omnia nihil aliud, quam hoc ipſum continere dicenda ſunt. An vero Joannes Baptiſta de Jeſu teſtatus non eſſet, quod eſſet unus ille Deus, ſi verum id erat? Jam ergo, qui Joannem Jeſu digniorem putabant, quod is poſt Joannem venerit, & a Joanne baptizatus fuerit, ut Jeſum negarent eſſe Chriſtum, ipſius Joannis proprio refutantur teſtimonio.

Verſ. 16. *Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Joannis teſtimonio, magnum numerum ſubjicit teſtium. *Et nos omnes*, inquit, id eſt, nos omnes diſcipuli & imprimis Apoſtoli ejus.

Ex plenitudine ejus accepimus. Reſpicit ad ſuperiora verba, quibus ſermonem dixit plenum fuiſſe gratiæ & veritatis verſ. 14. itaque plenitudinem intelligit gratiæ & veritatis, ex qua omnes acceperunt, quatenus omnes eandem doctrinam de gratia Dei & veritate ex Jeſu hauſerunt & amplexi ſunt, aliis etiam tradendam; quatenus & gratiæ iſtius in imputatione fidei ad juſtitiam, in adoptione in Dei filios, in ſpe æternæ hæreditatis, in Spiritus ſancti adeptione, & veritatis, in ambulatione ſecundum Spiritum, non ſecundum carnem, participes ſunt facti.

Et gratiam pro gratia. Id eſt, & cœleſtia ac Spiritualia dona: gratiam enim per metonymiam ponit pro donis quæ gratiæ divinæ ſunt effecta: dicit autem, *gratiam pro gratia*, χάριν ἀντὶ χάριτος, quod non omnes idem acceperint donum, ſed diverſis diverſa ac multiplicia, ut qui hoc donum non acceperit, aliud acceperit ejus loco, & ex tanto numero, nemo non donatus abiverit. Hæc autem dona acceperunt, ut in accepta à ſermone doctrina & ipſi confirmarentur, & apud alios eam confirmarent, ac divinam & cœleſtem eſſe oſtenderent.

Verſ. 17. *Quia lex per Moſen data eſt.* Rationem reddit, ob quam apud Moſen non manſerint, ſed Jeſu Chriſti diſcipuli ſint facti, per occupationem. Poterat enim aliquis quæſtionem movere, cur non adhæſerint Moſi? quid Moſi defuit ad gratiam & veritatem? Defuit plurimum, inquit, *Quia lex per Moſen data eſt*. Quaſi dicat, quæ omnes peccatores damnat, proinde & nos, cum omnes peccaverimus. Reliquimus igitur & Moſen & legem, per quam vere juſtificari coram Deo non potuimus. Quid faceremus apud literam, quæ occidit, quæ jubet & non multum juvat, quæque nos jugo premebat intolerabili tot rituum ac ceremoniarum? *Ego per legem legi ſum mortuus*, inquit Paulus Gal. ij. 19. Neque enim lex in eum finem data erat, ut per eam, ſecluſa Dei gratia, vitam æternam, & conſequenter veram coram Deo juſtitiam conſequeremur Gal. iij. 21.

Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Gratiam & veritatem opponit legi, quia legis natura ac ratio eſt, exigere pœnas delictis conſtitutas, quarum porro, quia eſt rigida exactrix, veram ac perfectam juſtitiam præſcribere non poteſt. Circa externa & ritus manet, ad animum & ſublimiora non pertingit. Intelligit autem Euangelium de gratia & veritate κατ' ἐξοχὴν dicta, per metonymiam; quod per Jeſum Chriſtum factum dicit, quia per eum eſt annunciatum & æterno fœdere conſtitutum. Gratia reſpicit ad promiſſiones divinas, quæ divinæ gratiæ ſunt effecta, veritas reſpicit ad præcepta. Promiſit Deus æternæ vitæ hæreditatem, juſtitiæ imputationem ex fide, adoptionem in filios, Spiritum adoptionis, qui carnem mortificat, qui nos ab omni peccati jugo penitus exſolvit. Unde & Apoſtolus, *Peccatum vobis non dominabitur*, inquit, *quia non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia* Rom. vj. 14. Promiſit libertatem à lege & legis ritibus. Præcepit autem nil, niſi juſtitiam, charitatem, ſanctitatem veram & ſolidam, & ſpiritualem ac verum Dei cultum. Nam, quia nos Deus liberaliter habet, & tanquam Pater filios tractat, & ex legis ſervitute nos manu miſit: (quid enim refert, juſtos & ſanctos & ſpirituales lege attineri? 1 Tim. 1. 9.) idcirco etiam plura & majora, & perfectiora à nobis requirit; quæ nobis præſtitu haudquaquam difficilia ſunt, ſpiritu adoptionis præditis, & cœleſtium bonorum futuris hæredibus. Qui enim hanc ſpem habet in Deo, purificat ſeſe, ſicut Deus purus eſt 1 Joh. iij. 3. Non rejecimus igitur hanc tantam Dei gratiam, & merito à lege ad gratiam, à Moſe ad Chriſtum confugimus: *Si enim ex lege juſtitia, fruſtra Chriſtus eſt mortuus, qui ideo eſt mortuus, ut peccatores a lege damnatos per fidem in ſe ſervaret* Gal. ij. 21, legi ſumus mortui, ut Deo vivamus Gal. ij. 19. Recte igitur, ut diximus, gratia & veritas κατ' ἐξοχὴν dicta, quæ continetur in Euangelio (eſt enim in textu Græco articulus, excellentiæ index utrique voci appoſitus) legi opponitur. Quam oppoſitionem ut paulo uberius exponamus. Gratia opponitur legi, quod lex opera requirat ad juſtitiam, id eſt, quod ex ratione legis nemini juſtitia imputetur, niſi qui eam ſervet in omnibus, & ſine ullo delicto ſit; gratia autem etiam impio imputet fidem ad juſtitiam, lex ad pœnitentiam non reſpicit; gratia, pœnitentiæ & vitæ emendationi, ſi vita poſt agnitam veritatem ſuppeditet, omnia præterita delicta condonat. Nam, quæ de pœnitentia & remiſſione peccatorum in Veteri Teſtamento leguntur, extra legis rationem erant, ſtricturæ quædam iſtius gratiæ, quæ per Chriſtum inſtar ſolis effulſit. Lex nullum peccatum tolerat; gratia, voluntaria tantum peccata, poſt veritatis agnitionem non patitur, & obedientiam, quæ Dei filios, & hæredes deceat, requirit, in aliis lapſibus æquam & benignam ſe præbet, nec ſemper æternæ vitæ & hæreditatis cœleſtis privatione, ſæpe temporalibus tantum pœnis delicta in Dei filiis plectit, & paternam ejus in liberos virgam expedit. Lex, quia non eo fine data erat, ut per eam, id eſt, citra omne delictum, vitam æternam homines adipiſcerentur; nullam etiam expreſſam æternæ vitæ promiſſionem continuit; gratia continet. Lex indebat Spiritum hominibus ſervitutis ad metum: (ſerviliter enim homines habebat:) gratia, propter apertam vitæ æternæ promiſſionem & liberalem tractationem, ſpiritum indit adoptionis, clamantem, Abba, Pater; Lex, quia Spiritu iſto carens, homines a peccatis liberare non poterat, homines occidebat; gratia, quia Spiritum hunc habet, liberare a peccatis poteſt & liberat, & ideo homines vivificat. Hinc Paulus, *Nulla eſt damnatio iis*, inquit, *qui in Chriſto Jeſu*, (id eſt, per Chriſtum Jeſum) *non ſecundum carnem ambulant,*

ſed

Digitized by Google

ſed ſecundum Spiritum Rom. viij. 1. Lex homines per varios ſubigebat ritus, gratia, quia libertatem indulget, nihil aliud requirit, præterquam juſtitiam & charitatem, & id, quod natura ſua ac per ſe honeſtum ac decorum eſt. Et ideo lex Regia, lex libertatis appellatur, quia tali legi, etiam Reges, etiam liberrimi ſubjecti ſunt, nec vera libertas alia eſt, nec vere. Regem eſſe, aliud eſt, quam huic legi ſubjectum eſſe. Lex per victimas & oblationes corporales ſolvebat homines in minoribus delictis à pœna aliqua leviore; at morti æternæ illos eximere, & vitæ æternæ aſſerere non poterat: gratia per ſolam Chriſti victimam & oblationem, ab omni peccatorum noxa omnes exſolvit, & in vitam vindicat ſempiternam: *Chriſtus* enim *nos ex maledictione legis redemit*, *factus pro nobis maledictio*, id eſt, mortem crucis ſubiens Gal. iij. 13. Veritas autem opponitur legi, quod lex, quia ſevere & ſerviliter agit, ſervilem etiam & imperfectam juſtitiam ac ſanctitatem requirat: veram & perfectam & liberalem juſtitiam, ſenſu myſtico tantum continuit, ſecundum quam lex eſſet citra omne delictum ſervanda, ſi quis per eam vitam ſenſu ſimiliter myſtico, id eſt, æternam adipiſci vellet: quod, quia nullus mortalium, ſolo Chriſto excepto, præſtitit & præſtat, nullus etiam mortalium per eam vitam æternam adipiſcitur. Qui eam ſenſu literali & aperto ſervarent, & pauci erant, & a Deo juſtificabantur, non ad vitæ æternæ adeptionem, ſed ad legis promiſſa ſenſu literali & aperto prodita conſequenda. Veram & perfectam coram Deo juſtitiam, multo vero etiam magis vitam æternam, nemo, niſi ex Dei gratia conſequitur, quæ nunc non alibi, quam per fidem in Jeſum Chriſtum quærenda eſt. Lex inquam, ad temporariam vitam & beatitatem directa erat, gravia delicta gravioribus & capitalibus pœnis ſevere puniebat, minus gravia, aliis pœnis, prout cujuſquam meritum erat, citra vitæ privationem. Infirmitates & ignorantiæ, victimis & oblationibus expiandæ veniebant. At ſi quis per legem vitam vellet adipiſci ſempiternam, quæ hoc fine data non erat a Deo, huic omni delicto carendum erat, idque etiam ſecundum myſticum & interiorem legis ſenſum. Neque huc quidquam faciebant ſacrificia illa & purgamenta ritualia. Secundum ſpiritum ambulandum eſt ad vitam æternam contendentibus. Qui ſpiritualis diſciplinæ capaces non ſunt, aut eſſe nolunt, ad legem amandari debent, quæ in eos adhuc dominatum habet Gal. v. 16, 17, 18. Si quis per gratiam & veritatem, gratiam veram, & hic & ſupra verſ. 14, (ἓν διὰ δυοῖν) intelligat idipſum intelliget quod diximus, niſi quod vi oppoſitionis etiam lex dicenda eſſet gratia, quod ſuo ſenſu verum eſt. Nam & lex ac fœdus antiquum Dei gratiam continuit, etiam in remiſſione peccatorum, quæ tamen cum gratia Novi Fœderis comparata, veræ gratiæ nomen & titulum non aſſequitur. Ideo & Petrus Apoſtolus obteſtatur, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtamus, nempe gratiam Euangelii, quod & ipſum nomen Euangelii declarat 1 Pet. v. 12. Hoc ſenſu etiam verba illa: *Accepimus gratiam pro gratia* verſ. 16, ſignificarent, accepimus veram ac ſolidam gratiam, pro gratia minus perfecta & ſolida. Cui dicto confirmando ſervirent dicta ſequentia.

Quia lex per Moſen eſt data. Quaſi dicat, quæ veram & perfectam gratiam non continuit, *gratia vera*, & κατ' ἐξοχὴν dicta, *per Jeſum Chriſtum facta eſt.* *Per Jeſum Chriſtum.* Hic expreſſe nominat, quem Sermonis & unigeniti Dei titulo deſignet, Jeſum nimirum, qui ſicut appellatur Chriſtus, ſic etiam eſt re ipſa, quæ dignitas & Sermonis & unigeniti Dei dignitatem in ſe complectitur. Non eſt igitur ſermo & filius Dei unicus, ante vel præter Jeſum Chriſtum, nec Jeſus Chriſtus ante vel præter ſeipſum, id eſt, ante id quod ex Spiritu ſancto conceptum & genitum eſt in utero Mariæ, & ex illa natum, quærendus Matth. 1. 20, 21. Luc. 1. 31, 35; & ſi quærendus ſit, aliunde id prius ut demonſtretur, oportet. Nam & ipſa, & Jeſu, & Chriſti nomina, hominis ſunt nomina, non ſummi Dei.

Facta eſt. Id eſt, annunciata, ſancita & ſtabilita. Unde Mediator Novi Fœderis appellatur: quod ſicut a Deo hominibus attulit, ſic etiam proprio ſuo ſanguine ſancivit. *Unus eſt Deus*, inquit Paulus, *& unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſeipſum redemtionis pretium pro omnibus, teſtimonium temporibus propriis* 1 Tim. 2. 5, 6. Mediator enim iſte Novi Fœderis victima pro peccatis omnium ex Dei voluntate factus, teſtatur iſtis temporibus, quibus id a Deo deſtinatum erat, Deum velle ſalutem omnium hominum, dummodo omnes ad Deum per mediatorem iſtum confugiant.

Verſ. 18. *Deum nemo vidit unquam.* Cauſam adfert, ob quam gratia & veritas non per Moſen, nec per ullum alium hominem, nec per ipſum Joannem Baptiſtam, ſed per Jeſum Chriſtum facta ſit. Ne quis diceret: Atqui Moſes & Prophetarum aliqui Deum viderunt: Quomodo igitur non omnia ad homines ſpectantia nobis enarrarent?

Deum inquit *nemo*, intellige hominum, *vidit unquam:* Nam Angeli vident faciem Dei Matth. xviij. 10: Ideo Paulus idem dicens, addit vocem hominum 1 Tim. vj. 16. *Quem* inquit nempe Deum, *vidit nemo hominum*, *nec videre poteſt*, nempe ſuæ naturæ & ſuis viribus relictus. Dicit ergo Apoſtolus Joannes, nulli hominum hunc honorem unquam a Deo fuiſſe habitum, ut Deum ipſum videret. Nam quem Moſes, idque etiam a tergo tantum vidit, quem viderunt & alii Prophetæ, Angelus erat, Dei perſonam ſuſtinens, aſſumta etiam viſibili, & inſtar humanæ, forma. Ideo nec in cœlo, in quo Deus habitat, ſed vel in ſublimi aëre, vel in loco aliquo terræ, viſio iſta contigit.

Unigenitus Filius. Id eſt, Filius κατ' ἐξοχὴν dictus, omnium filiorum Dei ſummus & præſtantiſſimus ac princeps, & ſumme *charus*, quique ſolus Spiritu Dei genitus eſt ex virgine, vide verſ. 14.

Vox, *Filii* per pleonaſmum adjecta eſt ad vocem ὁ μονογενής: nam ὁ μονογενής, id eſt, unigenitus, per ſe, non niſi Filium ſignificat. Genitus enim, Filium declarat, unigenitus, unicum Filium. Ideo ſupra ad vocem μονογενοῦς non fuit adjecta verſ. 14, nec ab Auctore ad Hebræos adjicitur cap. xi. 17. Nam etſi μονογενὴς apud Græcos generis ſit communis, articulus tamen, aut pronomen generis maſculini, Filium intelligi docet, quod, ut tanto magis appareat, additur inſuper nomen υἱὸς, id eſt, Filii. Itaque unigenitus

genitus Filius, nihil aliud, quam unicum Filium, ſeu ſimpliciter unigenitum ſignificat. Ideo & Hebræi unicum Filium dicunt.

Qui erat in ſinu Patris. Quaſi dicat, proinde & ſolus vidit Patrem cap. vj. 46, id eſt, cui Pater hunc honorem & amorem habuit, ut eſſet in ſinu ejus, quippe Filio ſuo unico; ideo *Patris* dicit, non *Dei*, accommodate ad Filium unicum, & tanto efficacius. Hoc ipſum eſt, quod ſupra dixit; *Et ſermo erat apud Deum, hic erat in principio apud Deum*, niſi quod in ſinu Patris eſſe, ita apud Patrem eſſe ſignificet, ut illi ſimul ſis proximus, & conjunctiſſimus & intimus. Sumitur enim ſimilitudo ab homine, qui filium & quem filio æque charum habet, in ſinu vel ad ſinum ſuum recumbere faciat. Sic Lazarus erat in ſinu Patris Abrahami Luc. xvj. 22, 23. Sic Joannes, quem diligebat Jeſus, recumbebat in ſinu Jeſu cap. xiij. 23. Cum igitur Deus unice diligeret unicum ſuum Filium, ſuſcepit eum ad ſe in ſinum ſuum, & ei omnia voluntatis ſuæ arcana, de gratia & veritate, deque humani generis ſalute revelavit. Quod, quia nulli homini unquam contigit, quid mirum, quod nec per ullum alium hominem gratia & veritas facta ſit? Participium ὁ ὢν accommodatius ad rem vertitur hoc loco *qui erat*, quam *qui eſt*. Neque etiam nunc Filius ponitur in ſinu Patris, ſed a dextris Dei Patris ſedere oſtenditur.

Ille enarravit. Quaſi dicat, ille qui Patrem vidit, qui apud Patrem & in ſinu Patris erat, ille qui Filius eſt unigenitus, ille enarravit; non Moſes, non Prophetarum ullus, non Joannes Baptiſta. Enarravit autem poſtquam a Patre venit ad homines. Quid igitur mirum, quod per nullum alium hæc tanta gratia & veritas facta ſit, quam per Jeſum Chriſtum. Hic ſimul cauſam explicuit Apoſtolus, ob quam Jeſum ſermonem appellavit. Nimirum, quia nullus alius hominum erat in ſinu Dei, per quem Deus, tanquam per immediatum mentis ſuæ interpretem, hominibus arcana ſuæ voluntatis enarraret. An vero non potius diceret Apoſtolus, ille enarravit qui ſummus Deus eſt? Quid hic faceret eſſe in ſinu Patris? cur diceret id quod multo minus erat, & taceret, quod erat multo maximum, & maxime ad rem pertineret? Immo cur diceret, quod ſummo illi Deo non competeret? Neque enim Filius apud Patrem in ſinu poterat eſſe, ſi idem numero Deus erat, qui Pater eſt. An eum ab uno illo Deo diſtingueret, & non quia unus ille Deus eſſet, ſed quia Deum vidiſſet, & in ſinu ejus fuiſſet, nobis gratiam & veritatem enarraſſe diceret? An gratiam & veritatem per eum, tanquam per cauſam mediam factam eſſe affimaret, & non potius ab eo tanquam a ſummo Deo? Simul etiam explicavit Apoſtolus, quo pacto gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta ſit, nimirum quatenus per eum enarrata fuit. In qua enarratione ſimul continetur ejus confirmatio & ſanctio, ne quid ad fidem enarrationi habendam deeſſet. Quæ cauſa etiam eſt, ut lex per Moſen data eſſe dicatur, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta; quod Moſes ſimplicem tantum Dei miniſtrum & mediatorem in tradenda lege egerit, Jeſus Chriſtus autem in gratia & veritate ſancienda etiam ſe ipſum impenderit.

Verſ. 19. *Et.* Quaſi dicat, ut plura de Joannis teſtimoniis dicam, *hoc eſt teſtimonium Joannis.* Revertitur ad Joannem Baptiſtam Apoſtolus, ut inſigne quoddam & ſingulare teſtimonium ejus referat.

Quando miſerunt Judæi. Oſtendit ſe de Joannis teſtimonio loqui, quod eo tempore edidit, quo vel maxime dicendum erat quis eſſet, nempe tum, quando miſerunt Judæi, id eſt, Judæorum Principes & ſenatores: per Antonomaſiam, qua plerunque in voce Judæorum utitur.

Ex Hieroſolymis. Ex urbe capitali ſeu metropoli, ubi ſedes erat gentis ac Reipub. & templum Dei.

Sacerdotes & Levitas. Non vulgares aliquos homines, nec rerum ſpiritualium ignaros.

Ut interrogarent ipſum, tu quis es? Nempe ratione tui muneris & officii, quod exerces, tacite cogitantes, (ut ex reſponſione Joannis apparet) quamvis id exprimere nollent, an ſe pro Chriſto ferret? vide verſ. 25.

Verſ. 20. *Et confeſſus eſt, & non negavit.* Id eſt, candide reſpondit, per repetitionem ejuſdem ſententiæ, Hebræo more, qui affirmationem reduplicant per negationem contrarii. *Et confeſſus eſt*, nempe id, quod ſequitur, *quod non ſum ego Chriſtus.* Apparet multis ſuſpicionem fuiſſe motam, Joannem eſſe Chriſtum, aut pro Chriſto ſe gerere. Vide Luc. iij. 15. Quæ cauſa etiam Judæis fuit mittendi viros iſtos ad Joannem, & illius quis eſſet tam inſigni legatione interrogandi. Apparet & Joannem pervidiſſe mentem iſtorum interrogantium. Protinus igitur, ut virum ſanctum decebat, ingenue confeſſus eſt, ſe Chriſtum non eſſe, arrogare ſibi nolens, quod non erat. Nam nec ex tribu Judæ ac ſemine Davidis erat, ſed ex tribu ſacerdotali, quod Judæis ignotum eſſe non poterat. Quam Joannis confeſſionem & teſtimonium, cum Apoſtolus referat ad confirmanda ſuperius a ſe dicta, apparet in ſuperioribus hoc tantum affirmari, quod Jeſus eſſet Meſſias, & Joannes inferior eſſet Jeſu.

Verſ. 21. *Et interrogaverunt eum.* Nempe iterum & ſecundo, poſtquam ad primam interrogationem ſe Meſſiam eſſe negaſſet.

Quid igitur? Intellige *es*, quaſi dicat, quandoquidem Chriſtus non es.

Elias es tu? Non exſpectata Joannis reſponſione, ipſi quærendo ſubjiciunt, an Elias eſſet? Nihil vulgare ex ipſo quærunt, quod ab omnibus quiddam eximium & ſingulare de Joanne præſumeretur. Cauſam autem iſtius interrogationis ſumſerunt ex loco Malachiæ perperam intellecto Malach. iv. 5. Malachias enim loquitur de Elia per metaphoram dicto, id eſt, de homine, qui ſimilis eſſet Eliæ, ſeu, qui ſpiritum & virtutem haberet Eliæ. Communis autem opinio Judæorum erat antiquitus tradita, Malachiam loqui de adventu Eliæ proprie dicti, ex cœlo, ante adventum Meſſiæ Matth. xvij. 10, 11, 12. Habemus hic exemplum, quam ab ipſo ſtatim initio prava dictorum ſacrorum interpretatio manare poſſit in vulgus, & temporis diuturnitate in hominum animis altas figere radices, unde & Chriſtus ipſe, aſſerens Joannem eſſe Eliam illum qui venturus erat, huic aſſerto ſuo præfatur, *& ſi vultis audire* Matth. xi. 14. Significans pridem inolitas, & vulgo receptas opiniones & ſcripturarum interpretationes, difficulter ex animis homi-

Digitized by Google

hominum exoleſcere, & veris interpretationibus elui. Quod hic vel maxime commemorandum erat. Nullus enim ſcripturæ locus, quam hoc Euangelii Joannis exordium, magis ab ipſo principio in pravam, eamque publicam & communem interpretationem abiit; quæ tot ſeculis firmata, vix unquam poterit ex animis hominum evelli, niſi Deus ipſe manum ſuam ſingulari ratione admoverit.

Et dicit, nempe Joannes, *Non ſum.* Intellige Elias. Reſpondet ad illorum mentem: illi enim intelligebant Eliam proprie dictum, qui vivus in cælum profectus eſt. Ideo & Joannes ſimpliciter negat ſe Eliam eſſe. Nam alioquin erat Elias metaphorice dictus, de quo Malachiæ vaticinium agit, Matthæi dictis locis. Non interrogabant autem, quod neſcirent, Joannem, cujus natales in propatulo erant, nec Meſſiam, nec Eliam de cælo lapſum eſſe; ſed hominis tentandi & explorandi cauſa: ut ſi forte vel Meſſiam vel Eliam ſe diceret, manifeſtus fieret ſeductionis & mendacii. Quod ſi tamen ſerio rem agebant, ipſi ſe manifeſtos reddebant ſummi ſtuporis & inſcitiæ, quamvis populi divini duces & doctores eſſent.

Propheta es tu? Pergunt interrogando, an Propheta eſſet, non vulgaris aliquis, (nam de eo nullum videbatur eſſe in populo dubium, & quia Joannes baptizabat, quod Propheta vulgaris non faceret,) ſed inſignis ille, de quo Moſes ipſe vaticinatus eſt Deut. XVIII. Ideo in textu Græco voci Prophetæ additur articulus emphaticus.

Et Reſpondit: Non. Merito. Nam Propheta ille Chriſtus eſt, ut Petrus docet Act: III.22, & Stephanus Act. VII. 37, quem quia Judæi diſtinguebant a Meſſia, ut patet etiam ex ℣.25, iterum in errore verſabantur antiquo, ex prava interpretatione orto. Ex reſponſione Joannis patet, eum interrogatum non fuiſſe, an ſimpliciter Propheta, aut in genere inſignis aliquis Propheta eſſet: alioquin enim ſe Prophetam, eumque etiam in genere inſignem eſſe, haud negaſſet. Interrogatus ergo fuit, an ſingularis ille Propheta eſſet, a Moſe prænunciatus? Nam, ſi Jeremiam, vel aliquem ex Prophetis antiquis intellexiſſent, id etiam dixiſſent. Et Prophetam eos deſignare patet ex verſ. 25, cui baptziandi & peculiares diſcipulos colligendi jus eſſet, quod nulli antiquorum illorum erat. Nec μετεμψύχωσις, vel μετενσωμάτωσις Judæorum eundem hominem faciebat, ſed reſurrectio Matth. XIV.2.

V.22. *Dixerunt igitur ei.* Cum nullum alium haberent, quem ſubjiciendum putarent, ſimpliciter dicunt Joanni;

Quis igitur es? Ut reſponſionem demus iis, qui miſerunt nos. Quaſi dicant, non tam id quærimus noſtri cauſa, quam eorum, qui nos miſerunt, quos tu contemnere nulla ratione debes.

Quid dicis de te ipſo? Quandoquidem nos quis ſis, exputare non poſſumus, nec quiſquam melius ſcire poſſit quis tu ſis, quam tu ipſe, & quod tu ipſe de te ipſo dixeris, huic inſiſtendum erit.

Verſ.23. *Ego*, intellige, ſum, *vox clamantis in deſerto*, Id eſt, ego ſum clamans in deſerto per metonymiam effecti pro cauſa. Simili metonymia Chaldæi Paraphraſtæ, ut ſupra diximus, ſermonem Dei, pro Deo ſæpe ponunt. Nam Chriſtus ſermo Dei dicitur per metaphoram. Perſona enim diſtinguitur a Deo. Vere Joannes erat clamans in deſerto. Nam & alta voce clamabat, & in deſerto clamabat, ac ſemper verſabatur.

Complanate, vel *dirigite viam Domini.* Exprimit, quid clamaret, ſeu quæ ſua vox eſſet: id eſt, pœnitentiam agite, peccata deponite, in remiſſionem eorum baptizamini, in ſignum & ſacramentum pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum a Deo conſequendæ. Prædicit inſtantem adventum Domini, id eſt, unius illius Dei, qui veniebat in Meſſia ſuo, diviniſſima virtute & poteſtate inſtructo, ad perfecte ſalvandum populum a peccatis, & ad dandum illi vitam æternam. Loquitur autem per metaphoram, ab iis qui Regi advenienti per loca deſerta & invia parant viam, loca ſalebroſa & impedita complanant & expediunt, ne quid ſit in mora, aut Regis adventum avertat. Hæc impedimenta & obſtacula erant peccata populi, quæ ut populus amoliretur, clamabat in deſerto Joannes, promittens peccatorum remiſſionem omnibus.

Viam Domini. Id eſt, viam qua Dominus incedat.

Sicut dixit Eſaias Propheta. Quaſi dicat, convenienter dicto Eſaiæ Prophetæ, cujus hæc ſunt verba, quibus vocem hanc clamantis in deſerto cecinit ac celebravit. Nunc igitur in me Prophetia hæc impletur. Unde conſtat, prædicationem & vocem hanc meam à Deo eſſe. Dicens quis eſſet eo ipſo confirmat, quod eſſe ſe negaverat, & ſimul docet, prædicationem ſuam brevi ceſſaturam. Domino enim jam præſente, & viam emenſo, nihil attinuit amplius clamare, ut illi venienti via pararetur. Ita vox illa cito conticuit, poſtquam ſermo Dei efficaciſſimus venit, qui licet & ipſe pœnitentiam & remiſſionem peccatorum prædicaverit, & baptizaverit in ſignum & ſacramentum utriuſque rei, tamen utramque rem multo pleniore & auguſtiore, ac vere Euangelico ſenſu prædicavit, immo & exhibuit. Ἡσαΐας ὁ προφήτης per tranſpoſitionem pro ὁ προφήτης Ἡσαΐας, niſi quis putet, Eſaiam inter alios Prophetas inſigniorem appellari.

Verſ.24. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.* Id eſt, ex Phariſæorum ſecta, quæ inter Judæos exquiſitiſſima habebatur Act. XXVI.5. Haud dubie tales delecti ſunt, ut Joannem, ſi poſſent, coarguerent, quod & facere conantur, ut ſequitur.

Verſ.25. *Et interrogaverunt ipſum*, (nempe coarguendi cauſa) *Quid igitur baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta ille.* Quaſi dicat: Nullam habes baptizandi populi divini cauſam. Solebant quidem Judæi proſelytos baptizare, ſed in legem Moſaicam, quia ex profanis accedebant gentibus. At Joannes baptizabat Judæos, Moſis & legis diſcipulos. Baptizabat ergo in novam doctrinam, diſcipulos ſibi faciens ſeparatos ac diſtinctos a legis Moſaicæ diſcipulis, quod ei fas eſſe non putabant, cum neque Chriſtus, neque Elias, neque Propheta ille eximius, alter veluti Moſes, eſſet.

Verſ.26. *Reſpondit eis Joannes dicens: Ego baptizo in aqua.* Quaſi dicat, quod mihi fas eſt ex munere & officio meo, qui ſum, *vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.* Baptizo enim populum in rem & doctrinam vere novam, in id, ut ſciat & credat Dominum jamjam ventutum, ut ei viam paret, id eſt, ut pœnitentiam agat, peccata deponat, & ad obtinendum adventum Domini, remiſſionem pecca-

torum conſequatur. Neque tamen per id me æquo Meſſiæ, aut Meſſiam me fero, (nam & Propheta ille Meſſias eſt, & ego ſum Elias ille a Malachia prædictus:) *ego* enim *baptizo in aqua*, quod poteſt facere & is, qui Meſſias non eſt, ſeu, qui Meſſiæ tantum præcurſor eſt, ut dixi. Aqua parabile ubique elementum eſt, & baptizare in aqua res per ſe exigua eſt, præſertim ſi comparetur baptiſmo, qui proprius eſt Meſſiæ, & diſcipuli mei cito cedent in diſcipulos multo majoris me Chriſti. Baptizare in aqua, plerunque dicitur, quia ſignificatur in aquam immerſio, quæ ad hunc ritum neceſſaria eſt. Aliquando tamen dicitur baptizari aqua ut Luc. III. 16. Act. 1. 5, XI. 16. quia baptizari etiam ablui ſignificat, ſed ita, ut in hac ablutione contineatur merſatio. Sic *βάπτειν ὕδασι* Græcis, & ſimilia. vide & Marc. VII. 4. Hinc baptiſmus in aqua vel aqua, magis ex uſu ſcripturæ dicitur, quam baptiſmus aquæ, etſi per genitiuum materiæ. Neque enim aqua baptizatur; ſed homines baptizantur in aqua, vel aqua. Qui hodie baptiſmi neceſſitatem maxime urgent, quod occultam quandam Spiritus Sancti virtutem aquæ, in hoc ritu, ad homines regenerandos & ſalvandos adjunctam eſſe putent (facili profecto tantos ad effectus remedio, quos tamen qui fit, ut ipſimet baptizatis tribuere non audeant) ii baptiſmum credentium, ad quos ſolos baptiſmus pertinet, quin & baptiſmum in genere omnem penitus ſuſtulerunt. Non enim vertici capitis aliquot aquæ guttas digitis affundere, baptizare eſt, ſed totum hominem in aqua merſare, & ſic abluere; hoc veræ & plenæ ablutionis ſacramentum eſt. Ideo temporibus Apoſtolorum baptizantes & baptizandi ingrediebantur in aquam, & baptiſmo peracto egrediebantur ex aqua; ſecus quam hodie fit in adſperſione pro baptiſmo ſubſtituta. Hinc & Tertulliani temporibus adhuc baptiſmus per merſationem fiebat, eamque etiam ternam. Adſperſioni datum eſt a Clinicis initium.

Medius autem veſtri ſtetit. Docet alium eſſe multo ſe digniorem, qui medius inter ipſos conſtiterit, Meſſiam intelligens. *Medius Veſtri.* id eſt, in medio veſtri. *Stetit* ἕστηκε, id eſt, ſtat, per enallagen præteriti pro præſenti, Hebræa phraſi, præſertim ubi continuatio intelligenda eſt. Intelligit autem non illos ſolos, qui ad ſe miſſi venerant, ſed populum Judaicum adſtantem, ad quem & illi pertinebant. Significat Meſſiam jam adeſſe, licet ſe nondum manifeſtet, nec prædicet, plane convenienter ei quod Apoſtolus dixit; *In principio erat Sermo.* Sicut enim tum ſermo erat, cum hæc Baptiſta diceret, quamvis ſermonis officium nondum exerceret, nec prædicaret; ſic non minus ſermo erat in principio Euangelii, & tum cum adhuc apud Deum eſſet. Dixit autem hæc Joannes Chriſto jam baptizato, ut ex ſequentibus patet verſ. 31, 32, 33. Quia vero Chriſtus ſtatim a baptiſmo actus erat in deſertum, ut tentaretur a Diabolo, apparet, Chriſtum ex deſerto reducem recta ad cœtum illum populi, qui Joanni Baptiſtæ circumfuſus erat, perrexiſſe, & populo ſeſe immiſcuiſſe, quod Joannes Baptiſta vel animadvertit, vel per Spiritum Propheticum cognovit, ideoque dicit, *medius inter vos ſtetit.*

Quem vos non noviſtis. Quaſi dicat, Ego novi. Cognoverat enim eum in baptiſmo verſ. 31 & ſequentibus, non noverant autem, alii reſpectu dignitatis ejus & officii. Nam facietenus & aliis rebus ſecundum carnem multi Chriſtum haud dubie noverant, ſed ut Chriſtum non noverant.

Verſ. 27. *Ipſe eſt ille poſt me veniens.* Nempe cum Euangelio: quaſi dicat, quem toties poſt me venire, id eſt, mox venturum & prædicaturum dixi. *Qui ante me factus eſt.* id eſt, mihi antepoſitus eſt. vide verſ. 15. nihil igitur hactenus refert, quod poſt me veniat.

Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Quaſi dicat, cujus tanta præ me dignitas & excellentia eſt, ut ego dignus non ſim, cui viliſſimum præſtem miniſterium. Quod enim vilius miniſterium eſſe poteſt, quam aliquem excalceare, aut, ut habent alii Euangeliſtæ, alicujus calceamenta portare? Nec mirum: Joannes enim baptizabat in aqua; hic, de quo loquitur, in ſpiritu & igne, quod in die Pentecoſtes apparuit. Vide autem hic ſummam Joannis Baptiſtæ modeſtiam & humilitatem. Iſtis porro verbis explicat, quo ſenſu dicat, *quia prior me erat* verſ. 15 & 30, dignitate nimirum & officio prior, non ætate: Chriſtus enim poſt Joannem natus eſt. Neque ſequitur, eum qui prior ſit ætate, idcirco anteponendum eſſe alteri loco & honore, cum ætate inferior poſſit eſſe longe ſuperior dignitate, cujus in tribuendo loco & honnre major habenda eſt ratio, quam ætatis. Hinc & parentes filiis in dignitate poſitis aſſurgunt & loco cedunt. Nam, qui putant priorem Joanne dici Chriſtum, quod ſit Deus ille unus & æternus, non intelligunt, quanta Deum illum unum indignitate & contumelia afficiant, dum eum Baptiſta Joanne priorem dici autumant, aut quantæ Joannem Baptiſtam imprudentiæ arguant, qui ſe cum Deo illo uno comparare auſus ſit. Patet igitur ex ipſius Baptiſtæ teſtimonio, eum non fuiſſe Chriſtum; & Jeſum, de quo hæc dicta ſunt, Joanne multo fuiſſe digniorem & præſtantiorem, & conſequenter ipſum Chriſtum. Pronomen αὐτοῦ ex Hebræorum idiotiſſimo redundat, ſicut & Matth xij. 36. xxj. 41. xxvj. 24. xxvij. 43. Joh. xvij. 2. Act. 2. 36. Apoc. vj. 4.

Verſ. 28. *Hæc in Bethabara facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes Baptizans.* Tandem & locum notat Apoſtolus geſtæ rei, ad majorem certitudinem. Ex ſequentibus patet, hæc facta eſſe proxime ante diſcipulorum quorundum vocationem a Chriſto factam, cum jam ſeſe muneri ſuo obeundo accingeret. Qui pro Bethabara Bethaniam legunt, non conſiderant, quod additur, *trans Jordanem*, & *ubi erat Joannes Baptizans*, & Galileæ illi loco vicinitatem verſ. 40. cap. 2. 1.

Verſ. 29. *Poſtero die videt Joannes Jeſum venientem ad ſe.* Opportune admodum, ut, quæ heri coram legatis Judæorum dixerat, ad Jeſum pertinere doceret. *Poſtero* inquit Apoſtolus, *die videt Joannes Ieſum ad ſe venientem.* Nam heſterno non veniebat ad Joannem, ſed populo tantum ſeſe immiſcuerat. Veniebat ergo Meſſias ad ſuum Eliam; princeps Euangelii legatus, ad ſuum præcurſorem; ſermo Dei, ad vocem clamantis in deſerto, veniebat, ut teſtimonium Joannis eliceret.

Et dicit. Nempe Baptiſta conſpecto Jeſu, & antequam Jeſus ad ſe perveniſſet, ne videretur hæc auribus dare Jeſu, nun veritati.

Ecce Agnus Dei; Applicaturus heri coram legatis Judæorum dicta ad Jeſum, præmittit hoc ingens Agni Dei, qui tollit peccatum mundi, elogium, quod nulli alii competere poteſt quam Meſſiæ. Ita habemus clariſſimum ipſius Joannis Baptiſtæ teſtimonium Jeſum eſſe Meſſiam, ſeu Chriſtum illum Dei. Et hic eſt totius iſtius & exordii & Euangelii ſcopus unicus. *Ecce Agnus Dei.* Agnum eum appellat. quod mactandus eſſet, & Agno illo Paſchali præfiguraretur, & ſimul ſumme manſuetus, & mitis & innocens eſſet. Reſpicit enim haud dubie ad ejuſdem Eſaiæ verba; *ſicut ovis ad mactandum ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente mutus; ſic non aperuit os ſuum.* &c. Dei Agnum dicit, quod eſſet Filius Dei unicus, id eſt, Chriſtus ille, proinde Dei plane proprius, quique a ſolo Deo dabatur. Nam & victimæ illæ anniverſariæ, quæ eum figurabant, dabantur a Deo. Dabantur enim ex decimis, quæ erant Deo conſecratæ.

Qui tollit peccatum mundi. Nempe tanquam victima piacularis, quam omne id, quod mundus peccavit tollere, mirum non eſt, cum ſit Agnus ille Dei. Tollit autem ea conditione, ut credamus in eum, & peccatis impoſterum mortui, ipſi vivamus. Suſcitavit enim eum Deus ex mortuis, & Dominum ac Regem fecit; qua ratione ſimul effectum eſt, ut per victimam hanc & mortem ejus, non tantum reatus & pœnæ peccatorum tollerentur, ſed etiam ipſa peccata, quantum attinet ad vim & efficaciam mortis Chriſti. Quia vero hic Agnus, Dei Agnus erat proprius, apparet, Deum nullo modo jus ſuum in puniendis peccatis mundi executum eſſe, ſed potius jus & pignus mundo dediſſe remiſſionis peccatorum. Unde nec Agnus iſte mortuus eſt in ſolutionem noſtrorum debitorum, ſed in eorum remiſſionem, quod & annexa docet conditio fidei in ipſum, per charitatem efficacis. Chriſtus etiam dum Deo ſeſe danti obſequitur, adeo rem Deo fecit gratam, ut Deus omni ſuo jure in puniendis mundi peccatis protinus cederet erga omnes in Chriſtum credentes, & mandatis ejus per hanc fidem obſequentes. Nam, ſicut inobedientia Adami nocet poſteris, quod eam imitentur, ſic obedientia Chriſti, ſecundi Adami, juvat credentes, quod eam itidem imitentur. Quam rem egregie exponit Apoſtolus, Rom.v. Et ſi ſumme juſtus, & omnis peccati inſons, paſſus eſt ea quæ debebantur injuſtis, multo magis peccatores etiam maximi, ſi in eum credant, conſequentur ea, quæ promiſſa ſunt juſtis, cum pro eorum peccatis paſſus ſit. Judæi tamen peccaverunt, idque omnium graviſſime, qui Agnum hunc, Deo permittente, nec Agno recuſante, inſontem, ſuum ſecuti conſilium, occiderunt. Sed Deus hac illorum impietate uſus eſt, ad totius mundi & propriam ipſorum, ſi pœniterent, ſalutem. Unde & Propheta Eſa.LIII.5. de hoc Agno; *Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum.* Dum enim Judæi Chriſtum caſtigant, veram pacem nobis pepererunt. Sic fratres Joſephi graviter peccant, dum Joſephum occidere volunt & in ſervitutem vendunt, interim divina providentia hoc improbum illorum factum, in propriam illorum ſalutem convertit Gen.XLV.5.L.20. Myſterium mortis Chriſti a Joanne, ut Propheta, intellectum fuiſſe, patet. Multi Chriſtianorum ſic vim mortis Chriſti in tollendo reatu peccatorum interpretantur, ut Deo univerſa mundi debita per eam ſoluta putent. Quæ cauſa eſt, ut ejus vim in ipſis peccatis tollendis plane non intelligant. Unde & ſecure morti Chriſti confiſi, in iis hærent, cum potius intelligere deberent, Deum morte Chriſti ſemet ad condonanda omnibus peccatoribus peccata & dandam eis vitam æternam, validiſſime, obligaſſe, ſi a peccatis deſiſtant, & tanta Dei ac Chriſti charitate victi, Deo & Chriſto penitus ſeſe mancipent.

Verſ.30. *Hic eſt, de quo ego dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.* Applicat ſuperius memorata dicta ad Jeſum, quem virum nominat. Unde manifeſtum eſt, Dei Filium virum fuiſſe, qui ideo & calceatus incedebat, & Dei Agnus erat, proinde Deum illum unum non fuiſſe, vir enim & unus ille Deus contradictorie, tanquam diſparata, inter ſe opponuntur.

Verſ.31. *Et ego non noveram eum.* Ne quis diceret. Quare eum antea non manifeſtaſti, occupat: *Et ego non noveram eum*, intellige, antequam eum baptizarem, quo tempore eum a ſe cognitum mox ait iodicio deſcendentis ſuper eum Spiritus Sancti. Quanquam & protinus venientem ad ſe ut baptizaretur, cognovit Spiritu prophetico, ſed multo certius & plenius cognovit, ex tradito ſibi a Deo ſigno deſcendentis ſuper eum Spiritus Sancti. *Non noveram eum*: nempe de facie. At nunc digito monſtrat eum, cum diceret ſuperius verſ.26. *in medio veſtri ſtat.* noverat eum, quia hoc dicebat poſt ejus baptiſmum; non noverat autem Joaones Jeſum, quia diverſis in locis nati & educati erant & vivebant. Joannes in deſerto a teneris agebat; Jeſus Nazarethi apud parentes, ſecundum carnem, aut in cælis apud patrem. Ita ſemper diviſi erant, & inter ſe facierenus ignoti, quo tanto validius & minus ſuſpectum eſſet alterius de altero teſtimonium.

Sed ut manifeſtaretur Iſraëli. nempe meo indicio & teſtimonio.

Propter hoc veni ego in aqua baptizans. Deſcribit ſe a ſuo munere, & tacite ſe opponit Chriſto in Spiritu Sancto baptizaturo, ut patet ex verſ.33.

Verſ.32. *Et teſtatus eſt Joannes, dicens: Quod Spectavi Spiritum deſcendentem ſicut columbam ex cælo, & manſit ſuper eum.* Teſtatus eſt, nimirum ſuo muneri porro ſatisfacturus, & quo pacto eum cognoverit, narraturus, *Spectavi Spiritum deſcendentem ſicut columbam ex cælo*, Lucas cap.iij.22. dicit, Spiritum Sanctum deſcendiſſe ſpecie corporali quaſi columbam, non quaſi columbæ. Ergo *tanquam columbam.* refertur ad deſcenſum, quod ſcilicet deſcenderit tanquam columba. Deſcendit tamen ſpecie corporea, ſicut & in die Pentecoſtes, Noo ergo *tanquam columbam.* refertur ad ſpeciem corpoream, quæ multo divinior eſſe poterat, quam columbæ. Significat deſcenſum Spiritus ex alto ſubitum per deſcenſum celerrime labentis deſuper columbæ, avis notiſſimæ. Sed ſive columbæ ſpecies, ſive deſcenſus ſimilitudo, ſymbolum erat in hoc Spiritu ſimplicitatis columbinæ.

Verſ.33. *Et ego non noveram eum.* Repetit, quod dixit verſ.31. *Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu*

Sancto, id eſt, baptizaturus eſt, per temporis enallagen. *In Spiritu Sancto*, tanquam in aqua copioſiſſima. Magnam Spiritus Sancti vim & flumina effundet in ſuos, & ſic non in aqua tantum, ut tu, baptizaturus eſt. Vide, quo pacto Deus ipſe Jeſum Joanne priorum dicat, quatenus nimirum Joannes in aqua tantum baptizabat, Jeſus in Spiritu Sancto baptizaturus erat.

Verſ. 34. *Et ego vidi, & teſtatus ſum.* Nempe tum ſtatim, cum hoc viderem, *quod hic eſt ille Filius Dei*, nempe τῶ' ἐξοχὴν dictus, omnibus ex Prophetarum vaticiniis notus, & ab omnibus exſpectatus, ut docet articulus emphaticus, id eſt, Chriſtus ille Dei. Vide verſiculum 42. Utroque titulo eadem ſignificatur dignitas. Etſi enim Filius dicatur à generatione, Chriſtus ab unctione, tamen Deus, & generando illum unxit, & ungendo generavit, niſi quod appellatio Filii generationem etiam ex Maria virgine per Spiritus Sancti virtutem ſignificet. Hoc ſuo teſtimonio ſimiliter Joannes exponit, quo ſenſu Jeſum priorem ſe dicat, nimirum, quod Jeſus ſit ille Dei Filius & Chriſtus. Cæterum Filium illum Dei eſſe, Agnum Dei eſſe, qui tollit peccatum mundi, Chriſtum illum Dei eſſe, ſynonyma ſunt, ut ex collatione hujus verſiculi cum verſ. 29, 36, 41 patet.

Verſ. 35. *Craſtino die.* Qui fuit à dimiſſis cum reſponſo Judæorum legatis ſecundus, *rurſus ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo*, quorum unus erat Andreas, ut docetur verſ. 41.

Verſ. 36. *Et intuens in Jeſum ambulantem, dicit; Ecce Agnus Dei.* Repetit teſtimonium de Agno Dei. Vide verſ. 29. Atque hic finem facit Apoſtolus teſtimoniorum Joannis Baptiſtæ, quorum omnium ſumma eſt, Jeſum, quamvis poſt ſe cum Euangelio venerit nihilominus ſibi antepoſitum, ſeque multo præſtantiorem & digniorem eſſe, quippe in Spiritu Sancto baptizaturum, Chriſtum illum, & Filium illum, & Agnum Dei, peccatum omne mundi tollentem. Quibus teſtimoniis, quia nihil minus dicitur, quam Jeſum fuiſſe antequam naſceretur ex virgine, & ſic antequam eſſet, aut Jeſum eſſe unum illum Deum, (quem etiam diſerte virum dixit Joannes) & tamen hæc teſtimonia referantur ad ea comprobanda, quæ Apoſtolus ab initio hujus Euangelii de Jeſu docuit, cui dubium eſſe poteſt, nec ſermonis titulo, nec iis quæ ſermoni Apoſtolus tribuit, Jeſum eſſe Deum illum unum, aut ſaltem extitiſſe, prius quam naſceretur, affirmari?

Verſ. 37. *Et audiverunt eum illi duo diſcipuli loquentem.* Nempe id, quod dixit de Jeſu.

Et ſecuti ſunt Jeſum. Quippe cui tale teſtimonium dabat Joannes.

Verſ. 38. *Converſus autem Jeſus & videns eos ſequentes dicit eis:*

Verſ. 39. *Quid quæritis?* Quæ me vobis ſequendi cauſa eſt? Prior eos alloquitur, humanitate præveniens loqui ſecum cupientes, non quod interrogatione opus haberet, cum omnia ſciret, ſpiritu divino.

Illi vero dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi manes? Ubi tuum eſt domicilium ſeu diverſorium.

Verſ. 40. *Dicit eis: venite & videte.* Non repellit eos, ſed invitat.

Venerunt & viderunt ubi maneat, & apud eum manſerunt diem illum. Nempe ab hora qua venerunt ad eum. Totum ponitur pro parte, per ſynecdochen, quę ſynecdoche etiam eſt in tribus diebus & noctibus, quibus Chriſtus in morte fuiſſe dicitur Matth. xij. 40.

Hora autem erat quaſi decima. Nempe, cum ad eum veniſſent, duabus circiter ante occaſum ſolis horis.

Verſ. 41. *Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex illis duobus, qui audiverant a Johanne.* Nempe ſuperius teſtimonium verſ. 36.

Et ſecuti erant eum. Id eſt, Jeſum, ut dictum eſt verſ. 37. Pronomen *eum* non refertur ad proximè nominatum Joannem, ſed ad Jeſum, de quo principalis eſt ſermo, quod ſæpe fit apud Joannem Apoſtolum.

Verſ. 42. *Invenit hic primus.* Id eſt, prior. Poſitivus pro comparativo, ut verſ. 15, 30.

Fratrem proprium. Id eſt, ſuum, ut Rom. viij. 32. xiv. 4.

Simonem & dicit ei: Invenimus Meſſiam illum, cum articulo emphatico, *quod eſt interpretatum, ille Chriſtus.* Meſſiæ enim vox Hebraica eſt, Chriſtus Græca: & hic additus eſt articulus idem ad vocem Chriſti.

Verſ. 43. *Et duxit eum ad Jeſum.* Tanquam ſcilicet ad Meſſiam illum, duxit protinus a Chriſto reverſus.

Aſpiciens autem Jeſus dixit: Tu es Simon, Filius Jone. Statim hoc dicens, divinam declarat ſapientiam, in prodendo ejus, quem nunquam antea noviſſet, & nomine & patre.

Tu vocaberis Cephas. Quod hic ei primum dixit Chriſtus, poſtea apud Matthæum xvj. 18 repetiit. Petrus fuit ſingularis inter Apoſtolos petra, eminebat auctoritate, gravitate, ſermone, zelo, ætate. Nam & ætas conciliat dignitatem, ſi cætera adſint: Paulus tamen & Petrum & alios Apoſtolos ſuperavit laboribus & perpeſſionibus pro Chriſto, & divinarum rerum ſcientia, quin & revelationum ac viſionum excellentia 2 Cor. xj. & xij: fortaſſis & linguis magis loquebatur quam alii Apoſtoli. Fuerunt & alii Apoſtoli Petræ Epheſ. ij. 20; ſed hic per antonomaſiam vocatur Petra. Sic Chriſti nomen tribuitur Jeſu, Apoſtoli, Paulo. Petrus ſuperavit alios Apoſtolos miraculis. A Pauli corpore ſudaria & ſemicinctia ſanabant Act. xix. 12, aſt à Petri corpore umbra, Act. v. 15.

Quod interpretatum ſignificat Petrus. Πέτρος idem quod Πέτρα: ſed Græce deflectitur ad ſignificationem Viri. Nam Syriace eandem retinet terminationem. Cæterum etſi hic Petri vocatio deſignatur & prænunciatur à Chriſto, nondum tamen hic fit, nec ante facta eſt ad munus Apoſtolicum, quam cum Chriſtus Hieroſolymis redux, ubi prædicationem ſuam cœperat, in Galilæa prædicare inciperet, ut ex Matth. cap. iv. 18 manifeſtum eſt.

Verſ. 44. *Sequenti die.* Qui tertius jam eſt dies poſt dimiſſos Judæorum legatos, aut ſequenti quam Petrus adductus eſſet die.

Voluit Jeſus exire in Galilæam. Id eſt, exivit, per metonymiam cauſæ pro effecto.

Et invenit Philippum & dicit ei, ſequere me. Nam priores illi ipſi venerant ad Chriſtum, & ei adhæſerant cap. ij. 22.

Verſ. 45.

Verſ. 45. *Erat autem Philippus à Bethſaida.* Id eſt, Bethſaïda oriundus.

Ex civitate Andreæ & Petri. Qui itidem erant Bethſaïdenſes. Ita Bethſaïda tres nobis dedit Apoſtolos, licet alioquin cives haberet à fide in Chriſtum alienos, ut ex verbis illis Chriſti manifeſtum: *Væ tibi Chorazim, Væ tibi Bethſaida* Matth. xi. 21.

Verſ. 46. *Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei; Quem ſcripſit Moſes*, id eſt, de quo ſcripſit, *in lege, & Prophetæ*, intellige, ſcripſerunt, *invenimus Jeſum Filium Joſephi, qui eſt de Nazareth.* Sic tunc putabant, Jeſum eſſe Filium Joſephi. Et verum erat, quod eſſet filius ſecundum carnem Davidis, Matth. xxij. 42, quia natus erat ex virgine nupta filio Davidis Joſepho, quæ mater Chriſti non eſſet facta, nec eum peperiſſet, niſi deſponſata filio Davidis fuiſſet. Significat Philippus, Jeſum Nazarænum, Joſephi, ut putabat, filium, eſſe Meſſiam illum, de quo Moſes in lege, & Prophetæ in ſuis libris ſcripſerunt, quod nimirum Deo procurante exoriturus eſſet, & veram ſalutem Iſraëli & gentibus omnibus allaturus.

Verſ. 47. *Et dixit ei Nathanaël: Ex Nazareth poteſt aliquid bonum eſſe?* Id eſt, Propheta aliquis. iſque tam eximius, per ſynecdochen generis pro ſpecie; quaſi vero Deus locorum & urbium celebritatem ſpectet? contrà potius ignobilia loca, ſua nobilitet gratiâ. Cæterum Philippus nondum forte reſciverat, Jeſum Bethlehemi fuiſſe natum, licet Nazarethi educatus eſſet, & hinc pro Nazaræno haberetur.

Dicit ei Philippus, veni & vide. Quaſi dicat, ne tecum certem, ipſe experire, rebus potius quam verbis crediturus.

Verſ. 48. *Videt Jeſus Nathanaëlem venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Quaſi dicat, Iſraëlita non nomine tantum ſed & reipſa, cujus animus apertus & ſincerus eſt, proinde nihil mali intus ſovens. Indicat Chriſtus, veros Iſraëlis poſteros, non ex carnali proſapia, ſed ex animi probitate æſtimandos eſſe.

Verſ. 49. *Dicit ei Nathanaël: unde me noſti?* Quaſi dicat, laudas me, cum me non noris, multo minus animum meum. Simplex & aperta oratio, reſpondens Chriſti elogio. *Reſpondit Jeſus & dixit ei: Antequam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Nempe per Spiritum Sanctum, quamvis à me longe remotus eſſes. Sic poſtea vidit pullum aſinæ remotum Matth. xxj. 2, & multa alia. Conſ. Marc. ij. 8. Sic & Elizæus vidit famulum ſuum à Naamano accipientem munera.

Verſ. 50. *Reſpondit Nathanaël & dicit ei: Doctor* (*vide* verſ. 39.) *Tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Iſraël.* Conſpecta Chriſti divina ſapientia protinus credit vir ſimplex, & cum ſe eſſe oſtendit, quem Chriſtus dixit. Non quærit effugia, ut ſolent perverſi, ne credere cogantur veritati. Credentis enim hæc eſſe verba, non quærentis, ex Chriſti reſponſo patet. Ex hac ipſa Nathanaëlis confeſſione videmus, Filii illius Dei & Regis illius Iſraël, id eſt, Chriſti titulum idem ſignificare, cum alter ad alterius declarationem apponatur. Uſitatum enim erat apud Hebræos Meſſiam vocare Filinm Dei, quamvis de generatione æterna ex eſſentia Dei nihil cogitarent. Nam filii Dei, immo & Dii dicuntur apud Hebræos Reges & ſupremi judices, ob communicationem majeſtatis & poteſtatis. Κατ' ἐξοχὴν autem Dei filius dicebatur Chriſtus ille, quod eſſet κατ' ἐξοχὴν Rex Iſraëlis. Nathanaëli certe viro ſimplici, & vero Iſraëlitæ nunquam in mentem venit, ut Jeſum Dei illius unius ſecundam eſſe perſonam, quæ ex eſſentia primæ ab æterno generetur, cogitaret.

Verſ. 51. *Reſpondit Jeſus & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis; majora his videbis.* Intellige miracula, & veritatis divinæ argumenta.

Verſ. 52. *Et dicit ei: Amen, Amen*, id eſt, vere, vere, *dico vobis: a modo videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Non video, quid obſtet, ut hæc ſimpliciter & proprie intelligantur. Nam Angelos vere & proprie ſuper Chriſtum aſcendiſſe & deſcendiſſe, non per ſomnum, ut olim in ſomnis Jacobo viſum eſt, nullum eſt dubium. (Sæpe enim Chriſto miniſtrarunt,) Quod, ut viderent diſcipuli, Chriſtus poterat efficere, ſicut olim ſamulo Eliſæi evenerat 2 Reg. vj. 17. Cœlos etiam apertos Stephanus poſtea vidit, cur non & iſti videre potuerint, ac viderint? Eoſdem apertos viderat & Joannes in Baptiſmo Chriſti Matth. III. 16. Chriſto igitur hoc affirmanti credimus, nec hiſtoriam ejus rei requirimus, & cum infra ipſum Filium hominis in cælum aſcendiſſe, & de cælo deſcendiſſe dicit, hiſtoriam poſtulamus! Quaſi vero omnia Chriſti geſta deſcripta ſint, præſertim antequam ullos haberet diſcipulos, & antequam in baptiſmo manifeſtatus eſſet; cum hæc tanta res de Angelorum aſcenſu & deſcenſu ſuper Chriſtum, conſciis & teſtibus diſcipulis facta, ab Euangeliſtarum nullo narretur.

Super Filium hominis. Quaſi dicat, nihil refert, quod ſim Filius hominis, cum Filium hunc hominis Deus ſingulariſſimum ſuum Filium fecerit, cui non tantum regnum in Iſraëlem, & omnes alios homines, ſed etiam in Angelos daturus ſit. Libenter ſe Chriſtus Filium hominis appellat, non tantum veritatis, ſed & modeſtiæ cauſa; veritatis quidem, quod Davidis & Mariæ ſecundum carnem eſſet Filius: modeſtiæ autem, quod ſimul eſſet Dei Filius ſecundum Spiritum illum Sanctitatis, quo & genitus erat à Deo ex virgine, & ſupra modum unctus ac ſanctificatus ad munus & officium ſuum ſingulariſſimum. Utitur tamen, quoties opus eſt & Filii Dei titulo veritatis cauſa.

Illud *à modo* cum temporis interpoſitione intelligendum eſt, ut Matth. xxvj. 64. Luc. xxij. 69. Significat enim cauſæ tantum poſitionem, quam ſecuturus ſit effectus ſuo tempore, non temporis conjunctionem, niſi quis voces *à modo* cum verbo *dico* conjungat. Nam Marc. XIV. 62 non ait Chriſtus, à modo videbitis &c. ſed tantum videbitis. Sic Joannis xiij. 19 ait Chriſtus; *A modo dico vobis*, & XIV. 29 *Nunc dixi vobis*; ſic & hic, *à modo dico vobis*, ante rei effectionem & exhibitionem, ut cum eam fieri & exhiberi videritis, tanto magis credatis.

CAPUT II.

Verſ. 1. ET *die tertia*. Id eſt, poſt rem cum Philippo & Nathanaële geſtam.

Nuptiæ fuerunt in Cana Galileæ; quo voluerat exire & exiverat ſup I. 44.

Et erat mater Jeſu ibi: nempe in nuptiis. Quare Joſephi nulla mentio? Forte quia jam obierat. Fratres Jeſu ibidem fuiſſe verſ. 12. docet.

Verſ. 2. *Vocatus autem eſt & Jeſus & diſcipuli ejus in nuptias*; qui ſcilicet cum Domino Jeſu aderant cap. 1. 44, etſi nondum ad Apoſtolicum munus vocati eſſent. Vide quam Chriſtus ſolemnia nuptiarum præſentia ſua honorare & condecorare, immo & maximo munere, ut mox videbimus, locupletare voluerit, qnod nobis argumento debet eſſe, matrimoniales copulas, non clam, ſed palam, & cum ſolennitate quadam ineundas eſſe, cum id fieri publicæ honeſtatis multum interſit.

Verſ. 3. *Et deficiente vino dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent*. Satis modeſte & verecunde. Noverat enim, cum quo loqueretur, & qua de re. Indicat tantum defectum vini, non præcipit, non rogat. Sine dubio hoc fine dixit Maria defeciſſe vinum, ut Dominus Jeſus ſuppleret defectum. Unde autem hoc Mariæ? Neceſſe eſt, ut habuerit perſpectam ejus divinam virtutem in ſimilibus neceſſitatibus; Aſt hoc erat principium ſignorum verſ. 11. Traditur conjectura credo ex hoc loco ducta: Chriſtum miraculoſo modo ſubvenire ſolitum fuiſſe domeſticæ egeſtati: adeoque hæc fuiſſent miracula privata & domeſtica, iſtud in Cana publice eſt factum, & inter publica miracula primum. Etiamſi enim Maria probe ſciret, Filium ſuum Meſſiam illum eſſe, niſi tamen ſimilium miraculorum experimenta habuiſſet, quomodo potuiſſet hoc petere, cum naturam & rationem regni ejus, nullis unquam miraculis ejus viſis, neſciret. Quæ, ſi in aliorum inopia, ad virtutem ejus divinam confugit, quid putamus, an eandem non prius experta fuerit in propria? Erant quidem miracula Chriſto data ad doctrinæ confirmationem; ſed eam confirmant etiam quæ antecedunt. Nam, nec tum adhuc, cum miraculum hoc in Cana fecit, Euangelii publicam prædicationem erat exorſus. Solent ſigna & indicia præire rerum ingentium. In Chriſto certe cum duodecim annorum eſſet, futuræ magnitudinis & divinitatis quantum inſtar apparuit! Nec video, cur Chriſto adhuc privato, divina ſua virtute non licuerit aliquando uti in matris & ſuorum ſolatium, quo etiam tanto magis eum Meſſiam illum à Deo deſignatum eſſe appareret, nec fides ejus rei, tot annorum mora exoleſceret. Et Chriſtum per annos triginta, ſine ullis divinitatis ſignis fuiſſe, credibile non eſt. Certe ut principium ſignorum hic de aliis accipiamus ſignis, quam quæ poſtea narrantur, id eſt, quæ non privatus adhuc, ſed jam legatum Dei ſe ferens edidit, nihil nos cogit, præſertim, cum ſciamns, Euangeliſtas pauciſſima de rebus Chriſti privatis prodidiſſe. Nec mirum, cum ea licet per ſe magna eſſent, illorum, quæ deinceps, tanquam Dei legatus geſſit, magnitudo & multitudo penitus obruerit.

Verſ. 4. *Dicit ei Jeſus: Quid mihi & tibi mulier?* Intellige, commune eſt; quid mihi tecum rei eſt? Quaſi dicat, hac in parte tu jam ſimplicis mulieris rationem habes, non matris. Non debes te in ea ingerere, quæ pertinent ad munus meum. Loqnitur tanquam Chriſtus, Dei Filius, matris ſuæ non minus quam aliorum Dominus, apud quem nulli ſunt reſpectus carnales. Agebatur enim de re ad munus ejus diviniſſimum pertinente. Vide, quid valeat mater apud Chriſtum in rebus divinis & cœleſtibus! quod & ex aliis Chriſti dictis perſpicitur apud Mattbæum xij. 48, 49, 50. & Lucam 2. 48. viij. 21. xj. 27, 28. *In Chriſto Jeſu*, docet Apoſtolus, *nihil valet niſi fides per charitatem efficax, & nova creatura* Gal. v. 6. vj. 15. Et tamen ſunt qui Chriſti matrem jure in Chriſtum materno, rerum omnium in cælis potiri aſſerant, & mortalibus ad eam confugiendi auctores ſint. Qui hinc colligunt, Chriſtum loqui tanquam unum illum Deum, matris ſuæ creatorem, de Chriſto agentes, ipſius Chriſti videntur obliti, quem Deus ille unus omnium fecit Dominum.

Nondum venit hora mea. Nempe, ut publice miracula faciam, quia necdum venerat hora ut publice prædicaret; Hieroſolymis enim prædicationis faciendum erat initium, ſecundum oracula **Prophetarum** Eſa. ij. 2, 3. licet jam pro Dei legato ſeſe ferret, & ad urbem capitalem tenderet verſ. 13. Cur ergo mox miraculum fecit? Integrum illi erat, anticipare tempus, quia videbat, hanc rem ad divinam gloriam propagandam plurimum conferre, & ſibi Hieroſolymam venienti auctoritatem conciliare maximam. Prævertit ergo horam hanc, ſicut multa ſolemus extra ordinem facere, ſi res ita ferat ac poſtulet. Sic Chriſtus repudiaverat initio Cananitidem illam, à qua deinde ingenioſiſſimo reſponſo & conſtanti fide captus, fecit ei, quod negaverat. Nam & mater Chriſti modeſte tulit reſponſum aſperius, & fide ſua hoc impetravit à Chriſto, nihil ejus hoc reſponſo à ſpe & fiducia deterrita forte etiam ante talibus rudimentis exercita: nam alioquin illa ipſa hora Chriſtus miraculum hoc fecit verſ. 7. nec ſi adhuc aliquandiu exſpectaſſet, Mariæ quidquam in eo ſitum erat, non ipſum horæ momentum illa definiebat, ſed rem petebat, quæ fieret in nuptiis, horam ipſam, qua fieret, Chriſto relinquens; nec Chriſtus tam immitem ſe gerebat, ut, quia ipſe per ſe facere aliquid vellet, aſpere repelleret, idipſum á Chriſto fieri cupientem, matrem præſertim. Neque enim cuiquam de Chriſti voluntate quidquam conſtare poterat. Quam multa Deus ipſe per ſe facere conſtituit, & tamen ei gratum eſt, ſi quis illa votis præcipiat.

Verſ. 5. *Dicit mater ejus miniſtris; quod dixerit vobis, facite*. Perſpicitur hinc Mariæ erga Chriſtum fiducia, & ſimul indicium eſt, Chriſtum domi ſuæ nonnunquam edidiſſe miracula, ex quibus mater habuerit exemplum, verbi gratia, ſi domi aliquando aquam mutavit in vinum, & ſic vinum ſuppeditavit.

V. 6. *Erant autem ibi hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Judæorum*. Id eſt, quorum uſus eſſet in purificatione ſecundum ritus Judaicos.

Capientes ſingulæ menſuras duas vel tres. Menſuras haud

haud dubie non parvas intelligit. Aqua enim ad publicos uſus aſſervari ſolet in vaſis capacibus.

Verſ.7. *Dicit eis Jeſus.* Nempe miniſtris illis verſ.5, qui matris monitu haud dubie Chriſtum obſervabant.

Implete hydrias iſtas aqua, & impleverant eas uſque ad ſummum. Obſecuti ſunt Chriſto, matris monitu.

Verſ.8. *Et dicit eis: haurite nunc.* Vide divinam Chriſti virtutem. Non citius illi hydrias aqua implent, quam Chriſtus ex aqua vinum facit optimum. Immerito hæc transmutatio aquæ in vinum adſertur ad illuſtrandam tranſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: non tantum quod ſenſus omnes illam eſſe factam agnoverint; huic vero reclament omnes: ſed etiam, quia aqua converſa eſt in vinum, quod antea non erat, & quod ex aqua factum eſt: panis autem & vinum converti dicuntur in id quod jam ante eſt, quod contradictionem implicat. Simul enim aliquid ponitur eſſe, & non eſſe.

Et ferte architriclino, & tulerunt.

Verſ.9. *Cum autem guſtaſſet architriclinus, aquam illam vinum factam, & neſciret unde eſſet*, nempe vinum hoc, *miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam illam*, nempe in vinum converſam. *Vocat ſponſum architriclinus:*

Verſ. 10. *Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & quando inebriati ſint*, ut ſcilicet vinum dignoſcere nequeant, *tunc tenuius: tu ſervaſti bonum vinum uſque nunc.* Non neceſſario colligitur, convivas illos fuiſſe inebriatos: Reprehendit enim tantum architriclinus ſponſum, quod vinum melius reſervarit, & non ab initio ſtatim præbuerit convivis. Nam inebriatos non fuiſſe, id ipſum docet, quod vinum longe melius ſibi dari haud dubie agnoverint. Sed ſuppeditaverit Chriſtus vinum, & iis qui forte abuſi vino erant ad ebrietatem, quid refert? cum & Deus ſuppeditet omnia, quibus abutuntur pravi homines. Copia vini, Dei donum & opus eſt; ebrietas, & abuſus vini, pravorum hominum factum, & quis virtuti foret locus niſi foret & vitio?

Verſ. 11. *Hoc fecit principium ſignorum.* Id eſt, primum ſignum, per Hebraiſmum, nempe publicum, nec privatus amplius. Nam miracula quæ privatim & a privato fiunt, appellari ſigna non ſolent.

Jeſus in Cana Galilæa. Id eſt, non alibi cœpit publice miracula facere, quam tum temporis hoc miraculum in Cana Galilææ, ut ita ſuo veluti jure narrari etiam, idque primo, meruerit.

Et manifeſtavit gloriam ſuam. Id eſt, virtutem ſuam plane divinam & glorioſiſſimam. Effectum ponit pro cauſa.

Et crediderunt in eum diſcipuli ejus. Et antea quidem jam credebant, ſed hoc miraculo conſpecto multo firmius crediderunt. Vide Exod.XIV.31 ſimilem locutionem de Deo & de Moſe. Simpliciter fieri dicitur, quod magis fit & perfectius cap.VIII.32.

Verſ.12. *Poſt hoc deſcendit in Capernaum ipſe, & mater ejus, & fratres ejus.* Quia & hic & alibi ſimpliciter matri adjunguntur fratres Jeſu, putant quidam, Jeſum habuiſſe ex eadem matre fratres. Idem inferunt ex verbis illis Matth.I.25: *Non cognovit eam*, nempe Joſeph, *donec peperit filium ſuum primogenitum.* Cur enim non dixit, inquiunt: non cognovit eam unquam, ſeu uſque ad mortem? cum poſt partum etiam magis eam poſſet cognoſcere, quam ante partum. Si igitur, ajunt, Matthæus ſcivit, Mariam non fuiſſe etiam poſt partum cognitam, non debuit hanc rem ſolo partu definire, præſertim, ſi putavit aliquod in hujus rei ſcientia, verti ſalutis momentum. Si neſcivit, quid attinet & nos ſcire? ſi ſcivit fuiſſe cognitam, quid attinet Matthæo contradicere? Nam ut alterutrum iſtorum, inquiunt, Matthæo ſic ſcribendi cauſa fuerit, neceſſe eſt. Qui hæc movent, Helvidii, cauſam agunt, contra quem Hieronymus ſcripſit.

Et diſcipuli ejus &c. Nempe quos tum habebat. vide verſ.2.

Et ibi manſerunt non multos dies. Nempe quia inſtabat feſtum Paſchatis.

Verſ.13. *Et prope erat Paſcha Judæorum, & aſcendit in Hieroſolyma Jeſus.*

Verſ.14. *Et reperit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & collybiſtas ſedentes.* Sæpius mercatorum iſtorum in templo avaritiam & negotiationem caſtigare Chriſtus poterat. Ideo hæc hiſtoria poteſt ſecerni ab illa, quam deſcribunt Matthæus cap. XXI.12, & Marcus cap.XI.15. Fecit nimirum idem, cum intraret urbem tanquam Rex.

Verſ.15. *Et cum feciſſet flagellum e funiculis.* Junceis videlicet. Locus, ut arbitror, ſuppeditabat copiam, ex junco pecoribus ſubſtrato & in pabulum porrecto. Significavit Chriſtus imperium ſuum fore mite ac molle, ſine ferro, ſine gladio, & tamen omnium efficaciſſimum. Molli junco verbi ſui pulſurus erat vitia ex hominibus, eoſque ſibi ſubjecturus.

Omnes ejecit e templo, oves ſimul ac boves, & collybiſtarum effudit æs, menſaſque ſubvertit. Hoc certe ab uno homine, nullis copiis ſtipato, omni ſecundum carnem potentia & auctoritate deſtituto, fieri paſſi non fuiſſent, ſi ei divina non adfuiſſet virtus & auctoritas. Hanc ſolam & hodie adferant, ſi poſſunt, qui Eccleſiæ repurgationem prætendunt. Sed ſi vim adferunt carnalem, videant ne pro erroribus contra veritatem pugnent, aut ſaltem veritatem potius inquinent, quam ab erroribus repurgent. Veritas enim talibus officiis ac miniſteriis non indiget: Nec dicant, ſe Chriſtum imitari, ſi pro flagellis junceis gladios & ignes adferant; & ſi homines pellant ex civitate vel regno, non boves & oves, & vendentes & collybiſtas ex templo.

Verſ.16. *Et his qui columbas vendebant, dixit: auferte iſta hinc, nec facite domum Patris mei, domum mercatus.* Caveant ſibi, quibus & hodie Dei domus ac religio quæſtui habetur, exiſtimantibus, lucroſam eſſe debere pietatem 1 Tim.VI.5.

Verſ.17 *Recordati autem ſunt diſcipuli ejus, quod ſcriptum ſit: zelus domus tua comedit me.* Forte non tunc, cum Chriſtus hæc ageret, ſcripturæ iſtius ſunt recordati; ſed poſtea, cum accepiſſent Spiritum Sanctum, qui eis in memoriam, ſicut omnia, ſic & hoc Chriſti factum, & ſcripturam hanc revocavit. Confer verſ.22. Zelus, hoc loco eſt affectus iræ affinis, cum aliquem male habet & urit, ſi quid fiat contra Deum. Zelus in vitio eſt, cum aliquem alterius gloria vel dignitas urit. Eſt invidiæ vicinus affectus niſi ſit aliquando nobilior invidia. Ille enim ad gloriam magis, hæc

hæc magis ad opes pertinet. Vox zeli ex materia ſubjecta eſt intelligenda, comedendi vox zeli vehementiam in Chriſto deſignat, quam & ſervi ejus imitari debent, dummodo ſit ſecundum ſcientiam, id eſt, ne feratur opinionis errore in pios pro impiis, nec violentia carnali cogat quemquam ad Chriſti fidem vel ſuſcipiendam vel retinendam, aut ultum ac perditum eat Chriſto non æquos: quo zelo acti aliquando Chriſti diſcipuli, ignem ex cælo devocare volebant in Samaritanos, exemplo Eliæ Luc.ix.54. quibus Chriſtus, neſcitis cujus Spiritus eſtis vos: quaſi dicat, putatis vos agi Spiritu bono & Sancto? Erratis. Alia nunc ſunt tempora, quam erant Eliæ. Filius enim hominis non venit, ut animas hominum perderet: quod olim Eliæ per legem licuit: ſed ut ſervaret. Proinde non vult, ut quiſquam illius ex cauſa & occaſione vitam in præſententia amittat. Erit tempus, quo omnes impii promeritas pœnas dabunt, nunc cuique credere & non credere Euangelio, liberum ſit.

Verſ.18. *Reſponderunt igitur Judæi.* Nempe, non tam ad Chriſti ſermonem aliquem quam ad hoc factum.

Et dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quod hæc facias? Quaſi dicant, cum talia facere præſumis (Conf. Rom.x.2.) quæ nonniſi Prophetæ a Deo venienti, & hoc mandatum ac poteſtatem habenti, conveniunt? Oſtende te talem eſſe Prophetam, vel Regem Meſſiam ſigno aliquo minime dubio. Qui hodie ſigna a nobis poſtulant, non intelligunt, nos nihil adferre novi, nec nos pro legatis Dei gerere. Ad ſcripturas & fidem antiquam, ſeu, quæ ab initio fuit revocamus tantum ab illa deviantes. Vide Aug.lib.22. de civitate Dei.

Verſ.19. *Reſpondit Ieſus & dixit eis: ſolvite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.* Occaſione templi ſignum ſumit a templo, nempe corporis ſui, ut verſ.21 dicitur. Dat ſignum, ſe Meſſiam illum eſſe, quia tertio die a mortuis reſurrecturus erat. Hoc erat ſignum omnium maximum, & Meſſiæ proprium, illi ſoli reſervatum, & in Jona quodammodo adumbratum, ut ipſe Chriſtus docet Matth.xii.39, qui locus cum hoc egregie convenit. Nam & ibi quærentibus ſignum adverſariis promit exemplum Jonæ, & ex eo probat reſurrectionem ſuam, & ex hac ſuam auctoritatem. Sicut autem Ninivitæ, quamvis non viderent Jonam è ventre ceti evadentem, tamen credebant eum fuiſſe in ventre ceti, referentibus ac teſtantibus iis, qui eum in mare præcipitem dederant, & a ceto devorari viderant. Sic Judæi debebant credere, Chriſtum a mortuis ſuſcitatum eſſe, Apoſtolis teſtantibus ac prædicantibus, quamvis eum ipſi poſt mortem redivivum non viderent.

Et in tribus diebus erigam illud. Non in eo ſignum iſtud erat, ut Chriſtus ſe ipſum ſuſcitaret ex mortuis. Quis enim id videret? Signum hoc potius eſſet, Chriſtum non fuiſſe mortuum, & meram contineret contradictionem in adjecto, ut vocant: ſed in eo, ut Chriſtus ex mortuis reſurgeret. Id enim efficere nemo poterat niſi Deus; non effeciſſet autem, niſi Jeſus eſſet Chriſtus ille Dei. Erexit ergo Chriſtus corpus ſuum morte ſolutum & in ſepulchro jacens, cum divina vi reſuſcitatus ex mortuis, ſe ipſum vivum exhibuit, ſeu cum ſpiritum ejus corpori Deus reddidit, ut reſurgeret Matth. ix.6. Sic & Chriſtus indiderat vim paralytico, ut jacens ac proſtratus paralyſi, reſurgeret. Quaſi dicat: occidite me, & ego tertia die me iterum vivum ſiſtam, ut Act.1.3 dicit Lucas. Et Joannes ipſe paulo poſt vers 22, ſignum hoc exhibitum eſſe docet, cum Jeſus ſuſcitatus eſſet ex mortuis, à Deo nimirum, non a ſe ipſo. Ex his autem verbis ſumſerunt Judæi anſam calumniæ illius ſuæ adverſus Chriſtum Matth. xxvj.61. Marc. xiv.58, quam calumniam non ſatis intelligeremus, quid ſibi velit, & unde orta ſit, niſi hæc nobis verba Chriſti, ab aliis Euangeliſtis prætermiſſa, Joannes retuliſſet, ut & hinc appareat, eum non fruſtra poſt alios ſacri Euangelii ſcriptores ſcribere in animum induxiſſe. Triplex autem falſitas in illa calumnia continebatur, primo, quod vocem *Templi*, qua Chriſtus corpus ſuum denotabat, proprie acciperent, ſecundo, quod affirmarent, Chriſtum dixiſſe, poſſum ſolvere, vel deſtruere templum, ſicut refert Matthæus, aut ego ſolvam, ſeu deſtruam, ut habet Marcus, cum Chriſtus dixiſſet ad Judæos, ſolvite vos templum, tertio, quod cum Chriſtus corpus ſuum deſignans, dixiſſet, ſolvite templum hoc; illi, narrante Marco ita verba Chriſti referrent, Ego deſtruam Templum hoc manu factum, & per tres dies aliud non manu factum ædificabo. Unde etiam mirum non eſt, quod teſtimonium eorum non congruerit.

Verſ.20. *Dixerunt igitur Judæi: quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud?*

Verſ.21. *Ille autem loquebatur de templo corporis ſui:* comparatio hanc elegantem κατάχρησιν, ut ſæpe fieri ſolet, peperit, cujus etiam exemplum Cap. iv. 10,14, in aqua, & vi.32,35,48,50,51, in pane & cibo & potu habebimus. Ut fruſtra ſint, qui ex hoc metaphorico & catachreſtico ſermone Chriſti concludunt, quod ſe ipſum proprie loquendo vivum fecerit ex mortuo. Chriſtus neceſſe habuit, ut inſtitutæ comparationi congrue loqueretur. Ideoque non Deo tribuere debuit erectionem templi in tribus diebus, ſed ſibi, eo tamen ſenſu, qui rei ſignificatæ conveniret. Nam neque proprie loquendo Chriſtus Judæos jubet, ut ſe occidant, quamvis dicat, ſolvite templum hoc, ſed potius tantum prædicit, ſe ab iis occiſum iri, neque corporis tantum ſui ſolutionem & erectionem, ſed ſimul animæ ſuæ a corpore diſſolutionem, & ſui ipſius ex morte in vitam revocationem intellexit. Non ergo proprietas vocum hic ſpectanda eſt, ſed ea, quam Chriſtus intendebat, ſententia.

Templum corporis. Per genitivum ſpeciei vel differentiæ dicitur, pro templo, quod eſt corpus. Jure autem Chriſtus corpus ſuum templo comparat, & templum vocat, quia in illo Deus habitabat per Spiritum ſuum Sanctum, quam eandem ob cauſam, & corpus noſtrum Dei templum eſt, quia templum eſt Spiritus Sancti 1.Cor.vi.19. Vero ſimile eſt, Chriſtum per eundem Spiritum ſuſcitatum fuiſſe a Deo, qui antea in ipſo operabatur, per quem & Chriſtus alios ex mortuis ſuſcitabat. Manſit enim iſte Spiritus etiam poſt mortem Chriſti, Spiritui ejus naturali haud dubie conjunctus. Ideo dicitur, *mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu.* 1 Pet. iij.18. Habuit enim in ſe Chriſtus & principium mortis carnem, & principium vitæ Spiritum Sanctum. Per eundem Spiritum

tum & nos excitabimur Rom. viij. 11; ſed hunc ſpiritum nemo in tanta habuit copia, in quanta Chriſtus. Ideo & Prophetæ & Apoſtoli fide fortiſſima & prece intentiſſima mortuos excitabant, & ſimilia patrabant ingentis virtutis prodigia. In eorum enim gratiam & ad eorum fidem ac verba Deus & Chriſtus illa patrabat per virtutem ſpiritus ſui.

Verſ. 22. *Cum igitur excitatus eſſet ex mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quod hoc dixit eis.* Ita diſcipulos ipſos auctores habemus, Chriſtum corporis ſui templum erexiſſe, cum à Deo ſuſcitatus eſſet ex mortuis.

Et crediderunt Scripturæ. Nempe prædicenti Chriſtum à mortuis excitatum iri. Prædicit autem hoc Scriptura in exemplo Jonæ & Davidis, & Pſalmo xvj. Eſa. liij. & alibi. Crediderunt ſecundum myſticum & genuinum Scripturæ ſenſum, quem intellexerunt, reſurrectione Chriſti conſpecta, quæ oculos iis aperuit. Significat, illos antea non potuiſſe ſcripturæ credere, nempe diſtincte, ſecundum ſenſum myſticum, cum eam nondum intelligerent.

Et ſermoni, quem dixit Jeſus. Nam antea non intellexerunt ſermonem hunc Jeſu, de ſolutione templi, & ejus in tribus diebus erectione; ideoque nec poterant diſtincte credere, quod non intelligebant, & ſermo proprie acceptus iis videri poterat abſurdus. Ad fidem diſtinctam opus eſt, ut intelligas, quid credas. Proinde fruſtra ſunt, qui diſtincta fide credere jubent, quod nemo intelligat, ſeu non aliter intelligat & intelligere queat, quam tanquam abſurdum & contradictorium. Τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν, pro ὃν εἶπεν, per enallagen caſus propter antecedentem dativum.

Verſ. 23. *Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in feſto, multi crediderunt in nomen ejus.* Id eſt, in eum, Hebræa phraſi, cap. iij. 18. xvij. 6. 26. crediderunt tanquam in Dei Filium, quem ſe dicebat eſſe, & in liberatorem ac ſervatorem ſibi miſſum à Deo; crediderunt, tanquam in Meſſiam illum.

Videntes ejus ſigna, quæ faciebat. Ex quibus merito colligebant eum eſſe Meſſiam. Chriſtus enim in illo Paſchate plurima, eaque diviniſſima fecerat miracula, quod ex Nicodemi ſermone cap. iij. 2, & ex Galilæorum facto patet cap. iv. 45. Joannes in genere tantum memorare ſolet plurima à Chriſto miracula & ſigna edita fuiſſe, cæterum ipſe hiſtoria ſua, ſpecimina tantum aliquot eorum deſcripſit, de aqua in vinum converſa, de triginta & octo annorum ægroto ſanitati reſtituto, de quinque millibus hominum, quinque panibus paſtis ac ſaturatis, de viſu, ei, qui cæcus erat natus, tributo, de Lazaro ex mortuis ſuſcitato, idque ut miraculorum iſtorum occaſione diviniſſimos quoſdam Chriſti ſermones referret: quæ potiſſimum etiam cauſa Joanni fuiſſe videtur, ut aliorum libris de Chriſti rebus, & ipſe ſuum ſuperadderet.

Verſ. 24. *Ipſe autem Jeſus non credebat ſe ipſum eis.* Quaſi dicat, illi credebant Jeſu; ſed Jeſus non credebat eis, nempe omnibus, non omnibus in ſe credentibus vitam ſuam committebat. Notanda eſt in *credendi* voce elegans ἀντανάκλασις.

Propterea quod cognoſceret omnes. Proinde & eos, qui non ita crediderant in ſe, ut eis fidere deberet, & ut non eſſent mutabili ac proditorio animo. Multis Chriſti miracula vim quandam faciebant, ut velut inviti crederent in Chriſtum: at nullum violentum ſtabile ac diuturnum, cito redit ad ingenium, cujus animo improbitas inſedit.

Verſ. 25. *Et quia non opus habebat.* Nempe ad cognoſcendum hominem, quis eſſet & qualis eſſet, an probus, an improbus?

Ut aliquis teſtaretur de homine. Quaſi dicat, quare alii homines habent opus.

Ipſe enim cognoſcebat, nempe ſpiritu divino, quo à Deo unctus erat Marc. 2. 8. Act. x. 38.

Quid eſſet in homine. Quaſi dicat, non tantum, quæ eſſent ejus facta, qui mores, quæ vitæ converſatio, ſed etiam, quæ hominis mens & cogitatio in pectoris penetralibus abdita, quod ita Deo proprium eſt, ut id per ſpiritum ſuum communicare poſſit, cui velit.

CAPUT. III.

Verſ. 1. E*Rat autem homo ex Phariſæis.* Unus nimirum ex illis, qui crediderunt in Jeſum ob miracula. Confer cap. 2. 23.

Nicodemus nomen ei princeps Judæorum. Id eſt, unus ex principibus ſeu ſenioribus Judæorum,

Verſ. 2. *Hic venit ad Jeſum nocte.* Ut ſcilicet vitaret invidiam, & ſimul tamen coram Jeſu aperiret animum ſuum. Hujus aſſeclæ ſeu Nicodemitæ non ſunt, qui nemini fidem ſuam aperiunt; ſed illi Nicodemitæ ſunt, qui coram mundo fidem ſuam celant, cæterum coram veritatis profeſſoribus fidem ſuam confitentur. Qui homines magis conſulunt & proſunt, cum poſſunt, veritatis profeſſoribus, quam ſuæ ſaluti. Corde enim credimus ad juſtitiam, ore confitemur ad ſalutem Rom. x. 10. Talem ſe geſſit & Nicodemus iſte cap. vij. verſ. 50. & Joſephus ille Arimathenſis, occultus Chriſti diſcipulus, propter metum Judæorum. cap. xix. 30, 38, 39. Quod Nicodemus ad Chriſtum venerit, & Phariſæus & princeps Judæorum, apparet inde, quanta ſit vis veritatis: quod vero noctu venerit, non palam, non interdiu, id arguit, quantum in via ſalutis impedimentum ſit dignitas, eruditio, & nominis claritas, & huc ſine dubio etiam reſpexit Chriſtus, dum ei tradens viam ſalutis, monet, oportere omnino eum renaſci & alium hominem fieri, ſeu, ut alibi ait, abnegare ſemetipſum, opes, honores, & vanam in mundo gloriam, quam tantopere Phariſæi aucupabantur, ſpernere, & paratum eſſe, egeſtatem, infamiam, exilium, crucem denique ſubire.

Magiſter, ſcimus. Quaſi dicat, non ego tantum, ſed & alii multi mecum ex principibus, vide xij. 42.

Quod à Deo veniſti, nempe miſſus *Magiſter*. Non veniſti à te ipſo, quod pſeudodidaſcali aut pſeudoprophetæ faciunt.

Nemo enim hæc ſigna poteſt facere, quæ tu facis, niſi ſit Deus cum ipſo. Dixit: *ſcimus*, nunc cauſam exponit; ſcire enim, eſt rem per cauſam cognoſcere, quaſi dicat, ex ſignis, quæ facis, patet, Deum eſſe tecum, id eſt, virtutem tibi ſigna iſta faciendi communicare; cum talia ſint, ut nulla alia, niſi Dei virtute queant perfici: at tecum non eſſet Deus, niſi ab eo miſſus

eſſes & veniſſes doctor. Hoc ex ſignis Jeſu recte colligitur, conf. Act. x. 38, non autem Jeſum eſſe ipſum unum illum Deum. Solent quidem & pſeudoprophetæ ac falſi doctores, efficacia Satanæ, miracula facere, cum Satanæ vis humanas & naturæ vires exſuperet: ſed Satanæ miracula nunquam adſurgunt ad majeſtatem miraculorum Chriſti, qui vere in forma Dei erat, & inſtar Dei, ſolo juſſu ac nutu vel contactu omnia agens ferenſque, & quæ volebat, perficiens Phil. 2. 6, 7. Heb. 1. 3. Ut falſi Prophetæ futura prædicant, & dæmonia ejiciant in Dei vel Chriſti nomine, falſum puto, neque enim illis Deus & Chriſtus nomen ſuum ad fraudes & ſeductiones commodaret, neque etiam illud obtendi & præferri ab iis pateretur, ut in filiis illis Scevæ Act. xix. 14, 15 apparet, etſi ſeductores, ut arbitor, non agerent, ſed tantum exorciſtas. Sed quæcunque tandem fiant miracula, ſi à veritate in ſcripturis tradita abducant, ſi contrarium aliquid ſcripturæ, aut tanquam ad ſalutem neceſſarium, præter id quod ſcriptura tradidit, doceant, curanda non ſunt. Quo pertinet illud Apoſtoli monitum Gal. 1. 8: *Si etiam nos aut Angelus ex cælo annunciet vobis præter id quod annunciavimus vobis, anathema ſit &c.* Nam quod Chriſtus per Euangelium ſuum quædam in lege Moſaica antiquaverit, ritus puta & ceremonias legales, hoc ob legis illius imperfectiones evenit, quas omnes cedere neceſſe fuit, adveniente Chriſti Spiritu, ſicut umbræ cedunt adveniente ipſo corpore. Et cum metallum ad purum reducitur aurum, ſcorias omnes abire neceſſe eſt. At umbræ & imperfectiones, & ſcoriæ in Chriſti Euangelio ſemel tradito, & ſcripturis comprehenſo, nullæ omnino ſunt. Nihil iſtic reperies, niſi meram perfectionem, meram lucem, purum putum aurum.

Verſ. 3. *Reſpondit Jeſus & dixit ei: amen, amen,* id eſt, vere, vere, *dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Sine ambagibus docet ea quæ ad ſalutem pertinent, quaſi dicat, quandoquidem ſcis, me à Deo eſſe miſſum, & veniſſe doctorem ac magiſtrum, jam ergo te docebo, quid facto ſit opus. Iterum naſcaris, & ſic novus & alius homo fias oportet, ut conſequaris vitam æternam. Notat Phariſæos, nam & cum Phariſæo loquebatur, qui ſanctimoniæ legali confidebant; & oſtendit oportere, ut Nicodemus alius homo fiat, ſi velit videre regnum Dei, id eſt, particeps ejus fieri, per metonymiam effecti, vide verſ. 5. Similem phraſin habes 1 Pet. iij. 10. Non levem aliquam mutationem requirit & deſignat, ſed quæ totum vertat & transformet hominem.

Non poteſt. Nempe ob Dei decretum & conſtitutionem æquiſſimam, qua vult, ut non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ſibi communicatum ambulent, qui regnum ejus adire velint.

Verſ. 4. *Dicit ad eum Nicodemus: quomodo poteſt homo naſci, cum ſenex ſit? Num poteſt in uterum matris ſuæ ſecundo ingredi & naſci.* Carnali ſenſu Chriſti ſermonem intellexit, de ſpirituali ſenſu non cogitans. Forte & ſenex erat, cum ſenem diſtincte nominet.

Verſ. 5. *Reſpondit Jeſus, amen, amen, dico tibi, niſi quis naſcatur ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei.* Oſtendit, ſe ſpirituali, non carnali ſenſu loqui.

Ex aqua & ſpiritu. Non dicit ex aqua & ex ſpiritu, tanquam ex duabus rebus diverſis, ſed ex aqua & ſpiritu, voce ſpiritus, cui nec articulum adjecit, per exegeſin addita, id eſt, ex aqua quæ ſpiritus eſt, ſpiritus ille adoptionis, quem Chriſtus effundit in ſuos diſcipulos. Ideo mox verſ. 6, 8 ſolius ſpiritus meminit. Solet enim ſpiritus aquæ comparari, qui ideo & effundi dicitur. Confer Tit. iii. 5, 6, 7, qui locus iſtius egregiam continet interpretationem. Idipſum enim docet Apoſtolus, quod hic Chriſtus, nempe nos à Deo ſervatos, & ſic in regnum ſuum eſſe aſſertos, *per lavacrum*, quo ſane aqua continetur. Quale autem hoc lavacrum ſit, per genitivos differentiæ ſeu ſpeciei, ut vocant, exponit, cum addit; *Regenerationis & renovationis*, id eſt, per lavacrum, quod eſt regeneratio & renovatio. Quia vero tale lavacrum ſpirituale eſt, ideo iſtius lavacri aquam exprimens addit, *Spiritus Sancti*; unde autem hæc aqua profluxit? *quem* inquit, *effudit* (quod aquæ convenit) Deus nimirum, *in nos*, videlicet credentes in Chriſtum, *abunde per Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum, ut juſtificati illius gratia*, dum nimirum nobis fidem imputat ad juſtitiam, *hæredes fiamus ſecundum ſpem*, quæ ſcilicet ex regeneratione ac renovatione, id eſt, vitiorum priſtinorum, de quibus egerat verſ. 3, expurgatione (lavacro enim ſordes purgantur) conſequitur, *vita æterna.* Nimirum juſtificationem nobis primum confert fides; lavacrum autem iſtud confert nobis ſpem primum, deinde & hæreditatem ipſam vitæ æternæ, vide & ejuſdem Epiſtolæ cap. 2. 11, 12, 13. Hujus autem ſpiritualis lavacri ſignum ac ſacramentum eſt baptiſmus in aqua, per quem nos ad vitiorum expurgationem obſtringimur, eamque profitemur, & promittimus, ac repræſentatione quadam conteſtamur. Unde baptiſmus in aqua nos ſervat; non ſervat nos depoſitio ſordium carnis quæ fiat in baptiſmo, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, quam acquirimus, & ad quam nos obſtringimus per baptiſmum 1 Pet. iii. 21. Ex ſpiritu porro natum eſſe, eſt ſpiritum factum eſſe, ut verſ. 6 dicitur ab ipſo Chriſto. Proinde ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem ambulare, ut Apoſtolus loquitur Rom. viij. 1. Renati ex ſpiritu habent quidem carnem, ſed mortificatam Rom. viij. 10, quo reſpectu nec in carne dicuntur eſſe, ſed in ſpiritu verſ. 9, ideo nec ſecundem carnem ambulant verſ. 1, 4. Verbum γεννηθῆναι, hoc loco naſci potius, quam generari vertendum eſſe patet ex verſ. 4. Porro, quod antea dixit Chriſtus; *non poteſt videre regnum Dei* nunc eandem rem repetens dicit; *non poteſt ingredi in regnum Dei.*

Verſ. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Cauſam adfert, cur oporteat naſci ex ſpiritu, ſi quis velit ingredi in regnum Dei, & Nicodemum fruſtra de carnali nativitate cogitare ſignificat. Quaſi dicat, caro eſt corruptioni obnoxia, nec regni Dei capax 1 Cor. xv. 50. Omnis enim caro eſt ſicut gramen, & omnis gloria carnis ſicut flos graminis. Exaruit gramen, & flos ejus cecidit 1 Pet. 1. 24. & quod ex carne natum eſt, caro & ipſum eſt, & niſi carnem mortificet, carnale eſt, & ad regnum Dei adſpirare non poteſt Rom. viij. 5, 6, 7. Gal. v. 16, 17, 18, 19, 20, 21.

Et

Digitized by Google

Et quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt: carnem enim mortificavit Rom. viij. 9, 10. Proinde regni Dei capax eſt. Idipſum etiam ex Dei verbo natum eſt, quod manet in æternum 1 Pet. 1, 23, 25.

Verſ. 7. *Ne mireris.* Quaſi dicat, ne mireris igitur, *quod dixi tibi oportet vos naſci denuo.* Quaſi dicat, oportet enim vos fieri ſpiritus. Nam & vos Phariſæi (in unius Phariſæi perſona omnes alloquitur) non ſpiritus eſtis, ſed caro. Proinde nec ad ingreſſum in regnum Dei idonei. Ita & Paulus ante converſionem, Phariſæum agens, etiamſi ſecundum juſtitiam legalem eſſet inculpatus, Philip. iij. 6. tamen, quia carnem non mortificaverat, carnalis fuit Epheſ. ij. 3. Fuit natura Judæus, Gal. 11. 15. & tamen peccator verſ. 17. & natura filius iræ, ob vitia & converſationem carnalem Tit. iij. 3, 4. ideo, ut ſupra vidimus, verſ. 5. ibidem dicit ſe ſecundum Dei miſericordiam per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti per Chriſtum effuſi, ſervatum eſſe. Hinc & Chriſtus ſuis dixit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non ingrediemini in regnum cælorum* Matth. v. 20.

Verſ. 8. *Spiritus, quo vult, flat.* Similitudine declarat, hominem ſpiritum factum, & conſequenter ſpiritualem. Ventum nemo poteſt impedire, quo vult, convertit ſe.

Et vocem ejus audis, id eſt, ſibilum.

Sed neſcis, unde venit, & quo vadit. Nemo ſcit, unde primum prorumpat ventus, nec ubi terminetur ac deſinat? Ideo & ſcriptura ait; quod Deus educat ventum ex theſauris ſuis Jerm. lj. 16. Jobi autem xxxvij. 8. dicitur, eum erumpere ex locis abditis.

Sic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Id eſt, ſic ſe habet, ſic comparatus eſt. Homo ſpiritualis omnia, quæ vult, bona facit, non enim impeditur à carne, quam mortificavit; non eſt ſimilis illi, ſine lege primum viventi, deinde ſub lege poſito & ſpiritum, qui carnem mortificet, non habenti homini, (quem Paulus per mimeſin repræſentat Rom. vij. 9. & ſequentibus) *qui, non quod vult, facit bonum, ſed quod non vult, malum, hoc facit* verſ. 19. Homo item ſpiritualis loquitur res diviniſſimas & Dei magnalia Act. 2. 11. Sed nemo carnalium ſcit, unde exoriatur homo ſpiritualis, nec ſcit, quem ſcopum & finem petat. Notetur hic locus, in quo ſpiritui, id eſt, vento ea tribuuntur, quæ perſonarum ſunt; ne protinus ex ejuſmodi loquendi modis perſonas inferamus. Vide 1 Cor. xij. 11.

Verſ. 9. *Reſpondit Nicodemus & dixit ei; quomodo poſſunt hæc fieri?* Fatetur, ſe hæc non intelligere, proinde nec ita credere, ut ſciret diſtincte, quod crederet. Nam, quæ non intelligimus, diſtincte credere non poſſumus; quod etiam patet ex verſ. 12, ubi Chriſtus Nicodemo objicit, quod non credat.

Verſ. 10. *Reſpondit Jeſus & dixit ei: Tu es magiſter Iſraëlis, & hæc neſcis?* Quaſi dicat, atqui tu Magiſter & Doctor Iſraëlitarum, qui populus Dei ſunt peculiaris, adde etiam ſenex, verſ. 4, debebas ſcire, quæ Iſraëlitarum quilibet ſcire deberet, quid nimirum ſit ex ſpiritu naſci, & ex ſpiritu natum eſſe; cum id aliquando futurum ſcriptura prædicat, qua de re vide cap. vij. 38.

Verſ. 11. *Amen, amen, dico tibi: quod ſcimus loquimur.* Quaſi dicat, quamvis tu id neſcias.

Et quod vidimus. Quaſi dicat, quod adhuc plus eſt, quam ſcire; nempe apud Patrem in cælis.

Teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Quaſi dicat, quamvis oculati teſtis, & cui tot ſigna divina fidem faciunt. Pluralem de ſe numerum uſurpat, per communicationis figuram, modeſtiore ſenſu.

Verſ. 12. *Si terrena locutus ſum vobis, & non creditis.* Dixerat enim Nicodemus ſupra verſ. 9. quomodo poſſunt hæc fieri?

Quomodo, ſi dicam vobis cæleſtia, credetis? Terrena dicit, quæ de regeneratione per Spiritum Sanctum locutus eſt, quia regeneratio in terra fit. Ἐπίγεια ſunt, quæ in terra fiunt, & in terra locum habent: cæleſtia erant, ſeſſio Filii hominis à dextris Dei in cæleſtibus, ſeu regnum ejus cæleſte, adventus ejus è cælis ad judicandos vivos & mortuos, quæ ideo difficilia ſunt intellectu & creditu, quia ſunt ἐπουράνια, id eſt, cæleſtia. Expertus eſt ipſe Chriſtus, eos cæleſtibus, ut hic argumentatur, non credituros, cum enim illa loqueretur, protinus à ſummo Sacerdote, & toto Synedrio damnatus eſt blaſphemiæ Matth. xxvj. 64, 65, 66. Poſt reſurrectionem & aſcenſionem ſuam & effuſionem Spiritus Sancti locutus eſt cæleſtia per Apoſtolos, qui nec ipſi antea portare, & capere poterant omnia, Joan. xvj. 12, 13.

Verſ. 13. *Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui ex cælo deſcendit, Filius hominis, qui erat* (vel eſt) *in cælo.* Addit hæc Chriſtus, ne quis ſibi Moſen, qui cum Deo fuerit locutus, & alios Prophetas objiciat, quaſi ipſe non magis cæleſtia loqui poſſet, quam illi locuti ſunt; docens, magnum inter ſe & alios prophetas omnes hac in parte diſcrimen eſſe; quia nimirum nemo in cælum aſcenderit, & ex cælo deſcenderit, ſicut Filius hominis. *Nemo aſcendit*, ἀναβέβηκεν in præterito. Loquitur enim non de aſcenſu ſuo futuro, ſed de aſcenſu præterito, ut ſcilicet in cælo cæleſtia edoctus, ea deinde è cælo remeans loqueretur & doceret in terris. Hoc docet hic de ſe Chriſtus, quod Joannes de ipſo docuit cap. 1. 18. Atqui, inquies, aſcendit Enoch & Elias, qui tamen non deſcenderunt. Intellige ergo; Nemo hominum, qui in terris verſentur, nam nec Moſes, qui verſabatur olim in terris, è cælo deſcenderat, proinde nec eo aſcenderat. Ex deſcenſu enim hominis è cælo, probat ejuſdem aſcenſum in cælum. Homo enim in terris natus, è cælis deſcendere nequit, niſi prius eo aſcendat.

Filius hominis. Docet, quis iſte homo ſit, qui ex cælo deſcenderit, & proinde in cælum aſcenderit; ſe deſignans, ut ſolet, Filii hominis, cum articulo emphatico, nomine. Libenter Chriſtus de ſe, pro modeſtia, in tertia perſona, quaſi de alio, loquitur; præſertim, cum de ſua dignitate ac divinitate agit.

Qui erat in cælo, quippe quia eo, ut dixit, aſcenderat. Idem de eodem Filio hominis, id eſt, de ſe, dicit infra cap. vj. 62. vel, *qui eſt in cælo* utrumque enim ſignificat participium ὤν, & *qui erat, & qui eſt*, per temporis conſvetam, præſertim hac in re, enallagen, pro, qui brevi in cælum iterum aſcenſurus, & ibi habitaturus eſt. Quaſi dicat: ut inde cognoſcatis, vera fuiſſe, quæ vobis de ſuo in cælum aſcenſu & deſcenſu dixerat. Eodem enim argumento, eadem in re, loco

dicto cap. vj. 62 utitur. Ita ex deſcenſu de cælo probat hoc loco ſe aſcendiſſe in cælum & rurſum ſe deſcendiſſe è cælo, probat ex futuro ſuo in cælum aſcenſu & in cælo habitatione. Huic enallage præſentis pro fururo favent ſequentia, in quibus docet, quid prius fieri oporteat, antequam Filius iſte hominis in cælo ſit & habitet. Utitur autem Chriſtus hac enallage ſere ſemper, cum de ſuo futuro in cælum aſcenſu, & in cælo habitatione loquitur. Vide inter alia cap. vij. 34, 36. xij. 26. xiv. 3. xvij. 24. xx. 17. Negat, ſe amplius in mundo eſſe cap. xvj. 4. ait enim; *hæc vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram*, & xvij. 11, 12. &c. Cæterum verba Chriſti clariſſima ſunt, Filium hominis. (ante ſuam nimirum prædicationem) aſcendiſſe in cælum & è cælo deſcendiſſe, & res ipſa loquitur, nullum hominem poſſe prius è cælo deſcendere, quam in cælum aſcenderit. Qui hic ad metaphoras & improprias locutiones confugiunt, ſine ulla neceſſitate id faciunt; cum non tantum abſurdum non ſit, ut Filius hominis, id eſt, Chriſtus ille Dei & Filius ejus unigenitus, ante ſuam prædicationem, ad Patrem in cælum aſcenderit, & rurſus à Patre è cælo deſcenderit ad homines; ſed etiam maxime conveniat. Aſcendit Apoſtolus Chriſti in cælum ad gentes mittendus; cur non aſcenderit Chriſtus Apoſtolorum Magiſter & Dominus? Aſcendit ſervus, cur non aſcenderit Dei Filius unicus? Quid magis decuit, quam ut is, qui Dei ſermo κατ' ἐξοχὴν futurus eſſet, non per ſolam Spiritus Sancti vim, Dei arcana cognoſceret, ſed etiam apud Deum eſſet, & Deum videret? aſcenderat Moſes, Chriſti typus, in typo, qui erat mons ille Sinai excelſus; cur non aſcenderit Moſis antitypus, Chriſtus, in antitypo, id eſt, in veritate, in ipſum cælum? Aſcendit Enoch & Elias, cur non aſcenderit Chriſtus? & illi quidem, ut deſcenderent, nihil erat opus, at, ut Chriſtus deſcenderet, opus erat. Neque facile metaphoras & improprias locutiones expediverint, qui eas hoc in loco quærunt, præſertim, quia Chriſtus alibi, ut vidimus dicit: *Si igitur videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius* Joan. vj. 62. Certe non per metaphoram, ſeu animo tantum erat, (nam etiam tum, cum hæc diceret, animo in cælis erat) ſed proprie. Nec per metaphoram, ſed proprie illuc erat aſcenſurus. Cur igitur, ſi proprie in cælo erat Filius hominis, ante hunc, quem futurum eſſe dicit aſcenſum; & in cælum etiam ante hunc eundem aſcenſum dicatur aſcendiſſe; non proprie eum aſcendiſſe putemus? Neqne enim alius modus dari poterat, ut Filius hominis proprie loquendo in cælo eſſet, quam ut proprie loquendo, in cælum aſcenderet. Scimus quidem, aliquem in cælum aſcendiſſe, in cælo eſſe, de cælo deſcendiſſe dici poſſe, propter animum ad cæleſtia evectum, in cæleſtibus totum hærentem & occupatum, & cæleſtia deferentem ad homines: ſed nulla cauſa eſt, ut in Chriſto à proprio & opulento ſenſu recedamus ad metaphoricum, præſertim cum alibi Chriſtus dicat, ſe Patrem vidiſſe, ſe à Patre exiviſſe, & veniſſe in mundum, rurſum relinquere mundum, & ire ad Patrem. Non ibat autem animo tantum ac mente, ſeu per metaphoram, ſed vere ac proprie. Cur ergo non etiam eodem modo credatur à Patre exiviſſe & in mundum veniſſe: Oppoſitio enim ut apta ſit, iiſdem in terminis verſari debet. Qui hic duas in Chriſto naturas nobis exhibent, aliunde prius eas demonſtrare debent. Nam & totum hoc de Filio dicitur hominis, & in Filium hominis omnia quadrant optime. At aliquem ſimul eſſe & Deum illum unum, & hominem, res talis eſt, quæ ut credatur, apertum requirit ſcripturæ teſtimonium. Nam ex hoc ſolo ac per ſe, quod Filius hominis, qui Chriſtus eſt, aſcenderit in cælum, & deſcenderit de cælo, & eſſet in cælo, quis talem hauriat ſententiam, ut Filii hominis, qui Chriſtus eſt nomine, putet Deum illum unum ſimul deſignari; & quia Deus ille unus de cælo deſcenderit, putet, Filium hominis de cælo deſcendiſſe; quia etiam Filius hominis in cælum aſcenderit, putet Filium hominis, unum illum Deum eſſe factum; quia denique Filius hominis eſſet in cælo, putet, Filium hominis unum illum Deum eſſe? immo vero, ſi hæc eſſent vera, haud dubie etiam eſſent dicta. Nam, ut hoc modo dicerentur, nulla ratio permittit, ac ne ipſorum quidem ſententia, qui Deum illum unum neque deſcendere de cælo, neque aſcendere in cælum proprie loquendo poſſe ſtatuunt, quippe quem ubique ſuam ſubſtantiam eſſe credunt, tantum abeſt, ut hinc evinci & colligi queant, multo vero minus debeant. Et ſi Filius hominis de cælo deſcendiſſe dici poteſt, quia Deus ille unus deſcenderit, & in cælo ſimul ac in terra eſſe, quia Deus ille unus in cælo & in terra & ubique ſimul ſit, propterea quod Deus ille unus Filius hominis ſit factus, ſeu Deus & Filius hominis perſona ſit una (quam loquendi rationem iſti, qui talia dicunt, communicationem idiomatum appellant) profecto nulla unquam contradictio erit, quæ hoc modo conciliari nequeat. Hoc non eſt contradictiones tollere, ſed aliis verbis repetere, & in circulum redire. Vide hac de re plura cap. j. 1, 2, 18, 52.

Verſ. 14. *Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet Filium hominis.* Myſterium mortis ſuæ Nicodemo aperit, quod ille tamen haud dubie tum non perſpexit; perſpecturus poſtmodum ex rerum eventibus, & divinitatem Chriſti tanto magis agniturus & admiraturus, quaſi dicat, quamvis Filius hominis in cælum aſcenderit, & de cælo deſcenderit, & ita venerit à Deo Doctor & Magiſter, & in cælo habitaturus ſit, tamen oportet eum prius exaltari in ligno à Judæis, id eſt, crucifigi, ſicut ſerpens ille æneus in ligno exaltatus fuit à Moſe. Præoccupat nimirum Chriſtus ſcandalum ex morte ſua. Ideo nec ſimpliciter de morte ſua loquitur, ſed typum ejus adfert egregium, ut tanto facilius fidem inveniat, & dubitationem de ſua dignitate tollat, ob mortem tam ignominioſam.

Verſ. 15. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Finem oſtendit mortis ſuæ. Quaſi dicat, ut & omnis in eum credat, & qui credat, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Utrumque enim ex morte Chriſti conſequitur, quatenus per eam factus eſt victima pro peccatis omnium. Hinc enim fit, ut & omnes ad eum per fidem confugiant, & qui confugiunt, non pereant propter peccata ſua, quippe ſanguine Chriſti expiata; ſed habeant vitam æternam. Porro, ut omnis, qui adſpiceret in ſerpentem (qui etiam ideo in ſublimi ſuſpenſus fuit, ut cui-

vis pa-

y Google

vis pateret in eum aſpectus) non periret, ſed haberet vitam temporariam, ſola faciebat Dei voluntas; at ut omnis, qui in Chriſtum credat, non pereat, ſed habeat vitam æternam, non ſola facit Dei voluntas, ſed etiam in Chriſti morte per ſe magna continetur efficacia. Nam & Deus per eam validiſſime ſeſe obſtrinxit, & Chriſtus Deum, ad peccata omnibus in Chriſtum credentibus remittenda, vitamque æternum dandam, ſicut & tam Deus, quam Chriſtus omnes homines ſibi obligavit ad obedientiam, qua de re vide plura cap. 1. 29. Dum vero credentibus in Filium hominis vitam æternam pollicetur, aperte ſignificat eum reſuſcitatum iri ex morte, & omnem in cælo & terra poteſtatem adepturum eſſe. Neque enim in eum tanquam in æternæ vitæ datorem credi poſſet, niſi viveret, & omnem in cælo ac in terra poteſtatem haberet.

Verſ. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Poterat aliquis mirari, Filium hunc hominis, id eſt, Meſſiam exaltari debere in ligno, ſeu crucifigi, & cogitare, quomodo fieri poteſt, ut Meſſias Dei Filius unigenitus in lignum exaltetur & crucifigatur? Poteſt, inquit, Chriſtus, hoc fieri, & omnino fiet;

Sic enim Deus dilexit mundum. Id eſt, omnes homines, per metonymiam continentis. Ergo non certos tantum quoſdam homines peculiariter ad id ab æterno prædeſtinatos omnibus aliis infinite pluribus ab hac dilectione excluſis. Quis vero Deus? Trinus? at hic Filium non habet; ſed ipſe etiam Filius eſt. Ergo ſolus Pater. Solus ergo Pater etiam, unus ille Deus eſt & fons ac primus auctor noſtræ ſalutis.

Ut Filium ſuum unigenitum daret, &c. Immenſa Dei erga homines dilectio id faciet. Jam vero, ſi dilexit, idque adeo, certe tum non iraſcebatur, ſi dedit, certe jus ſuum in debitis exigendis non perſecutus eſt. Dedit autem non aurum & argentum, ſed Filium ſuum unigenitum, id eſt, Chriſtum illum ſuum, qui Filius Dei unigenitus dicitur, quia ſumme charus & dilectus eſt Deo, (vide cap. 1. 14.) & ſolus abſolute & ſubjective, & κατ' ἐξοχὴν Dei Filius dici meretur & dicitur. Dedit, quatenus permiſit, ut ab inimicis raperetur & in crucem ageretur & occideretur. Dedit, quia dare decrevit, & daturus erat, per temporis enallagen.

Ut omnis. Repetit eundem finem mortis Chriſti, qui tantus, tamque ſalutaris eſt omnibus, ut ſatis memorari & inculcari nunquam poſſit, *ut omnis*, quiſquis ſit hominum, ſive Judæus, ſive Græcus.

Qui credit in eum, quamvis maximus peccator ante fidem eſſet, & poſt fidem ac in fide omni culpa non vacet, dummodo totus in eo ſit, ne unquam peccet, & ut non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulet, qui fidei in Chriſtum fructus eſt.

Non pereat, ut peccatis ſuis meritus eſt.

Sed habeat vitam æternam. Fide illi imputata ad juſtitiam. Validiſſime enim conſequitur ex Chriſti morte, ut omnis, qui in eum credat, non pereat, ſed habeat vitam æternam, quia Chriſtus pro peccatis omnium eſt crucifixus. Nam & ſerpens ille in deſerto pro peccatis populi ſuſpenſus erat in ligno. Qui fieri ergo poteſt, ut ullus peccator ad Chriſtum confugiens & in ipſum credens pro peccatis ſuis patiatur, cum pro iis Chriſtus Dei Filius jam paſſus ſit? idque ex Dei voluntate. Qui fieri etiam poteſt, ut vitam æternam non conſequatur? cum multo pluris apud Deum ſit dare Filium proprium in mortem pro peccatoribus, quam peccatores in ſanguine Filii ſui juſtificatos, ſervare per eundem Filium ſuum viventem, ab ira; & inimicos reconciliare ſibi per mortem Filii ſui, quam reconciliatos ſervare per vitam Filii ſui? Rom. v. 8, 9, 10. Et ſi Deus proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus eum tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis largietur? Rom. viij. 32. Si dicas, Deum etiam ſine morte Filii ſui ſervare nos potuiſſe. Potuit ſane; quid enim Deus non poſſit? Marc. xiv. 36. Sed præter alia maxima bona, quibus nos per mortem Filii ſui affecit, dum eum pro peccatis noſtris victimam eſſe vult, obligare ſeſe hoc certiſſimo pignore voluit ad dandam omnibus in Filium ſuum credentibus peccatorum omnium remiſſionem & vitam æternam, noſque de ea plane certos reddere. Neque enim Chriſtus in ſolutionem debitorum noſtrorum mortuus eſt, ſed in eorum remiſſionem. Ideo & conditio credendi in Chriſtum, & per Chriſtum in Deum, ab omnibus requiritur: in qua fide, pœnitentia & mandatorum Chriſti obſervatio continetur. Vide cap. 1. 12. at ubi debitum jam ſolutum eſt creditori, nulli conditioni relictus eſt locus. Porro quem modo Filium hominis dixit, nunc Dei dicit Filium unigenitum. De utroque hoc titulo vide cap. 1. 24, 51. Hinc apparet, unam & eandem eſſe perſonam, Filium Dei unigenitum, & Filium hunc hominis. Nimirum quia hæc perſona homo erat, non Deus ille unus; alioquin enim nec dari, nec rapi, nec occidi poterat, nec una perſona ſimul eſſe poteſt homo & non homo, Deus ille unus, & non Deus ille unus: ſimul autem & Dei Filius unigenitus erat, quia ex Spiritu Sancto & virtute altiſſimi concepta & ex virgine genita erat, & Chriſtus ille Dei erat, cui titulus Filii Dei unigeniti recte competit. Hinc & in ſymbolo Apoſtolico Filius Dei unigenitus non aliter deſcribitur, quam quod conceptus ſit ex Spiritu Sancto, & natus ex Virgine Maria, quodque ſit ex mortuis reſuſcitatus, à dextris Dei collocatus, & Judex vivorum ac mortuorum à Deo conſtitutis.

Verſ. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſervetur mundus per eum.* Rationem reddit ſuperiorum per prolepſin. Quaſi dicat. Nam, ſi quis putat, Deum miſiſſe Filium ſuum, id eſt, Chriſtum ſuum, ad judicandum & perdendum mundum, fallitur. Non enim eo fine Deus Filium ſuum miſit in *mundum*, id eſt, ad homines.

Ut judicet, id eſt, puniat ac perdat *mundum* per metonymiam cauſæ.

Sed ut ſervetur mundus per eum. Ab interitu, nimirum ſempiterno, & aſſeratur in vitam æternam. Hic proprie finis eſt adventus Filii Dei in mundum. Loquitur de primo adventu. Veniet enim ultimo die ad judicium ſimul & ad ſalutem, & impios judicabit, & pios ſervabit. Ita propria ſua culpa mundus perit, quia non credit in Dei Filium, nimirum ita, ut par eſt, & ut credi in ſe Filius Dei vult. Hanc fidem, ſi amplecteretur, ſervari poterat.

Verſ. 18. *Qui credit in eum, non judicatur.* Id eſt, non judicabitur, per enallagen temporis præſentis pro futuro,

Qui vero non credit, jam judicatus eſt. Id eſt, certo judicabitur: itidem per enallagen Hebraicam præteriti pro futuro. Reddit enim cauſam ſuperioris dicti.

Quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei. Cauſam adfert, cur mundus ſit judicandus. De vita æterna ſolet Chriſtus in præſenti tempore loqui, ſic & de pœna. Magna eſt hæc contumacia hominum, quod non crediderint in unigenitum Dei Filium. Nomen enim hic ponitur pro re, Hebræa phraſi Unigenitus Dei Filius, ſeu unicus Dei Filius, (nam vox υἱῷ in Græco, voci μονογενοῦς additur, quod vox μονογενὴς communis ſit generis) appellatur Chriſtus, quia, ut præmonuimus, etſi homo eſt, ſolus tamen dignus eſt, ut κατ' ἐξοχὴν ſeu ſubjective & abſolute ac per antonomaſiam Dei Filius vocetur.

Verſ. 19. *Hoc autem eſt judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Poterat aliquis dicere: annon majus eſt crimen, quod mundus, ſeu homines, non crediderint in nomen Dei; & tamen ita dilexit Deus mundum, ut pro eo Filium daret unigenitum? anne pluris eſt non credere in nomen Filii Dei, quam in nomen ipſius Dei Patris ejus, qui creator eſt omnium? Rationem ergo reddit, cur mundus ſit judicandus ob id, quod in nomen unigeniti Filii Dei non crediderit.

Hoc autem eſt judicium. inquit, pro: hæc autem eſt cauſa judicii ac damnationis mundi. Judicium vocat cauſam judicii per metonymiam effecti. Eandem metonymiam in re contraria habes Cap. XVII. 3, ubi Chriſtus vitam æternam dicit eſſe cognitionem Dei.

Quia venit lux in mundum. Id eſt, lux Euangelii venit ad omnes gentes illuminandas. Opponitur enim tenebris. Hæc lux antea non illuxerat, propterea obtendere aliquid poterant, qui antea in Deum non credebant. At poſtquam Filius Dei venit unigenitus, verus mundi ſol, qui vitam illam æternam & gratiam illam ſalutarem omnibus hominibus annunciavit, qui innumera fere, tum per ſe, tum per ſuos Apoſtolos & diſcipulos miracula fecit, qui pro peccatis omnium in crucem ſe agi paſſus eſt, qui a Deo ſuſcitatus eſt ex mortuis, in cælum aſſumtus, & hæres ac Dominus omnium factus, & judex vivorum ac mortuorum conſtitutus eſt, qui è cœlo vim Spiritus Sancti vicariam immenſa copia in diſcipulos ſuos effudit, & innumeris ſignis ſe revixiſſe ex mortuis, & regem eſſe cœleſtem factum, declaravit, jam non habent homines, quod obtendant, quominus in Dei Filium unigenitum, & per eum in Deum ipſum Patrem ejus credant; ex quo & Filius & omnis ejus majeſtas divina ad hominum ſalutem profecta eſt, & a quo is hunc in finem ad homines ablegatus eſt.

Et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Quaſi dicat, antea mirum non erat, quod homines in tenebris eſſent; ſed nunc exorta tanta luce, nulla ſupereſt excuſatio, quin potius ſumma eſt in eo malitia, quod & Judæi ſuam legem, ſuam priſtinam ignorantiam, ſuas traditiones; & gentes, ſuas tenebras, ſuos errores ac figmenta magis diligant, quam lucem Euangelii. Hoc adeo verum eſt, ut etiamſi tandem mundus ad Chriſti nomen ſeſe converteret, non ante tamen id faceret, quam luci iſti inducerentur variorum errorum tenebræ, quæ ſubinde majorem vim, ipſorum hominum voluntate ac culpa ſumentes, vix aliquam lucis iſtius ſtricturam reliquam facerent? Sane quamdiu Filius hominis, ita pro Dei Filio unigenito prædicatus & creditus eſt, ut ante ſui conceptionem ex Spiritu Sancto & nativitatem ex Maria virgine matre ſua, non cogitaretur extitiſſe, & Deus, præſertim ille unus, fuiſſe, ſemper mundum adverſantem habuit, qui hominis, ejuſque in crucem acti, cultor eſſe nolebat. Tunc demum mundus æquiorem ſe præbuit, poſtquam doceri & credi cœptum eſt, Deum, carnem & naturam humanam induiſſe. Quam ſpreti & faſtiditi Filii hominis culpam, ſicut major indies conſequebatur caligo, ſic etiam major mundi ad Chriſti nomen acceſſio: donec tandem ita res verſa ſit, ut mundus Chriſtum profeſſus, ſub Chriſti nomine, Chriſtum, & quæ ſecundum pietatem eſt doctrinam, ſeu puram illam, ſicut primitus per Apoſtolos tradita, veritatem Dei, omnibus modis impugnet. Filius ille Dei unigenitus, mitem & innoxium & patientem & ſecurum ſeſe præbuit, & in ſe, & in ſuis diſcipulis, at mundus pro ſuis opinionibus anxius ac ſolicitus, perſecutorem agit acerrimum eorum, qui in illo ſolo, quod erat a principio, manent. Sic ſemper ille Dei Filius patitur, ſed veniet tandem tempus, quando fidei certamine finito, in ſuis & cum ſuis in æternum regnabit. Nunc fidei certamen eſt.

Erant enim mala eorum opera. Cauſam addit tantæ hominum contumaciæ, & tam averſi ab Euangelii luce animi.

Verſ. 20. *Omnis enim, qui mala operatur, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.* Explicat his verbis rationem conſequentiæ. Tanta enim lux eſt Euangelii, ut, ſicut bona facta, ſic nec mala facta, eſſe patiatur occulta.

Verſ. 21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſta fiant ejus opera.* Rem illuſtrat & confirmat a contrario. *Qui facit veritatem.* Id eſt, id quod verum ac juſtum. Subſtantivum ponit pro adjectivo, per Hebraiſmum. Sic 1. Cor. XIII. 6. Veritas injuſtitiæ opponitur.

Venit ad lucem. Homines recti amantes libenter veniunt ad Euangelii lucem.

Ut manifeſtentur ejus opera. Neque enim bonorum operum quemquam pudet.

Quia in Deo ſunt facta. Id eſt, per Deum, quia Deum habent auctorem, vel quia cum Deo ſunt facta. Ideo cum ea manifeſtari volunt probi homines, non ſuam, ſed Dei gloriam quærunt. Particula *in* Hebræa phraſi, ponitur pro *per* vel *cum*. Sic cum Deo ambulare dicuntur, qui recta faciunt, iiſque deditti ſunt. Gen. V. 27. & VI. 9.

Verſ. 22. *Poſt hoc venit Ieſus & diſcipuli ejus in Iudæam terram.* Venit ex Jeruſalem in terram circumjacentem. Nam ſuperiora Hieroſolymis ſunt acta. Idem patet ex Cap. IV. 3. ubi demum Judæam deſeruiſſe dicitur.

Et ibi commorabatur cum iis, διέτριβε, Euangelium ſcilicet prædicando: & *baptizabat.* Nempe credentes Euangelio, & ſic diſcipulos faciebat.

Verſ. 23. *Erat autem Joannes baptizans in Ænon.* Id eſt, baptizabat.

Pro-

Prope Salim. Superiora acciderant nondum Joanne Baptiſta in captivitatem abducto. Nam quod Matth. vj. 11 dicitur, Dominum Jeſum, poſtquam audiſſet Joannem eſſe traditum; cœpiſſe prædicare verſ. 17; intelligendum eſt de prædicatione in Galilæa, ut ex verſ. 12, conſtat; & modo dictum eſt, Jeſum adhuc vivente & baptizante Joanne, in Judæa baptizaſſe; proinde & prædicaſſe. Petrus rem ac negotium Chriſti a Galilæa cœpiſſe dicit Act. x. 37, ſed, ut ibidem additur, poſt baptiſma prædicatum a Joanne, id eſt, ut Matthæus narrat, Joanne jam tradito. Vide cap. vi. 4.

Quia aquæ multæ erant ibi. Magnus erat hominum ad Joannem Baptiſtam concurſus, ideo multas aquas quæſivit, ut baptizarentur omnes qui accederent; tum per ipſum Joannem, tum per ejus diſcipulos. Solus enim non ſuffeciſſet operæ. At quid aquarum multitudine opus erat, ſi non toti homines tingebantur & abluebantur, ſed vertice inclinato aliquot aquæ guttis adſpergebantur? Nondum tunc Joannes ceſſabat a baptiſmo, ut adhuc hominibus monſtraret viam ad Chriſtum. Sed tamen Chriſto munus ſuum inchoante, cito ceſſavit. Nondum deſierat baptizare, ſed brevi deſiturus erat. Nam ſole exoriente, phoſphorus obſcurabatur.

Et adveniebant & baptizabantur. Non ſine ſucceſſu prædicabat.

Verſ. 24. *Nondum enim erat conjectus in carcerem Joannes. Vide* verſ. 23.

Verſ. 25. *Facta eſt igitur quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis de purificatione.* Nempe ex eo quod & Jeſus baptizaret, & Joannes verſ. 22, 23. Erant autem qui quærebant nonnulli ex Joannis diſcipulis, una cum Judæis, qui diſcipuli Joannis non erant, de purificatione, nempe a peccatis.

Verſ. 26. *Et venerunt ad Joannem.* Ut ſcilicet decideret quæſtionem:

Et dixerunt ei: Magiſter qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium dediſti; ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Exponunt quæſtionem. Quaſi dicat, utrius igitur veſtrum baptiſmus & purificatio certior eſt, & uter veſtrum pro magiſtro nobis amplectendus eſt? perplexi ſumus & ambigui, cum & tu baptizes, & tamen & illi teſtimonium dederis. Fortaſſis eos urebat & invidia, Judæos præſertim. Rem hanc narrat Apoſtolus, ut iterum illuſtre teſtimonium Joannis Baptiſtæ de Jeſu referat. Adeo cavebat Apoſtolus, ne cuiquam Joannis dignitas, & inchoata per eum Euangelii prædicatio, ad Jeſum pro Chriſto agnoſcendum, impedimento eſſet.

Cui dediſti teſtimonium. Nempe eum a Deo miſſum eſſe.

Ecce hic baptizat. Idem facit quod tu, diſcipulos colligit.

Et omnes veniunt ad eum. Quaſi dicat, tanto ſucceſſu. Hyperbolice, ut ſolet in exaggerationibus, quia multi, & plures quam ad Joannem. Nam alioquin comparatione & reſpectu illorum qui non veniebant, dicit Joannes infra, *nemo teſtimonium Jeſu accipit*, verſ. 32. Baptizabat autem Jeſus per diſcipulos ſuos cap. iv. 1, 2, qui baptizabant in nomen Jeſu, in quod & diſcipuli Joannis rebaptizabantur Act. xix. 3 & ſequentibus. Poſt reſurrectionem in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti baptiſmus a Chriſto inſtitutus eſt. Quia innoteſcere debebat hominibus non tantum Pater, id eſt, Deus ille unus, & Filius, id eſt, Chriſtus ejus; ſed & tertius magiſter veritatis Spiritus Sanctus in Apoſtolis: qui nondum tunc erat, quia Jeſus nondum erat glorificatus cap. vii. 39. Nec ante reſurrectionem tanta erat & haberi poterat ipſius etiam Patris & Filii notitia.

Verſ. 27. *Reſpondit Joannes & dixit: Non poteſt homo ſumere quicquam niſi ſit datum ei ex cælo.* Quaſi dicat, ne vos hoc quicquam tardet & dubios reddat quod Jeſus baptizet, & omnes ad Deum veniant:

Non poteſt homo. Id eſt, quiſquam, Hebræa phraſi,

Sumere quidquam. Nempe ſic, ut id vere ac reipſa habebat. Quaſi dicat, proinde nec ego id poſſum ſumere & habere, ut major ſim Jeſu, aut Jeſu par, quia id mihi datum non eſt, nec Jeſus id ſumere poſſet, ut major me eſſet, niſi id ſimiliter ex cælo ei datum eſſet.

Ex cælo. Id eſt, a Deo, qui in cælo habitat. Locus ponitur, ſed ſimul & res locata intelligitur, per metonymiam ſynecdochicam.

Verſ. 28. *Ipſi vos mihi teſtamini, quod dixerim: non ſum ego Chriſtus, ſed quod miſſus ſim ante illum.* Ad ipſorum proprium teſtimonium appellat, qualem ſe geſſerit in hoc negotio, & quam ſibi non arrogarit id quod ſibi datum non eſſet.

Verſ. 29. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, amicus vero ſponſi, qui ſtetit & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi; hoc igitur gaudium meum impletum eſt.* Quaſi dicat: ego non ſum princeps in hoc divino Euangelii opere legatus, non ſum id quod ſponſus eſt in nuptiis. Per ſponſam deſignat Eccleſiam Chriſtianam, per ſponſum Chriſtum, Dei Filium.

Amicus autem ſponſi. Qualis ego ſum, quippe ante eum miſſus, ut ei viam parem.

Qui ſtetit & audit eum. Nempe jam præſentem.

Gaudio gaudet. Id eſt, vehementer gaudet, Hebræa phraſi.

Propter vocem ſponſi. Sic & ego gaudeo vehementer, cum audio jam Chriſtum prædicantem.

Hoc igitur gaudium meum. Id eſt, mihi competens,

Impletum eſt. Id eſt, ad plenum venit & conſummatum eſt.

Verſ. 30. *Illum oportet augeri, me autem minui.* Quaſi dicat, ego amplius nulli ſum uſui, & jam venit tempus, ut ſenſim diſpaream, ſicut oriente ſole phoſphorus. Oportet ut omnes fiant ejus diſcipuli etiam mei, & ego ipſe, quod & ſum. Ita Joannes Baptiſta docet apud quem vera & plena quærenda ſit a peccatis purificatio.

Verſ. 31. *Qui deſuper venit, ſupra omnes eſt.* Continuat ſermonem ſuum Baptiſta. Nam Joannem Baptiſtam eſſe qui loquitur, non Joannem Euangeliſtam, patet ex verſ. 32, ubi de Jeſu in terris tum adhuc verſante & teſtante agitur. Omnia enim hæc didicerat Baptiſta, partim a Deo, partim ab ipſo Jeſu.

Qui deſuper venit. Id eſt, ex cælo, ut mox dicitur. Nempe a Deo ex cælo miſſus.

Supra omnes eſt. Quaſi dicat, & ſupra Moſen, & ſupra Prophetas, & ſupra me. Sic & Paulus, quia fuit in cælum raptus a Chriſto, & ex cælo venit, hoc nomine ſuperior eſt omnibus Apoſtolis.

Qui eſt ex terra. Id eſt, qui ex terra, aut aliquo

terræ

terræ loco mittitur & venit, *ex terra eſt*. Id eſt, is eſt, qui eſſe dicitur. Corydon eſt Corydon, & ſimilia multa.

Et ex terra loquitur. Id eſt, terrena & humilia, reſpectu ejus, qui ex cælo venit.

Qui ex cælo venit. Explicat illud ἄνωθεν ἐρχόμενος,

Deſuper veniens. Qui ex cælo miſſus eſt,

Supra omnes eſt. Repetit quod dixit. Multum omnibus dignitate præſtat. Egregie hoc congruit cum ipſius Chriſti verbis verſ.13, quibus ſe in cælum aſcendiſſe & è cælo deſcendiſſe dixit.

Verſ.32. *Et quod vidit & audivit.* Nempe in cælo: *hoc teſtatur*, in præſenti tempore. Dicta igitur ſunt hæc verba, Chriſto adhuc in terris verſante: proinde a Joanne Baptiſta: (ut monuimus) ad Judæos illos, quæcum diſcipulis ejus quæſitum venerant, de purificatione, non a Joanne Euangeliſta.

Et teſtimonium ejus nemo accipit. Quaſi dicat, quamvis tam certi, oculati, & auriti teſtis, *nemo accipit*: uſitata hyperbole, qua nemo facere dicitur, quod plerique & præcipui non faciunt Pſalm xiv.1,2. Nam alioquin non deerant, qui teſtimonium ejus reciperent, ut mox ſequitur. Vide & ſupra verſ.26,& cap. 2.23. Quanquam nec iſti teſtimonium Jeſu ita accipiebant, id eſt, ei credebant. ut oportebat.

Verſ.33. *Qui recepit ejus teſtimonium, obſignavit, quod Deus verax ſit.* Id eſt, hoc ſuo facto confirmavit, & veluti ſignum appoſuit, Deum eſſe veracem; ſicut qui non recipit teſtimonium ejus, non ipſum, ſed Deum facit mendacem. Tale eſt illud eſt 1 Joh.v. 9,10,11.

Verſ.34. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.* Rationem reddit conſequentiæ: neque enim is, qui a Deo miſſus eſt, alia verba loquitur, quam Dei: Proinde, qui ejus teſtimonium recipit, hoc ſuo facto obſignat, Deum eſſe veracem. Niſi enim Deum eſſe veracem crederet, teſtimonium ejus, qui Dei verba loquitur, non reciperet.

Non enim ex menſura dat Deus Spiritum. Addunt αὐτῷ *ei*, ſcilicet Chriſto. Atqui Joannes de eo loquitur, quod Deus facere ſoleat, ideo nec dicit *dedit*, ſed *dat*. Confirmat ſcilicet ſuperiora per prolepſin. Ne quis diceret: atqui & alios, & te ipſum miſit Deus, proinde & alii & tu verba Dei locuti eſtis, nec Jeſu eſtis inferiores. Nihil refert, inquit; non enim ex menſura, nempe eadem, dat Deus ſpiritum, id eſt, non omnibus ex æquo. Qui enim æqualiter dare volunt, eandem menſuram adhibent. Alioquin *cuilibet gratia datur ſecundum menſuram doni Chriſti* quod Spiritus eſt Sanctus. Ephes.iv.7, quaſi dicat Joannes Baptiſta: Dedit quidem & nobis Deus Spiritum Sanctum, ſed non tanta copia, quanta huic, quem ex cælo miſit. Nota, Spiritum Sanctum a Deo dari dici, idque ſic, ut eum non ex menſura det omnibus eadem & æquali, ſed ſecundum menſuram unicuique convenientem. An vero talia de Spiritu Sancto locuti eſſent divini viri, ſi Deus ille unus eſſet.

Verſ.35. *Pater diligit Filium.* Id eſt, Chriſtum illum ſuum, qui κατ' ἐξοχὴν & cum articulo emphatico vel abſolute & ſubjective per antonomaſiam, etiam ante ſuum exortum, Scripturæ ductu a Sam.vii.14. Pſal.2.7 Filius Dei appellabatur; poſt ſuum vero exortum, & illata Euangelii luce, tanto magis hoc titulo appellatur; tum, quia eſt a Deo per Spiritus Sancti, virtutem ex virgine genitus, Luc.1.35. tum quia eſt a Deo in Filium ſingulariſſimum electus Matth. xii.18. Hebr.1.5, tum quia eſt ſanctificatus a Patre & in mundum miſſus Joh.x.36, tum, quia eſt ex mortuis reſuſcitatus Act.xiii.33, tum, quia eſt in Regem & ſummum ſacerdotem populi divini exaltatus Hebr.v.5, & Judex vivorum ac mortuorum conſtitutus Act.x.42, tum, quia eſt hæres omnium factus a Deo, Heb.1.2, [Nam quia Filius Dei per metaphoram ab hominibus dicitur, ideo quanto plures & majores ſunt appellationis iſtius cauſæ, tanto plenior eſt metaphora, quæ, quia in Chriſto ſunt plurimæ & maximæ, fit hinc, ut Chriſtus abſolute & κατ' ἐξοχὴν Filius Dei, vel unicus ſeu unigenitus Dei Filius appelletur, quaſi omnibus aliis Chriſti comparatione, a filiatione Dei excluſis; ut fruſtra ſint, qui totidem Dei filios numerari dicunt, quot iſtius appellationis in Chriſto numerentur cauſæ. Nimirum metaphoram in hac appellatione non cogitant.] Neque enim Filius Dei unum illum Deum ſignificat, qui nullum habet Patrem, nec ullius eſt aut eſſe poteſt filius, nec cujusquam favore & gratia ac dilectione & beneficentia opus habet: at Filius Dei, Deum habet Patrem, cujus dilectione & gratia ac benificentia opus habuit, & habet, quippe, qui nullum alium, quam hominem ſignificet. Cæterum jam etiam Baptiſta Jeſum eſſe Dei Filium, ſeu Chriſtum illum, confeſſus eſt cap.1.34.

Et omnia dedit in manum ejus. Quaſi dicat, magna eſt inter nos omnes & inter illum differentia. *Dedit*. id eſt, dare conſtituit. De re mox futura loquitur, tanquam de jam præterita, per uſitatam temporis enallagen.

In manum ejus ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, ἐν pro εἰς, ut Joh.v.4. xiii.3. Marc.ix.15. Luc.1.77. iv.19. Rom.2.5 Exod.xiv.34. Simili phraſi dicit Paulus *Deus dedit in corde Titi*, pro, in cor Titi 2 Cor.viii.16. Vides Filium omnia habere in ſua manu, ſed ex dilectione & beneficio Patris, qui unus ille Deus eſt.

Verſ.36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Fides in Filium Dei, obſervationem mandatorum ejus complectitur; niſi quis vanam intelligat fidem. Loquor enim de iis, quibus, ex quo crediderunt, ad ſervanda Filii Dei mandata vita non defuit. Nam, ſi qui credere diſtulerunt, donec vita tranſiret, fruſtra in exitu demum vitæ ad ſterilem fidem confugiunt, & cum Deum decipere vellent, ſeipſos deceperunt. His paria faciunt, qui, cum ſæpe pœnitentiam peccatorum profeſſi eſſent, nunquam eam rebus ipſis, id eſt, emendatione vitæ & peccatorum abdicatione præſtiterunt; fruſtra enim hanc ſuam pœnitentiam ratam & ad ſalutem efficacem putant; cum non ipſi peccata relinquunt, ſed a peccatis relinquuntur. Nam ſi hac in opinione non falluntur, non eſt, ut eos unquam peccatorum vere pœniteat. Olim in Eccleſia, veritate jam declinante, receptum erat, ut baptiſmus a credentibus ad exitum vitæ differretur, quod & Conſtantinus & Theodoſius, uterque Magnus fecit: nunc re in contrarium verſa in vitæ ingreſſu baptiſmus (ſeu potius rhantiſmus loco baptiſmi) infantibus Chriſtianorum miniſtratur. Ita evenit, ut dum & illi ſacramentum pœnitentiæ, tempore veræ & efficacis pœnitentiæ jam elapſo ſuſciperent,

rent, & hi antequam peccandi locus ſit, ſuſcipiant, nec illi ad veram & efficacem pœnitentiam unquam pervenerint, nec iſti de non peccando unquam cogitent; tanto magis ſi credant ſe nihil peccare poſſe, quod virtute baptiſmi jam pridem ſit abolitum.

Qui autem non credit Filio. Proinde & is qui mandata ejus non ſervat: ſi enim crederet, mandata ejus ſervaret. Nam ſi credit ſe à Filio vitam æternam adepturum eſſe, etiamſi mandata ejus non ſervet, non Filio credit; ſed mendacio. Filius enim non ſimpliciter vitam æternan pollicitus eſt, ſed cum conditione, ſi ejus mandata ſervemus, ſi alii alios diligamus, ſi ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem ambulemus. Quia vero in ambulatione, quanquam invitis, tamen ceſpitare & labi etiam interdum contingit; ideo Deus, pro ſua paterna miſericordia, fidem nobis ſemper imputat ad juſtitiam, ſed fidem in ambulatione ſecundum ſpiritum efficacem. Itaque non credere Filio, & mandata ejus non ſervare, tantundem eſt.

Non videbit vitam. Nempe æternam, quæ vere vita eſt, id eſt, non adipiſcetur.

Sed ira Dei manet ſuper ipſum. Id eſt, manebit, per enallagen præſentis pro futuro. Ira Dei continet in ſe ſuum effectum, id eſt, æternum exitium, per metonymiam ſynecdochicam. Unde vero Joanni Baptiſtæ tantarum rerum notitia? Jam Chriſti diſcipulus, audita Chriſti doctrina, haud dubie factus erat. Nemo enim noverat Filium niſi Pater, nec Patrem niſi Filius, & cui vellet Filius revelare Matth. xj. 27. Joanni tanta vis ſpiritus non inerat, nec ineſſe debebat, ut tanta myſteria, non edoctus à Chriſto, cognoſceret.

CAPUT IV.

Verſ. 1. C*Um igitur cognovit Dominus.* Nempe etiam citra relationem, per Spiritum Sanctum cap. 2. 24, 25. Marc. 2. 8. Ideo enim Spiritu Sancto fuit unctus, ut per eum divina opera faceret, quæ alioquin facere non poſſet Act. x. 38, inter quæ erat & rerum longe remotatum notitia. Nam per Spiritum Sanctum Deus ille unus erat cum ipſo, non ipſe erat Deus ille unus cap. 111. 2. Act. x. 38.

Dominus. Ὁ κύριος cum articulo emphatico, id eſt, Chriſtus ille Dei.

Quod audiverint Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos faciat & baptizet, quam Joannes. Non alii nominantur quam Phariſæi, quia iſti, cum maxime vellent haberi pro ſanctis & perfectis, maxime invidebant & Joanni Baptiſtæ & Chriſto.

Quod Jeſus, per mimeſin, *plures diſcipulos faciat & baptizet, quam Joannes.* Fremebant & rumpebantur invidia adverſus Joannem, quanto magis adverſus Jeſum, plures etiam quam Joannes diſcipulos facientem & baptizantem. Baptizandi verbo modus exprimitur faciendorum diſcipulotum. Per baptiſmum enim initiabantur diſcipuli in nomen magiſtri. Ideo & Matth. xxviij. 19, *diſcipulos facite*, inquit Chriſtus, *baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Hic videmus, Joannem etiam diſcipulos feciſſe & baptizaſſe, unde & ſæpe diſcipuli Joannis nominantur, & diſcipuli illi Act. xix. 3 dicunt, ſe in Joannis baptiſma baptizatos eſſe, id eſt, in doctrinam Joannis, de baptiſmate pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: per metonymiam ſubjecti pro adjuncto.

Verſ. 2. *Quanquam Jeſus ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli ejus.* Jeſus ipſe non baptizabat, credo, ut oſtenderet, verum ſuum ac proprium eſſe munus, non in aqua baptizare, ſed in Spiritu Sancto & igne cap. 1. 26, 27. Matth. iij. 11. Nam & Paulus paucos inter Corinthios ipſe baptizaverat, *Quia non miſit me Chriſtus*, inquit, *ut baptizem, ſed ut Euangelium prædicem* 1 Cor. 1. 17. Diſcipuli igitur baptizabant Jeſu nomine, ſeu Jeſu in eo miniſtrabant, ut in nudo ritu: Nam Spiritus Sanctus poſt baptiſmum dabatur per impoſitionem manuum Apoſtolicarum, Chriſto in cælos profecto Act. viij. 16, 17.

Verſ. 3. *Reliquit Judæam.* Erat ergo in terra Judæa poſt diſceſſum Hieroſolymis cap. iij. 22. Reliquit autem Judæam, ut vitaret à Phariſæis pericula. Non enim utebatur miraculoſis ſui ſervandi modis, niſi cum alitet fieri non poſſet Luc. iv. 30. Joh. viij. 59.

Abivit rurſus in Galilæam. Ex qua nimirum venerat cap. 2. 12, 13. Nondum enim tum in Galilæa publice prædicaverat, adhuc in Judæa manſerat cap. iij. 22. Confer cap. iv. 47, 54, ubi ſanatio illius filii, pro quo orabat pater, oſtendit, Chriſtum in Galilæa nondum publice prædicaſſe. Ideo & cap. 2. 4 dixerat Chriſtus, *nondum venit hora mea:* Hieroſolymis enim fieri debebat Euangelii initium, ut monuimus cap. 2. 4. Nam etiamſi Chriſtus de miraculo loquatur, tamen hora prædicationis comparente, ſimul aderat & hora miracula ſaciendi, dummodo ſeſe offerat occaſio, quæ nunquam ſolet deeſſe. Nam privatim tantum huic aut illi & paucis aliquid dicere, nondum eſt prædicare. Diſtinguenda igitur eſt prædicatio Chriſti, quam Johanne adhuc ſalvo & prædicante ſecit, à prædicatione, quam poſt cladem Joanni illatam, majoribus veluti copiis aggreſſus eſt. Illa Hieroſolymis cœpit; hæc in Galilæa. Illam quia alii Euangeliſtæ prætermiſerunt, Johannes poſt alios narrat.

Verſ. 4. *Oportebat autem ipſum tranſire per Samariam.* Quæ regio ſic dicta eſt à metropoli. Regionem autem illam inſederant Aſſyrii, abductis in captivitatem decem Iſraëlitarum tribubus 2 Reg. xvij. 6 & ſequentibus.

Verſ. 5. *Venit igitur in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* Locus habitatione Jacobi Pattiarchæ nobilis. Sichar idem quod Sichem, oppidum ad radices montis Garizim.

In civitatem. Εἰς πόλιν, id eſt, ad civitatem. Nondum enim eam erat ingreſſus, vide verſ. 28, 30, 40.

Prope prædium. Locum notat in ſpecie in quem venit ad oppidum.

Quod dedit Jacob filio ſuo Joſepho.

Verſ. 6. *Erat autem ibi fons Jacobi.* Nempe in illo prædio vel agro.

Jeſus igitur feſſus ex itinere ſedebat ſic. Nempe ſic, ut erat feſſus.

Apud fontem. Refrigerii nimirum cauſa.

Hora erat quaſi ſexta. Proinde circa meridiem. Meridies deprehenderat Dominum, laſſitudo recreationem poſtulabat, fons invitabat. Dubie dicit, *quaſi ſexta*, quod dubium erat. Vide etiam ſupra 1. 40. Luc. iij. 23. xxij. 59. xxiij. 44. Vide quam abhorreant ſancti homines á mendacio.

Verſ. 7. *Venit mulier ex Samaria.* Id eſt, Samaritana, ut paulo poſt nominatur verſ. 9. Ex Samaria dicere maluit, quam ex oppido Sichar, quia Samaritanum nomen ex Judæorum odio notius erat. Sic & infra oppidani, non Sicharitæ, ſed Samaritani appellantur verſ. 39, 40.

Haurire aquam: dicit ei Jeſus, da mihi bibere: non tam ut ſitim reſtingueret, (neque enim legitur bibiſſe,) quam ut occaſionem haberet cum ea colloquendi, & ſic ſitim reſtingueret animi, qua ardebat ad loquendum ſalutaria, videns animum ejus probum, licet ſciret mores ejus improbos.

Verſ. 8. *Diſcipuli enim ejus abiverant in civitatem, ut cibos emerent.* Cauſam exprimit Joannes, cur à muliere aquam ad bibendum petiverit, quia ſcilicet præter mulierem illam erat nemo, qui Chriſto aquam miniſtraret, poſt abitum diſcipulorum in oppidum.

Ut cibos emerent. Quia nolebant cum Samaritanis cibum capere. Vide, quam Chriſtus non refugerit colloquium cum muliere, immo quæſiverit ejus occaſionem. Male igitur hodie laicis & mulieribus prohibentur colloquia & meditationes de rebus ſacris, & ſacræ ſcripturæ lectiones. Infra hæc mulier etiam quæſtionem Chriſto proponit Theologicam, neque eam Chriſtus rejicit aut increpat, & ad fuſum columque remittit, ſed benigne reſpondet, eamque erudire non dedignatur. Ita & Apoſtolus 1 Cor. xiv. 35, non prohibet eis divina ſcrutari, ſed diſcere & interrogare eas viros jubet. Proinde & viri, etiam laici, debent ſcire.

Verſ. 9. *Dicit igitur illi mulier illa Samaritana, quomodo tu, cum ſis Judæus, à me potum petis, quæ ſum mulier Samaritana?* Unde apparet, Judæos habitu fuiſſe diſtinctos à Samaritanis, forte & dialecto vel pronuntiatione. Inde mulier hæc protinus cognovit, Dominum fuiſſe Judæum.

Non enim commercium habent Judæi cum Samaritanis. Cauſam addit Johannes, ob quam mulier ita Chriſtum ſit allocuta: οὐ γὰρ συγχρῶνται, abhorrent a Samaritanis, ut ne cibum quidem ac potum ab eis recipiant; niſi quis putet & hæc verba à muliere dicta eſſe. Cauſa tantæ abhorrentiæ potiſſima fuit, in eadem ſcilicet religione diverſitas. Hæc odiorum peſtis & hodie regnat inter Chriſtianos propter eandem cauſam. Et inter illos quidem mirum non erat, homines quippe carnales: at inter homines Chriſti ſpiritum profeſſos, id vero à Chriſti ſpiritu alieniſſimum eſt, tanto vero magis, quod Samaritani merito damnarentur hæreſeos à Judæis: at inter Chriſtianos nihil uſitatius, quam hæreſeos damnare eos, qui nihil minus ſint, quam hæretici. Sola inanis opinio hæreſeos hominibus ad odia & diras perſecutiones ſufficit, ut vel hinc appareat, illos ipſos eſſe hæreticos.

Verſ. 10. *Reſpondit Jeſus & dixit ei:* Maluit reſpondere quam bibere, ſitim animi & gloriæ divinæ magis reſtinguere cupiens, quam corporis. Vide verſ. 32.

Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu peteres ab ipſo, & daret tibi aquam viventem. Id eſt, vivificantem. Sic panis vivens cap. vj. 51. id eſt, vivificans, ſeu vitam dans mundo verſ. 33. Intelligit autem per aquam viventem Spiritum Sanctum, qui vitam æternam affert hominibus. A re materiali & proprie dicta ſumit Chriſtus occaſionem de rebus ſpiritualibus diſſerendi. Ita nunquam deeſſe pio homini occaſio ad ſpargendum Dei verbum poteſt.

Verſ. 11. *Dicit ei mulier, Domine.* Conſueto honoris titulo, neque enim ſciebat Chriſtum eſſe.

Neque hauſtrum habes, & puteus eſt profundus, unde igitur habes aquam viventem? Salientem aquam haud dubie intellexit. Vivere enim per metaphoram dicitur aqua, cum ex fonte ſuo ſalit & decurrit.

Verſ. 12. *Num tu major es patre noſtro Iacob.* Samaritani enim videri volebant Iſraëlis poſteri verſ. 20.

Qui dedit nobis hunc puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii ejus & pecora ejus? Quaſi dicat, num aliam habes aquam hac aqua potiorem?

Verſ. 13. *Reſpondit Ieſus & dixit ei: omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum.* Dicit potiorem aquam ſe daturum eſſe. Loquitur enim de rebus ad ſpiritum & animum ſpectantibus, proinde ſpiritualem aquam & ſitim intelligit. Solent enim ex comparationibus elegantes oriri ἀντιχρήσεις ac metaphoræ & allegoriæ.

Verſ. 14. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei.* Id eſt, qui Spiritum Sanctum acceperit. Nam Spiritum Sanctum intelligi docet cap. vij. 38, 39.

Non ſitiet in ſeculum. Id eſt, nunquam, nulla eum animi ægritudo afficiet & affliget. Hæc enim animi hoc loco ſitis eſt.

Sed aqua, quam dabo ei. Id eſt, Spiritus Sanctus.

Fiet in ipſo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Id eſt, fons gaudii perennis & efficaciſſimi, quod in vitam æternam exeat. Solent enim aquæ ſalientes in alveum ſuum exire. Spiritus igitur Sanctus excitat in hominibus ſpem haud dubiam & guſtum quendam vitæ æternæ. Spes autem hæc non pudefacit Rom. v. 4, ſed tandem in vita æterna terminatur. Hinc eſt, ut ſemper gaudere jubeamur, videlicet in ſpe vitæ æternæ Rom. xij. 12. Philip. iv. 4.

Dicit autem, *fiet in ipſo.* Quia Spiritus Sanctus tum demum fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam, cum eſt in homine; citra & extra hominem hanc aquam & hæc gaudia non fundit. Sicut ergo, qui haberet in ſe fontem aquæ ſalientis, nunquam ſiteret, ſic, qui habet Spiritum Sanctum, nunquam ſitiet. Hinc & infra cap. vij. 38, 39 de eodem Spiritu Sancto loquens ait: *Qui credit in me; flumina ex ventre ejus fluent aquæ viventis*, quaſi dicat, proinde nunquam ſitiet.

Verſ. 15. *Dicit ad eum mulier; Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire.* Manet in carnali intellectu. Et quid mirum mulierem non capere protinus ſpiritualia, cum ſupra viderimus Nicodemum doctorem legis & Phariſæum tam tardum & hebetem ad percipienda ſpiritualia fuiſſe. Num ergo propter ſtupiditatem arcendæ ſunt mu-

mulieres & idiotæ à tractatione rerum divinarum; alioquin enim & magiſtri & doctores arcendi eſſent; ſed tanto magis excitandi ſunt omnes, ut ſe in rerum ſacrarum lectione ac conſideratione exerceant, quo aptiores paulatim evadant ad rerum ſublimium intellectum.

Verſ. 16. *Dicit ei Jeſus, abi, voca virum tuum, & veni huc.* Quaſi dicat: non enim decet mulieri dona dare ſine viro. Hoc prætendit, ut occaſionem habeat ſe Prophetam & Meſſiam eſſe oſtendendi.

Verſ. 17. *Reſpondit mulier & dixit; non habeo virum.* Legitimum intelligit, qui abſolute vir vocari ſolet à muliere, & qualem mulieri habere fas eſt.

Dicit ei Jeſus, recte dixiſti, quod virum non habeo. Per mimeſin refert ejus ſermonem.

Verſ. 18. *Quinque enim viros habuiſti.* Illegitimos videlicet.

Et nunc quem habes, non eſt tuus vir. Nempe legitimus ac proprius: quaſi dicat, non minus quam priores.

Hoc vere dixiſti. (ἀληθὲς neutrum pro adverbio) quod ſcilicet virum legitimum ac proprium non habeas. At illegitimos & non tuos, quinque habuiſti, & nunc habes ſextum.

Verſ. 19. *Dicit ei mulier, Domine, video quod Propheta ſis tu.* Agnoſcit ſibi cum Propheta, & homine divino ſpiritu prædito ſermonem eſſe.

Verſ. 20. *Patres noſtri in hoc monte adoraverunt, & vos dicitis, quod Hieroſolymis ſit locus, ubi oporteat adorare.* Pudefacta haud dubie Chriſti reſponſo, collegit tamen ſeſe, & tanta occaſione oblata, diſſimulato pudore, cui etiam callum obduxerat anteacta vita, proponit quæſtionem tanquam Prophetæ & viro divino, de re quæ maxime torquebat Samaritanorum conſcientias, ſcrupulum in Religione, qui ſe magis urgeret quam mali mores, eximi ſibi cupiens. Unde patet mulierem hanc, etiamſi moribus eſſet profanis, animo tamen non fuiſſe irreligioſam.

Patres noſtri. Iſraëlitas intelligit, qui ſe à tribu Juda per Jeroboamum ſeparaverant, quorum Samaritani videri volebant poſteri ac nepotes:

In hoc monte. Quia in conſpectu erat; mons hic vocabatur Garizim, de quo vide Deut. xj. 20. xxvij. 12, 13. 2 Maccab. vj. 2.

Adoraverunt. Non addit, *Deum*, quia hoc ex re ipſa intelligebatur. Sic 1 Cor. x. 9. Coloſ. 1. 19 vox Dei reticetur. Hoc exemplum docet, quam non ſit fidendum Patribus & eorum traditionibus. Non fruſtra & Petrus Judæos redemtos eſſe dicit per Chriſti ſanguinem, ex vana ipſorum converſatione á Patribus tradita 1 Pet. 1. 18. Sermo Dei veritas eſt, inquit Chriſtus cap. xvij. 17, Patrum, qui homines erant, ſermo, ſæpe mendacium eſt.

Verſ. 21. *Dicit ei Jeſus, mulier, crede mihi, quod venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Quaſi dicat, iſta quæſtio non adeo amplius jam eſt neceſſaria ſcire, an in hoc loco, an in alio, an in hoc monte, an Hieroſolymis adorandus ſit Deus,

Crede mihi. Quaſi dicat, jam enim agnoviſti me Prophetam eſſe,

Quod venit hora. Id eſt, tempus, per ſynecdochen partis.

Tempus, inquit, jam adeſt, *quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis.* Alligando nimirum adorationem ad hunc vel illum, vel ullum alium locum:

Patrem. Non addit meum, ſed intelligit ſuum & omnium in ſe credentium Patrem. Hic enim eſt unus ille Deus verſ. 24. Ubique libertas erit adorandi Patrem, Meſſiam ſe eſſe, ſingularem illum Dei Filium, innuit, poſt expreſſe dicit.

Verſ. 22. *Vos adoratis quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus.* Quaſi dicat, cæterum, ut anteacti temporis reſpectu, tuam ad quæſtionem reſpondeam,

Vos adoratis. Intellige, in hoc monte,

Quod neſcitis. Quaſi dicat, & ideo quæritis, ſuſpenſam hic & anxiam habentes merito conſcientiam. Magna vos hic tenet ignorantia.

Nos, nempe Judæi, *adoramus*, nempe Hieroſolymis. *Nos*, inquit, ſeipſum adoratoribus annumerans; & ſic vel maxime ab uno illo Deo diſtinguens.

Quod ſcimus. Cujus rei certam notitiam ex Dei verbo habemus, nec quidquam hac de re dubitamus, ſecuram hic habemus conſcientiam.

Quia ſalus ex Judæis eſt. ἡ σωτηρία cum articulo emphatico. Salus illa per Meſſiam afferenda: Meſſias enim ex tribu Juda, ſecundum carnem erat oriundus. Quaſi dicat, ergo etiam non alibi quam apud Judæos locus eſt, in quo adoretur Deus. Salus ex Jeruſalem per Meſſiam promulgari debuit, & conſequenter ex loco divini cultus & adorationis Eſa. ij. 3.

Verſ. 23. *Sed*, quaſi dicat, ut præterita linquam; *venit hora, & nunc eſt.* Jam enim Meſſias aderat, licet nondum glorificatus eſſet.

Quando veri adoratores. Id eſt, perfecti. Nam quod in ſuo genere perfectum eſt, id dicitur verum, ut lux vera, vitis vera, panis verus & ſimilia. Hinc & Pater infra xvij. 30 ſolus dicitur verus Deus, quia ſummus & altiſſimus eſt Deus. Alioquin enim & Chriſtus eſt verus Deus, ſed quatenus verus opponitur falſo, non quatenus opponitur non-ſummo & non-altiſſimo.

Adorabunt Patrem. Nempe meum & tuum, qui Deus ille unus eſt, agnita nimirum paterna illius gratia, quam ego annuncio.

In ſpiritu. Id eſt, ſpiritu, animo, mente, ideo ſemper & ubique. Non reſtringent Dei cultum & adorationem ad templa aliqua, ſeu loca & tempora certa. Spiritus enim liber eſt & expeditus. Particula *in* redundat ex Hebræorum idiotiſmo, ut Rom. x. 9.

Et veritate. Id eſt, vere: quaſi dicat, in ſpiritu & ſic vere. Adoratio enim quæ fit ſpiritu, vera eſt & perfecta. Hinc & veri adoratores dicuntur. Vera adoratio opponitur adorationi, quæ fit per ritus & ceremonias. Non dicit in ſpiritu, & in veritate, ſed in ſpiritu & veritate. Non enim duo diverſa ponit, ſed duo conſentanea. Cæterum, nomen ponitur pro adverbio, Hebræa phraſi. Vide 2 Joan. verſ. 1.

Etenim Pater tales quærit, qui adorent eum. Cauſam exprimit iſtius adorationis, tales quærit, nempe nunc per Meſſiam Filium ſuum, qui omnia in meliorem ſtatum reducturus eſt.

Verſ. 24. *Spiritus eſt Deus.* Rationem addit dicti: *πνεῦμα ὁ Θεός.* verbum ſubſtantivum non additur, ſed intelligitur. Articulus *ὁ* docet vocem Dei ſubjectum eſſe; vocem ſpiritus prædicatum. Neque enim hic agitur de Spiritu Sancto, ſed de Deo illo uno, (qui abſolute & ſubjective Deus dicitur) Patris nomine ſignificato. Neque hic vox ſpiritus afflatum ſignificat, ut in Spiritu Sancto, ſed eo ſenſu accipitur, quo & Angeli Spiritus eſſe dicuntur, & Chriſtus glorificatus dicitur eſſe factus ſpiritus vivificans 1 Cor. xv. 45, quo & anima noſtra dicitur ſpiritus, quo & à Chriſto, ſpiritus carnem & oſſa habere negatur Luc. xxiv. 39. niſi quod unus ille Deus omnibus aliis ſpiritibus longe ſit, ut ſic dicam, ſpiritualior, quippe Spirituum pater & auctor Heb. xij. 9. Quaſi dicat, ſpiritus eſt Deus ille unus, Pater; non caro, non corpus aliquod, cui ſit miniſtrandum manibus, qui indigeat templis, adytis, altaribus, menſis, lucernis, victimis pecudum & ſimilibus. Vide Act. vij. 48. xvij. 24, 25. Cæterum notetur, pro Patre nunc dici Deum illum unum, ut appareat, Patrem illum, & Deum illum unum inter ſe reciprocari.

Et eos qui adorant eum. Quaſi dicat, proinde eos qui adorant eum,

In ſpiritu & veritate oportet adorare. Concludit argumentum. Non eſt profecto mirum, quod Deus poſt tam multa demum ſecula Meſſiam miſerit cum ſpirituali diſciplina. Exſpectabat enim, ut homines ſenſim ad eam matureſcerent. Cui ne nunc quidem idonei ſunt, commutantes eam in varios ritus & in opiniones pravas. Interpretando ſibi quiſque diſciplinam Chriſti, aptam facit, nec ſuos potius mores ad eam accommodat.

Verſ. 25. *Dicit ei mulier, ſcio quod Meſſias veniat.* Non vult huic reſponſo acquieſcere. Provocat ad Meſſiam venturum, ignara, Meſſiam eſſe, quicum loquebatur. *ἔρχεται*, id eſt, venire debeat & venturus ſit, per enallagen temporis. (*Qui dicitur Chriſtus*) hæc in parentheſi legenda ſunt, quippe verba Euangeliſtæ, non mulieris, quæ Græce loqui neſciebat, nec ut vocem Meſſiæ Græce interpretaretur quidquam intererat. Joannes ergo vocem Hebræam Meſſiæ, Græce ſcribens, lectoribus exponit. Vide cap. j. 39, 41, 43.

Quando veniet ille, annunciabit omnia. Videlicet ad cultum Dei ac religionem pertinentia. Vox enim *omnia* & hic & ubique ex ſubjecta intelligitur materia.

Verſ. 26. *Dicit ei Jeſus: ego ſum.* Intellige Meſſias. Solet enim, cum ſe Meſſiam eſſe ſignificat, Meſſiæ vocem reticere. Vide cap. viij. 24, 28, 58, quam hic tanto commodius reticere poterat, quod ex ſermone mulieris intelligi poſſet:

Qui loquor tibi. Beata ſane mulier, quæ confeſſionem hanc adeo diſertam ex ipſius Chriſti ore audire meruit! Vitabat enim in illo ſuo humili ſecundum carnem ſtatu, Chriſti ſeu Meſſiæ appellationem, ne videretur ſtatui ſuo parum conſentanea loqui, & Regem ſe mundanum facere, & ſic occaſionem dare calumniis. Maluit uti Filii Dei titulo, qui magis ad ſpiritum, quam ad carnem refertur, nec ita accuſationibus apud Romanum præſidem erat obnoxius. Comprehenſus demum Meſſiam & Regem ſe diſerte dixit, & huic confeſſioni immortuus eſt; non ut Pſeudo-Chriſti ſolent, qui comprehenſi & in poteſtatem redacti, libenter negarent, quod, cum liberi eſſent, de ſe affirmabant.

Verſ. 27. *Et ſuper hoc.* Id eſt, in hoc ſermonis articulo,

Venerunt diſcipuli ejus. Revertentes ſcilicet ex civitate.

Et mirabantur, quod cum muliere loqueretur. Nempe Samaritana, quod eam alloquio ſuo dignaretur.

Nemo tamen dixit, quid quæris. Id eſt, quid poſtulas à muliere Samaritana,

Aut quid loqueris cum ea. Id eſt, quare, aut qua de re? Mirabantur Chriſti factum, ſed improbare non audebant. Nimirum nondum intelligebant, eum eſſe lucem veram, *quæ illuminat omnem hominem* (proinde & Samaritanum) *veniens in mundum* cap. j. 9: paulo poſt in oppido didicerunt, quid cum Samaritide iſta locutus eſſet. Patet hinc, quanta fuerit Chriſti gravitas & auctoritas apud diſcipulos, de qua quotidiana cum illis converſatio & familiaritas nihil deterere potuerit.

Verſ. 28. *Reliquit igitur hydriam ſuam mulier & abivit in civitatem.* Abrupto, diſcipulorum adventu, colloquio, reliquit hydriam ſuam, non tantum, ne ſibi feſtinanti in civitatem, ad renunciandum quæ vidiſſet & audiviſſet, impedimento eſſet; ſed etiam in uſum Chriſti & diſcipulorum ejus, ut biberent & haurirent aquam ex puteo, & ita Chriſtus haberet affatim, quod initio colloquii ab ea petierat, verſ. 7.

Et dicit hominibus. Nempe palam & publice, obvio cuilibet, & omnibus, ut fieri ſolet rebus in novis, ad eam concurrentibus.

Verſ. 29. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Uſitata hyperbole. Nihil enim amplius ei dixerat, quam de viris ejus.

Numquid hic eſt ille Chriſtus? Quaſi dicat, nam eum ſe dixit eſſe. Ego mihi hac de re pronuncio, vos ipſi venite, videte, judicate.

Verſ. 30. *Exiverunt igitur ex civitate, & veniebant ad eum.* Non contemſerunt hunc nuncium, quamvis mulieris: erat hoc indicium animi non improbi. *Ἤρχοντο veniebant* pro *ibant*.

Verſ. 31. *Interim autem.* Dum ſcilicet illa it, dum nunciat, dum homines conciti ex civitate veniant,

Rogabant eum diſcipuli; magiſter, ede. Cibos attulerant, ideo rogant, ut cibum capiat.

Verſ. 32. *Ille vero dixit eis, ego cibum habeo ad edendum, quem vos neſcitis.* Sane neſciebant: nam de cibo ſpirituali, quem Chriſtus intelligit, non cogitabant.

Verſ. 33. *Dixerunt igitur diſcipuli alii ad alios; numquis tulit ei ad edendum?* Exiſtimabant enim, eum loqui de cibo corporis.

Verſ. 34. *Dicit eis Jeſus; meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* Declarat, quem cibum habeat, nempe non corporis, ſed animi. Occaſione & comparatione cibi appellat voluntatis paternæ executionem cibum, quod homines cibum valde appetant, & illo delectentur ac recreentur. Sic & Chriſtus vehementer appetebat, ut Patris voluntatem faceret, & hac re unice delectabatur & recreabatur. Diſcendum Chriſti exemplo anteferre ſpiritualia corpora-

poralibus, & cibum ac potum non curare, ut peragi divina tanto commodius queant. Ex comparationibus multæ oriuntur [illegible]. Sic & ante, Spiritum Sanctum vocavit aquam viventem, fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, & infra cap. vij. 38, flumina aquæ viventis ex ventre credentium in ſe fluentia, & cap. vj, & ſe & ſermonem ſuum potum, comparatione & occaſione mannæ invitatus, adeo, ut etiam hanc metaphoram ad carnis ſuæ manducationem extendat.

Et perficiam ejus opus. Ad operis iſtius perfectionem pertinebat, ut moreretur pro mundi vita cap. vj. 51.

Verſ. 35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſint, & meſſis venit.* Id eſt, ventura eſt, per enallagen temporis.

Ecce dico vobis, attollite oculos & videte regiones, quod alba ſint ad meſſem jam. Senſus eſt: meſſis poſt quatuor menſes ventura eſt; ſed quod attinet ad meſſem ſpiritualem, quam intelligo, ecce attollite oculos veſtros, maturi ſunt multorum hominum longe lateque animi ad meſſem: quaſi dicat, ut mirum non ſit, me ad meſſis iſtius perfectionem totum anhelare. Hæc recte cum ſuprioribus cohærent, quia in tali meſſe conſiſtebat illud opus, de quo locutus eſt.

Verſ. 36. *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Oſtendit felicitatem eorum, qui ſibi in demetendis hominibus erant ſervituri, quales imprimis erant Apoſtoli.

Mercedem accipit. Nempe ſingularem in vita æterna & cæleſti Regno dignitatem 1 Cor. iij. 14, collato cum verſ. 15, ubi ſalutem, quæ in vita æterna conſiſtit, à mercede miniſtrorum diſtinguit.

Et congregat fructum in vitam æternam. Id eſt, homines ad capeſſendam vitam æternam: congregantur enim credentes in Chriſtum ad vitæ æternæ adeptionem. Per fructum ergo intelligit homines credentes, ut alibi per triticum. Vitam æternam conſiderat ut locum, in quem fructus hic congregatur. Hinc ille loquendi modus, intrare in vitam æternam.

Ut & qui ſerit, ſimul gaudeat, & qui metit. Quaſi dicat, ut hac ratione non tantum is qui ſerit, ſed etiam is qui metit gaudeat, licet is qui metit, alienum, id eſt, ſerentis demetat laborem.

Verſ. 37. *In hoc enim ille ſermo verus eſt, quod alius eſt qui ſerit, & alius qui metit.* Id eſt, in hac re de qua loquor, verus eſt ſermo ille proverbialis. Ὁ λόγος ὁ ἀληθινός, cum articulo emphatico: quaſi dicat, valde verus.

Verſ. 38. *Ego miſi vos.* Id eſt, mittere conſtitui & miſſurus ſum, nec dum enim quoquam à Chriſto moverant.

Metere, quod non vos laboraſtis. Alii laborarunt, & vos in laborem eorum ingreſſi eſtis. Id eſt, ingreſſuri eſtis, eadem ut prius enallege temporis. Intelligit ſe, qui præcipuus ſator erat, ſemen illud jaciens, ex quo Chriſtiani ſunt orti Matth. xiij. Intelligit & Joannem Baptiſtam, qui multum laboraverat, & multos ad fidem in Chriſtum ſuſcipiendam præparaverat, & ad Chriſtum direxerat, & tandem etiam mortem pro veritate ac juſtitia perpeſſus eſt. Intelligit & veterum prophetarum laborem, qui Scripturis ſuis maximum ad hanc meſſem adjumentum attulerant. Meſſem enim intelligit, qua demetendi & colligendi erant ex omnibus gentibus homines ad fidem in Chriſtum. Hoc quia Apoſtoli facturi erant, ideo eos in aliorum laborem ingreſſos dicit, non ut eum interverterent, ſed ut eum non irritum & inanem redderent. Paulus nolebat ædificare in alieno fundamento Rom. xv. 20. 2 Cor. x. 15, 16, id eſt, nolebat prædicare Euangelium, ubi jam ab aliis eſſet prædicatum; ſed tamen & Paulus & omnes alii metebant, quæ Chriſtus & Prophetæ maximo labore conſeverant. Hinc & ipſe Paulus toties prophetarum teſtimoniis utitur.

Verſ. 39. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum.* Redit ad Sicharitas, qui interim adveniebant, dum Chriſtus loqueretur. Multi Samaritanorum crediderunt in ipſum, poſtquam nimirum ad eum venerunt & eum conſpexerunt; crediderunt autem, tanquam in Meſſiam.

Propter ſermonem mulieris illius, teſtantis, quod dixerit mihi omnia, quæcunque feci, verſ. 29. Una res, & unius mulieris teſtimonium Samaritanos permovit, ut in Jeſum, taoquam in Chriſtum illum Dei crederent, cum tot divina miracula Judæos commovere non poſſent, quæ ipſimet oculis ſuis uſurpabant.

Verſ. 40. *Cum igitur veniſſent ad eum Samaritani illi.* Intelligi & jam in eum crederent.

Rogarunt eum, ut maneret apud ipſos. Id eſt, ut apud ſe aliquandiu hoſpitari dignaretur. Volebant hoſpitii officio Regem Meſſiam ſibi obligare, fortaſſis & multa ad religionem ſpectantia mulieris illius exemplo ab eo ſciſcitari.

Et manſit ibi duo dies. Non ſprevit eorum humanitatem ac benevolentiam, præſertim fidem eorum videns. Unum atque alterum diem illis benigne indulſit. Hæc, credo, Chriſti apud Samaritanos hoſpitatio, infame illud & invidioſum Samaritani nomen ei apud Judæos peperit cap. viij. 48. interim tamen Samaritani Judæis multo probiores erant.

Verſ. 41. *Et multo plures crediderunt.* Non fruſtra manſit, meſſem enim, de qua loquebatur verſ. 35 & ſequentibus multo uberiorem fecit.

Propter ſermonem ejus. Quaſi dicat, quamvis non faceret miracula. Confer verſ. 48. Solus Chriſti ſermo iis ſuffecit ad credendum, & erat eis pro maximo ſigno ac prodigio, quippe quod plenus eſſet divinæ ſapientiæ & auctoritatis, quodque Scripturis undique conformis eſſet & confirmaretur à Chriſto. Vide cap. vij. 15, 46. Cæterum ſermonem Chriſti opponit loquelæ mulieris, ut docent ſequentia.

Verſ. 42. *Mulieri autem dixerunt, quod non amplius propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus.* Ex proprio illius ſermone videlicet,

Et ſcimus. Ab ipſo nimirum edocti, & ex Scripturis inſtituti;

Quod hic ſit vere ille ſervator mundi. Non dicunt Iſraëlis, ſed mundi, ut ſe quoque tanto certius includerent. Forte etiam hac de re Chriſti ſermone magis edocti.

Ille Chriſtus. Utrumque cum articulo emphatico: ὁ σωτὴρ ὁ Χριστός. Quaſi dicat, ille ſingularis & inſignis ſervator, ille ſingularis & inſignis Chriſtus. Alterum alteri ſine conjunctione apponitur, majoris declarationis cauſa. Similis oppoſitio eſt, quoties dicitur ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. vide cap. xx. 31 Non

tantum ergo Samaritani crediderunt, eum eſſe a Deo miſſum, quod Judæis difficulter perſuaderi poterat tot miraculis, ſed etiam eſſe Chriſtum illum Dei, quod ſolo ſuo ſermone Chriſtus Samaritanis perſuaſit. Et hæc hiſtoria plurimum facit ad Euangeliſtæ ſcopum, ut nimirum oſtendat Jeſum eſſe Chriſtum illum Dei, quam etiam haud dubie idcirco prætermittendam non duxit.

Verſ. 43. *Poſt duos autem dies exivit inde, & abivit in Galilæam.*

Verſ. 44. *Ipſe enim Jeſus teſtatus eſt, quod Propheta in propria patria honorem non habeat.* Cauſam addit, cur Jeſus non abiverit recta Nazarethum, ſed in aliam Galilææ partem. Quia Nazarethum erat patria Jeſu, quatenus in ea educatus eſt, crevit, adolevit; in qua & matrem & fratres habebat; in Patria autem propria Propheta honorem non habeat. Videtur hoc accidere I. quod familiaritas illa in propria patria cum fratribus & conſanguineis & vicinis non parum auctoritati & exiſtimationi demere ſoleat. Unde vulgo dicitur: Familiaritas nimia parit contemtum. II. Quod Prophetæ fuerint ſemper in ſtatu ſecundum carnem humili, pauperes, contemtui obnoxii. Tales erant & veteres illi Prophetæ, quos Deus voluit eſſe ſine ullo ſplendore mundi ad probandos hominum animos. Talis erat & ipſe Chriſtus, pauper, nihil habens ſecundum carnem, quo ſe a contemtu vindicaret; At apud conſanguineos tales æſtimantur, qui ſibi honori ſint & emolumento, non dedecori & periculo ac nocumento. III. Quod inter fratres & cognatos facile oriatur invidia, & ex invidia ac odio contemtus. Nam, ubi ſe omnes pares & æque dignos putant, non libenter aliis de honore concedunt. Joſephus apud Ægyptios in ſummo honore fuit, a fratribus pro mancipio venditus eſt. Quo in honore & Jeſus apud fratres ſuos fuerit, vide cap. vij. 3 & ſequentia.

Verſ. 45. *Cum igitur veniſſet in Galilæam, receperunt eum Galilæi.* Nempe tanquam Prophetam & à Deo miſſum,

Omnia videntes, quæ fecit Hieroſolymis in feſto; & ipſi enim venerant ad feſtum. Ex tot divinis miraculis, quæ propriis oculis viderant, colligebant eum eſſe Prophetam & a Deo miſſum; Vide cap. 2. 3, 29. Hinc autem patet, Chriſtum necdum in Galilæa publice prædicaſſe. An enim Galilæi in ipſa Galilæa miracula Jeſu, quæ publicæ prædicationi addere ſolebat, non vidiſſent? Vide cap. iij. 24. Nam aquæ in vinum converſio, inter paucos erat facta, & ideo paucis nota, & principium tantum ſignorum, & non multa ſigna; nec in prædicatione factum, ſed in nuptiis.

Verſ. 46. *Venit igitur Jeſus rurſum in Canam Galilææ, ubi fecerat aquam vinum.* Qua de re vide cap. ij. Comparaverat ſibi iſtic tanto miraculo nomen & auctoritatem, idcirco rurſum eo venit, non dubitans, ſe ab iis receptum iri.

Et erat quidam regius. Βασιλικὸς, id eſt, quidam ex aulicis & miniſtris regis.

Cujus filius ægrotabat in Capernaum.

Verſ. 47. *Hic cum audiviſſet, quod Jeſus veniret ex Judæa in Galilæam, abivit ad eum.* Nempe Canam, excitus haud dubie fama miraculorum ejus.

Et rogavit eum, ut deſcenderet & ſanaret ſuum filium, erat enim moriturus. Jam nulla ſpes vitæ ſupererat. Non putavit Chriſtum ex longinquo poſſe ſanare:

Ideo dicit; *deſcende.* Nempe ex Cana in Capernaum. Putavit enim, ſibi homini regio hunc honorem deberi. Nec putavit, Chriſtum etiam mortuum poſſe ſuſcitare; ideo addit, *priusquam moriatur puer meus* verſ. 49. Multo major & perfectior fuit fides centurionis illius ex eadem Capernaum, quamvis alienigenæ Matth. viij. 8. Ideo & encomium illud tulit a Chriſto, ſe tantam fidem in Iſraële non reperiſſe verſ. 10.

Verſ. 48. *Dixit igitur Jeſus ad eum; niſi ſigna & prodigia videretis, non crederetis.* Quaſi dicat, non ſane rem magnam in eo præſtatis vos Judæi, quod ſigna & prodigia videntes a me fieri, credatis me a Deo miſſum eſſe, cum Samaritanis ad fidem in me ſatis eſſet ſermo meus. Credo, imputabat fidem ſuam Chriſto, quod ad eum homo regius profectus eſſet, & ab eo filium ſanari poſtularet.

Verſ. 49. *Dicit ad eum regius, Domine*, vulgato honoris titulo, *deſcende priusquam moriatur puer meus.* Non reſpondet ad Chriſti ſermonem, verum enim eum eſſe agnoſcebat; ſed tantum petitionem ſuam repetit, cum putaret periculum eſſe vel in minima mora: qui ſane magnus erat fidei ejus defectus. Divinæ enim potentiæ nullum eſt in ulla mora periculum.

Verſ. 50. *Dicit ei Jeſus, abi, filius tuus vivit.* Jam eſt extra mortis periculum, jam convaluit.

Et credidit homo ille ſermoni, quem dixit ei Jeſus, & abibat. Cogitavit, vir Sanctus eſt, Propheta eſt, non mentitur,

Τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν. Per enallagen caſus, propter antecedentem dativum.

Et abibat. Quia credebat puerum ſuum jam vivere, non erat Jeſu amplius moleſtus, & feſtinabat ad videndum fidei ſuæ effectum.

Verſ. 51. *Cum autem jam deſcenderet, ſervi ejus.* Quippe hominis regii, in opibus & dignitate poſiti, ſervis & familia inſtructi,

Occurrerunt ei. Rem tam lætam ferentes,

Et annunciarunt, dicentes, quod puer tuus vivit. Id ipſum annunciant, quod Chriſtus dixit.

Verſ. 52. *Quærebat igitur ab iis horam, in qua melius habere cœpit.* Ut cognoſceret, an illo ipſo tempore, quo Chriſtus filium ſuum vivere dixit, id eveniſſet. *Et dixerunt ei, quod heri hora ſeptima reliquerit eum febris.*

Verſ. 53. *Cognovit igitur pater, quod illa hora, in qua dixit ei Jeſus, quod filius tuus vivit, & credidit ipſe.* Nempe Jeſum eſſe a Deo miſſum, quandoquidem ad ejus, idque longe abſentis, dictum, lethaliter decumbens, protinus ſanatus ſit, *credidit*, nimirum multo quam ante certius, & ſublata omni dubitatione. Nam & antea credebat; neque enim iviſſet ad Chriſtum, nec ejus opem imploraſſet, nec ſermoni ejus protinus credidiſſet. Sed poſtquam eum rem tam ſtupendam ac prodigioſam perfeciſſe vidit; in fide ſua plane confirmatus eſt. vide cap. 2. 11.

Et domus ejus tota. Id eſt, omnes in domo, per metonymiam continentis. Non in gratiam Domini, ſed ob tantum Chriſti miraculum, cujus una cum Domino & per ipſum erant conſcii. Locus hic docet, quam

Digitized by Google

quam vana ſit illatio: baptizatus eſt cum toto domo: ergo & infantes ſunt baptizati. An ergo, quia tota domus credidit, etiam infantes crediderunt, Chriſti miraculo convicti? crediderunt omnes, credendi ſcilicet capaces, id eſt, ſui potentes, ratione & arbitrio utentes. Sic & baptizati ſunt omnes, ſed ſacro baptiſmo idonei, quales infantes eſſe, aliunde prius probandum eſt. Tam multas dari domos ſine infantibus, exempla alia, familiæ totius, Patrefamilias præeunte, ad fidem in Chriſtum converſæ. Vide Act. xvi. 15, 33. xviij. 8.

Verſ. 55. *Hoc rurſus ſecundum ſignum fecit Jeſus.* Nempe in Cana Galilææ, *cum veniſſet ex Judæa in Galilæam.* Nam primum in Cana Galilææ fecerat, cum ex Galilæa iturus eſſet in Judæam cap. 2. 12, 13. Ita Cana illa duobus Chriſti ſignis nobilitata fuit, ante publicam Chriſti in Galilæa prædicationem.

CAPUT V.

Verſ. 1. P*Oſt hæc erat feſtum Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolyma:* Ex lege videlicet, cujus obſervans erat.

Verſ. 2. *Eſt autem Hieroſolymis ad probaticam.* ſive portam, ſive forum πύλην vel ἀγορὰν, ab ovibus dictam,

Piſcina, quæ dicitur Hebraice Bethesda. Domus beneficentiæ, domus ab adſtructis porticibus, beneficentiæ, a beneficiis ſanationum, *quinque porticus habens.*

Verſ. 3. *In quibus decumbebat multitudo magna ægrotantium, cæcorum, claudorum, aridorum, exſpectantium aquæ motionem.*

Verſ. 4. *Angelus enim ſecundum tempus.* Quo ſcilicet Deo placuit, *deſcendebat in piſcinam* ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, pro, εἰς τὴν κολυμβήθραν, *& turbabat aquam, qui igitur primus ingreſſus erat poſt turbationem aquæ, ſanus fiebat, quocunque tenebatur morbo.* Sunt & hodie thermæ & aquæ, quibus morbi ſanantur. Verum hic indicatur, non naturaliter vim ſanandi fuiſſe in aqua, ſed miraculoſe & ſupra naturam factum, ut homines per eam ſanarentur. Notandum hic, Deum ſemper aliqua ſigna viſibilia ſuæ in Judaica gente præſentiæ ediδiſſe, ea cum nunc ceſſarint, ex eo Judæi ſe rejectos eſſe colligere debere, viſibilia autem ejuſmodi miracula; etiamſi fuerint argumentum divinæ circa gentem iſtam curæ ac providentiæ, tamen etiam ſimul fuere magnæ in fide imbecillitatis & imperfectionis Judæorum, qui talibus fulcris, ut ſubinde fulcirentur, indigebant, documenta.

Verſ. 5. *Erat autem quidam homo ibi, triginta octo annos habens in infirmitate.* Hebræa phraſi, pro triginta octo annis infirmus. Erant ibi multi alii ægroti, ſed hunc præ cæteris delegit Chriſtus, in quo ſanando potentiam ſuam exerceret: quia gravitas & pertinacia morbi à Chriſto pulſa, magis divinam vim ejus declaratura erat, & quia eadem magis Chriſtum ad miſericordiam movebat, & quia æger in tam diuturno morbo ſatis exercitus, patientia ſua quodammodo merebatur magis, ut ejus ratio haberetur, & denique, quia is magis quam alii, indigebat auxilio, cum alii adjutores haberent, iſte neminem, cujus ope in piſcinam deſcendere poſſet in tempore. Ita Deus novit, quos & quando potiſſimum reſpicere & juvare debeat. Et qui per piſcinam illam ſanari poterant, merito piſcinæ relinquendi erant.

Verſ. 6. *Hunc cum vidiſſet Jeſus decumbentem & cognoviſſet.* Nempe ſpiritu divino, *quod multum jam tempus haberet.* Id eſt, jam à multo tempore, ab annis triginta octo ægrotaret,

Dicit ei, vis ſanus fieri? Non quærit, vis á me ſanus fieri? vel, credis me poſſe te ſanare? nihil enim adhuc de Chriſto audiverat, itaque fidem non requirit ab eo, cui facultas credendi defuit. Sic nec infantum fidem requirit Chriſtus ad ſalutem; proinde nec baptiſmum.

Verſ. 7. *Reſpondit ei ægrotans, Domine.* Conſveto honoris titulo. Neque enim adhuc ſciebat Chriſtum eſſe.

Hominem non habeo, ut quando turbata ſit aqua, mittat me in piſcinam, dum autem venio ego, alius ante me deſcendit. Non reſpondet directe, ſe velle ſanum fieri, de eo enim nullum erat dubium, nec Chriſtus hoc quærit, ut voluntatem ejus expiſcaretur, ſed ut ei ſanitatis lætum afferret nuncium. Reſpondet, ſe ſanum fieri non poſſe, cum nec ipſe poſſet in piſcinam ingredi, nec hominem haberet ullum, qui ſe in eam mitteret primo turbatæ aquæ momento, vel antequam alius præveniret, nec ordo, ut apparet, à magiſtratu ſervaretur, poſthabitis ſemper pauperibus, ut ſolet. Pauperi ergo & poſthabito ſuccurrit Chriſtus.

Verſ. 8. *Dicit ei Jeſus: ſurge, tolle lectum tuum, & ambula.* Tria imperat ut faciat, ex quibus conſtaret, eum plane ſanatum eſſe.

Verſ. 9. *Et ſtatim factus eſt ſanus homo ille.* Proinde ſurrexit ex lecto, ſurrexit inquam, à Domino ſanatus. Sic & Chriſtus ſurrexit ex mortuis à Patre excitatus,

Et ſuſtulit lectum ſuum, & ambulavit. Lectum nimirum portans.

Erat autem Sabbathum in illa die. Facta hæc ſunt die ſabbathi, ut portatione lecti omnes commoverentur ad ſpectaculum tanti miraculi.

Verſ. 10. *Dixerunt igitur Judæi ſanato illi, Sabbathum eſt, non licet tibi portare lectum.*

Verſ. 11. *Reſpondit eis, qui fecit me ſanum, ille mihi dixit, tolle lectum tuum & ambula.* Quaſi dicat, ego non ſum in culpa, ille hoc juſſit, qui me ſanavit. Magno ſe tuetur auctore.

Verſ. 12. *Interrogarunt igitur eum, quis eſt homo ille, qui dixit tibi, tolle lectum tuum & ambula.* Tranſmittunt id, quod erat maxime conſiderandum, nempe ſanationem tam miraculoſam, quæ non niſi divina virtute perfici potuit, hoc ſolum arripiunt, ut quærant, quis ſit ille homo, qui lectum tollere & ambulare cum lecto illa die juſſerit? haud dubie ſuſpicati Jeſum eſſe, qui hoc fecerit. Nam τῶν Ἰουδαίων nomine ſolet Johannes Judæorum ſeniores intelligere κατ' ἐξοχήν.

Verſ. 13. *Ille autem ſanatus neſciebat, quis ſit?* Jeſum enim, quia decumbebat ægrotus, antea non viderat.

Jeſus enim ſubduxit ſe cum populus eſſet in illo loco. Nempe, ut vitaret periculum. Tempus ergo homo ille non habuit cognoſcendi Dominum. Exemplum habe-

Digitized by Google

habemus, ut nos ſubducamus imminenti periculo, nec nos objiciamus multitudini, quam etſi Chriſtus virtute ſua divina comprimere poſſet, tamen quando prudentia evitare periculum poterat, non utebatur virtute extraordinaria & miraculoſa.

Verſ. 14. *Poſthac invenit eum Jeſus in templo.* Fuit homo ille, ut apparet, gratus tanti beneficii divini. Idcirco in templum venit, ut laudes diceret Deo & offerret gratiarum actionem. Agnovit hoc tantum opus auctorem habere Deum, qui homini tantam dediſſet virtutem. Non hominem pro uno Deo agnovit, ſed vidit hominem id ex ſeipſo facere non potuiſſe, ſed virtutem id faciendi à Deo accepiſſe. Hoc ipſum agnovit, quod mox ipſe Jeſus Judæis dicit verſ. 19. Sic & turbæ illæ videntes, quod Jeſus remitteret peccata, glorificarunt Deum, qui dederit poteſtatem tantam hominibus Matth. ix. 8.

Et dixit ei, ecce ſanus factus es, amplius non pecca, ne pejus quid tibi fiat. Sanavit corpus, ſanat & animum hoc tam ſalutari monito. Apparet, hominem illum propter peccata ſua tam diuturno morbo à Deo fuiſſe punitum & lecto affixum, ne peccare & Deum offendere poſſet, & ut pœnitentiam ageret: quaſi dicat, graviter fuiſti punitus propter gravia peccata; ſi ad peccata redieris, redibit ad te pœna divina, eaque multo gravior. Chriſtus igitur pœnam peccatorum ab eo abſtulit, & ſic non verbis tantum, ſed etiam facto ipſo peccata ei remiſit. Docemur hoc exemplo & Chriſti monito, ut à Chriſto per fidem & baptiſmum à peccatorum reatu ſanati, vitam impoſterum ſanctam ac fidei & baptiſmo convenientem agamus. Secus ſi fiat, ſique mores ad priſtinos relabamur, omnia in caſſum fore, immo poſteriorem noſtram conditionem longe deteriorem fore priori. Vide 2 Pet. 2. 20, 21, 22.

Verſ. 15. *Abivit homo ille, & annunciavit Judæis.* Τοῖς Ἰουδαίοις, κατ' ἐξοχὴν. Judæorum ſenioribus,

Quod Jeſus ſit, qui fecit eum ſanum. Non, ut accuſaret Jeſum, ſed ut ex tanto miraculo cognoſcerent, Jeſum eſſe à Deo miſſum.

Verſ. 16. *Et propter hoc perſequebantur Jeſum Judæi, & quærebant eum occidere, quod hæc fecerit in ſabbatho.* Vide Judæorum ſummam improbitatem. Pro eo ut crederent in Jeſum, videntes miraculum tantum, quæſiverunt ut Jeſum occiderent, quod die ſabbati ſanaſſet, & lectum portare juſſiſſet.

Verſ. 17. *Jeſus autem reſpondit eis.* Apparet, eos ſtatim conſectatos eſſe & accurriſſe ad Jeſum, eumque circumſtitiſſe, ac truci expoſtulatione adortos eſſe, cur auderet ſabbatum violare? Hoc enim eſt quod dixerat, *& perſequebantur Jeſum, &c.* Exiſtimabant ſe nactos eſſe egregium prætextum, quaſi ſabbatum violaſſet.

Pater meus uſque nunc operatur, & ego operor. Quaſi dicat, quia Pater meus, Deus ille unus, *uſque nunc*, id eſt, etiam hoc ipſo die ſabbati, *operatur*, ideo *& ego* Filius ejus *operor*. Patrem ſequor ducem, ſine quo nihil operari poſſem. Non reſpondet ad portationem lecti, ſed tantum ad ſanationem ægroti. Res enim ipſa loquebatur, non profanationis ſabbati, aut privati commodi cauſa, lectum portare juſſum, ſed ut ſignum attolleretur omnibus tanti miraculi. Rem enim inſolitam videntes in ſabbato, nempe portationem lecti, excìebantur homines, & cauſa cognita occaſionem habebant glorificandi Deum, & in Jeſum credendi. Sed Judæi iſti contumaces & perverſi & invidi, quod fiebat in ſalutem, arripiebant ſibi ipſis in perniciem, juſto Dei judicio, qui ſuis divinis operibus in Chriſto ſemper aliquid adeſſe voluit, quod improbos homines propria illorum culpa præcipites daret. Hinc colligitur, illo ipſo ſabbato dicta hæc fuiſſe, quo ſanaverat ægrotum.

Verſ. 18. *Propter hoc igitur magis quærebant Judæi eum occidere, quod non ſolum ſolverit ſabbatum, ſed etiam Patrem proprium dixerit Deum, æqualem ſeipſum faciens Deo.* Nihil hoc reſponſo profecit Chriſtus. Hominibus perverſis & improbis, quanto magis te purgare coneris, tanto plura arripient, quæ criminentur & accuſent.

Magis illum quærebant occidere Judæi, quia non tantum ſolverit ſabbatum, ſed etiam Patrem proprium dixit Deum, æqualem ſe faciens Deo. Hæc Joannes per mimeſin, & ex illorum, non ex ſua ſententia loquitur. Nam reipſa nec ſabbatum ſolvit, nec ſeipſum Deo æqualem fecit. Deum quidem illum unum Patrem ſuum eſſe dixit, & ſe Dei Filium, κατ' ἐξοχὴν, ſeu ſingulari & ſibi propria ratione; ſed hoc fecit, quia Chriſtus ille Dei erat, à Patre ſanctificatus & in mundum miſſus cap. x. 36. Cæterum hoc arripuerunt Judæi, quod dixerit, *Pater meus*, non, Pater noſtrum omnium, excludens omnes alios.

Et ne viderentur ſolis vocibus in hac criminatione niti, addunt; *æqualem ſe faciens Deo*, dum ſcilicet ſibi ſumit poteſtatem operandi in ſabbato, quia Deus in ſabbato operetur, quaſi dicat, hoc certe Deo eſt æqualem, ac proinde Dei Filium, qualis nemo hominum alius ſit, ſeſe facere. Vere arguebant de Filio. Erat enim talis Filius; nam erat Chriſtus ille Dei & Dominus ſabbati, & ob id ipſum omni honore afficiendus, atque ex hoc ipſo tam divino opere, is eſſe agnoſcendus erat, non occidendus. Sed non propterea Deo æqualem ſe faciebat, niſi quatenus hoc in Chriſtum illum Dei conveniebat. Nam, ut ex ſequentibus Chriſti verbis apparet, quibus id, quod dixit, declarat & confirmat, hoc ſibi vult Chriſtus, ut dicat, *Pater meus uſque nunc*, & in die ſabbati *operatur*, monſtrando mihi ſcilicet etiam in die ſabbati effectionem tam divinorum operum, *& ego operor*, id eſt, illa efficio.

Verſ. 19. *Reſpondit igitur Jeſus, & dixit eis; amen, amen, dico vobis: non poteſt Filius à ſeipſo facere quicquam, niſi quid videat Patrem facientem.* Perſiſtit in titulo Filii, quem ſibi κατ' ἐξοχὴν tribuit, & hinc defenſionem ſuam ſumit.

Amen, amen. Id eſt, vere, vere; etiam atque etiam vere,

Dico vobis. Non poteſt Filius. Nempe Dei, Chriſtus nimirum ille,

A ſeipſo. Id eſt, ſibi & ſuis propriis ac naturalibus viribus relictus, quippe cum ſit homo verſ. 27.

Facere quidquam. Nempe divinum & admirandum. Hoc Chriſtus tanta cum aſſeveratione dixit, & tamen ei hodie non creditur. Aſſeritur enim eſſe Deus ille unus, qui omnia à ſeipſo facere poteſt.

Niſi quid videat, pro, *ſed ſi quid videat*, ἐὰν μὴ

pro

pro ἀλλ' ἢ. Neque enim hæc limitatio eſt ſuperioris dicti, ſed affirmatio contrarii.

Patrem. Unum illum Deum videlicet,

Facientem. Id eſt, ſed ſi ei monſtret Pater opus aliquod divinum, ſeu illius efficiendi rationem, tum demum illud facit, ut mox ſe ipſum explicans loquitur. Summa defenſionis huc redit. Non ego feci hoc tám divinum opus, ſed Pater, Deus ille unus, per me. Quid ego ipſe meis viribus facere potuiſſem? Itaque dum me accuſatis, Deum ipſum accuſatis. Quid vero opus eſſet, ut Filius videret aliquid Patrem facientem, ſi Filius unus ille Deus eſſet, aut ipſe per ſe divinam haberet omnia faciendi virtutem ac poteſtatem? Secundum humanam naturam, inquiunt, nihil à ſe ipſo poteſt facere. An ergo ſecundum humanam naturam verum dixit, ſecundum divinam autem naturam falſum?

Quæ enim ille faciat. Ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ. Signa nimirum & miracula.

Hæc & Filius ſimiliter facit. Cum ſcilicet opus eſt. Confirmat dictum ſuperius: quaſi dicat, unde vero hoc poſſet Filius, niſi monſtratorem & inſtitutorum haberet patrem? Filius enim homo eſt, non Deus ille unus, qui Pater.

Verſ. 20. *Pater enim diligit Filium.* Id eſt, Chriſtum illum ſuum, quem genuit, & in Filium elegit ſingulariſſimum.

Et omnia. Quaſi dicat, & ideo *omnia monſtrat ipſi, quæ ipſe* (nempe Filius) *facit*, divina ſcilicet & admiranda.

Nam ipſe. De eodem accipiendum eſt de quo & præcedens *ipſi*. Cauſam enim addit, ob quam Pater omnia monſtret Filio, quæ is faciat divina & admiranda ſigna, quia nimirum Filium diligat, ſingulari videlicet dilectione. quippe Filium ſingulariſſimum. Qui hæc ad creationem mundi, & alia omnia Dei opera & actiones trahunt, non tantum materiam ſubjectam, ſed etiam verbum præſentis temporis *facit*, *faciat*, *monſtrat*, non conſiderant, nec quod ſequitur de majoribus quam quæ hactenus monſtrata erant operibus, Filio monſtrandis, & pronomen *ipſe* ad Patrem referunt, quod intelligendum eſt de Filio, & ſuperiora verba, *quæ enim ille faciat* (nempe Pater) abſolute accipiunt, cum accipienda ſint de ſignis tantum & miraculis. Sumit enim ſimilitudinem Chriſtus ab homine, qui Filium unice diligens, modum ac rationem ei monſtret eximia quædam faciendi, quæ nemo alius facere queat. At Deu non aliter modum & rationem monſtrat faciendi miracula divina, de quibus hic res eſt, quam per divinæ virtutis & poteſtatis communicationem. Similem locutionem Chriſti habemus infra de diſcipulis, *qui credit in me, opera quæ ego facio & ille faciet, & majora his faciet* cap. XIV. 12. Ubi niſi ſimiliter nos intra ſubjectam materiam, id eſt, intra miracula ad Euangelii confirmationem ſpectantia, cntineamus, ad omnium in univerſum operum & actionum Chriſti ſocietatem Apoſtoli admittendi erunt. Ideoque ſi quis pronomen *ipſe*, in Chriſti verbis, *quæ ipſe facit*, cum ſcilicet opus eſt, ad Deum referri putet, tamen hoc materiam ſubjectam, quæ ſigna & miracula ſunt divina, non debet excedere, ut & ſequentia docent.

Monſtrat ei. Succeſſive nimirum. Sequitur enim;

Et majora his. Nempe quæ adhuc fecit & facit Filius,

Monſtrabit ei opera. Quaſi dicat, magna ſunt hæc quæ adhuc fecit, Patre monſtratore Filius, ſed majora eodem Patre monſtratore faciet. Non viderant adhuc à Filio mortuos excitari, non viderant judicium extremum; illud poſtea viderunt, iſtud viſuri ſunt.

Ut vos miremini. Quaſi dicat, hæc vos, vos, inquam, quamvis tantopere mihi adverſantes, ad ſummam cogent admirationem, eamque vobis expriment invitis, quod in Lazaro excitato uſu venit cap. xj. xij. Si Filius ea faceret qui unus ille Deus eſſet, nullum foret miraculum, ſed quod ea faciat Filius hominis, id vero eſt omnibus modis admirandum! Vides divina Filii opera ad Patris dilectionem erga Filium, & ſic ad Patrem auctorem referri. Nec mirum, Filius enim Dei, κατ' ἐξοχὴν dictus, hominem ſignificat, ad hanc tantam dignitatem ac divinitatem à Deo electum, & in ea conſtitutum Matth. xij. 18. Heb. 1. 5. infra verſ. 27.

Verſ. 21. *Sicut enim Pater excitat mortuos & vivificat.* Quando ſcilicet vult, & quos vult.

Sic & Filius quos vult vivificat. Probat quod aſſeruit, & oſtendit quæ ſint hæc majora, & illis etiam ipſis admirationem expreſſura opera. Ponit præſens pro futuro, id eſt, quos volet vivificabit. Necdum enim vivificabat, & Pater hoc ei monſtraturus erat.

Dicit, *quos vult*, quia loquitur de iis quos Euangelium prædicans vivificaturus erat. Nam in extremo judicio omnes vivificabit, ut ipſe dicit verſ. 28. Cæterum vivificandi verbo exponit, quid ſit excitare mortuos; eſt nimirum mortuis vitam dare.

Verſ. 22. *Neque enim Pater judicat quenquam, ſed judicium omne dedit Filio.* Quaſi dicat, quid mirum quod Filius quem velit in vitam revocet, cum Pater neminem judicet, id eſt, in illo extremo judicio judicaturus ſit? Eſt enim & hic enallage temporis conſueta.

Sed omne judicium. Quia omnis hominis judicium,

Filio dedit. Conſtituit enim illum judicem omnium & vivorum & mortuorum Act. x. 42. *Dedit*, id eſt, dare decrevit, per metonymiam effecti pro cauſa, vel dabit, per enallagen temporis Hebræis familiarem, vide verſ. 21, 24.

Pater neminem judicat. Intellige per ſeipſum. Nam omnes judicaturus eſt per Filium Rom. j. 16.

Verſ. 23. *Ut omnes honorent Filium.* Quippe ſuum judicem, ſuum Dominum ac Regem cæleſtem. Judices enim, Hebræa phraſi, appellantur rectores ſummi. Omnia enim Deus ſubjecit pedibus Filii ſui. Quia vero eum judicem tantæ majeſtatis fecit, quid hoc aliud eſt quam quod eum Elohim, id eſt, Deum fecerit? Judices enim ſummi Hebræis conſuete dicuntur Elohim, id eſt, Dii.

Sicut honorant Patrem. Tantam enim majeſtatem, tantus honor neceſſario conſequitur, id eſt, ut omnes Filium una cum Patre adorent, in Filjum credant, nomen ejus invocent, & cæleſtibus colant religionibus: in Filio enim & per Filium hæc omnia præſtantur Patri, & ad gloriam Patris fiunt Phil. 2. 11.

Vide hic, unde Filio divinus debeatur honor. Non ex eo, quaſi unus ille Deus ſit, ſed quod ei Pater, qui Deus ille unus eſt, omne judicium dederit, idque ideo, quia Filius hominis eſt, ut infra dicitur verſ. 27.

Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui miſit eum. In legato enim vel honoratur, vel ignominia afficitur is qui eum miſit. Nam legati perſonam tum adhuc ſuſtinebat Filius. Vide hic Dei Filium dici, qui ſit à Patre miſſus; quod certe cadere non poteſt in eum, qui ſit unus ille ac ſummus Deus. Secundum hominem, inquiunt, quaſi vero & hoc in unum illum Deum cadat, ut homo fiat? nec ipſa Filii appellatio cadit in unum illum Deum. Unum enim illum Deum dici, & Filium dici, contradictoria ſunt. Significat autem Chriſtus Judæos non honorare Patrem, quamvis ejus cultores videri velint, quia non honorent Filium ab ipſo miſſum. Non honorabant autem, quia in illum non credebant, quin & legis divinæ violatorem, & blaſphemum, & pſeudoprophetam & pſeudo-Chriſtum judicabant, & occidere quærebant verſ. 18. Idem & hodie fit: Filius enim Dei, qui Deus ille unus non ſit, rejicitur ab omnibus, & in ſui nominis cultoribus damnatur & perſecutionem patitur. Sed habent quo ſe ſolentur, & de quo maxime glorientur, qui cum hoc Dei Filio, & propter ipſum dura perferunt, cum eodem enim & regnabunt. Interea vero certiſſimum habent argumentum, ſe diſcipulos ejus eſſe, neque enim diſcipulus major eſſe poteſt ſuo magiſtro, & ſervus ſuo domino. *Si me perſecuti ſunt,* inquit ipſe, *& vos perſequentur* cap. xv. 20, 21.

Verſ. 24. *Amen, amen, dico vobis, quod, qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habeat vitam æternam.* Dixit quanto crimine ſe obſtringat, qui Filium à Patre miſſum non honoret; nunc ex adverſo docet, quid maneat eum qui honore afficiat Filium, idque cum aſſeveratione, *amen, amen, dico vobis, quod, qui ſermonem meum audit.* Pars eſt honoris Chriſti ſermonem ejus audire. Nam, qui ne audire quidem eum dignatur, magna Chriſtum afficit contumelia, & eum damnat inauditum.

Et credit ei qui miſit me. Nimirum ſatis non eſt ſermonem audire Chriſti, & aures ei præbere, ſed & credendum eſt ei qui Chriſtum miſit, id eſt, uni illi Deo. Non dicit, & credit mihi, ſed *ei, qui miſit me*, ut oſtendat fidem ſibi adhibitam tendere in Deum, qui ſe miſerit. Neque enim Chriſtus à ſe ipſo venit, nec à ſe ipſo loquebatur, ſed à Deo miſſus erat, & Dei verba loquebatur cap. xiv. 10. Vides quanto honore Filius afficiat Patrem, & quam ſe Patri ſubmittat. Mira eſt Chriſti in tanta dignitate modeſtia. Si quid de ſua dignitate ac divinitate loquitur, vel in tertia perſona loquitur, tanquam ſi de alio, non de ſe loqueretur, vel omnem ſuum honorem ad Patrem, tanquam ad auctorem, refert. Nihil his in verbis de fide in ſe, de ſuo honore, de obedientia & præceptorum ſuorum obſervatione expreſſe loquitur. Nimirum, quia ſermoni Chriſti, & ſic Deo, qui Chriſtum miſit, credi non poteſt, quin protinus credatur, Jeſum eſſe Dei Filium, κατ' ἐξοχὴν dictum, ſeu Chriſtum illum Dei, eſſe judicem vivorum ac mortuorum; & conſequenter, quin credatur in ipſum, quin ei omnis divinus deferatur honor, quin ejus nomen invocetur, quin ejus præceptis obtemperetur, ſi velimus ejus promiſſa, id eſt, vitam æternam ab ipſo adipiſci: fides enim in Chriſtum trahit ſecum obſervationem mandatorum ejus, quæ niſi ſequatur, vanam & iritatam eſſe fidem oportet. Quia cœcus ille natus Joan. ix. 7 & ſeqq. Chriſto credidit, protinus à Chriſto juſſus ivit ad piſcinam Siloam, ut lutum ablueret, & abluit, & viſum accepit; quod, ſi non feciſſet, quid eum fides ipſa per ſe juviſſet, ad obedientiam non progreſſa? Simile quiddam & in Naamano Syro 2 Reg. v. 14 uſu venerat. In fide igitur in Chriſtum obſervatio mandatorum ejus includitur. Non quidem tanta, ut per opera aut per legem juſtificemur, tantam enim obedientiam nullus habet; ſed tanta tamen, ut ſecundum ſpiritum, qui cum vera in Chriſtum fide ſemper conjunctus, ambulemus, non ſecundum carnem. Hic fidei effectus ſi conſequatur, eadem illa fides imputabitur ad juſtitiam, ſicut ſcriptum eſt; *juſtus ex fide vivet* Habac. 2. 4. Rom. 1. 17. Fidem nimirum juſti Deus æternæ vitæ dono dignabitur, etiamſi juſtitia ejus multis ex partibus ſit defecta; ſed tamen eam fidem, quæ eum effecit juſtum, (communi ſenſu hac voce accepta) non quæ fuit ignava, aut inefficax, aut falſa; qua ſibi quis æternam vitam deſpondeat, etiamſi ſecundum carnem, non ſecundum ſpiritum ambulet, nec renaſcatur cap. iij. 3, 5.

Habet vitam æternam. Id eſt, habebit,

Et in judicium non venit. Id eſt, non veniet in damnationem, per metonymiam cauſæ. Sic ſupra cap. iij, 18 *non judicatur*, id eſt, non judicabitur;

Sed tranſivit ex morte in vitam. Id eſt, tranſibit. Ubique occurrit conſueta temporis enallage.

Verſ. 25. *Amen, amen, dico vobis, quod venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* Confirmat id quod aſſeruit. Poterat enim aliquis cogitare, quomodo id fiat, ut aliquis ex morte tranſeat in vitam.

Amen, amen, inquit, *dico vobis, quod venit hora.* Id eſt, veniet, per ſolitam enallagen. *Hora.* Id eſt, tempus, per ſynecdochen,

Et nunc eſt. Quia inſtabat. Vide cap. iv. 23. Loquitur enim de iis, quos Euangelium prædicans, reſuſcitaturus erat, ut viderent Filium Dei poſſe mortuos ſuſcitare. *Quando mortui audient vocem Filii Dei.* Id eſt, quando mortuos jubebit reviviſcere: per metonymiam effecti pro cauſa. *Et qui audierint,* id eſt, quos juſſerit reviviſcere, idem tropus,

Vivent. Id eſt, reviviſcent, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi. Talis erat Lazarus, & multi alii. Poſtea de omnibus loquitur; ideo hic non dicit, omnes mortui, ſed indefinite *mortui.* Nec dicit, omnes vivent, *ſed qui audierint, vivent.* Ex iſtorum autem exemplis capere poterant argumentum futuræ reſurrectionis mortuorum omnium.

Verſ. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſe ipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſe ipſo.* Cauſam addit tantæ efficaciæ: quia nimirum, ſicut Pater ita vitam in ſe habet, ut eam poſſit & mortuis communicare, ſic & Filio dedit vitam habere in ſe ipſo, ut eam poſſit mortuis tribuere. Et mortalis quidem mortalem vitam largiri poterat, immortalis autem factus, etiam immortalem largiri poteſt, & ſuo tempore credentibus in ſe largietur. Itaque mirum non eſt, quod Filius

lius

lius Dei, quamvis non alius ſit quam Filius hominis, mortuos ſit ſuſcitaturus. Non enim id habet à ſeipſo, ſed à Patre, ſeu ex Patris datione ac dono. Omnis qui vivit, vitàm quidem habet in ſeipſo, ſed ſicut Pater, nemo eam habet in ſeipſo, ut ſcilicet eam communicare poſſit mortuis; ſolus Filius eam ſic habet: ſed Pater ex ſeipſo, Filius ex Patris dono.

Verſ. 27. *Et poteſtatem dedit ei, etiam judicium facere.* Id eſt, quiddam multo majus ac divinius: nimirum poteſtatem, ut judicium κατ' ἐξοχὴν dictum, id eſt, ultimum illud omnium vivorum ac mortuorum, peragat, & cuique ſecundum opera mercedem retribuat.

Quia Filius hominis eſt. Hoc addit, ne quis putet, Filium hominis rem tantam perficere non poſſe. Immo vero docet Chriſtus, Filium Dei, ſi Filius hominis non eſſet, hanc poteſtatem non fuiſſe habiturum. Nec mirum, cum ne quidem eſſet Dei Filius ille κατ' ἐξοχὴν dictus, ſi hominis Filius non eſſet. Nam Dei Filius ille ſingulariſſimus, humani generis ſervator & judex, non alius eſſe debuit quam homo. Per hominem enim Deus homines ſervare conſtituit. Potuitne magis Dei Filius docere quis eſſet ſubſtantiæ ſuæ reſpectu? Qui vertunt *quatenus eſt Filius hominis*, lucem ſugiunt, & tenebras quærunt, verbis enim clariſſimis vim faciunt, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. Qui dicunt Deum tantam poteſtatem Filio hominis dare non potuiſſe; non tantum Dei potentiæ infinitæ contradicunt, ſed etiam ſui ſunt obliti qui hominem unum illum Deum fieri potuiſſe & factum eſſe affirmare non dubitant; quod, ſi contradictorium non eſſet, multo plus eſſet quam homini dare omne judicium. Solebant Judæi, cum ſe Chriſtus Filium Dei abſolute & propria ſibi ratione diceret, aut aliud aliquid divinum de ſe affirmaret, verba ejus ſic interpretari, quaſi ſe ſubſtantiæ ſuæ reſpectu hominem eſſe negaret, & tale aliquid de ſe aſſereret, quale hodie de ipſo credunt Chriſtiani: ita ut vere dicere poſſis Judæorum olim interpretationes abiviſſe nunc in fidei articulos. Hanc interpretationem coarguit Chriſtus, dum ſe judicem vivorum & mortuorum, & ſic Dei Filium κατ' ἐξοχὴν dicit, quia Filius hominis eſt, ſignificans ſe Filium Dei & judicem vivorum ac mortuorum non fore, niſi Filius hominis eſſet. Non quidem hæc eſt cauſa unica ſeu ſolitaria, ut vocant, ſed ſocia: acceſſit enim Dei ad tantam dignitatem electio & ſanctificatio. Quidam interpretantur, *quia Filius hominis eſt ille à Daniele prædictus* Dan. viij. 13 & ſequentibus. At hoc eſſet nimium ſagaces & memores auditores requirere: neque enim ulla facta erat Danielis mentio. Neque Chriſtus ad vocem Filii hominis ullum addidit articulum, qui hominum mentes ad illum à Daniele prædictum Filium hominis referret. Denique Filium Dei eſſe abſolute dictum, & Filium eſſe hominis illum à Daniele prædictum, eadem ſunt. Ideo alterum pro alterius cauſa adſerri non potuit.

Verſ. 28. *Ne miremini hoc, quod venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus.* Quidam poſt verba *ne miremini hoc*, punctum faciunt, ut ea adjungant ſuperioribus. Sed conſequentibus potius connectenda videntur. *Ne miremini hoc, quod venit*, id eſt, veniet, *hora.* Exponit enim iſtud judicium Chriſtus, quia vero de ultimo judicio loquitur, ut patet ex effectu, ideo hic non addit *& nunc eſt*, nempe *hora*, & dixit, *omnes qui ſunt in monumentis*, id eſt, mortui, *audient vocem Filii Dei.* Id eſt, excitabuntur ex morte, per metaphoram à dormientibus & ſomno ſepultis. Supra autem dixit: *qui audierint vocem Filii Dei, vivent*, hic omnes audituros affirmat.

Verſ. 29. *Et exibunt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt, in reſurrectionem judicii. Exibunt*, nempe ex ſepulchris & monumentis, *qui bona fecerunt*, id eſt, qui in Deum crediderunt, & ejus mandata ſervarunt.

In reſurrectionem vitæ. Id eſt, ut per ſuam reſurrectionem vitam æternam conſequantur. *Reſurrectio vitæ* dicitur per genitivum effecti. Neque enim ante reſurgent quam reſurgant.

Qui vero mala fecerunt. Id eſt, Deum creatorem ſuum non coluerunt, nec mandatis ejus obediverunt.

In reſurrectionem judicii. Id eſt, ut per ſuam reſurrectionem veniant in judicium, eadem phraſi qua ante judicium ponitur pro damnatione, vide verſ. 24. Nam quos Deus damnare & punire non vult, etiam non judicat. Sunt qui hæc verba de ſpirituali reſurrectione interpretentur: ſed primum hæc verba manifeſtam continent explicationem judicii, cujus faciendi poteſtas data eſt Filio, quod ultimum illud imprimis eſſe, dubium non eſt: neque enim reticere poterat rem omnium maximam & maxime admirabilem. Deinde in ſpirituali reſurrectione illi tantum reſurgunt qui mala fecerunt; at hic reſurgent etiam qui fecerunt bona. Tertio; qui ſpiritualiter reſurgunt, non reſurgunt in damnationem, nec reſurgunt immediate in vitam æternam, ſed in vitam ſpiritualem & novam. At hic agitur de reſurrectione aliorum in vitam æternam immediate, aliorum in damnationem. Neque hic res eſt de iis qui poſt reſurrectionem bona vel mala agunt, ſed de iis qui ante reſurrectionem bona vel mala egerunt. Eſt enim in Græco ποιήσαντες, πράξαντες, præteriti temporis. Hæc igitur Chriſti verba manifeſte & diſerte docent, non tantum bonos reſurrecturos ad vitam, ſed etiam malos ad damnationem & pœnam. Quæ altera pars eſt Chriſtianæ fidei; quam qui non habet, totam fidem Chriſtianam non habet. Multum profecto pietatis interfuit, ut prædicaretur hominibus reſurrectio, non tantum ad præmia, ſed etiam ad pœnam. Quæ quia prædicata eſt, etiam ſuum ſortietur effectum. Potens enim eſt & verax Deus, ut non ſolum quæ promiſit, ſed etiam quæ comminatus eſt, per Filium ſuum exhibeat ac repræſentet. Notandum autem eſt *vitam* opponi *judicio.* Id eſt, pœnæ ac damnationi, quia malorum vita quam per reſurrectionem recipient, vitæ nomen non meretur, ideo & pœna malis debita mors appellatur.

Verſ. 30. *Non poſſum ego facere à me ipſo quicquam.* Hoc iterum repetit, ne quis miretur quo pacto fieri poſſit, ut ipſe rem tantam peragat.

Non poſſum, inquit, *ego à me ipſo facere quicquam,*

nempe divinum & admirandum, præſertim rem tantam, ut mortuos omnes reſuſcitem, bonos ad vitam, malos ad pœnam. Scio me Filium hominis eſſe. Sed Deus eſt ille unus & omnipotens, Pater meus, qui hoc per me faciet, id eſt, tantas vires mihi dabit, ut id faciam.

Sicut audio, judico. Hoc addit, ne quis in judicio injuſtitiam aliquam vereatur. Jam tum hactenus judicabat Chriſtus, quatenus credentibus in ſe vitam æternam pollicebatur, non credentibus autem damnationem denuntiabat. Unde facilis erat collectio, quale futurum eſſet illud Chriſti judicium.

Dicit ergo, *ſicut audio.* Id eſt, audivi, per temporis enallagen, nempe à Deo Patre meo.

Sic judico. Id eſt, judicabo, per eandem temporis enallagen.

Et judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me, Patris. Non quærebat ſic voluntatem ſuam, ut ſe voluntati Patris in omnibus non attemperaret. Nam alioquin & ſuam quærebat voluntatem, ſed quatenus Patris voluntati, ut & Filium, & legatum decebat, attemperata erat. An vero Filius voluntatem ſuam non æque ac Patris quæreret, an ſi ſuam quæreret voluntatem, injuſte judicaret, ſi unus ille Deus eſſet? Secundum humanam naturam, inquiunt, hæc de ſe Filius loquitur. Credo equidem, homo enim erat; proinde unus ille Deus non erat, nec ulla ex parte, nedum majori ex parte, ſecundum divinam ſcilicet naturam, quicquam falſi de ſe loquebatur.

Verſ. 31. *Si ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Confirmat ea quæ de ſe aſſeruit, nempe ſe Dei Filium eſſe, & judicem vivorum ac mortuorum. Si ego teſtor de me ipſo, nempe ſic, ut mihi non atteſtetur unus ille Deus, quem ego Patrem meum dico.

Teſtimonium meum non eſt verum. Tunc enim appareret me à me ipſo veniſſe, & ſeductorem ac mendacem agere. Etiam hoc evidentiſſimum argumentum eſt, Filium Dei haudquaquam unum illum Deum eſſe. Contrarium videtur dicere cap. viij. 14: *Etiamſi ego teſtor de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum.* Sed nihil minus quam ut contrarium dicat. Ponit enim loco citato, ſe ita de ſe teſtari, ut ſibi atteſtetur Pater verſ. 16.

Verſ. 32. *Alius eſt qui teſtatur de me.* Quaſi dicat, non ſolus ego de me ipſo teſtor. Nam ſi hominem teſtem requiritis, eſt alius præter me, qui teſtatur de me: Joannem Baptiſtam deſignat, ut patet ex ſequentibus. Nam & hujus viri teſtimonium erat magni momenti, cum de ejus ſanctitate & integritate nemo jure dubitare poſſet, quod & vitæ ejus exitus docuit.

Et ſcio quod verum ſit teſtimonium quod teſtatur de me. Vide cap. j. 19 & ſequentia. Ipſe viciſſim teſtatur de Joanne.

Verſ. 33. *Vos miſiſtis ad Joannem.* Vide cap. j. 19, & ſequentia.

Et teſtatus eſt. Id eſt, teſtimonium dedit *veritate.* Vide ibidem.

Verſ. 34. *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio, ſed hæc dico ut vos ſervemini.* Hoc addit, ne quis putet Joannem ſe eſſe majorem, ita ut ſine teſtimonio Joannis fides ſibi conſtare non poſſet.

Ego autem non ab homine teſtimonium accipio. Id eſt, requiro. Non opus habeo, ut mihi ullus homo atteſtetur. Sic accipiendi vox etiam verſ. 41, 44 ſumitur: *Gloriam alii ab aliis accipitis.* Id eſt, quæritis, ut ex oppoſitione conſtat. Addit enim: *Et gloriam quæ à Deo eſt, non quæritis.* Poſſum ego, inquit Chriſtus, ſine ullius hominis teſtimonio conſiſtere; ſed ego etiam hominis teſtimonium adduco, veſtri, non mei cauſa, ut veſtram ſalutem modis omnibus promoveam, præſertim cum multi Judæorum eſſent, qui Joannem pluris facerent quam Jeſum.

Verſ. 35. *Ille erat lychnus ardens & lucens.* Docet quis fuerit Joannes, longe nimirum ipſo minor, quamvis in multorum Judæorum oculis eſſet major. Ille erat, inquit, inſtar lucernæ ardentis & lucentis. At lucerna conclave tantum & exiguum ſpatium illuminat ac brevi conſumitur. Significat ſe totius mundi ſolem eſſe.

Vos autem voluiſtis exultare ad horam in luce ejus. Quaſi dicat, & Joannes quidem is erat, quem dixi; vos autem voluiſtis exultare in luce ejus ad horam, id eſt, quæ ad horam ſeu breve tempus duratura erat, quippe lucerna, non ſol, quo adveniente lucerna extinguitur.

Verſ. 36. *Ego autem habeo teſtimonium majus quam Joannis, opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa hæc opera quæ ego facio, teſtantur de me, quod Pater me miſerit. Ego autem:* quaſi dicat, quamvis Joannis teſtimonium allegem, *habeo teſtimonium majus quam Joannis.* Intellige, teſtimonium eſt.

Opera enim. Exponit iſtud teſtimonium, *quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea.* Id eſt, quorum perficiendorum virtutem & poteſtatem Pater mihi contulit. Intelligit miracula ſua divina.

Ipſa hæc opera quæ ego facio, teſtantur de me, quod Pater me miſerit. Quaſi dicat, niſi enim me miſiſſet, nunquam mihi iſta opera quæ facio dediſſet, nec ego ea à me ipſo facere poſſem. Nam ſi à ſeipſo miracula facere potuiſſet, argumentum à miraculis ſeu operibus divinis nullum eſſet miſſionis à Patre. Nam qui à ſeipſo miracula facere potuit, etiam à ſeipſo venire potuit. Iterum hic eſt argumentum efficaciſſimum, quod Chriſtus non ſit unus ille Deus, & quod actiones perſonarum (ut hic teſtatio operibus) tribui poſſint, adeoque & tribuantur rebus quæ perſonæ non ſint. Vide infra cap. x. 29.

Verſ. 37. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me.* Nempe etiam jam olim per Prophetas ſuos. Teſtatus enim eſt de Meſſia Filio ſuo, κατ' ἐξοχὴν dicto. Significat ſe hunc eſſe. Neque enim reſpicit ad teſtimonium illud cælitus editum in baptiſmo, quod Joannis Baptiſtæ cauſa tantum fuit editum cap. j. 33, 34, ideo nec in illo additur, *hunc audite*, quia ſolus Joannes vocem illam audiebat; quæ poſtea cum repeteretur in transfiguratione Chriſti, quia diſcipulorum, qui aderant, cauſa fiebat, appendicem hanc habuit Matth. xvij. 5.

Neque vocem ejus audiviſtis unquam, neque ſpeciem ejus vidiſtis. Quaſi dicat, ego autem & vocem ejus audivi, *& ſpeciem.* Id eſt, faciem ejus vidi, cum ſcilicet apud eum eſſem in cælo cap. iij. 13.

Verſ. 38

Verſ. 38. *Et ſermonem ejus.* Quem ſcilicet mittit ad homines per ſuos Prophetas & legatos, ipſe cum hominibus non loquens, nec iis ſpeciem ſuam oſtendens.

Non habetis manentem in vobis. Nempe ut ejus memores ſitis. In prioribus duobus erant extra culpam. Deum enim nemo vidit unquam, neque videre poteſt, nec Deus ipſe loquitur cum hominibus; ſed in hoc tertio maxima tenebantur culpa.

Quia, quem miſit ille, huic vos non creditis. Probat, quod Dei ſermonem in ſe manentem non habeant. Si enim legis & Prophetarum oracula animo recondita haberent, etiam ſibi crederent; quippe cum & ipſe ſit à Deo miſſus, iſque ille ipſe ſit, de quo ſermo Dei præcipue loquitur.

Verſ. 39. *Scrutamini Scripturas.* Occupat objectionem; ne dicerent ſe Scripturas habere, quibus Dei ſermo contineatur, eaſque diligenter ſcrutari. Concedit Chriſtus, quod Scripturas habeant & ſcrutentur, ideoque hoc in indicativo dictum puto, non in imperativo:

Quod & ſequentia verba; *& illa ſunt, quæ teſtantur de me*, arguunt. Quaſi dicat, male Scripturas ſcrutamini. Nam, ſi eas probe, & ut par eſt, ſcrutaremini, inveniretis in illis clariſſimum de Meſſia, proinde de me, teſtimonium.

Quia vos putatis, quod in eis vitam æternam habeatis. Rationem exprimit, cur tantopere Scripturas ſcrutentur, quia ipſi putent quod in iis vitam æternam habeant, id eſt, & promiſſionem vitæ æternæ, & illius conſequendæ rationem. Omnibus enim natura inſitum eſt, vota ultra mortem extendere. Expetebant illi vitam æternam votis omnibus, ideo ſcrutabantur diligenter Scripturas, ſicut qui putant ſe in monte habere aurum vel theſaurum reconditum.

Et illæ ſunt quæ teſtantur de me. Nempe de Meſſia, Dei Filio; venturum nimirum eſſe Meſſiam, & omnibus in ipſum credentibus vitam æternam annunciaturum ac promiſſurum eſſe. Hæc ſcrutatio ſcriptutarum docet, abditam & reconditam in Scripturis fuiſſe vitam æternam, & illius conſequendæ rationem, non in aperto poſitam. Scrutamur enim quæ ſunt abdita. Neque lex erat data, ut per eam vitam æternam conſequeremur. Meſſias erat, qui aurum hoc ex Scripturis erueret & in lucem proferret, qui clariſſimum vitæ æternæ nuncium adferret, eamque omnibus in ſe credentibus polliceretur, & ſic eam non per opera legis, quæ multis ex partibus ſunt defecta, ſed per fidem conſequendam eſſe doceret 2 Tim. j. 10. Judæi igitur non falſo putabant, quod in Scripturis vitam æternam haberent. ſed quod eam haberent citra hunc qui Meſſias ille erat, in ea opinione ſua plurimum fallebantur.

Verſ. 40. *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Quaſi dicat, quamvis vos Scripturæ ad me ablegent. Fruſtra igitur Scripturas habetis & ſcrutamini. Vitam æternam non habebitis, niſi Scripturis obſecuti ad me veniatis. Tanta eſt veſtra cœcitas ac ſtultitia, ut ad me venire nolitis, duce Scriptura, quo vitam nempe æternam habeatis. Vitam abſolute dicit, quia æterna vita vere vita eſt.

Verſ. 41. *Gloriam ab hominibus non accipio.* Non accipio, id eſt, requiro, non curo humanam gloriam, neque hæc dico gloriæ ab hominibus conſequendæ cauſa, nempe ſic, ut mea gloria non redundet in Dei gloriam, Patris mei.

Verſ. 42. *Sed novi vos, quod dilectionem Dei non habeatis in vobis ipſis.* Quaſi dicat, ego quidem non curo gloriam hominum, ſed novi vos, quod dilectionem Dei, id eſt, erga Deum (per genitivum objecti) non habeatis in vobis. Hæc eſt unica cauſa, ob quam ad me venire non vultis, quia Deum non diligitis.

Verſ. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, ſi alius veniret in nomine proprio, illum reciperetis.* Probat quod dixit, ab effectu: quaſi dicat, hæccine eſt charitas veſtra erga Deum? ego veni miſſus à Patre meo, & non vultis me recipere. Si veniret alius, qui prætenderet nomen Dei, quamvis non eſſet miſſus à Deo, illum reciperetis. Pſeudo-prophetam ſeu Pſeudo-Chriſtum notat. Verum id fuiſſe eventus docuit in Barchocheba & aliis.

Veni in nomine Patris mei. Id eſt, non jactans & prætendens inaniter nomen Dei & Filii Dei, ſed vere ac reipſa à Deo miſſus, & Deum Patrem habens, quod teſtantur opera mea, quæ Deum eſſe Patrem meum, & me Dei Filium, κατ' ἐξοχὴν dictum, clariſſime docent.

Si alius veniret in nomine proprio. Nempe reipſa, licet Dei nomen præferret & jactaret. Nota, *venire*, nempe in mundum, non ſignificare naſci, ſed jam pridem natum venire tanquam à Deo miſſum. Λαμβάνειν, λήψεσθε, ſimplicia pro compoſitis, Hebræa phraſi.

Verſ. 44. *Quomodo poteſtis vos credere, gloriam alii ab aliis accipientes, & gloriam, quæ à ſolo Deo (eſt) non quæritis.* Cauſam exprimit tantæ contumaciæ Judæorum, in tantis Chriſti operibus. Quaſi dicat, vos ſtudetis ambitioni, gloriæ vanæ, vultis alii ab aliis gloria & honore affici, quomodo ergo poteſtis mihi credere, & diſcipuli mei fieri? Videtis hoc fore probroſum, ſi quis in me credat. Si quæreretis gloriam quæ à ſolo Deo eſt, quamque nemo præter Deum conferre poteſt, id eſt, vitam æternam, contemneretis hominum gloriam; ſed vobis gloria mundi magis eſt cordi, quam gloria Dei:

Quomodo poteſtis credere? Nimirum poſito in vobis tam pravo animi affectu & ſtudio. Videmus veram cauſam, ob quam homines veritati non credant, nec credere poſſunt: quæ tamen ab ipſorum propria voluntate proficiſcitur. Pravos nimirum hominum mores & affectus.

Verſ. 45. *Non exiſtimate quod ego accuſabo vos apud Patrem: eſt qui accuſet vos; Moſes, in quem vos ſperaſtis.* Ne dicerent, quid nos te curamus, habemus Moſen, cui, ſi obediverimus, vitam æternam adipiſcemur.

Non putate, inquit, *quod ego vos accuſaturus ſim apud Patrem.* Non erit opus, ut id faciam;

Habetis jam paratum accuſatorem Moſen ipſum, *in quem vos ſperaſtis.* Id eſt, ſperatis, per enallagen temporis Hebraicam: in quo ſpem poſuiſtis, fore, ut vobis tanquam diſcipulis ſuis patrocinetur.

Qui vos accuſat. Id eſt, accuſabit, ſimiliter per temporis enallagen, in futuro ſcilicet judicio.

Verſ. 46. *Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi.* Confirmat quod dixit, per prolepſin. Ne dicerent, atqui nos credimus Moſi. Non creditis, reſpondet Chriſtus.

Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi. Quare? ſeu, quæ ratio conſequentiæ? *De me enim ille ſcripſit.* Nempe de Meſſia. Meſſiam ſe eſſe ſignificat. Inter alia quæ de Meſſia ſcripſit vide Deut. xviij. Ideo hæc verba allegat Petrus Act. iij. 22 ſeqq. & Stephanus Act. vij. 37.

Verſ. 47. *Si vero illius Scripturis non creditis, quomodo meis verbis credetis?* Non quod dignior eſſet Moſes Chriſto, ſed quod Moſis ſcripturæ apud Judæos in ſummo eſſent pretio, Chriſti verba in nullo. Infert nullam eſſe ſpem ut verbis ſuis Judæi credant. Eſt argumentum ad perſonam, ut vocant.

C A P U T. VI.

Verſ. 1. P*oſthac abivit Jeſus.* Conſcenſa ſcilicet navicula,

Trans mare Galilææ Tiberiadis. Nam quæ ſuperius deſcripta ſunt, ſacta erant Hieroſolymis. Vide cap. v. 1. *Trans mare*, id eſt, trans lacum Galilææ, ea parte qua alluebat urbem Tiberiadem, in honorem Tiberii Cæſaris exſtructam.

Verſ. 2. *Et ſequebatur eum turba multa.* Tanquam doctorem ac magiſtrum à Deo miſſum.

Quia videbant ejus ſigna, quæ faciebat ſuper infirmis. Cauſam exponit ob quam eum conſectarentur: *quæ faciebat*, nempe paſſim, quocunque veniebat:

Super infirmis. Nempe ſanando omnes morbos. Jam enim Chriſtus prædicare cœperat in Galilæa, cujus prædicationis acta Joannes omittit, quippe ab aliis Euangeliſtis narrata; hiſtoriam tamen ſequentem & ipſe refert, ut illius occaſione habitum à Chriſto diviniſſimum ſermonem ſimul referret, ab aliis non narratum.

Verſ. 3. *Aſcendit autem in montem Jeſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Nempe docendi eos cauſa. Sic & Matth. v. 1 aſcendit in montem, & conſidens docebat diſcipulos.

Verſ. 4. *Erat autem prope Paſcha, feſtum Judæorum.* Tempus opportunum & commodum, colligendæ multitudinis ad feſtum confluentis, & collocandæ in gramine verſ. 10.

Verſ. 5. *Cum igitur ſuſtuliſſet Jeſus oculos, & vidiſſet quod multa turba veniat ad ſe, dicit ad Philippum; unde ememus panes, ut comedant iſti.* Nimirum non curabat Apoſtolos, ut turbas dimitteret ad quærendas eſcas monentes Luc. ix. 12 & ſeqq. ſui conſilii ac propoſiti certus. De hoc Philippo vide cap. j. 44.

Verſ. 6. *Hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Ita ſemper novit Dominus quid facturus, & quomodo rem expediturus ſit, etiamſi nos conſilium omne deſtituat. Ideo ſi quid accidat adverſi, cogitemus nos tentari, ut experimentum demus fidei noſtræ in Deum & viciſſim experiamur Dei providentiam.

Verſ. 7. *Reſpondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut quiſque illorum paulum quid accipiat.* Quaſi dicat, nedum ſaturetur.

Verſ. 8. *Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri.*

Verſ. 9. *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſciculos; ſed hæc quid ſunt in tam multos.* Agnoſcit ipſe nihil hæc eſſe pro tanta multitudine.

Verſ. 10. *Dixit autem Jeſus, facite ut homines accumbant; erat autem gramen multum in illo loco. Recubuerunt igitur viri numero quaſi quinque millium.* Nam accuratus eorum numerus non ſuit initus.

Verſ. 11. *Accepit igitur panes illos Jeſus.* De quibus videlicet verſ. 9.

Et poſtquam gratias egiſſet dabat diſcipulis, diſcipuli autem recumbentibus, ſimiliter & ex piſciculis, quantum volebant. Antequam cibos diſtribueret gratias egit Chriſtus, nempe Deo, rerum omnium creatori, Patri ſuo, ut cibi ſanctificarentur, confer 1 Tim. iv. 3, alioquin ſunt impuri; ſed & poſt cibum ſumtum gratiæ agi ſolitæ ſunt, præſertim hymnus canebatur; quod ex Chriſti apparet exemplo Matth. xxvj. 30.

Quantum voluerunt. Id eſt, quantum cuique edere libuit.

Verſ. 12. *Cum autem impleti eſſent.* Id eſt, ad ſatietatem comediſſent omnes,

Dicit diſcipulis ſuis, colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Voluit ut omnia fragmenta accurate colligerentur, quæ ſatiatis ſuperfuerunt, ne quid ad magnitudinem miraculi demonſtrandam deeſſet, & ne quid ex ſacratis cibis periret abjectum.

Verſ. 13. *Collegerunt igitur & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex illis quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt iis qui comederant.* Cophinos duodecim repleverunt, credo ſecundum numerum diſcipulorum, qui panes diſtribuebant.

Verſ. 14. *Homines igitur illi cum vidiſſent quod fecerit ſignum Jeſus, dicebant, quod hic ſit vere Propheta ille qui venturus erat in mundum.* Id eſt, ad homines à Deo miſſus, de quo Deut. xviij, Moſi ſimilis, qui etiam populum pavit in deſerto cap. j. 21.

Ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. Similem loquendi rationem habes cap. xj. 27. Non dicunt Jeſum eſſe Chriſtum illum, quod nihil circa eum regibus mundi conſuetum viderent. Ideo Prophetam dicunt, ſed illum maxime inſignem. Neque enim adhuc intelligebant Prophetam hunc & Chriſtum unum & eundem eſſe. Qua de re vide cap. j. 21.

Verſ. 15. *Jeſus igitur cum cognoviſſet quod eſſent venturi, & rapturi eum, ut facerent eum Regem.* Nam & Moſes rex quidam erat populi Iſraëlitici. Credebant enim ſe per talem regem non minus beatos fore, & vindicatum iri à poteſtate Romanorum, quam majores eorum beati erant per Moſen, & vindicati fuerunt ex poteſtate ac ſervitute Ægyptiorum. Lentum ipſis videbatur exſpectare adventum ipſius Meſſiæ.

Reverſus eſt iterum in montem. Deſcenderat enim ad cibandum in locis inferioribus populum: ſed cum videret turbam talia agitare, rurſus regreſſus eſt, & ſubduxit ſe in montem.

Ipſe ſolus. Nempe ſine diſcipulis, ut tanto facilius poſſet latere, nec comitatu diſcipulorum proderetur.

Nimi-

Digitized by Google

Nimirum non ab hominibus, ſed à Deo, nec mundanus, ſed divinus ac cæleſtis Rex conſtituendus erat. Cæterum dum in monte verſatur, totus in orationibus & precibus ad Deum erat Matth. XIV. 23.

Verſ. 16. *Cum autem veſpera eſſet.* Nempe jam ſera, fruſtra exſpectato Chriſto. Nam & miraculum ante ipſam veſperam factum erat, & dies jam cœperat inclinari, auctoribus Matthæo & Luca,

Deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare. Ex loco nimirum illo, in quo ſub radicibus montis populum cibaverant, exiſtimantes Chriſtum iis occurſurum. A mari venerant, ad mare redeunt, idque facere juſſi ſunt à Chriſto, cum ſcilicet ipſe ſe reciperet in montem Matth. XIV. 22.

Verſ. 17. *Et ingreſſi in navim, ibant trans mare in Capernaum.* Quid enim in littore facerent, & tenebris jam ingruentibus?

Et tenebræ jam erant, & non venerat ad eos Jeſus. Quamvis eum ad tenebras in littore exſpectaſſent.

Verſ. 18. *Et mare, vento magno flante, excitabatur.* Nocte intempeſta navigabant.

Verſ. 19. *Profecti igitur tanquam ſtadia viginti quinque aut triginta, vident Jeſum ambulantem ſuper mare, & navi appropinquantem, & timuerunt.* Credebant eſſe ſpectrum aliquod, ut Matth. XIV. 26 indicatur. Eſt enim præter & ſupra naturam, hominem ambulare ſuper fluctus. Nimirum nondum ſatis intellexerant divinam Chriſti potentiam. Hoc autem factum erat jam quarta noctis vigilia, teſte Matthæo. Vide quam parum navigando promoverunt abſente Chriſto, ſed ubi Chriſtus venit, momento appulſi ſunt ad littus. Et deprehendendi etiam erant mediis in fluctibus, ut Chriſti potentiam & miraculum viderent.

Verſ. 20. *Ille autem dicit eis, Ego ſum.* Non ſpectrum.

Ne timete. Bono eſtote animo. Habetis me quem quæritis.

Verſ. 21. *Voluerunt igitur accipere eum in navim, & ſtatim navis erat apud terram ad quam tendebant.* Ex Matthæo Matth. XIV. 32 conſtat, Jeſum fuiſſe receptum in navim. Sed quia ſine neceſſitate, (vix enim illo recepto, terræ protinus ſunt appulſi) ideo ſola ponitur à Joanne recipiendi voluntas.

Verſ. 22. *Poſtero die turba quæ ſtabat trans mare, ut vidit quod navicula alia non eſſet ibi, niſi una illa in quam ingreſſi fuerant diſcipuli ejus, & quod non introiiſſet cum diſcipulis ſuis Jeſus in naviculam, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent.*

Verſ. 23. *Aliæ vero ſupervenerunt naviculæ à Tiberiade, juxta locum ubi comederant panem, poſteaquam gratias egiſſet Dominus.*

Verſ. 24. *Cum ergo vidiſſet turba, quod Jeſus non eſſet ibi, neque diſcipuli ejus, aſcenderunt & ipſi in naviculas & venerunt Capernaum, quærentes Jeſum.* Exponit quid turbæ illi factum ſit, conſtiterunt illo die quo cibati erant ad littus, & manſerunt in littore, quod viderent nec ullam aliam navim ad tranſeundum ſupereſſe, nec Jeſum etiam illam quæ erat, cum diſcipulis ingreſſum eſſe, proinde eum adhuc cis mare eſſe crederent, ſed poſtero die tranſmiſiſſe, quod interea aliæ naves Tiberiade appuliſſent, quibus tranſmitterent, ac præterea viderent Jeſum iſtic amplius non eſſe, & diſcipulos abiviſſe.

Venerunt in Capernaum quærentes Jeſum. Quia quærebant panem.

Verſ. 25. *Et cum inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando hic factus es?* Id eſt, quando huc veniſti? Heri, an hodie? Heri non potuiſti, nam unum tantum erat navigium, quod tu non es ingreſſus; hodie etiam non veniſti, nam nobiſcum veniſſes; & hæc res miraculo non caret! ſane nec carebat.

Verſ. 26. *Reſpondit eis Jeſus, & dixit, amen, amen, dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia ediſtis ex panibus & ſaturati eſtis.* Non reſpondet ad interrogationem: nam majora & utiliora erant quæ diceret.

Quæritis me. Quia quærebant.

Non quia vidiſtis ſigna. Quaſi dicat, non jam ideo quia vidiſtis ſigna. Nam prius quærebant & ſectabantur Jeſum quod ſigna ejus viderent verſ. 2. Vel non eo fine, ut in me credatis, & vitam æternam conſequamini. Cauſam ponit, ſed ſimul & effectum intelligit, per metonymiam ſynecdochicam. Signa enim eo ſine fiebant à Chriſto ut homines in ipſum crederent, & vitam æternam conſequerentur.

Sed quia ediſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Quaſi dicat, carnalia commoda quæritis, non ſpiritualia; temporalia & caduca, non æterna. Pluris eſt vobis panis, (qui tamen diſcipulis meis non deerit) quam regnum Dei, & juſtitia ejus. Quærebant Jeſum, non propter Jeſum, ſed propter eſum.

Verſ. 27. *Operamini cibum, non qui perit, ſed cibum, qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit, hunc enim Pater obſignavit, ille Deus.* Poſt reprehenſionem addit ſalutarem admonitionem.

Operamini, inquit, *non cibum.* Id eſt, non id quo cibus paratur.

Qui perit. Per metonymiam effecti.

Sed cibum qui manet. Id eſt, qui nunquam perit.

In vitam æternam. Oſtendit quo pacto maneat, quatenus nimirum vitam affert æternam. Quo ſenſu & verbum Dei in æternum manere dicitur. Quis ſit iſte cibus, docent ſequentia. Loquitur autem Chriſtus comparate: quaſi dicat, non tam cibum qui perit, quam eum qui manet in vitam æternam. Nam & cibum pereuntem, & huic vitæ neceſſarium ſimpliciter quærere Chriſtus non prohibet. Eſt in Chriſti verbis κατάχρησις ex comparatione orta. Nam operari cibum corporalem, ſeu eum qui perit, improprie dicitur, propter operationem cibi ſpiritualis, id eſt, operum Dei, ut mox explicatur. Et opera Dei, per eandem κατάχρησιν, cibus vocantur, propter comparationem cum cibo.

Quem Filius hominis vobis dabit. Ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει. Pronomen ἣν referri poteſt & ad βρῶσιν & ad ζωήν. Ego ad vitam æternam referri putem, propter futurum *dabit*. Nam cibum iſtum qui manet ad vitam æternam, id eſt, fidem in ſe jam dabat, vide infra verſ. 32. Monet ut apud ſe, non panem quærant, ſed vitam æternam, ſicut apud Matthæum loquitur; quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis.

Filius hominis. En Dei Filium, qui præter vel ante Filium hominis quærendus non eſt.

Hunc enim Pater obſignavit Deus. Rationem affert

fert dicti. Ne quis id credibile non putet. Verum hoc eſt, inquit, quia cum Pater obſignavit & auctoravit, id eſt, ſigno ſuo munivit, ad fidem ei in omnibus habendam. Quod ſignum ſeu ſigillum erant diviniſſima illa opera & miracula, quæ etiam idcirco dieuntur ſigna. Vide cap. iij. 2. v. 36.

Ille Deus. Ὁ Θεός. Appoſitione declarat quem Patris nomine deſignet, nempe Deum κατ' ἐξοχὴν dictum. Qui quia unus tantum eſt, alius eſſe non poteſt quam Pater, & quia per appoſitionem conjungitur Patri, latius patere non poteſt quam Pater.

Verſ. 28. *Dixerunt igitur ad eum, quid faciemus, ut operemur opera Dei?* Non intellexerunt quid eſſet operari cibum manentem in vitam æternam. Nempe operari opera Dei, id eſt, opera quæ Deus mandat & præcipit, per genitivum cauſæ. Neque enim aliud quidquam vitam æternam quam ſolus Deus largitur, hominibus conciliare poteſt, niſi ut operentur ea quæ Deus ab illis ſub hac promiſſione requirat.

Verſ. 29. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis, hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.* Exponit quod ſit opus iſtud Dei, afferens hominibus vitam æternam. Non dicit ſimpliciter, ut credatis in me, ſed deſcribit ſeipſum, ut ſimul cauſam indicet, ob quam in ipſum credendum ſit, & ob quam fides in ipſum ſit. Ideo enim in Chriſtum credendum eſt, & fides in ipſum Dei opus eſt, quia Chriſtus non à ſeipſo venit, ſed à Deo miſſus eſt. Ita Chriſtus comparatione cibi, fidem in ſe cibum appellat. Nam ſicut cibus vitam affert temporariam, ſic fides in Chriſtum vitam affert æternam. Recte autem fidem in ſe vocat opus Dei: nam & ipſa per ſe opus eſt, quod Deus unice requirit, & omnia alia opera Dei ſecum trahit, & in ſe complectitur.

Verſ. 30. *Dixerunt igitur ei, quod igitur tu facis ſignum, ut videamus & credamus tibi? quid operaris;* Parum ſcilicet ſigni erat quinque panibus paviſſe tot hominum millia, & fragmentorum duodecim cophinos inſuper retuliſſe, præter alia ſigna innumera quæ faciebat ſuper ægrotis? Forte miraculum illud non ſatis conſideraverant, divina potentia panes inſenſibiliter augente. Nam & ipſis diſcipulis idem uſu venerat Matth. xvj. 9, 10. Et hoc ipſum turbis iſtis objicere videtur Chriſtus, quod viderent ſe ſaturatos eſſe, & non viderent quanto id factum eſſet miraculo verſ. 26. Non tamen plane negant Chriſti ſigna, ut apparet ex verſ. 14, ſed elevant comparatione ſignorum, quæ patribus eorum in deſerto per Moſen evenerant: quaſi dicant, quod ſignum adeo magnum facis? fac majus, ut videamus & credamus tibi. Minus facere volunt quam Chriſtus docet, ſi majora ſigna faciat: minus enim eſt credere alicui, quam credere in aliquem, præſertim ſic ut ab eo exſpectes vitam æternam.

Quid operaris? Quod ſcilicet nos cogat tibi credere, & Moſe deſerto tibi adhærere. Placuit illis quod fuerant ſemel à Chriſto paſti & ſaturati, ideo volunt rurſus tale quid à Chriſto fieri, & propterea elevant illud ejus miraculum: quaſi dicant, quid hoc eſt quod nos ſemel paviſti? Multo majus eſt quod fecit Moſes, qui pane de cælo nnn ſemel, non per exiguum tempus, ſed per annos quadraginta, in deſerto patres noſtros aluit.

Verſ. 31. *Patres noſtri Manna comederunt in deſerto.* Quaſi dicant, vide quid Patribus noſtris olim in deſerto evenerit! Quaſi dicant; tanto & tam diuturno tempore! Ne putes nos temere & ſine cauſa ſignis quæ à te fiunt nondum acquieſcere. Manna illud edere volebant, quo patres eorum veſcebantur in deſerto, & non intelligebant ſe multo verius ac divinius Manna habere, nec cogitabant ſe non amplius in deſerto verſari.

Sicut ſcriptum eſt, panem ex cælo dedit eis ad edendum. Commendant illud Manna ex Scriptura, quod fuerit panis ex cælo: quaſi dicant, patres noſtri per Moſen ex cælo panem acceperunt; vileſcit tuus panis reſpectu illius Moſaici. At vero longe majus erat miraculum Chriſti: hoc enim etiam per naturam fieri poteſt, ut Manna vel cum rore cadat, vel cum rore colligatur ex herba, quæ illud proferat.

Verſ. 32. *Dixit igitur eis Jeſus, amen, amen, dico vobis, non Moſes dedit vobis panem ex cælo, ſed Pater meus dat vobis panem ex cælo verum.* Elevat panem illum quem Moſes dedit, reſpectu panis quem eis tum dabat Pater, per Filium ſeu Chriſtum ſuum.

Amen, amen, dico vobis. Id eſt, veriſſime dico vobis.

Non Moſes dedit vobis. Id eſt, veſtris majoribus, quorum perſonam vos nunc ſuſtinetis; eoſdem dicit, quia genere vel ſpecie erant iidem. Simili ratione loquitur & Perrus 1 Pet. iij. 20.

Panem ex cælo. Nempe quod vere & κατ' ἐξοχὴν cælum dicitur, ſupremum nimirum illud, in quo Deus habitat. Nam alioquin & Moſes dedit panem ex cælo, id eſt, ex aere ſublimi, qui etiam cælum appellatur in Scriptura.

Sed Pater meus dat vobis panem ex cælo. Nempe illo ſupremo, *verum*, τὸν ἀληθινόν, excellenter verum panem: quaſi dicat, ille panis, ſicut non ex vero illo & κατ' ἐξοχὴν dicto cælo datus fuit, ſic nec verus, & κατ' ἐξοχὴν dictus panis fuit; at iſte quem vobis Pater meus dat, verus & κατ' ἐξοχὴν eſt panis, & cui hæc appellatio vere & κατ' ἐξοχὴν conveniat, quamvis non proprie loquendo. Panis enim iſte ad animum pertinet, non ad corpus; & vitam æternam affert, non temporariam.

Dat vobis. Quotidie nimirum, dummodo illum accipere & eo frui velitis, ſeipſum intelligit Chriſtus, ut patet ex verſ. 35. Triplicem excellentiam ſui panis præ illo Manna exprimere voluiſſe videtur I. quod Manna illud non ſit ex cælo illo, vere & κατ' ἐξοχὴν ſic dicto, id eſt, ſupremo; hic panis vero ſit ex cælo iſto. II. quod Manna temporariam tantum vitam dederit Iſraëlitis, & ad tempus breve eos ſuſtentaverit; hic panis autem det vitam æternam iis qui ipſo fruuntur. III. quod Manna uni tantum nationi datum ſit; hic panis autem detur toti mundo. Sic Chriſtus ſolide & ſufficienter turbæ illius objectioni, occurrit.

Verſ. 33. *Panis enim Dei eſt qui deſcendit ex cælo, & vitam dat mundo.* Confirmat quod aſſeruit, *Panis Dei*, id eſt, Panis quem Pater meus dat. Deum κατ' ἐξοχὴν & abſolute dictum ponit pro Patre ſuo. Neque enim ullus alius Deus eſt ille unus, quam Pater Chriſti.

Qui deſcendit è cælo & vitam dat mundo. Quaſi dicat, recte dixi, quod pater meus det vobis panem ex cælo illum verum. Nam profecto panis Dei eſt ille qui ex cælo deſcendit, & vitam dat mundo, cujus enim

enim alius eſſe poteſt? At hunc panem dat vobis Pater meus, nempe me, ut mox dicit, qui ex cælo deſcendi, & vitam do mundo, ex cælo nimirum illo ſupremo.

Qui deſcendit ὁ καταβαίνων. Per enallagen præſentis pro præterito, vide verſ. 51, ubi in præterito loquitur.

Et vitam. Nempe æternam, quæ vere vita eſt, non temporariam, ut manna illud in deſerto, & panis terrenus ſeu proprie dictus.

Dat mundo. Non uni tantum genti aut populo, ut olim manna veſtris majoribus, ſed omnibus totius mundi populis & hominibus. *Dat*, id eſt, dandi vim habet, & ſuo tempore facto ipſo dabit omnibus hunc panem comedentibus.

Verſ. 34. *Dixerunt igitur ad eum, Domine, ſemper da nobis panem iſtum.* Cogitabant de cărnali pane, ut Samaritana illa mulier de aqua cap. IV. 15.

Semper. Quaſi dicat, non cupimus ullum alium.

Panem iſtum. Nempe ex cælo deſcendentem, & vitam dantem mundo.

Verſ. 35. *Dixit autem eis Jeſus, ego ſum panis vitæ.* Quaſi dicat, ecce ego ſum iſte panis: *panis vitæ*, id eſt, vitam dans & afferens omnibus, per genitivum effecti. Non oppoſuit hic Moſen ſibi, ſed Patri.

Pater vobis dat. Non dicit ego do, quia dicturus erat ſe illum panem eſſe quem Deus det. Comparatione panis Chriſtus ſe panem appellat, per elegantem metaphoram ſeu κατάχρησιν.

Qui venit ad me. Id eſt, qui in me credit, ut mox exponit. Sed ſic maluit loqui, ut ſimul ad panem alluderet; ad quem veniunt qui eo frui volunt.

Non eſuriet. Panis facit ne eſurias, potus facit ne ſitias; idem præſtat Chriſtus. Nam qui ad eum venit, id eſt, in eum credit, non eſuriet, nec ſitiet unquam: quia conſequitur vitam æternam, in qua nec eſuritioni nec ſiti ullus erit locus Apoc. vij. 16. Dicit ſe eſſe panem & aquam vitæ ſimul, ne quid in ſe deſiderari aliquis putet ad vitam æternam pertinens.

Et qui credit in me. Explicat quid ſit venire ad ſe.

Non ſitiet unquam. Non tantum non eſuriet, ſed etiam non ſitiet unquam. Omnia in me & ex me habebit ad vitam æternam ſpectantia.

Verſ. 36. *Sed dixi vobis, quod & vidiſtis me & non creditis.* Quaſi dicat, ſed quamvis res ſic ſe habeat, *dixi vobis, quod & vidiſtis me*, id eſt, videtis me, per enallagen Hebraicam præteriti pro præſenti: neque enim ſemel tantum viderant Chriſti ſermonem & miraculum, ſed continuo, & ſermonem ejus & miracula varia auribus & oculis uſurpabant, & tamen non credebant. Loquitur de viſione ſui, quæ fiat animo, & qua doctrina ejus cognoſcatur. Vide verſ. 40.

Et non creditis. Nempe in me. Habetis ante oculos hunc panem, ſed eo frui non vultis. Dixit id eis verſ. 26, objiciens iis quod non fidei cauſa ſe quærerent, & ad ſe confluerent, ſed quod ex panibus ediſſent & ſaturati eſſent. Et vere id illis à Chriſto fuiſſe objectum patet ex verſ. 30, 31. Conjungit utrumque, & vidiſtis me, & non creditis, ut eis cauſam credendi non defuiſſe oſtendat. Vide verſ. 40.

Verſ. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & venientem ad me non ejiciam foras.* Docet in ſe culpam non eſſe ſi quis vitam æternam non conſequatur.

Omne. Neutrum pro communi.

Quod dat mihi Pater. Nempe per ſermonem meum, & miracula. Nam & ſermo meus Patris eſt ſermo, & miracula mea Patris ſunt miracula. Et ſic in quo Patris mei operatio, qua omnes ad fidem in me vult adducere, efficax eſt.

Ad me veniet. Id eſt, mihi ſe conjungit & aggregat, in me credit, meus fit diſcipulus: quaſi dicat, vos autem non vultis dari, non vultis ut mihi demini a Patre meo, cui reſiſtitis & contumaciam veſtram opponitis. Proinde ſi vita excidatis æterna, vobis id adſcribite, ego in cauſa non ſum:

Ideo addit. *Et venientem ad me.* Quaſi dicat, quiſquis ſit.

Non ejiciam foras. Non repellam à me, & conſequenter à vita æterna.

Verſ. 38. *Quia deſcendi ex cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Cauſam adſert dicti. Hic exſerte dicit ſe deſcendiſſe ex cælo, reſpiciens ad ſuperius dicta verſ. 32, 33. Deſcenderat autem ex cælo, quia prius in cælum aſcenderat, ut cap. iij. 13 docuit.

Non ut faciam voluntatem meam. Nempe ad ejus qui me miſit voluntatem non attemperatam. An vero qui ſic loquitur non aperte ſe ſummum illum Deum haudquaquam eſſe ſignificat? Significat enim ſe ſui juris non eſſe, & ſuam voluntatem alterius voluntati ſubjectam eſſe debere. Dicit quidem Chriſtus alibi cap. xvij: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego & illi ſint mecum* verſ. 24. Sed dicit in oratione ad Patrem, id eſt, dicit rogans, non imperans; dicit, quia hanc ipſam Patris eſſe voluntatem ſciebat: dicit, inquam, ut ſuum teſtaretur affectum erga diſcipulos à Patre ſibi datos, quem Patri gratiſſimum & voluntati ejus plane conformem eſſe noverat. Deus voluntatem facit, ſed ſe timentium, id eſt, voluntatem ſuam divinæ voluntati ſubmittentium, ſpe præmii & formidine pœnæ ſi ſecus faciant; facit, ſed ex gratia, non ex debito ſeu officio. At officium Chriſti erat, nulla in re voluntatem ſuam à Patris voluntate ſeparare.

Sed voluntatem ejus qui miſit me. Quaſi dicat, cujus hæc eſt voluntas, ne quenquam ad me venientem ejiciam foras, ut ſequitur. Decet autem legatum, ut principalis ſui voluntatem obſervet in omnibus, nec ab ea uſquam recedat.

Verſ. 39. *Hæc autem eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in ultimo die.* Exponit voluntatem illius qui ſe miſit, *ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*, id eſt, ut ex omni quod dedit mihi nihil perdam, nec perire ſinam; per rectum caſum pro obliquo, & pronominis appoſitionem, Hebræa phraſi.

Sed reſuſcitem illud. Ne quis dicat; atqui moriuntur, etiam qui ad te veniunt, & quos tibi Pater dat? Non pereunt, inquit, licet videantur perire: excitabuntur enim omnes à me ad vitam æternam.

In ultimo die. Notat tempus quo credentes vitam æternam accipient, tam vivi, quam mortui; quo, inquam, mortui reſurgent incorruptibiles, vivi red-

duntur immortales. Hic autem eſt ultimus ille mundi dies 1 Cor. xv. 52. De tempore quo in morte erunt nihil loquitur, quia id mortuis nullum eſt. Cæterum ex Chriſti verbis liquido patet, reſuſcitatione fieri ne mortui pereant.

Verſ. 40. *Hæc autem eſt voluntas ejus qui miſit me, ut omnis qui videt Filium & credit in ipſum, habeat vitam æternam, & ſuſcitabo ipſum ego ultimo die.* Repetit quod dixit, idque clarius; quia multum in eo ſitum erat, ut omnibus de hac Dei voluntate conſtaret: neque enim ſatis dicitur quod nunquam ſatis diſcitur. Quaſi dicat, hæc, inquam, eſt voluntas ejus qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in ipſum; ibi dixit, *ut omne quod dedit mihi Pater*, hic autem, *ut omnis qui videt Filium*, id eſt, cognoſcit, dum cognoſcit ejus ſermonem & credendi cauſas. Neque enim hic tam de ſenſibus corporis quam animi loquitur.

Et credit in ipſum. Victus nimirum ſermonis ejus efficacia. Exponit quid ſit à Patre dari Chriſto, ſeu quomodo Pater Filio det diſcipulos. Antea dixit, *ut non perdam ex eo*, nunc dicit; *ut habeat vitam æternam*, exponens modum quo pacto non periturus ſit ullus qui credat in Chriſtum. Neque enim ſatis eſt videre Filium, niſi etiam credas in ipſum. Ideo utrumque conjunxit Chriſtus, illud antecedit, hoc ſequi debet.

Et ſuſcitabo vel *ſuſcitem*, intellecta, *ἀσυνδέτως*, particula *ut*,

Eum ego in ultimo die. Nempe ad vitam æternam. Ultimum diem dicit, quia poſt hunc nullus erit, quippe mundo abolito, & ſanctis in novum illum mundum tranſlatis, in quo nullæ ſunt dierum & noctium vices, ſed lux perpetua. Ultimus ergo mundi dies omnibus exſpectandus eſt, ad accipiendum vitæ æternæ præmium.

Verſ. 41. *Murmurabant ergo Judæi de ipſo, quia dixit, ego ſum panis qui deſcendit ex cælo.* Exponit Joannes effectum diviniſſimi iſtius ſermonis in Judæorum animis. Pro fide in Chriſtum murmurabant de Chriſto, cujus murmuris occaſionem illis dedit, quod dixerit, ego ſum panis qui deſcendit ex cælo. Hoc autem dixit verſ. 33 collato cum verſ. 35, 38. Obſtabat nimirum illis ad fidem humilis conditio Chriſti ſecundum carnem, quam Deus ſummo conſilio adhibuerat, ut tam divinis miraculis aliquid adeſſet quo animi hominum probarentur. Probos id non offendebat, ſed perverſis & improbis & tumidis ac faſtuoſis plurimum oberat.

Verſ. 42. *Et dixerunt, non hic eſt Jeſus filius Joſephi, cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo igitur dicit iſte, quod ex cælo deſcendi?* Exponit quid murmuraverint. *Filius Joſephi:* ſic enim putabant. Nam ſi ſciviſſent eum ex Spiritu Sancto fuiſſe conceptum, & ſic à Deo genitum, credo non murmuraſſent. Neſcio an Joſephus tum adhuc vixerit. Nam *οἴδαμεν* de Joſepho, præteriti ſignificationem habere poteſt: cum apud alios Euangeliſtas, & apud hunc ipſum Joannem, matris tantum, adhuc eo tempore quo Chriſtus Euangelium prædicabat, viventis, fiat mentio cap. 2. 1. xix. 25, 26.

Quomodo igitur dicit iſte. Per contemtum: quaſi dicat, iſte tam vilibus parentibus natus: quaſi pugnarent inter ſe, ex cælo deſcendere & eſſe Filium Joſephi ac Mariæ, cum hæc poſſint ſimul conſiſtere, ſi Deus hominem, quamvis pauperrimis parentibus natum, in cælum aſſumat, & è cælo mittat, ac deſcendere faciat ad homines. Habebant ſane tot Chriſti miracula, quæ huic rei & Chriſti dictis fidem faciebant. Vide quam Propheta inter notos ſine honore ſit! Credebant Eliam Thesbiten in cælum evectum eſſe; credebant eundem ex cælis deſcenſurum eſſe: Jeſus autem, qui tanta miracula faciebat, & ſe Dei Filium ſingulariſſimum eſſe per ea oſtendebat, indignus illis videbatur ut in cælum aſſumeretur à Deo Patre ſuo, & è cælo mitteretur ac deſcenderet ad homines.

Verſ. 43. *Reſpondit igitur Jeſus & dixit eis, ne murmurate inter vos.* Quaſi dicat, non habetis cauſam ullam murmurandi, fruſtra inter vos murmuratis. Quod dixi, verum eſt.

Verſ. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, trahat eum.* Probat ſe vera dicere: quaſi dicat, eſt mihi alius pater, quam Joſeph, Deus nimirum ille unus, qui me miſit, qui omnes ad me trahit diviniſſimis ſuis operibus & miraculis, quæ per me facit; & nemo ad me poteſt venire, niſi Pater, qui me miſit, eum trahat. Nam quis unquam in me crederet, niſi tanta miraculorum diverſitate, & ſic ab ipſo Patre, qui me miſit, tractus? Unde conſtat, me vera loqui. Itaque trahit quidem Deus omnes, ſed non omnes patiuntur ſe trahi. Alioquin enim nulla in hominibus eſſet culpa, ſed omnis in Deo, & quiſque dicere poſſet: ego non veni ad Chriſtum, quia non tractus ſum à Patre. Sic & magnes trahit ferrum, at ſi objicias impedimentum, non trahit in effectu, quamvis trahendi vim & efficaciam habeat. Sic & Deus contumaciam objicientes in effectu non trahit. Neque enim ullis eam vim facit, ut virtuti & vitio nullum relinquat locum. Nec quælibet tractio ita violenta eſt ut ei reſiſti non poſſit: *Trahit ſua quemque voluptas*, dixit ille. Trahuntur lapides & trunci ſola vi, ſed homines ratione & arbitrio præditi, trahuntur ad fidem in Chriſtum ut homines, non ut lapides & trunci.

Et ego reſuſcitabo eum ultimo die. Quaſi dicat, & ego, quiſquis vobis videar, & quantumcunque contemnar ac deſpiciar à vobis, reſuſcitabo eum qui ad me venit, ultimo die, ſicut dixi, & ſic rebus ipſis oſtendam me panem eſſe vitæ qui ex cælo deſcendit: quod niſi verum eſſet, nec Deus eſſet mihi Pater, nec ego Dei Filius eſſem, nec Pater quenquam ad me traheret.

Verſ. 45. *Eſt ſcriptum in Prophetis: & erunt omnes docti Dei.* Tempore nimirum Meſſiæ. Probat ex Scripturis iſtam tractionem Patris.

In Prophetis. Id eſt, in Prophetarum libris, per metonymiam cauſæ pro effecto.

Erunt omnes docti Dei. Id eſt, à Deo, per genitivum cauſæ efficientis. Sic Eſaiæ liij. 4 percuſſus Dei, id eſt, à Deo. Effectus ponitur pro efficacia. Nam effectu ipſo multo plures erant non docti ea Deo, ſed ſua culpa. Sic eodem tempore Meſſiæ dicuntur omnes fore juſti, dicitur fore pax ubique Eſa. ix. 7. xj. 5 & ſeqq. & ſimilia. Trahit igitur Deus, quando efficaciter docet, ut porro Chriſtus exponit.

Omnis

Google

Omnis igitur qui audivit à Patre. Quaſi dicat, non à me, ſed à Patre. Eſt enim mea doctrina Patris doctrina, ut apparet ex operibus Patris.

Et didicit. Id eſt, aſſenſus eſt, in animum admiſit quæ à Patre audivit, trahi ſe paſſus eſt Evangelii & tantorum ſignorum efficacia.

Venit ad me. Id eſt, mihi ſe aſſociat, & meus fit diſcipulus. Ergo, qui non veniebant ad Chriſtum, ipſi in cauſa erant. Quia nimirum audiebant à Patre, per Filium loquente, ſed non diſcebant, & contumaciam ſuam ac animum à veritate & præceptis Chriſti alienum & averſum tractioni Patris opponebant. Vere Deus per Meſſiam docturus erat & docuit omnes homines. Vide Jerm. xiij. 31. Hebr. viij. 8 & ſeqq.

Verſ. 46. *Non quod Patrem quis viderit niſi qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* Quaſi dicat, non hoc ita intelligendum eſt, nempe de Deo & Patre omnes docturo, quaſi aliquis Patrem ipſum unquam viderit. Deum enim nemo vidit unquam.

Niſi qui eſt à Deo, παρὰ τοῦ θεοῦ. Id eſt niſi, qui à Deo miſſus venit ex locis illis in quibus Deus habitat.

Hic vidit Patrem. Se ſolum deſignat. Nec mirum quod ipſe ſolus is ſit, cum Dei ſit Filius ille unicus, id eſt, Meſſias. Significat ergo, nihil opus eſſe, ut homines ipſum Deum videant, ſed ſufficere, ut videant & audiant ejus Filium ab ipſo miſſum. Ideo infra cap. xiv. 9 dicit: *Qui videt me, videt Patrem meum.*

Verſ. 47. *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Compreſſa murmuratione redit ad id quod de ſe aſſeruerat: quaſi dicat, veriſſime vobis dico quicquid vobis de me videatur, *qui credit in me habet,* id eſt, habebit, per enallagen temporis, *vitam æternam.*

Verſ. 48. *Ego ſum panis vitæ.* Quaſi dicat, proinde vere dico me panem eſſe vitæ, id eſt, vitam æternam afferentem, per genitivum effecti.

Verſ. 49. *Patres veſtri comederunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* Quaſi dicat, objicitis illud manna, quod comederunt patres veſtri, ſed quid erat illud manna, reſpectu mei? Comederunt & mortui ſunt. Nihil hoc illis ad vitam æternam profuit. At qui in me credit, vitam habet æternam.

Verſ. 50. *Hic eſt panis, qui ex cælo deſcendit, ut quis ex illo edat & non moriatur.* Id eſt, vitam adipiſcatur æternam. Huic pani, qui hanc vim habet, vere tribuendum eſt, quod ſit panis, qui ex cælo deſcendit. Comparatione panis inductus panem ſe vocavit; nunc porro etiam eidem comparationi inſiſtens, fidem in ſe, manducationem iſtius panis appellat, & hic & mox in ſequentibus. Neque enim aliter hic panis, qui Chriſtus eſt, manducari poteſt, quam ut credatur in ipſum; ut profecto mirandi & miſerandi ſint, qui in ſequentibus Chriſti verbis, eandem in manducatione carnis ejus allegoriam non intellexerint.

Verſ. 51. *Ego ſum panis vivens qui ex cælo deſcendit.* Quaſi dicat, ego ſum iſte panis. Repetens quod ℣. 48 aſſeruerat. Antea ſe panem vitæ dixit, nunc panem viventem dicit, eodem ſenſu, quod non tantum ipſe vivat, ſed & alios vivificandi vim habeat. Panis corporalis vivificat tantum ſed ipſe non vivit. At iſte panis & ipſe vivit, & alios vivificat.

Qui ex cælo deſcendit. Quaſi dicat, quamvis id vobis abſurdum videatur. Καταβὰς in præterito, ut & ℣. 41, quo & Chriſtus hic reſpexit, aſſerens id quod ipſis videbatur abſurdum. Deſcenderat autem de cælo, quia prius in cælum adſcenderat, ut iſtic panis iſte fieret. Nam & vapor ex terra in cælum adſcendens fiebat illud Manna in deſerto, cui ſe Chriſtus comparat.

Si quis edat ex iſto pane, vivet in æternum. Id eſt, ſi quis in me credat. Nam ut ſic Chriſtus loqueretur comparatio effecit.

Et panis autem quem ego dabo. Particula *&* redundat, more Hebraico, vel ponitur pro porro: quaſi dicat, porro autem panis quem ego dabo. Dixit adhuc quem panem Pater dederit; nunc etiam dicit, quem ipſe daturus ſit, opponens ſe Moſi verſ. 31, 32.

Quem ego dabo. Omnibus videlicet, ſeu mundo verſ. 33, non vobis tantum ad manducandum.

Caro mea eſt. Unde patet panis voce cibum hic intelligi, per ſynecdochen ſpeciei. Nam & infra carnem ſuam cibum appellat, & ſanguinem ſuum potum ℣. 55: hoc quomodo futurum ſit, ſtatim exponit, cum addit,

Quam ego dabo. Nempe, ut ſanguine & anima privetur.

Pro mundi vita. Id eſt, hoc fine, ut mundus univerſus vitam, eamque æternam, conſequatur. Ita caro mea fiet panis, id eſt cibus, vitam æternam mundo afferens. Significat ſe morte ſua vitam æternam mundo allaturum. Mortuus enim eſt pro mundi peccatis, ut omnis qui in ſe credat non pereat, ſed habeat vitam æternam c. iij. 15, 16. Omnia quæ in ſe ſunt divina, Patri tribuit; ſolam mortem ſuum etiam opus facit, adeo diligens mundum, ut eum ſua propria carne paſcere, & ſuo proprio ſanguine potare ad vitæ æternæ adeptionem non recuſaverit. Vide quantum Moſi, qui Manna dederat, præferendus ſit! Qui hic panem euchariſticum deſignari putant, ipſis Chriſti verbis manifeſte refutantur. Caro enim Chriſti eſt panis improprie & per metaphoram dictus, ex comparatione cum Manna. Panis autem, quem Chriſtus daturum ſe dicit, eſt caro Chriſti; ergo panis, quem Chriſtus daturum ſe dicit, panis eſt improprie & per metaphoram dictus. Proinde non ritualis ille ſeu euchariſticus, qui panis erat proprie dictus.

Verſ. 52. *Pugnabant igitur inter ſe Judæi, dicentes, quomodo poteſt hic nobis dare carnem ad comedendum?* Pugnarunt, nimirum verbis & diſceptationibus. Proprie & carnaliter carnales accipiunt verba Domini, quod etiam antea, ut patet ex ℣. 34, fecerunt. Ita & Nicodemus ſupra cap. iij. 4. Argumentabantur videlicet; oporteret eum primum interfici, deinde quis carne hominis veſceretur, niſi ἀνθρωπόφαγος? quis humana carne cibus eſſet imperior? au vero etiam unius hominis caro ſufficeret omnibus? At Chriſtus loquebatur de eo quod ſe daturus eſſet in mortem pro mundi vita ℣. 51. Qua ratione caro ejus, ſanguine & anima caſſa, futura erat panis, id eſt, cibus, vitam æternam adferens: panis ſeu cibus dicta, propter comparationem cum pane illo & cibo, quem Moſes dederat, id eſt, cum Manna. Qua comparatione inductus, & ſupra, ut vidimus, ſeipſum panem appellavit, & fidem in ſe manducationem iſtius panis. Comparatio enim non tantum ἀφελχισμὸν omnem excuſat, ſed etiam admodum elegantem facit.

Verſ. 53. *Dixit igitur eis Jeſus: Amen, amen, dico vobis, niſi comedatis carnem Filii hominis & bibatis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis ipſis.* Quaſi dicat, certate inter vos ut lubet, ego vobis veriſſime dico, niſi edatis carnem Filii hominis, & bibatis ejus ſanguinem, id eſt, niſi ego pro vobis moriar (mortem intelligit violentam, qua ſanguis ſeparatur à corpore) & vos (ut

ipſe explicat verſ. 63. confer & verſ. 29, 40.) niſi credatis verbis meis, & conſequenter in me; per fidem enim in Chriſtum vim & efficaciam mortis ejus in nos derivamus. Sicut ergo, niſi quis comedat panem & bibat potum, vim ejus in ſe non derivabit ad vitę hujus ſuſtentationem: ſic, niſi quis in Chriſtum credat, vim ac virtutem mortis ejus in ſe non derivabit ad vitæ æternæ adeptionem.

Non habetis. Id eſt, non habebitis.

Vitam. Nempe æternam, ut ſequenti commate additur.

In vobis ipſis. Vitam enim quiſque habet in ſe ipſo. Quia carnem ſuam panem & cibum dixit, etiam illam edi, & ſanguinem ſuum bibi vult. Cibus enim & potus non juvat niſi edatur & bibatur. Sic & caro & ſanguis Chriſti, etſi vitam æternam adferendi vim habet, nemini tamen vitam æternam adferet, niſi qui carnem Chriſti ederit, & ſanguinem ejus biberit; id eſt, in Chriſtum crediderit. Hac enim ratione fiet ut caro & ſanguis Chriſti vitam æternam unicuique adferat. Per carnem enim & ſanguinem ſuum intelligit mortem ſuam, metonymia effecti. Nam per mortem Chriſti factum eſt ut caro ejus redderetur anima & ſanguine caſſa, & ſanguis ejus ſepararetur à carne. Fruſtra ſunt qui hic aliam ullam carnis Chriſti manducationem & ſanguinis ejus potum intelligunt. Neque enim ullam aliam Chriſtus tradidit vitæ æternæ conſequendæ rationem quam fidem ſuis verbis adhibitam, & conſequenter fidem in ſe per charitatem efficacem. Ideo & ſupra cap. iij. 14, 15, 16 dixit, ſe datum eſſe in mortem, ut omnis qui credat in ſe non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic editur Chriſti caro, ſic bibitur ejus ſanguis, & nobis ſalutaris redditur. Vide infra verſ. 63.

Verſ. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Pergit Chriſtus, & adeo id quod dixit verum eſſe oſtendit, ut omnis qui manducet carnem ejus, & bibat ejus ſanguinem, habeat, id eſt, habiturus ſit, vitam æternam.

Et ego reſuſcitabo eum in ultima die. Docet quomodo vitam æternam habiturus ſit: quaſi dicat, etiamſi moriatur, in morte tamen non manebit; ſed reſuſcitabitur per me in ultimo die ad vitam æternam. Hic erit in ipſo carnis meæ & ſanguinis mei, id eſt, mortis meæ effectus.

Verſ. 55. *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Quia nimirum non temporariam vitam ſed æternam adferendi vim habet omnibus in me credentibus. Vere dicitur aliquid eſſe quod in ſuo genere perfectum eſt, quamvis improprie id dicatur eſſe. Sic Chriſtus dicitur lux vera, vitis vera, panis verus & ſimilia. Confirmat dictum ſuperius, ne quis dicat, nullum eſſe talem cibum ac potum, qui vitam adferat æternam. Nimirum reſpondet Chriſtus, quia nec ullus cibus ac potus cum mea carne & ſanguine comparari poteſt.

Verſ. 56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem.* Id eſt, qui in me credit, ut dictum eſt v. 53.

In me manet & ego in illo. Docet qui fiat ut is qui manducet ejus carnem & bibat ejus ſanguinem, vitam æternam habeat. *Quia*, inquit, *in me manet & ego in illo*, id eſt, mihi penitus unitur & conjungitur. Hæc autem omnia Chriſti verba docent, non agi de manducatione panis, & potu vini in euchariſtico ritu. Panis enim indigne edi, & vinum indigne bibi & ad judicium poteſt; at manducatio carnis Chriſti & potus ſanguinis Chriſti, indigne fieri non poteſt, & abſolute ac ſimpliciter ſecum æternam vitam infert.

Verſ. 57. *Sicut me miſit vivens Pater, & ego vivo per Patrem, & qui manducat me & ille vivet per me.* Confirmat vitam æternam habiturum qui ipſum manducet. Cogitare enim quis poſſet, quomodo alios vivificaret, & ex mortuis reſuſcitaret qui ipſe moriturus eſſet?

Sicut, inquit, *miſit me vivens Pater.* Id eſt, qui ita vivit, ut & mortuis vitam, eamque æternam communicare poſſit.

Et ego. Id eſt, ſic & ego, per ellipſin particulæ ſimilitudinis Hebraicam.

Vivo. Id eſt, vivam, nempe in æternum, ex mortuis reſuſcitatus, cum virtute & poteſtate alios ex mortuis reſuſcitandi, & vita æterna donandi: quaſi dicat, quam certum eſt quod à vivente Patre ſim miſſus, quodque ſim ejus Filius ille unicus, id eſt, Chriſtus, tam certum eſt quod & ego ſim victurus licet moriar.

Per Patrem. Quaſi dicat, qui ſuum Filium à ſe miſſum ſua virtute reſuſcitabit ex mortuis, & ita viventem faciet, ut & alios in æternum viventes reddere poſſit. Loquitur per enallagen temporis præſentis pro futuro. Notetur quod Filius vivat, Patris, qui eum miſit, & Filium ſuum fecit, opus ac donum eſſe, non minus ac Filii opus ac donum erit ut qui manducet eum vivat.

Et qui manducat me. Particula *&* hoc loco Hebræa phraſi, illativam vim habet: quaſi dicat, proinde vel ideoque. Sequitur enim, *& ille vivet per me.*

Qui manducat me. Id eſt, credit in me, ut patet ex v. 35, 50, 51. Nihil hic de manducatione carnis ſuæ dicit, ut eo ipſo doceat, credere in ſe, eſſe carnem ſuam manducare, & quid ultra fidem in Chriſtum per charitatem efficaciter operantem requiratur ad ſalutem?

Et ille vivet. Quaſi dicat, non minus quam ego.

Per me. Quaſi dicat, ſicut ego vivo per Patrem, Pater mihi auctor eſt vitæ, ego credentibus in me.

Verſ. 58. *Hic eſt panis qui ex cælo*, nempe illo ſupremo *deſcendit.* Quaſi dicat, non Manna. Καταβὰς iterum ut verſ. 41, 51 ſe deſignat, qui ex cælo miſſus à Patre, vitæ æternæ auctor eſt omnibus in ipſum credentibus.

Non ſicut comederunt patres veſtri Manna & mortui ſunt. Intellige, ſic qui manducat hunc panem, morietur, nempe ita, ut non reſurgat ad vitam æternam.

Qui manducat hunc panem, vivet in ſeculum. Quaſi dicat, proinde tacete de veſtro Manna, nec mihi illud objicite. Ex contrarii negatione affirmat contrarium.

In ſeculum. Id eſt, in æternum. Nam etiam hoc ſeculo finito, ſeculum erit aliud quod nunquam finietur.

Verſ. 59. *Hæc dixit in Synagoga, docens in Capernaum.* Locum notat ubi hæc dixerit Chriſtus. Unde apparet homines illos qui Chriſtum quærebant, eum in Synagoga deprehendiſſe, confer verſ. 24, 24, 25.

Verſ. 60. *Cum igitur multi* (non omnes) *audiviſſent.* Nempe hunc Chriſti ſermonem, *ex diſcipulis ejus*, id eſt, ex iis qui ſeſe Jeſu, tanquam magiſtro à Deo miſſo, aggregaverant.

Dixerunt, durus eſt iſte ſermo. Concoctu difficilis.

Quis poteſt illum audire? Quaſi dicant, nedum in animum admittere, & ei aſſentiri. Ex ſe nimirum alios omnes æſtimabant. At Petrus & Joannes, & eorum ſimiles, offenſi non ſunt verſ. 68, 69. Hunc diviniſſimum

mum ſermonem ſuum ſic à multis exceptum iri, haud dubie ſcivit Chriſtus, & tamen ſic locutus eſt. Nimirum, ut animi à veritate averſi patefierent. Sic & Scripturam Deus prodi voluit, ut multas locutiones contineret quibus errare volentes ad errorem abuti poſſent. *Oportet*, inquit Apoſtolus, *& hæreſes inter vos eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti inter vos fiant* 1 Cor. xj. 19. Et hæreſes omnes ex Scripturis ortæ ſunt, ſicut ex vino, re optima, ebrietas. Durum autem & abſurdum illis videbatur. I. quod Chriſtus ex cælo ſe deſcendiſſe diceret. II. quod carnem ſuam ſe daturum ad manducandum affirmaret, ut patet ex ℣. 41 & 62, & ex reſponſione Chriſti quæ ſequitur. Poterant illi Chriſtum ſeorſim interrogare de eo quod non intelligebant, ſicut alias ſępe faciebant Apoſtoli. Notandum etiam eſt, non protinus ſi quid non intelligamus contemnendum eſſe, multo vero minus in offendiculum arripiendum: ſed Mariam matrem Domini imitandam, quæ etſi non intelligebat verba Chriſti, ea tamen aſſervabat in corde ſuo, intellectura ſuo tempore Luc. ij. 51.

Verſ. 61. *Cum autem ſciret Jeſus in ſe ipſo.* Id eſt, per ſe ipſum, ſine ullius narratione. Erat enim ſpiritu divino præditus, quo etiam animos hominum, non ob murmurationes tantum noverat, vide verſ. 64.

Quod murmurarent de hoc. Murmurare eos audiebat, ſed quo de murmurarent, ipſe per ſe intelligebat.

Diſcipuli ejus. Quaſi dicat, non tantum Judæi alii.

Dixit eis. Ut ſcilicet animos eorum ſanaret, ſed fruſtra fuit, ut docet verſ. 66. *Hoc vos ſcandalizat?* Id eſt, animos veſtros, qui jam diſcipuli mei facti eratis, lædit, & à me avertit? quaſi dicat, immerito ſane.

Verſ. 62. *Si igitur videritis Filium hominis adſcendentem ubi erat prius.* Nempe in cælum.

Ubi erat prius. Ante hunc ſuum aſcenſum ſcilicet: quia nimirum etiam prius eo aſcenderat. Intellige autem; an adhuc ſcandalizabimini, quod dixerim me ex cælo deſcendiſſe? an aſſertioni meæ non credetis? Atqui videbitis id, nempe vel ipſi, ſi mihi adhæſeritis, vel in eorum perſona qui oculis ſuis id videbunt. Priorem aſcenſum meum in cælum nemo vidit, nec deſcenſum etiam. Sed poſteriorem adſcenſum meum multi videbunt, & deſcenſum omnes. Erat ergo prius in cælo, quia in cælum prius aſcenderat. Et ſane, qui in terris natus (quippe filius hominis) ex cęlo miſſus eſt, inde mitti non potuit, niſi in cælum prius adſcendiſſet. Perinde ergo eſt atq; ſi ſe iterum in cælum adſcenſurum eſſe diceret.

Filium hominis ſe appellat, non tantum propter naturam ſuam, ſed etiam propter ſtatum & conditionem ſecundum carnem humilem. Potentes enim & majeſtate ſecundum carnem præditi, deorum nomine gaudent in ſcripturis; viles & pauperes ſecundum carnem, appellantur homines vel filii hominum: quaſi dicat, quantumcunque vobis Filius iſte hominis vilis ac deſpectus videatur & habeatur. Vide plura cap. iij. 13.

Verſ. 63. *Spiritus eſt qui vivificat.* Quaſi dicat, quod autem ad manducationem carnis meæ attinet, neque hic habetis quod vos debeat offendere.

Spiritus eſt, qui vivificat. Id eſt, vitam æternam adfert, quippe qui hominem à ſervitute peccati, & conſequenter legis ac damnationis exſolvit 2 Cor. iij. 6.

Caro non prodeſt quicquam. Recte. Caro enim non eſt ſpiritus. Carnem opponit ſpiritui, etiam ſuam. Nam & Chriſti caro erat caro, non ſpiritus. Unde autem ſpiritus iſte petendus ſit, mox docet. Caro, nempe carnaliter, ut vos ſtulte cogitatis, manducata.

Non prodeſt quicquam. Nempe ad vitæ æternæ adeptionem. Nam alioquin caro & ſanguis Chriſti plurimum nobis ad vitam æternam prodeſt; & caro carnaliter manducata, prodeſt ad vitæ temporariæ ſuſtentationem. Merito autem dicit carnem carnaliter manducatam nihil prodeſſe ad vitę ęternę adeptionem: quia, quod carnaliter manducatur, in ventrem ingreditur, ut Chriſtus ipſe docet Mat. xv. 17, nec ad animum ac ſpiritum illuminandum quidquam pertinet: quaſi dicat, quid vos caro mea juvaret ad vitam æternam, etiamſi eam carnaliter ederetis? quid habet commune caro & ſanguis cum vita ęterna? 1 Cor. xv. 50. non intelligitis me, occaſione mannę illius in deſerto, cujus vos ipſi mentionem feciſtis, & me ad ſermones iſtos invitaſtis & adduxiſtis, per comparationes & allegorias loqui.

Verba quæ ego loquor vobis. Docet unde ſpiritus ille petendus ſit, id eſt, meus ſermo, mea doctrina, cum me Dei Filium eſſe dico, cum credentibus in me vitam æternam promitto, cum me carnem meam pro mundi vita daturum affirmo.

Spiritus ſunt & vita ſunt. Quaſi dicat, proinde verbis meis credere eſt carnem meam edere, & ſanguinem meum bibere. Nam qui verbis meis, & conſequenter in me credet, is carnis & ſanguinis mei, id eſt, mortis meæ vim in ſe derivabit, & ſic vitam æternam conſequetur, vide verſ. 54. Verba ſua ſpiritum & vitam eſſe dicit, per metonymiam effecti, quia ſpiritus & conſequenter vitę ſunt cauſa. Spiritus enim eſt qui vivificat, qui vitam æternam adfert, quippe qui carnem & carnis opera mortificat, & ut ſecundum eum, non ſecundum carnem ambulemus, facit, ideoque legi, & conſequenter damnationi eximit, quem ſpiritum verba Chriſti animis indunt omnium credentium, quò de ſpiritu, deque ipſius mortis Chriſti, non tantum nobis vitę æternæ aſſerendis, ſed etiam Chriſto penitus mancipandis efficacia. Vide Rom. viij. 2, 3. 2 Cor. iij. 6. v. 14, 15. Gal. 2. 20. v. 5. Monet ergo Chriſtus, ut verbis ſuis credant, idque ſe intelligere ſignificat, cum carnem ſuam manducari & ſanguinem ſuum ab iis bibi vult. Et ſic à carnalibus eos ad ſpiritualia revocat, ſicut & Nicodemo & Samaritanæ mulieri fecit cap. iij. 5. iv. 14. Hæc Chriſtus ipſe de verborum ſuorum ſenſu docuit, & tamen Chriſtiani hodie de pane & vino euchariſtico credunt eum locutum eſſe, verborum ſpecie quadam inducti, nec ad rem quam Chriſtus agit & tractat, attendentes. Hinc apud alios ortum traxit tranſſubſtantiatio proprie dicta panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti; apud alios conſubſtantiatio panis & vini cum corpore & ſanguine Chriſti, & conſequenter oralis ſeu proprie dicta manducatio carnis Chriſti cum pane, & potus ſanguinis Chriſti cum vino. Apud alios ſpiritualis quidem, ſed inexplicabilis, quia & ſacramentalis ac realis per panem & vinum carnis Chriſti manducatio & ſanguinis Chriſti potus. Credere ſe Chriſti verbis ajunt; id quidem recte faciunt, ſed in eo valde perperam, quod Chriſti verbis ſenſum abſurdum & contradictionum plenum ſubjiciant, & ſic Chriſtianam veritatem apud cordatos deridiculo proponant, quodq; Chriſtum dicere credant quę non dixit, immo quibus contrarium aperte dixit, dum carnem nihil prodeſſe diſertis verbis aſſeruit, & carnis ſuæ manducationem non ad panem euchariſticum, ſed ad fidem verbis ſuis adhibendam retulit. Inſiſtere ſe ajunt ſimplicitati verborum Chriſti:

inſiſtant ſane, ſed cum ratione ac judicio, ne cum ratione inſaniant. Alioquin enim, qui fit ut cum Chriſtus dicit, ego ſum vitis vera, vos eſtis palmites: Pater meus eſt agricola, & alia complura his ſimilia, non ita ſimplicitati verborum inhæreant, ut non protinus elegantes metaphoras & allegorias agnoſcant. An putant plures in eo ſcatere contradictiones & abſurda, ſi quis hæc & alia his ſimilia Chriſti & Scripturæ ſacræ verba in propria ſignificatione accipiat, quam in proprie dicta carnis Chriſti manducatione & ſanguinis ejus potu? Aut panis & vini in carnem & ſanguinem Chriſti tranſmutatione? Aut carnis & ſanguinis Chriſti cum pane & vino conjunctione? Aut in ſpirituali, neſc[illegible] qua, vel etiam ſacramentali ac reali carnis Chriſti manducatione, quæ per manducationem panis fiat? Errant ſi hoc putant, cum hæc non tantum manifeſtæ rationi æque ac illa; ſed ſenſibus etiam ipſis omnibus repugnent. Fidem ergo ſuam approbent Chriſto, non, in credendis & Chriſto affingendis contradictionibus, ſed in credendis iis quæ vera ſunt ac ſolida, quæque à Chriſto vere ſunt dicta, non inanem à Chriſto dictorum ſpeciem habentia. Chriſtus, tantum abeſt ut carnem & ſanguinem nunc habeat, ut ſpiritus vivificans totus ſit factus 1 Cor. xv. 45. Neque enim caro & ſanguis regnum Dei hæreditate obtinere poteſt verſ. 50. Et cum Chriſti caro ſanguine & vita caſſa manducanda ſit, ac ſanguis ex corpore fuſus ſit bibendus, (quod & res ipſa, & ipſe ſacer ritus euchariſticus docet, in quo fracti & exanimati corporis Chriſti, & ſanguinis ex corpore effuſi memoria celebratur) quis nunc locus eſſe poteſt, orali aut etiam ſpirituali, vel ſacramentaliter reali, quæ carnaliter ſeu per panem & calicem fiat, carnis Chriſti manducationi, & ſanguinis ejus potui? Chriſtus enim vivit, & jam pridem mortuus eſſe deſiit. Alias manifeſtas contradictiones colligere nihil attinet, cum eas nemo non videat, etiam ex illis ipſis qui eas propugnant. Quas tamen tantum abeſt ut abjiciant, ut etiam in illis credendis, fidei & obſequii apud Deum gloriam quærant, vel ſimplicium animos ultro detineant! Sunt qui per manducationem carnis, & potum ſanguinis Chriſti, intelligant diligentem mortis Chriſti meditationem & ruminationem; nec id repugnat metaphoræ. Sed primum, etiam illi ipſi includere habent neceſſe ut credamus verbis Chriſti, proinde in Chriſtum Dei Filium, quodque is pro mundi vita, proque peccatis omnium ſit mortuus: nam ſine hac fide quid eſſet & quid valeret mortis Chriſti meditatio? Deinde carnem Chriſti edere, & ſanguinem Chriſti bibere debent omnes, idque tanquam unicum vitæ æternæ adipiſcendæ medium omnibus proponitur. At non omnes, ſimpliciores præſertim, ad aliam mortis Chriſti meditationem ſunt idonei, quam ut ſimpliciter credant Chriſtum Dei Filium pro mundi vita & pro peccatis omnium eſſe mortuum, ut omnis qui in eum credat non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quod ſolum etiam unicuique ſatis eſt ad id ut cum Paulo dicat, & in ſe exhibeat, *Ego per legem legi mortuus ſum, ut Deo vivam, cum Chriſto crucifixus ſum, vivo autem non amplius ego, vivit autem in me Chriſtus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſtitia, igitur Chriſtus fruſtra mortuus eſt* Gal. 2. 19, 20, 21. Hoc enim qui vere de ſe dicit, haud dubie vitam per Chriſti mortem adipiſcitur æternam. Quid, quod mortis Chriſti meditatio, vitioſe & perperam & in condemnationem fieri queat, ut ſane fit à plurimis, qui morte Chriſti iræ divinæ ſatisfactum putant. At edere carnem, & bibere ſanguinem Chriſti, nemo perperam, nemo niſi in vitam æternam poteſt. Ideo ei ſpiritualiter vita æterna addicitur.

Verſ. 64. *Sed ſunt ex vobis quidam qui non credunt.* Quaſi dicat, atque hæc eſt vera cauſa ob quam ſcandalizamini, non verba mea. Iſti quidam erant multi, ut patet ex verſ. 60, 66, ſed quia non omnes, (diſcipulos enim alloquitur) idcirco quidam. Cauſam veram indicat Chriſtus, ob quam diſcipuli, qui ſeſe Chriſto jam aggregaverant, & in nomen ejus haud dubie baptizati fuerant, verbis ejus ſcandalizarentur: quaſi dicat, ſed ſunt ex vobis quidam qui non credunt, me nimirum eſſe Filium Dei. Proinde mirum non eſt, quod verbis meis ſcandalizentur, quamvis in illis nulla ſit vera ſcandali cauſa. Si crederent ex animo me Dei Filium eſſe, non ſcandalizarentur verbis meis, quin potius illis mirum in modum erigerentur & ædificarentur. Apparuit id in Petro & aliis Apoſtolis ac diſcipulis verſ. 66, 67, 68, 69. Nec enim omnes diſcipuli diſceſſerant à Chriſto, ſed multi.

Qui non credunt. Vere nimirum & ex animo. Nam aliquam tamen in illis fuiſſe fidem oportuit, ſiquidem diſcipuli facti erant. Sed fides diffidentiæ mixta, præſertim ſi diffidentia præponderet, cenſetur pro nulla. Credebant, ſed ita, ut facile & quavis de cauſa diſcederent. Hodie contraria ratione, Chriſtiani ita credunt Chriſto, ut etiam hunc abſurdum & verbis Chriſti affictum ſenſum, qui iſtos à Chriſto penitus averterat, verum & à Chriſto proditum putent. Nihil à Chriſto dictum tam abſurde interpretati ſunt Judæi, ut hanc eorum interpretationem pro fidei articulo hodie non ducant Chriſtiani. Judæi ſic interpretati ſunt verba Chriſti, quaſi juberet oraliter & carnaliter carnem ſuam edere, & ſanguinem ſuum bibere; hoc credunt nunc Chriſtiani. Judæi ſic acceperunt verba Chriſti, quaſi dixerit, quod Abrahamum viderit; hoc credunt Chriſtiani. Judæi objecerunt Chriſto, quaſi ſe Deum illum unum faceret Joan. viij. 57. x. 33, hoc itidem credunt Chriſtiani. Contra vero quæ Chriſtus vere dixit ac docuit de Filii hominis divinitate, non minus nunc blaſphema videntur plurimis Chriſtianorum, quam olim videbantur Judæis. Ita quæ Chriſtus non dixit creduntur, quæ vero dixit ac docuit damnantur ac rejiciuntur. Nimirum abſurda credere, & vera damnare, ſalutis conſequendæ compendia putamus. Nam & per ſolam panis euchariſtici manducationem vitam æternam acquiri poſſe, quis non libenter audiat? Sic habent omnes in Chriſti & Scripturæ verbis, ſive veritatis ac pietatis amantes, quibus mirifice recreentur, ſive à veritate ac pietate alieni, quibus ad ſuam perniciem abutantur.

Sciebat enim ex initio Jeſus, qui eſſent qui non crederent. Cauſam attexit Joannes, cur eis Jeſus objecerit, quod non crederent: quia nimirum ſciebat ex initio, nempe acceſſus cujuſque ad ipſum, (eſt enim

vox

vox principii ſemper ex re ſubjecta intelligenda) quinam eſſent qui non crederent; non poſtea demum humano more id cognoſcebat, ſed ab initio ſtatim ſciebat per ſpiritum divinum, quo præditus erat, confer Marc. 2. 8. Ideo id illis jure poterat objicere; quos tamen recipiebat Chriſtus, ne illis cauſa & occaſio deeſſet animum in melius mutandi.

Et quis eſſet, qui traditurus erat ipſum. Etiam hunc ab initio noverat, ne quis putaret Chriſtum ignorantia aliqua & illos in numerum diſcipulorum recepiſſe, & hunc inter duodecim etiam illos præcipuos allegiſſe. Deus in Juda non procreavit malitiam, ſed paratam invenit, qua ad ſuum conſilium exequendum uſus eſt.

Verſ. 65. *Et dixit, propter hoc dixi vobis, quod nemo poſſit venire ad me, niſi ſit datum ei ex Patre meo. Propter hoc*, nempe, quod inter vos eſſent quidam qui non crederent me Dei Filium eſſe.

Dixi vobis. Nempe auditoribus meis omnibus, verſ. 44.

Quod nemo poſſit venire ad me. Id eſt, diſcipulus meus vere fieri.

Niſi ſit datum ei ex Patre meo. Quaſi dicat, ecce enim quidam ex vobis videbantur mihi credere, & diſcipuli mei facti eſſe, tam evidentibus & efficacibus Patris mei ſignis convicti, vere tamen mihi non credebant, nec diſcipuli mei facti erant. Quid fieret ſi meus ſermo ex Deo non eſſet, ſi mihi Pater non adeſſet, ſi divina ſua efficacia diſcipulos mihi non daret? Fierine poſſet ullo modo, ut quiſquam ad me veniret? Nimirum Chriſti doctrina ita eſt à carnalibus affectibus & cogitationibus remota, ut, niſi ei divina vis & argumenta adeſſent, nemo eam amplecteretur. Non excuſat hic Chriſtus non credentes, ſed accuſat, nec eorum culpam conjicit in Patrem, qui eis dabat ut crederent, & ex animo ad Chriſtum venirent, ſed id accipere nolebant. Alioquin enim dicere quiſque poſſet: ego non veni ad Chriſtum, quia non potui, non potui autem, quia id mihi datum non erat à Patre. Itaque quod quis ad Chriſtum veniat, id Patri acceptum ferre debet; ſi non veniat, id ſibi imputet. Pater enim, cum alicui ſermonem Euangelii mittit, fidem ei dare vult. Fides enim eſt ex auditu, auditus per verbum Dei, nec fides ex nobis eſt, ſed ex Deo, & donum eſt Dei Rom. x. 17. Epheſ. 2. 8. Sed non omnes fidem ſibi dari volunt, non omnes eam volunt accipere. Multa per vim auferri poſſunt, ſed dari non poſſunt. Haud dubie etiam Chriſtus habuit in dicendo vim quandam peculiarem, & in ipſa voce divinum quidpiam. Nam & moriturus vocem emiſit humana majorem Marc. xv. 34, 37, 39; ex qua etiam in ipſo mortis momento emiſſa centurio cognovit, eum non vulgarem hominem, ſed Dei Filium fuiſſe Luc. xxiij. 46 collato cum Marc. xv. 39. Unde dicitur docuiſſe, ut poteſtatem habens Matth. vij. 29, & illi qui miſſi erant ut Jeſum comprehenderent, infra cap. vij, re infecta reverſi reſpondent; *Nemo hominum unquam ſic locutus eſt ſicut hic homo*, verſ. 46. Haud dubie & in vultu, & in oculis, & in actione, & in ſono, non tantum in ſenſu ſermonis Chriſti, aliquid fuit ſupra communem hominum modum.

Ex Patre. Id eſt, à Patre.

Verſ. 66. *Ex hoc multi abiverunt diſcipulorum ejus retrorſum. Ex hoc.* Nempe, tempore. *Multi abiverunt &c.* non quidem omnes; ſed multi deſeruerunt Chriſtum. Nihil illis profuit admonitio. Gaudebant quod occaſionem aliquam abeundi inveniſſent.

Nec amplius cum ipſo ambulabant. Non facile ſolent apoſtatæ reverti.

Verſ. 67. *Dixit igitur Jeſus illis duodecim.* Primoribus illis diſcipulis. Credo, ut iſtorum exemplo abeuntes convinceret, & malum exemplum expungeret bono. Haud dubie enim ſciebat quid reſponſuri eſſent.

Num & vos vultis abire? Ita interrogat ut & illis, ſi velint, copiam faciat abeundi. Neminem Chriſtus invitum retinet, & qui alios ad fidem ſive ſuſcipiendam, ſive retinendam cogunt, Chriſti ſpiritum non habent, immo fidem ſe falſam & hæreticam habere produnt. Nec ulla unquam tetrior & capitalior & effectu ſævior ac truculentior fuit hæreſis, quam hæreſes civili magiſtratui puniendas & ulciſcendas ſubjicere, cujus nulli unquam orthodoxi & vere catholici auctores extitere; ſed qui ſuis dogmatis, quæ verbo Dei, quod ſolum veritas eſt, probare non poterant, præſidium in carnali potentia quæſivere. Fides quam Chriſtus docuit, adeo ſancta eſt, adeo cæleſtis ac divina, adeo precioſa, ut neminem velit niſi qui ultro & ad eam veniat & in ea maneat. Chriſtus certe ex illis qui abibant nullum vi retinuit, nec cum poſſet carnalibus pœnis affecit; quod hodie Chriſtiani non tantum faciunt, ſed etiam jure ſe facere contendunt. Diſtinguunt autem vulgo quidam inter coactionem ad fidem recipiendam, & inter coactionem ad fidem jam receptam retinendam; & hanc licitam, illam illicitam eſſe ajunt, ſed utraque coactio hoc loco refellitur. Nam nec Apoſtolos voluit cogere ad fidem retinendam, nec deſertores tum punivit ob non retentam. Notandum quoque Chriſtum iſtos qui ſe deſerebant, neque rogaſſe ut manerent. Nimirum non Chriſtus nobis indiget, ſed nos Chriſto, & ſciebat fruſtra ſe elabi cupientes rogaturum eſſe. Invitum qui ſervat idem facit occidenti.

Verſ. 68. *Reſpondit igitur ei Simon Petrus.* Suo nimirum & aliorum nomine, ut ſolebat, quod alios forte ætate ſuperaret, & animo præſentiore eſſet.

Domine ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes. Id eſt, verba quibus vitam æternam, & modum eam conſequendi, etiam in his ipſis verbis quæ iſtos offenderunt annuncias, & per quæ, ſi iis credamus & obediamus, vitam æternam haud dubie conſequemur. Priori ſenſu verba vitæ dicuntur, per genitivum objecti, hoc poſteriori, per genitivum effecti. Hinc patet verba vitæ æternæ tam clara & aperta, nec apud Moſen, nec apud ullum alium Prophetam fuiſſe. Alioquin enim non dixiſſet Petrus; *ad quem abibimus?* Habebant quidem & illi vitæ æternæ verba, ſed quorum occultus & abditus erat ſenſus, quem Chriſtus (de quo omnes teſtabantur cap. v. 39, 40,) in lucem protulit per Euangelium 2 Tim. 1. 10.

Verſ. 69. *Et nos credidimus, & cognovimus, quod tu es ille Chriſtus ille Filius Dei viventis.* Quaſi dicat, ne quis inani ſpe ludi nos putet.

Et cognovimus. Quod majus quiddam etiam eſt quam credere, certiſſimis nimirum argumentis & documen-

cumentis convicti quod tu ſis ille Chriſtus, ille Filius Dei viventis, proinde & Moſe & Prophetis major omnibus. Utraque hac appellatione ex Scripturæ & communi apud Judæos uſu, eandem dignitatem deſignat: ideo & abſque conjunctione altera ad alterius declarationem opponitur. Subjectum iſtius dignitatis erat homo Jeſus, ſeu, ſicut ipſe ſe vocabat, Filius hominis.

Chriſtus. Id eſt, unctus, nempe Dei viventis, appellatur ab unctione.

Filius. A generatione. Sed & ungendo Deus illum generavit, ac ſibi ſimilem fecit, & generando illum ſeu ſibi ſimilem faciendo unxit, ſpiritu nimirum ac virtute. Niſi quod præterea Filii appellatio, & generationem ejus per Spiritum Sanctum in utero matris virginis, & reſuſcitationem ex mortuis, apertius ſignificet. De priore vide Luc. j. 35. De poſteriori Act. xiij. 33. Rom. viij. 29. Col. j. 18.

Et quia omnes ſummi judices & reges à Deo uncti, filii Dei appellantur in Scriptura, merito Chriſtus ille *Dei* ſingulariſſimus Rex regum omnium, & Judex vivorum ac mortuorum, & Chriſtus, & *Filius Dei*, abſolute ſeu ſubjective, & κατ' ἐξοχὴν dicitur. Eſt enim in textu ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, utrumque cum articulo emphatico. Qui articulus, ſicut inſignem illum ac ſingularem Chriſtum & Filium Dei deſignat, ſic non minus univerſo populo notum; qui certe non erat Filius ex Dei eſſentia ab æterno & perpetuo profluens, idem numero cum Patre Deus. Judæorum genti ſemper, & ad hæc uſque tempora penitus ignotus, quin & ſeipſum deſtruens. Idem Dei Filius ſingulariſſimus, etiam unigenitus ſeu unicus Dei Filius, eandem ob cauſam dicitur, quod ſcilicet eſt, & charitate apud Deum, & charitatis iſtius effectis omnium longe excellentiſſimus, ita ut cæteri omnes illius comparatione ſervi potius ſint Dei & ipſius Chriſti, quam Dei Filii. Filium Deo illi uni opponunt Apoſtoli, tanquam relatum & correlatum, non tanquam duas perſonas, & unum numero Deum. Hæc eſt fides & confeſſio Apoſtolorum de Jeſu, hæc totius Euangelii ſcopus eſt. Ultra qui tendunt, Filium hominis, qui Jeſus eſt, dedignantur ac faſtidiunt. Perſonam enim inducunt quæ fuerit antequam Filius iſte hominis ex Spiritu Sancto conciperetur & naſceretur ex virgine. Quia igitur diſcipuli iſti credebant ex animo, Jeſum eſſe Chriſtum illum & Filium illum Dei, idcirco ei firmiter adhærebant, nec ullis ejus dictis abalienabantur, quamvis ea forte non protinus intelligerent. Hanc confeſſionem repetiverunt, etſi alia occaſione Matth. xvj. 16, quo in loco cæteri Euangeliſtæ Marcus & Lucas Chriſti tantum titulum ponunt, Filii Dei titulum omittunt, ut fit in ſynonymis. Neque enim majorem & potiorem confeſſionis partem de Jeſu omiſiſſent, ſi Filii Dei titulus aliud quid, idque multo præſtantius ac divinius ſignificaret in Jeſu, quam titulus Chriſti Marc. viij. 29. Luc. ix. 20.

Epitheton τοῦ ζῶντος docet Deum illum unum Chriſti Patrem, non tantum vivere, ſed etiam ſic vivere ut ſolus vitam ex ſe habeat æternam, eamque omnibus communicare potens ſit. Non fruſtra hoc addit Docere enim voluit Deum, qui verba vitæ æternæ Filio ſuo dederit, poſſe etiam eorum effectum præſtare, id eſt, omnibus in Filium credentibus vitam æternam dare.

Verſ. 70. *Reſpondit eis Jeſus, non ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt?* Hoc reſpondet Jeſus ad confeſſionem iſtam quam Petrus protulit nomine duodecim diſcipulorum, ut oſtenderet ſe Judam noſſe, quamvis etiam illius nomine Petrus loqueretur.

Non ego vos duodecim elegi? Nempe præ cæteris diſcipulis omnibus, ut mihi comites eſſetis perpetui, & in Euangelio præcipui legati Marc. iij. 14, tanto vos honore, tanta gratia ſum dignatus.

Et ex vobis unus diabolus eſt. Id eſt, diabolo ſimilis, per metaphoram, vel ſimpliciter, malus & improbus, proditor meus. Diaboli enim vox natura ſua communis eſt, ſed per antonomaſiam facta eſt ei propria qui ſumme malus eſt. Proprie ſignificat calumniatorem, ſed per ſynecdochen ſpeciei ponitur pro malo & improbo quolibet. Idem accidit & in voce ſatanæ, qua & Petrus appellari meruerat à Chriſto Matth. xvj. 23, quod adverſaretur Dei conſiliis ac decretis: ſatanas enim adverſarium ſignificat, ſed itidem per antonomaſiam, nomen hoc occupavit is qui maxime Deo adverſatur.

Verſ. 71. *Dicebat autem Judam Simonis Iſchariotem.* Id eſt, hoc dicendo, Judam Simonis Iſcharioten deſignabat.

Hic enim erat eum traditurus, cum eſſet unus ex illis duodecim. Cauſam exprimit cur Judam hunc eſſe ſignificaret Nam prodere & tradere Chriſtum Dei Filium, Dominum ſuum, maximæ profecto malitiæ & improbitatis erat effectus. Prævidit hoc Chriſtus & prædixit, quia id Judas, tanquam malus & improbus & fur & lucri avidus facturus erat. Non enim id facturus erat quia id Chriſtus prævidit & prædixit; maluiſſet enim eum Chriſtus emendari, quam ſuam prædictionem impleri, quæ Judæ neceſſitatem peccandi non adferebat. Ideo etiam aliquem à ſe inter duodecim illos eximios diſcipulos electum eſſe, & eundem diabolum eſſe, tanquam valde diſcrepantia opponit. Judas, quamprimum à magiſtro tam divino ſuſceptus & in ſocietatem tam ſanctam allectus erat, malitiam & improbitatem omnem excutere debuit, quod quia non fecit, eo progreſſus eſt, ut primum fur, deinde & Chriſti Filii Dei ac Domini ſui ob lucrum proditor fieret, & tandem, quod omnium peſſimum erat, ex deſperatione vitam ſibi adimeret. Exempla αὐτοχειρίας pauca ſunt in ſacris literis: quam Ariſtoteles ἀνανδρίαν dixit; ſed Stocii viciſſim eandem objiciunt Ariſtoteli, qui mortem ita horreat, ita ab ea refugiat, ut indigniſſima quæque pati malit quam eam ſibi conſciſcere. ἀνδρείαν, ajunt, iis tribuendam eſſe, qui ex deſperatione, non ex turpitudinis fuga, mortem ſibi inſerant. Illius fortudinis Stoicæ exemplum habemus in Samſone & Saule, ne contumelias ferrent in Deum ipſum redundaturas, & Saulis armigero, & in Radſia 2 Macc. xiv. 41, 42, quorum hic etiam cum fiducia recuperandæ à Deo olim vitæ vitam lubens profudit. Nec defuerunt etiam inter Chriſtianos, qui pudoris violationes & conſtuprationes & lupanaria & lenones (cum graviorem hanc Chriſtianis fœminis pœnam viderent impii, quam ſi ducerentur ad leones) morte ſibi illata prævenerint. Virginius certe civis Romanus, cum filia ſibi unica, ingenue nata, fœdiſſimo Decemviri decreto raperetur in ſervitutem ac ſtuprum, nec ullius alius liberandæ filiæ reſtaret modus, ab lanio cultro arrepto: *Hoc te uno, quo poſſum*, ait, *modo, filia in libertatem vindico.* Pectus

deinde

deinde puellæ transfigit, eamque dat neci, Liv. lib.iij. Apud Chriſtianos tamen αὐτοχειρία pro infami habetur, non quod Chriſtiani vitam juxta & mortem contemnere non norint cum opus eſt, aut ulli hominum magis & certius ergaſtulo ſe corporis in veram libertatem ac vitam per mortem ſolvi credant; ſed quod non minus adverſum cruciatus & contumelias,& quidquid tandem morte ipſa triſtius & calamitoſius queat accidere (præſertim ſi etiam per hæc de Chriſto teſtandum ſit, & illa defugere ſit deforme) quam adverſus mortem fortes & invicti ſint. Eſt tamen in uſu Chriſtianis, & ex diſciplina militari ac ſacramento, ut ſæpe naves & arces, ſeu loca munita, una ſecum perdant potius, quam in hoſtium poteſtatem pervenire patiantur. Cui facto etſi amorem patriæ & commodum prætendunt, tamen nec patria, nec illius commoda tanri ſunt æſtimanda, ut aliquid à Chriſtiano fiat quod ullo modo fas non ſit. Ideo & illi qui in gladios inter ſe mutuo incurrunt ne in hoſtium manus deveniant, αὐτόχειρες ſunt. Sed qui neceſſitatem moriendi ab Imperatoribus olim accipiebant, ab iiſdem etiam non à ſe occidi cenſeri debebant.

CAPUT VII.

Verſ. 1. ET *ambulabat Jeſus.* Id eſt, agebat, converſabatur, Hebræa phraſi; *ambulabat*, intellige, cum Euangelio, diſcipulos colligens & baptizans.

Poſt hæc. Non tantum poſt hæc dicta, ſed etiam poſt feſtum Paſchatis Hieroſolymis peractum cap. vj. 4.

In Galilæa. Nempe uſque ad feſtum Scenopegiæ verſ. 2. Inviſebat enim Judæam ad ſingula feſta, ſed feſto peracto, recipiebat ſe in Galilæam.

Non enim volebat in Judæa ambulare. Id eſt, conſuete ac ordinarie verſari, & Euangelium circumferre, quamvis Judæa locus eſſet præcipuus ubi homines erant docti, clari, nec Jeſus ſugiebat lucem.

Quia quærebant ipſum Judæi occidere. Hæc eſt cauſa conſilii & facti ejus. Vitabat ergo Judæorum inſidias. Nam cùm media adeſſent ordinaria, non erat opus, ut ſe per miracula tutaretur. Præſertim cum in Galilæa majore cum fructu converſari poſſet, & meſſem quam in Judæa uberiorem haberet. Sic & Apoſtoli convertebant ſeſe ad homines magis dignos, ut eorum ex actis conſtat Act. xiij. 46, 47. Quærebant autem Judæi ut Chriſtum occiderent, prætextu blaſphemiæ & ſabbati violati. Confer ſupra cap. v. 18.

Verſ. 2. *Erat autem prope feſtum Judæorum Scenopegiæ.* De hoc feſto vide Levit. xxiij. 34. Deut. xvj. 13.

Verſ. 3. *Dixerunt igitur ad eum fratres ejus, tranſi hinc & abi in Judæam.* Occaſione feſti appropinquantis dixerunt hoc fratres ei. Apparet Jeſum ſpeciatim tum apud ipſos fuiſſe: quaſi dicant, quid hic apud nos privatus verſaris, feſtum inſtat publicum, diſcede hinc, non tantum ex noſtra domo, ſed etiam ex Galilæa, & abi in Judæam. Fratrum iſtorum nomina prodiderunt Matthæus cap. xiij. 55, & Marcus cap. vj. 3. Quos eadem ex domo cum Chriſto fuiſſe Marcus indicat cap. iij. 21. collato cum verſ. 31, 32. & Chriſtus ipſe Marc. vj. 4.

Ut & diſcipuli tui ſpectent opera tua. Nempe omnes, non tantum nos fratres. Opponunt ſe Chriſti diſcipulis, quia ipſi diſcipuli non erant. Solent enim invidere fratres fratribus, ut apparet in fratribus Joſephi, qui Chriſti etiam hac in parte typus erat. Metuebant etiam aliquod periculum ex tam propinqua cognatione cum Jeſu.

Quæ facis. Id eſt, quæ facere diceris, aut videris, ut ex verſiculo ſequenti patet. Opera dicunt, per antonomaſiam, pro operibus divinis & admirandis.

Verſ. 4. *Nemo enim in occulto aliquid facit.* Quaſi dicant, merito id tibi dicimus, *quia nemo aliquid*, nempe magnum & glorioſum, itidem per antonomaſiam.

In occulto facit. Sine teſtibus, ſine arbitris ac ſpectatoribus.

Et quærit ipſe in publico eſſe. Ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. Per metonymiam: παῤῥησίας enim locus eſt in publico. Ipſe id quærit, non habet opus ut ad id inſtigetur ab aliis.

Si hæc facis. Nempe quæ facere diceris aut videris; vel ſi hæc vere facis, non per præſtigias aliquas, aut mendacia.

Manifeſta teipſum mundo. Id eſt, omnibus hominibus in publico. Non eſt ut cujuſquam judicium & cenſuram reformides. Apparet ergo iſtos magis ex aliorum narratione opera Chriſti cognoviſſe, quam ex conſpectu proprio, quod ea vel ſpectare nollent, vel non mererentur. Nam & ſupra teſtatus eſt Chriſtus, Prophetæ honorem exiguum eſſe in patria. Alibi addit, inter cognatos & in domo ſua. Unde nec multas inter eos virtutes faciebat, inſignem & eximiam nullam, propter incredulitatem eorum Matth. xiij. 57, 58. Marc. vj. 4. 5. Dicunt ergo, ſi iſta vere facis, fac eadem in loco publico, in Judæa, inter illuſtres & ſapientes viros, in feſto, ad quod undique ex omnibus partibus homines confluunt, ut omnes homines te talia facientem ſpectent & de iis judicent. Quod ſi iſti aliqua opera viderunt, non crediderunt à Deo fuiſſe profecta, ſed forte putabant per præſtigias, per incantationes quaſdam & arte dæmonum eſſe facta, additur enim,

Verſ. 5. *Neque enim Fratres ejus credebant in eum.* Quaſi dicat, non tantum alii, ſed neque fratres credebant in eum. Vide quid poſſit invidia! cogitabant, hic eſt frater noſter. An ergo nobis eſſet dignior? & ut non omnino aſpernarentur, eum Prophetam aliquem eſſe, aut eſſe poſſe; at ut in eum crederent, & ſic Meſſiam illum, Dei Filium illum eſſe agnoſcerent, adduci non poterant. Marcus certe teſtatur, eos aliquando exiviſſe ut Jeſum tenerent, quod dicerent illum furere Marc. iij. 21. Furorem appellabant vim divini ſpiritus quæ ſeſe in Chriſto exſerebat. De matre non dicit Joannes quod in eum non crederet, ſed tantum de fratribus: credebat enim haud dubie, quippe quæ ſciret ſe eum ex Spiritu Sancto concepiſſe. Nam etſi & ipſa cum fratribus iſtis Chriſti exivit, alio tamen procul dubio exivit animo, quam ut Chriſtum furere, & ideo tenendum eſſe putaret. Jacobus tamen & Judas, fratres Domini conſobrini Gal. j. 19. Jud. verſ. 1, fide in Chriſtum inſignes

ſunt; filil Alphæi Matth. x. 3, quorum mater Maria itidem pia, ſoror fuit matris Domini Matth. xxvij. 56. Marc. xv. 40, coll. cum Joan. xix. 25.

Verſ. 6. *Dicit igitur eis Jeſus; tempus meum nondum adeſt; tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Non negat ſe iturum ad feſtum, ſed nondum adeſſe ſibi tempus eundi Hieroſolyma. Aliam eſſe ſui, aliam eorum rationem. Illis ſemper eſſe integrum commeare Hieroſolyma, nempe quod nemo iſtic illorum vitæ inſidiaretur.

Verſ. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit.* Vos nihil adverſus mundum facitis, ideoque vos mundus odiſſe non poteſt: mihi autem caute agendum eſt, quia apud mundum in maximo ſum odio. Non quod id merear ullo meo malo opere, ſed,

Quia ego teſtor de eo quod opera ejus mala ſint. Hæc eſt unica & perpetua cauſa, ob quam mundus odio habet profeſſores, & imprimis doctores veritatis, & ſectatores pietatis. Hæc eadem & Abelem juſtum, Caino etſi fratri objecit 1 Johan. iij. 10, 13.

Verſ. 8. *Vos aſcendite ad feſtum hoc; ego nondum aſcendo ad feſtum hoc, quia tempus meum nondum impletum eſt.* Quaſi dicat, quia exſpecto mihi commodum eundi tempus, quod nondum venit. *Aſcendo* pro aſcendam, per enallagen temporis præſentis pro futuro.

Verſ. 9. *Cum autem hæc dixiſſet eis, manſit in Galilæa.* Nempe, ut dixit.

Verſ. 10. *Cum autem adſcendiſſent fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad feſtum: non manifeſte, ſed quaſi in occulto.* Cavebat ſibi etiam à ſuis fratribus, quos ſciret ſibi invidere, memor exempli fratrum Joſephi, ſui typi. Venit, quantum fieri potuit, occulte, latuit quantum potuit; venit tamen, ut præceptum legis exſequeretur. Præcepta Dei ſemper ſunt exſequenda, licet in eorum executione etiam pericula quoad fieri poteſt, ſint declinanda. Atque hoc eſt, quod Chriſtus jubet, ut ſimplices ſimus tanquam columbæ, & prudentes tanquam ſerpentes Matth. x. 16.

Verſ. 11. *Judæi igitur quærebant eum in feſto, & dicebant, ubi eſt ille? Judæi.* Id eſt, Judæorum principes ac ſenjores, per antonomaſiam verſ. 13.

Quærebant eum. Quia occulte venerat, veniſſe tamen non dubitabant.

Ubi eſt ille? Per apoſiopeſin, ille blaſphemus & ſabbati violator, ſeductor ille? Solent interrogare, qui aliquem quærunt, ubi ſit, ubi lateat, non nominabant ex dedignatione, & nomen ipſum peroſi.

Verſ. 12. *Et murmur multum de eo erat in turbis.* Id eſt, in populo, qui ad feſtum confluxerat undique.

Hi quidem dicebant, quod bonus ſit. Quod non ſit ſeductor, quod ſit à Deo miſſus.

Alii autem dicebant, non: ſed ſeducit turbam. Id eſt, populum, vulgus indoctum & imperitum.

Verſ. 13. *Nemo tamen palam loquebatur de ipſo.* Παῤῥησίᾳ, id eſt, libere. Intellige, nemo loquebatur in bonam partem.

Propter metum Judæorum. Id eſt, quia metuebant Judæos, Judæorum principes ac ſeniores. Sunt ſemper non pauci, qui de profeſſoribus veritatis bene ſentiunt & loquuntur, ſed non libere & aperte, propter metum eorum qui primatum habent inter illos. Metus Judæorum dicitur pro metus à Judæis, per genitivum cauſæ.

Verſ. 14. *Cum autem adeſſet feſti medium, adſcendit Jeſus in templum, & docebat.* Non tum demum adſcendit Hieroſolyma ſed in templum.

Et docebat. Ut ſe manifeſtaret omnibus. Poterat & ante in templo fuiſſe, ſed non docebat, quia adhuc latere volebat.

Verſ. 15. *Et mirabantur Judæi.* Id eſt, Judæorum doctores & magiſtri, qui Jeſum nunquam in ſcholis viderant.

Dicentes, quomodo hic literas novit, cum non didicerit? Sacras literas intelligunt, Moſis nimirum & Prophetarum. Apparet Dominum Jeſum plurima inter docendum ex Scripturis de ſe allegaſſe. Admirantur ergo tantam in illo Scripturarum ſcientiam, quas nunquam didiciſſet, nempe ex hominum inſtitutione; ſed eas didicerat à Patre per Spiritus Sancti virtutem.

Verſ. 10. *Reſpondit eis Jeſus, & dixit; Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* Quaſi dicat, nolite mirari quod doceam, etiamſi non didicerim literas ab hominibus.

Doctrina mea. Quam ſcilicet ego trado ac doceo.

Non eſt mea. Id eſt, non ex me proficiſcitur, non ego ſum illius auctor.

Sed eſt ejus qui miſit me. Nempe Dei. Ille eam animo & ori meo inſeruit, ille eam me docuit. Habui doctorem & magiſtrum Deum, unde nec mirum eſt quod multo majorem ſcripturarum notitiam habeam, quam ulli homines. Videtur eſſe contradictio in adjecto, ſeu oppoſitum in appoſito, *mea & non mea*, ſed ſenſu diverſo utrumque verum eſt; mea quatenus à me docetur, *non mea* quatenus mihi à Deo tradita eſt, nec me habet auctorem, ſed Deum. Sic dicere poſſis, Chriſtus eſt homo, & Chriſtus non eſt homo, voce hominis diverſimode ſumta. Eſt homo naturæ reſpectu; non eſt homo, divinæ virtutis reſpectu. Ideo & Gal. j. 1, 12 Chriſtus opponitur homini, ob divinam majeſtatem. Sic infra Chriſtus idem; *qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me* Joan. xij. 44, quatenus fides in Chriſtum non terminatur in Chriſto, ſed tranſit in ipſum Deum. An vero Chriſtus diceret, doctrina mea non eſt mea, ſi Deus ille unus erat? Secundum humanitatem ajunt. An ergo ſecundum humanitatem verum dixit; ſecundum divinitatem falſum? Certe, ſi Chriſtus ſimul etiam unus ille Deus erat, non magis illud quam hoc, propter humanitatem negaret. Neque ideo vulgaris erat homo Chriſtus, ſi unus ille Deus non erat: quia erat homo ex Spiritu Sancto conceptus & genitus; eodemque ſpiritu ac virtute longe ſupra omnes alios unctus. Nam Chriſtum dicere nudum hominem, nugari eſt. Homo enim eſt homo, nec poteſt ſimul eſſe eodem ſignificatu & non homo. Dicere etiam Chriſtum eſſe non tantum hominem, ſed unum illum Deum, ſeu hominem unum illum Deum, eſt alterum tollere per alterum, proinde nihil dicere.

Verſ. 17. *Si quis velit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo eſt, an ego à me ipſo loquor?* Ne dicerent, unde id poſſumus ſcire doctrinam tuam non eſſe tuam, ſed à Deo profectam? Facile eſt unicuique id cognoſcere, reſpondet Chriſtus, ſi modo velit facere voluntatem ejus qui miſit me, id eſt, Dei: ſi ita ſit animo comparatus, ut à facienda Dei voluntate (quæ nulla alia eſt, quam fiducia in Deum,

Deum, & vera pietas, ſanctitas, juſtitia) propter opes, honores, voluptates, vitia, perſecutionum fugam pravos affectus, & alia carnalia non abhorreat, & ſic animo ſit probo & candido.

Cognoſcet de doctrina. Nempe quam doceo, *utrum ex Deo eſt, an ego a me ipſo loquor?* Cognoſcet nimirum doctrinam meam ex Deo eſſe, & me non loqui à me ipſo, nec ſeductorem eſſe, ſed vere miſſum à Deo: cum non ſolum doctrina mea ſit ſanctiſſima, & Deo digniſſima, & Scripturis undiquaque conformis, ſed etiam tanta, tam manifeſta divinitatis habeat npera & argumenta. Hoc ipſum quid miramini me tantam ſcripturarum notitiam habere, cum eas ab homine non didicerim, cuivis oculos aperire poteſt, me à me ipſo non loqui, ſed doctrinam meam eſſe ex Deo. Id unum cuilibet obſtat eorum qui mihi non credunt, quod Dei voluntatem facere nolit, quod vitiis magis quam veritate & virtute delectetur. Ideo quærit effugia, quæ & ſuo malo reperit. En veram & unicam cauſam, ob quam homines divinam veritatem, ſole meridiano clariorem, non agnoſcant, ſeu ut ſupra dixit Chriſtus, tenebras magis ament quam lucem cap. iij. 19, ubi etiam eandem iſtius eorum facti ponit cauſam. Notetur autem, quam Chriſtus ſeipſum Deo, tanquam diverſum opponat, ut, ſi loquatur à ſeipſo, doctrina ſua non ſit vera, ſed falſa. Quod non magis faceret ac facere poſſet, ſi unus ille Deus eſſet, quam ut ſe unum illum Deum eſſe eodem modo negaret. Sed quominus & hanc manifeſtiſſimam de Chriſto veritatem mundus agnoſcat, eadem illa quam Chriſtus declaravit cauſa, impedimento eſt.

Verſ. 18. *Qui à ſeipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam ejus qui miſit ipſum, hic verus eſt, & injuſtitia in eo non eſt.* Probat ſe non loqui à ſeipſo. *Qui a ſeipſo loquitur:* id eſt, qui mendax & ſeductnr eſt. Intelligit enim eum qui ita à ſeipſo loquitur, ut interea prætendat ſe à Deo miſſum eſſe, & loqui à Deo ſibi mandata. Nam alioquin & Deus à ſeipſo loquitur, & homines à ſeipſis loqui poſſunt, etiamſi mendaces non ſint.

Gloriam propriam quærit. Et conſequenter propria commoda. Cur enim alias à ſeipſo loqueretur & ſeductorem ageret? Nemo gratis eſt improbus: intellige; at ego non quæro propriam gloriam. Videtis enim agere me modeſte, ab omni ambitu alienum eſſe, nullos affectare honores, nullas opes, nullas voluptates, vitam ducere pauperem & injuriis obnoxiam: id tantum agere ut Deus gloriam conſequatur. Nnn loquor ergo à me ipſo.

Qui vero quærit gloriam ejus qui miſit ipſum. Id eſt, unice, ſuis etiam maximis cum incommodis. Nam alioquin & ſeductores Dei prætexunt gloriam.

Hic verus eſt. Tam in eo dum ſe miſſum à Deo dicit, quam in eo quod docet.

Et iniquitas in eo non eſt. Non eſt iniquus, non eſt mendax & ſeductor, per ſynecdochen generis. Contrarii negatione, ut Hebræi ſolent, prius illuſtrat. Cum igitur, inquit Chriſtus, & ego unice quæram Dei gloriam, & ab eo me dicam miſſum, hinc apparet me verum & in hoc eſſe, & conſequenter in omnibus quæ doceo, nec ullam eſſe in me injuſtitiam, ullum mendacium ac impoſturam.

Verſ. 19. *Non Moſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Defenſa ſua innocentia, accuſat & redarguit Judæos neglectûs divinæ legis, de quibus verſ. 11, 13, 15, id eſt, Judæorum ſenjores ac principes, ut hinc pateat quam illis cordi non ſit ut faciant Dei voluntatem; unde nec mirum ſit, ut nec cognoſcant doctrinam ſuam ex Deo eſſe: quaſi dicat, Moſes, quem mihi opponere ſoletis, licet injuria, nonne vobis dedit legem?

Et nemo ex vobis. (Judæos enim illos alloquebatur ipſi adverſantes, qui quærebant ipſum occidere v. 1.)

Facit legem. Id eſt, obſervat & exſequitur.

Quid me quæritis occidere? Id eſt, ob quam cauſam? quid mali feci? quid commerui? Non ergo facitis & obſervatis legem, quæ hominem innocentem vetat occidere. Egregii ſane eſtis obſervatores legis, quam contra me prætenditis. Ego hominem ſanavi, vos me qui ſanavi, legis obtentu quæritis occidere. Agnoſcite ergo vos eſſe hypocritas, & homini innocenti, & à Deo miſſo, non tantum adverſari, ſed etiam necem moliri.

Verſ. 20. *Reſpondit turba, & dixit; Dæmonium habes, quis te quærit occidere?* Non reſpondent iſti ad quos ſermonem direxerat, (tetigerat enim illorum conſcientiam) ſed populus, qui ſibi tanti criminis non erat conſcius. Pro ſe igitur reſpondet, & ex ſe metitur & alios.

Dæmonium habes. Acerbe & ſine verecundia reſpondent indignati, credo ob calumniam, ut putabant: quaſi dicat, quis tam vecors eſt, ut te quærat occidere? Non ſumus nobis conſcii iſtius conſilii ac facinoris. Quod, quia nobis objicis, dæmonium habes, id eſt, inſanis, & tui compos non es, malus ſpiritus te agitat. Ita Judæi qui arguebantur à Chriſto, populi judicium de ſe audiebant. Sed nec turba eo honore habuit Chriſtum quo debuit ac decuit.

Verſ. 21. *Reſpondit Jeſus & dixit eis: unum opus feci, & omnes miramini.* Non reſpondet turbæ, nec immeritum curat convitium, quod reipſa magis Judæos illos petebat quam Chriſtum; ſed rem ſuam perſequitur.

Unum opus feci. Occupat objectionem de ſabbato violato. Intelligit enim opus de qun cap. v.

Et omnes miramini propter hoc. Quod ſcilicet illud fecerim, ac ſi ſabbatum violaſſem. Videtis ergo me gloriam meam non quærere, ſed Dei, cui neceſſe eſt ut in hoc opete gloriam detis, & ejus divinam potentiam agnoſcatis. Ego autem nil niſi odium veſtrum & calumnias, & capitis accuſationem, & cædem, quantum in vobis eſt, hinc refero. Si meam gloriam hoc opere quæſiviſſem, facile à ſabbato aut juſſione portationis lecti potuiſſem abſtinere, ne vos offenderem. Si verba *propter hoc* novum comma incipiunt, ut communiter habent exemplaria, ellipſis erit particulæ cauſalis ὅτι, pro *διὰ τοῦτο ὅτι*, *propter hoc quia Moſes, &c.*

Verſ. 22. *Moſes dedit vobis circumciſionem (non quod ex Moſe ſit, ſed ex patribus) & in ſabbato circumciditis hominem.* Oſtendit eos immerito mirari & criminari quod in ſabbatho ſanarit hominem.

Moſes dedit vobis circumciſionem. Id eſt, præceptum circumciſionis, per metonymiam effecti.

Non quod ex Moſe ſit, ſed ex patribus. Inſerit hoc ne quis dicat, antiquor eſt Moſe circumciſionis ritus. Reſpondet, ſcio quod non Moſes ſit primus iſtius

moris

moris auctor, ſed quod circumciſionem lege divina comprehenderit, ut & alia à patribus accepta.

Et in ſabbato. Si ſcilicet in ſabbatum dies octavus incidat, *circumcidatis hominem.*

Verſ. 23. *Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, ne ſolvatur lex Moſis, mihi indignamini quod totum hominem ſanum fecerim in ſabbato?* Colligit argumentum ſuum Chriſtus: quaſi dicat, quo jure mihi indignamini, & me ſolviſſe legem criminamini? Nonne totum hominem ſanare multo pluris ac maioris eſt quam infanti cuticulam præcidere? Annon habetis itidem legem charitatis de proximo diligendo? An pluris eſt lex ritualis quam lex dilectionis? Atqui vos ipſi etiam aſinum in ſabbato extrahitis ex puteo. Habuit Chriſtus ſatis rationum adverſus ipſos. Mirum eos non uſos eſſe prætextu, quod homo ille lectum die ſabbati portare ſit juſſus. Videbant, credo, non operandi cauſa, ſed ad gloriam Dei manifeſtandam hoc eum facere juſſum eſſe. Nam & in gloriam Dei ſacris operabantur Sacerdotes & Levitæ in ſabbato Matth. xij. 5, & ex lege eſt ab operibus ad Dei gloriam ſpectantibus, vel maxime in Sabbato, non abſtinere.

Verſ. 24. *Non judicate ſecundum adſpectum, ſed juſtum judicium judicate.* Convictos monet ne judicent ſecundum aſpectum, id eſt, ſecundum vanam ſpeciem, per metonymiam effecti.

Sed juſtum judicium judicate. Judicare judicium, per pleonaſmum Hebræis familiarem, dicitur. Monet ut juſte judicent, ut rem penitius introſpiciant, non odio ſui & invidia in externa ſpecie hæreant.

Verſ. 25. *Dicebant igitur quidam ex Hieroſolymitanis: non hic eſt quem quærunt occidere?* Hieroſolymitani iſti de hoc Judæorum propoſito & conatu occidendi Chriſtum reſciverant, quod turbis aliunde confluentibus non innotuerat verſ. 20.

Verſ. 26. *Et ecce libere loquitur, & nihil ei dicunt.* Παῤῥησίᾳ λαλεῖ· nomen pro adverbio. Mirantur quod ſeniores eum publice concionari & docere in templo, quin & contra ſe diſputare patiantur.

Nunquid vere cognoverunt principes, quod hic ſit vere ille Chriſtus? In ſpecie hic deſignantur iſti Judæi qui Chriſtum quærebant occidere verſ. 11, & hic principes eſſe dicuntur; metuebant nimirum ſuæ auctoritati, & ideo Chriſtum cupiebant & quærebant ſublatum.

Verſ. 27. *Sed hunc ſcimus unde eſt, Chriſtus autem quando venit, nemo ſcit unde eſt.* Quaſi dicant, proinde hic Chriſtus eſſe non poteſt. Rem contra Chriſtum & tot divinitatis documenta concludunt argumento vaniſſimo. Sic ſolent qui adverſantur veritati.

Quando venit. Id eſt, quando veniet.

Nemo ſcit. Id eſt, nemo ſciet, per enallagen temporis. Traditio hæc erat ex Scripturis prave intellectis profecta, ut in traditionibus fieri ſolet. Scripturæ enim id tantum prædicebant, fore ut nemo Meſſiam cognoſcat cum venerit, id eſt, nemo eum Meſſiam eſſe credat: non autem fore ut perſonam ejus nemo cognoſcat, cum omnibus conſtare deberet, eum ex ſtirpe Davidica ortum, & in Bethlehem natum eſſe. Perſona igitur ejus per ſe omnibus debuit eſſe nota.

Verſ. 28. *Clamavit igitur in templo docens Jeſus, & dicens, & me noſtis, & noſtis unde ſum, & à me ipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos non noſtis.* *Clamavit igitur.* Cum hæc eos dicere inter ſe intellexiſſet.

Docens in templo. Vocem ſuſtulit adverſus hæc eorum dicta: quaſi dicat; omnia in me conveniunt quæ de Meſſiæ prædicta ſunt.

Et me noſtis. De facie, de genere, de domo ac familia.

Et noſtis unde ſum. Ubi natus ſum, ubi educatus, ubi habitent mei.

Et à me ipſo non veni. Non veni mea ſponte, meo motu, non miſſus.

Sed eſt verus qui miſit me. Proinde & ego ſum verus, neminem mendacio ſeduco, nec mentior, nec mendacium dico: quaſi dicat, & miſſus ſum, & à vero, non à mendace miſſus ſum, id eſt, à Deo, non à diabolo. Significat Chriſtus, ſi à ſe ipſo veniſſet, mendacem ac ſeductorem fore, quod profecto in Deum illum nullo modo cadit.

Quem vos non noſtis. Quatenus non noverant eum à Deo miſſum eſſe: quaſi dicat, ita omnia in me eveniunt quæ in Meſſia eventura erant, ut ſcilicet cognoſcatur ſecundum carnem ab omnibus, & rurſus non cognoſcatur ſecundum ſpiritum, ſeu quod is Meſſias ſit.

Verſ. 29. *Ego autem novi eum, quia ab ipſo ſum, & ille me miſit. Novi* quæ ſit ejus voluntas.

Quia ab ipſo ſum. Id eſt, ab ipſo veni.

Et ille me miſit. Prioris cauſa. Quia enim Chriſtus à Deo miſſus erat, ideo ab ipſo erat ſeu venerat. Quæ omnia in Meſſia plane ſic erant eventura.

Verſ. 30. *Quærebant igitur ut eum comprehenderent.* Hieroſolymitani nimirum illi argumentatores, de quibus verſ. 25, ut rem gratam principibus facerent. Idipſum repetitur infra verſ. 44. Ita patuit eos nec Deum noſſe, neque Meſſiam, & evenire in ſe quæ in Meſſia eventura erant. Occidere Chriſtum non tam facile poterant; comprehendere igitur eum volunt.

Et nemo injecit in eum manum. Fruſtrati ſunt ſuo conatu.

Quia nondum venerat hora ejus. Id eſt, nondum venerat tempus illud quo comprehendi & pati debuit. *Hora* pro tempore. Non per ipſos ſtetit, quominus id perficerent, ſed Deus adhuc conatum eorum impedivit.

Verſ. 31. *Multi autem ex turba crediderent in eum.* Opponit iſtos principibus, & iſtis illos addictos Hieroſolymitanis. Quamvis homines ex turba, tamen ſaniores erant principibus, & eorum ſectatoribus.

Et dicebant, quia Chriſtus quando venit, nunquid plura ſigna his faciet quam quæ hic fecit? Cauſam addunt ſuæ fidei: quaſi dicant, cur igitur hunc ipſum Chriſtum eſſe non credamus.

Verſ. 32. *Audiverunt Phariſæi turbam murmurantem de ipſo hæc.* In ſpecie nominat Chriſto maxime invidentes & infeſtos, quia maxime gloriam ſuam quærebant.

Et miſerunt Phariſæi, & principes Sacerdotum. Idem hac in parte ſpirabant cum Phariſæis.

Miniſtros ut comprehenderent eum. Conantur Chriſtum comprehendere.

Verſ. 33.

Verſ. 33. *Dixit igitur eis Jeſus.* Nempe iſtis qui miſerunt ad ſe comprehendendum, ut docet particula illativa *igitur*, & res conſecuta.

Adhuc breve tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum, qui miſit me. Quaſi dicat, intra breve tempus abibo à vobis, & ibo ad eum qui me miſit. Non diu hærebo in oculis veſtris. Loquitur in præſenti, per enallagen temporis, ut & in ſequentibus.

Verſ. 34. *Quæretis me.* Nempe cum audietis me reſuſcitatum eſſe ex mortuis, & vivere poſt mortem.

Et non invenietis. Non continget vobis hæc gratia propter contumaciam veſtram; nolebat enim Deus Chriſtum redivivum omnibus exhibere, ut locus eſſet credendi & non credendi probitati & malitiæ, & conſequenter præmio & pœnæ. Solis diſcipulis ſuis videndum ſe Chriſtus exhibuit, poſtquam ſuſcitatus eſſet ex mortuis. Quem ſi Deus exhibuiſſet omnibus, vim intuliſſet omnibus. Nam etiam obſtinatiſſimi credidiſſent.

Et ubi ſum ego vos non poteſtis venire. Id eſt, ubi ego ero vos non poteritis venire: per enallagen temporis. Non poteritis propter hoc ipſum quod me non invenietis nec videbitis poſt mortem meam. Manebitis enim in veſtra pertinacia. Ideoque non poteritis eo venire ubi ego ero, id eſt, ad Patrem, ubi eſt æterna vita.

Verſ. 35. *Dixerunt igitur Judæi ad alios; quo iſte abiturus eſt, quia nos non inveniemus eum? num in diſperſionem Græcorum abibit & docebit Græcos?* Judæi à turba diſtincti verſ. 13, iidem illi qui miſerunt ad Chriſtum comprehendendum, dixerunt autem hoc inter ſeſe. Chriſtum enim alloqui verebantur, carpere illum quam cum illo diſputare & colloqui. Putabant Chriſtum de loco aliquo in terra Judæa loqui: quaſi dicant, noſne non inveniemus? nos Phariſæi, nos principes Sacerdotum & Judæorum? Num in diſperſionem Græcorum eſt iturus? proinde in loca longe à nobis & à Judæa remota? Eſt enim hoc diverſum à priori: quaſi dicat, niſi forte in diſperſionem Græcorum abeat. Diſperſionis nomine intelligunt diſperſos Judæos. Sic enim vocabantur diſperſionis voce, Hebræorum phraſi. Græcorum autem, per genitivum, eorum inter quos diſperſi erant. Sic diſperſio Ponti, Galatiæ, Cappadociæ &c. 1 Pet. j. 1, per genitivum regionis, id eſt, in Ponto, Galatia, Cappadocia. Rariores enim erant in Occidente & in Latinorum urbibus Judæi, quam in Græcorum.

Et docturus Græcos. Nam & Judæi inter Græcos diſperſi, Græcos docebant. Rem acu tetigerunt, etſi alio, quam putabant & Chriſtus loquebatur ſenſu. Vere enim Chriſtus in cælum profectus, per Apoſtolos ſuos in diſperſionem Græcorum abivit, & docuit Græcos, & Judæos inter Græcos diſperſos.

Verſ. 36. *Quis eſt hic ſermo quem dixit, quæretis me & non invenietis, & ubi ſum ego vos non poteſtis venire?* Id eſt, quid ſibi vult hic ſermo? Scrupulum iis infixit, quem non poterant eximere.

Verſ. 37. *In ultimo autem die magno feſti illius, ſtetit Jeſus & clamavit, dicens; ſi quis ſitiat veniat ad me & bibat.* Superiorem ſermonem habuit in medio feſti verſ. 14. Nunc refert Joannes eum quem habuit die feſti illius Scenopegiæ ultimo, id eſt, octavo, quem magnum vocat, quia feſtorum primus & ultimus dies erat celeberrimus.

Stetit Jeſus. Alioquin enim ſolebat ſedendo docere cap. viij. 2, nunc ſtat erectus, ut tanto editior & conſpectior eſſet, tantoque magis vox ejus exaudiri poſſet. Rem enim ſingulariſſimam dicturus erat.

Et clamavit. Vocem ſuſtulit, haud dubie humana majorem, ut etiam ex ipſa voce pateret ejus divinitas, omniumque aures in illa templi capacitate articulatim & diſtincte perſonaret.

Dicens, ſi quis ſitiat veniat ad me, & bibat. Sermo diviniſſimus, & plane dignus qui divina voce proderetur. Habuit haud dubie cauſam & occaſionem, ut hac & ſequenti allegoria uteretur. Nam & cum Samaritide ſupra cap. IV, & cum Judæis cap. vj, per ſimilitudines & allegorias locutus eſt, data occaſione, ſine qua gratiam tantam non habent ejuſmodi ſermones allegorici. Feſtum erat Tabernaculorum, quo populus celebrabat memoriam vitæ in tabernaculis, cum per deſertum duceretur, actæ, & conſequenter aquam bibebat ex fontibus, ſicut majores eorum biberant aquam ex petra percuſſa in deſerto copioſiſſime profluentem. Ideo & ſalices de torrente ſumere debebant ad uſum feſti Levitic. xxiij. 40, 42, 43. Hinc igitur occaſione ſumta comparat ſe uberrimo fonti, vel potius Petræ illi in deſerto, ex qua torrentes aquæ ſalientis profluxerunt, in gratiam et uſum Iſraëlitici populi.

Si quis ſitiat. Nempe ſecundum ſpiritum, ſimilitudine ſumta à ſiti ſecundum carnem, id eſt, ſi quis animi aliqua ægritudine laborat, & cupit ac deſiderat verum animi refrigerium ac ſolatium.

Veniat ad me. Videlicet tanquam ad fontem uberrimum & copioſiſſimum. Veniat tanquam auditor ad docentem.

Et bibat. Id eſt, in me credat, per catachreſin elegantem ex comparatione ortam, cujus exempla ſupra habuimus cap. vj. 50, 51, 53, 56, 57, 58. Neque enim ſatis eſt ut ad fontem venias, niſi etiam ex eo bibas: ſic non ſatis eſt ut quis ad Chriſtum docentem veniat, ſed opus eſt ut etiam in eum credat.

Verſ. 38. *Qui credit in me.* Explicat quid ſit iſtud bibere, & quid ſit futurum ad ſe venienti & bibenti, id eſt, in ſe credenti: id nimirum, ut nunquam ſitiat.

Sicut dicit Scriptura. Scripturæ auctoritatem verbis ſuis inſerit, ut ſe ſecundum Scripturam oſtendat loqui, & tanto plus fidei inveniat. Deſignat illa Scripturæ loca, in quibus Prophetæ per fontes & flumina viventis aquæ, Spiritus Sancti vim & copiam per Meſſiam effuſum iri prænunciant Eſa. XLIV. 2. LV. 1. Jerm. 2. 12. Ezech. xxxvj. 24. Joël. 2. 28.

Verſ. 39. *Flumina ex ventre ejus fluent aquæ viventis.* Quaſi dicat, adeo non ſitiet, ut flumina ex ventre ejus fluant aquæ viventis. Petræ illi in deſerto &

ipſe ſimilis erit, ex quâ flumina aquæ viventis, id eſt, ſalientis profluxerunt. Flumina aquæ viventis dicit, per genitivum materiæ. Quid autem intelligat per hanc metaphoram, exponit Joannes ipſe verſu ſequenti. Intelligit nimirum maximam vim et copiam Spiritus Sancti. Continent enim flumina maximam aquæ copiam, quam ut tanto magis deſignaret, non flumen dixit, ſed flumina. Spiritus autem ſanctus aqua vivens dicitur, ut et ſupra cap. IV. 10, quod vitam æternam adferat, & per ſimilitudinem cum aqua vivente, id eſt, ex fonte ſuo ſaliente, quod adferat maxima ſolatia et reſrigeria animi. Eſt enim arihabo futuræ hæreditatis ac vitæ Epheſ. I. 14, quem, quia fluminibus comparavit, etiam convenienter fluere dixit, et quia dixit fluere, dixit etiam, allegoriam continuans, unde flumina iſta fluxura ſint.

Ex ventre, inquit, *ejus*. Nempe credentis in me, & ſic ex inteſtinis. Credentes enim in Chriſtum, intus & intra ſe accepturi erant Spiritum Sanctum, & venter capaciſſima hominis pars eſt. Elegantiſſima profecto & diviniſſima allegoria, ad ſignificandum fore ut qui credat in Chriſtum nunquam ſitiat, & abundantiſſimum ac juge refrigerium animi habeat. Quæ tanto elegantior ac divinior eſt, quod ex hoc Spiritu Sancto in primos Chriſtianos effuſo, tanquam ex perpetuis & abundantiſſimis fluminibus, omnium ſequentium temporum Chriſtiani veritatis divinæ cognitionem & confirmationem copioſiſſime hauriant, ut hactenus etiam ſimul in omnes effuſus eſſe dicendus ſit. Ponitur porro rectus caſus pro obliquo, *qui credit in me*, pro *ex credentis in me ventre &c.* Et quia rectum caſum uſurpavit, ideo in ſequentibus apponit pronomen *ejus*. Dixit autem indefinite, *qui credit in me*, non addita univerſali particula *omnis*. Idem & Joannes mox facit, referens ſe ad Chriſti verba, *quem accepturi erant credentes in ipſum*, non addens vocem *omnes*. Neque enim ad ſequentium temporum credentes hæc tam miraculoſa Spiritus Sancti datio aliter pertinuit, quam quatenus, ut dictum eſt, ex fluminibus iſtis, quæ ex ventre primorum Chriſtianorum manarunt, omnes divinam veritatem & ejus confirmationem hauriunt. Miracula enim, ut Euangelio ſatis ſuperque confirmato tandem ceſſarent, fidei et pietatis Chriſtianæ plurimum interſuit. Quamvis & nunc, quoties opus eſt, et quantum opus eſt, credentibus Spiritum Sanctum, etſi inviſibili ratione, larga tamen manu, Chriſtus ex cælo ſuppeditat: nam, qui ex fide in Chriſtum manat, omnibus hanc fidem habentibus ſemper ineſt Rom. viij. 9, 15.

Quem accepturi erant. Nempe poſt Chriſti glorificationem.

Credentes in ipſum. Aliis enim Spiritus Sanctus non datur niſi credentibus in Chriſtum Act. ij. 38. Epheſ. j. 13. Ideo & ipſe dicit:

Qui credit in me. Quaſi dicat, non alius ullus. Quod & res ipſa loquitur. Sicut enim hæreditas illa cæleſtis nulli datur niſi credenti, ſic & arrhabo ejus.

Nondum enim erat Spiritus Sanctus. Cauſam addit, cur & Chriſtus de futuro tempore locutus ſit, et ipſe dixerit; *quem accepturi erant*, non, jam tum acciperent credentes. *Quia*, inquit, *nondum erat Spiritus Sanctus.* Nempe cum Chriſtus hæc loqueretur. Nondum erat, quia nondum dabatur. Erat in Chriſto, quia Chriſto datus erat. Erat & olim in Prophetis, quia & illis olim datus erat. Spiritus enim Sanctus etſi ſemper eſt in Deo, tanquam in ſuo fonte, tamen in effluxu tum demum eſt cum datur & à Deo emittitur. Sic pluvia tum demum eſt, cum eam dat cælum Jacob. V. 18. Ideo temporibus Eliæ per triennium & ſex menſes nulla pluvia erat, quia non dabatur 3 Reg. xvij. 1. Sic lux non eſt, quando ſol non lucet, & ſimilia.

Quia Jeſus nondum erat glorificatus. Simili ratione diceret aliquis, lux nondum erat quia ſol nondum erat exortus. Cauſam enim addit Joannes cur Spiritus Sanctus tum nondum daretur, & conſequenter hactenus non eſſet, ſeu credentium in Chriſtum reſpectu non eſſet. Quia nimirum Jeſus tum nondum eſſet glorificatus, id eſt, ex mortuis ſuſcitatus, et gloria et honore cæleſti coronatus Heb. ij. 9. Nimirum hoc tam divinum et cæleſte Spiritus Sancti donum, pro credentibus reſervatum Deus voluit coronationi ſui Filii et Regis illorum. Solent enim Reges cum coronantur, munera liberaliter ſpargere in populum ſubjectum. Sic & Chriſtus *adſcendit in altum, captivam duxit captivitatem*, ut victor & triumphator, *& dedit dona hominibus*, quibus ſeſe Regem cæleſtem effectum eſſe teſtaretur. *Adſcendit ſupra omnes cælos, ut impleret omnia*, Spiritu nimirum Sancto, & per eum donis cæleſtibus Epheſ. IV. 8, 10. Ideo Petrus; *dextera*, inquit, *Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus Sancti accepta, effudit hoc quod nunc videtis & auditis* Act. 2. 33. Videbant autem et audiebant Spiritum Sanctum in diſcipulis Chriſti loquentem. Hinc et Chriſtus ipſe diſcipulis infra dicit; *Expedit vobis ut ego abeam; niſi enim abeam, Paracletus ille non veniet ad vos. Sin autem abeam, mittam eum ad vos* cap. XVI. 7. Initium autem maxime ſumſit hic promiſſionis Chriſti miraculoſus effectus, in proximo poſt adſenſionem ejus feſto Pentecoſtes, ut legere eſt Act. 2, & duravit quoad vixerunt Apoſtoli, quorum per manuum impoſitionem et precationem hoc tantum donum credentibus et baptizatis in Chriſtum conferebatur Act. viij. 15, 16, 17. Dedit quidem etiam Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, antequam in cælum adſcenderet, illis undecim Spiritum Sanctum Joan. XX. 22; ſed illis undecim tantum dedit, et dedit quaſi aliquid in anteceſſum, pro temporis illius ratione & neceſſitate, & dedit poſt reſurrectionem ſuam, quæ principium erat glorificationis ejus. Ut non immerito tum quoque principium aliquod dationis Spiritus Sancti faceret, quæ plena plenam glorificationem ejus erat ſecutura. Cæterum locus hic docet quam longe abſint à veritate, qui Spiritum Sanctum unum illum Deum eſſe dicunt. Quis enim de uno illo Deo tali utatur allegoria, ut eum flumina aquæ viventis ex ventre credentium profluentia vocet? Quis eum pro dono et munere dari & accipi dicat? Deus ille unus dat dona & mune-

munera, inter quæ præcipuum eſt Spiritus Sanctus, tantum abeſt ut Spiritus Sanctus unus ille Deus ſit. Quis de uno illo Deo affirmet, quocunque tandem ſenſu, Deus ille unus nondum erat? Et, non erat quia Jeſus nondum erat glorificatus? At quis Jeſum glorificavit, niſi Deus ille unus? Actor. 3. 23: nec enim Jeſus glorificavit ſeipſum Heb. v. 5. An ergo unus ille Deus erat antequam eſſet, aut nondum erat quamvis eſſet? Diſcipuli illi Joannis Baptiſtæ, de quibus Actor. xix, cum interrogarentur à Paulo, an Spiritum Sanctum credentes accepiſſent? *Sed neque*, inquiunt, *ſi Spiritus Sanctus eſt audivimus* verſ. 2. Diſcipuli Joannis, qui ab uno illo Deo miſſus erat, in baptiſma ejus baptizati, & perfectiores quam diſcipuli Moſis, ſi Deus ille unus ſit, ne audirent quidem? Et cum eis Paulus impoſuiſſet manus, Deus ille unus ſuper ipſos venit? et non potius, ſecundum hanc ipſam Chriſti promiſſionem, ſanctus Dei afflatus? verſ. 6. De quo, ſi eſſet, & ſi daretur, poterant antea non audiviſſe, & non audiverant; at de uno illo Deo non tantum audiverant quod ſit, ſed etiam in eum credebant, et Joannis baptiſma in pœnitentiam & remiſſionem peccatorem ab uno illo Deo conſequendam profitebantur. Docet etiam idem hic locus, glorificatione Jeſu fuiſſe opus ad tantæ et tam divinæ promiſſionis ab eo exhibendæ effectum, et ſic Jeſum haudquaquam unum illum Deum eſſe, qui ad dandum Spiritum Sanctum nulla glorificatione opus habet.

Verſ. 40. *Multi igitur ex turba, cum audirent hunc ſermonem, dicebant, hic eſt vere ille Propheta.* *Multi*, non omnes, *ex turba*, non ex principibus & Phariſæis.

Cum audirent hunc ſermonem. Tam auguſtum, tam divinum.

Dicebant, hic eſt vere ille Propheta. ὁ προφήτης cum articulo emphatico. Ille inſignis, de quo Moſes vaticinatus eſt Deut. xviij. vide ſupra cap. 1. 21. & vj. 14.

Verſ. 41. *Alii dicebant, hic eſt ille Chriſtus.* ὁ Χριστὸς, ſimiliter cum articulo emphatico. Utrique dicebant quod verum erat, utroque enim hoc titulo, ex mente Scripturæ, non diverſæ perſonæ ſignificabantur, ſed unius perſonæ diverſa munera, quamvis utrique opinionis errore Prophetam illum inſignem alium eſſe putarent quam Chriſtum, Chriſto videlicet minorem. Nondum illi in tantum fide aſſurgebant in quantum iſti.

Alii autem dicebant; numquid ex Galilæa ille Chriſtus venit? Quaſi dicant, erratis. Cauſamque dicti afferunt, quia ex Galilæa Chriſtus non veniat. Noverant Chriſtum à teneris in Galilæa, ideoque putabant eum etiam in Galilæa natum. Ἔρχεται pro venire debet, vel, venturus eſt, per enallagen temporis. Supra dixit Chriſtus, *& me noſtis, & unde ſum noſtis* verſ. 28, quia id in propatulo erat ipſum eſſe ex familia Davidis & Bethlehemi natum, ſi ullam ejus rei curam habere voluiſſent. Sponte ignorabant quod ignorabant.

Verſ. 42. *Nonne Scriptura dicit, quod ex ſemine Davidis, & ex Bethlehem vico, ubi erat David, Chriſtus veniat?* Probant Chriſtum ex Galilæa non venire auctoritate Scripturæ, quæ dixerit, quod ex ſemine Davidis, & ex Bethlehem vico,

Ubi erat David. Quippe ibi natus & educatus, tanquam in paterna domo & hæreditate, cujus Filius ſecundum carnem Chriſtus erat futurus.

Chriſtus veniat, Id eſt, venire debeat, vel venturus ſit, ut paulo ante. In eo non errabant, quod Chriſtus ex gente Davidis oriturus eſſet, in Bethlehem naſci deberet, idque etiam in Jeſu evenit. Sed Chriſtum ex Bethlehemo in exorſu muneris ſui venturum, falſum erat, neque hoc Scriptura dixit. Chriſtus enim munus ſuum exorſurus, è cælo miſſus venit. Sed Jeſum ex Galilæa veniſſe dicunt, quia in Galilæa educatus erat, & adoleverat, & parentes, fratres, ſorores habebat, & habitabat. Unde Chriſtus ipſe Nazarethum patriam ſuam appellat Luc. iv. verſ. 23, 24, collatis cum verſ. 16. Joan. iv. 44.

Verſ. 43. *Diviſio igitur in turba facta erat propter ipſum.* Quippe aliis aliter de ipſo judicantibus.

Scinditur adverſum ſtudia in contraria vulgus.

Verſ. 44. *Quidam autem volebant ex ipſis comprehendere eum.* Vide ſupra verſ. 30, 32.

Sed nemo injecit in ipſum manus. Voluntati & conatui effectus defuit, quia tempus nondum venerat à Deo deſtinatum, quo Chriſto manus injicerentur.

Verſ. 45. *Venerunt igitur miniſtri illi.* (De quibus verſ. 32.) ad principes ſacerdotum & Phariſæos.

Venerunt. Re infecta, ob quam miſſi erant.

Et dixerunt eis illi, propter quid non duxiſtis eum? Sic ſolent expoſtulare Domini cum miniſtris juſſa non exſequentibus.

Verſ. 46. *Reſponderunt miniſtri; nunquam ſic locutus eſt homo ſicut iſte.* Quaſi dicant, confudit nos hic homo ſuo ſermone, & voluntatem conatumque noſtrum plane diſturbavit.

Nunquam ſic locutus eſt homo. Intellige ullus alius. Agnoſcunt enim ipſi mox eum hominem eſſe.

Sicut hic homo. Quaſi dicant, omnia in iſtius hominis ſermone divina erant, & vox divina, & res diviniſſimæ; quis unquam aliorum hominum in ſe credere juſſit? quis cuique credentium in ſe res tantas pollicitus eſt, & ſe vera loqui, & Scripturis & tantis miraculis confirmavit? Non metum turbæ cauſantur, ſed ſe in conſcientia ſua convictos indicant, & non potuiſſe ipſi injicere manus. Hinc patet quanta ſit vis in animis hominum verbi Dei efficaciter prædicati. Non immiſſa miniſtris cœcitate, aut alia aliqua vi ſe tutatus eſt Chriſtus, non etiam fuga, ut alias ſolebat, ſibi conſuluit; ſed animos eorum, & ſic etiam manus, quaſi catenis inviſibilibus divinæ ſuæ prædicationis, conſtrinxit.

Verſ. 47. *Reſponderunt igitur eis Phariſæi: num & vos ſeducti eſtis?* Phariſæi reſpondent, quippe qui maxime legis profitebantur ſcientiam.

Num & vos. Quaſi dicant, non turba tantum ſed & vos, vos miniſtri ſacerdotum, eorumque principum, cuique ad illum conprehendendum miſſi fuiſtis.

Seducti eſtis? Ita ut eum laudibus afficiatis,

& pro divino homine habetis. Jamne & vos in ipſum vultis credere & ejus diſcipuli fieri?

Verſ. 48. *Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis?* Pro argumentis adſerunt auctoritatem principum & Phariſæorum, hominum doctorum. Sic ſolent qui veritatem impugnant?

Verſ. 49. *Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti ſunt.* Ne populi judicium objicerent miniſtri illi:

Quæ non novit legem. Id eſt, imperita, incondita, divinæ legis ignara, ex qua de omnibus, & imprimis de Prophetis ferendum eſt judicium.

Maledicti ſunt. Per anomaliam numeri κατὰ τὸ σημαινόμενον. Dicere debebant, credunt in ipſum verſ. 31, 32; ſed malunt dicere conſequens, quod putabant, fidei in Jeſum; nempe maledictos eſſe, qui in Jeſum credant, ut tanto magis miniſtros illos abſterreant. Videmus quanto rectius turba illa judicarit de Jeſu quam Principes & docti, maledictos dicunt iſti qui benedicti erant, & ſe benedictos putant, cum eſſent maledicti. Nimirum quia turbæ non tam obſtabant pravi affectus, quam principibus & doctis, ad religionem Chriſti. Vide 1 Cor. 1. 26, et ſequentibus. Phariſæos iſtos imitantur hodie, qui verba illa Prophetæ; *maledictus qui confidit in homine* Jer. xvij. 5, ad eos applicant, qui cum eadem illa turba in hominem Jeſum, à Deo Dominum & Chriſtum factum credunt Act. 2. 36. Nimirum applicatores iſti non conſiderant, fidem in hunc hominem, qui Chriſtus ille Dei eſt, fidem eſſe in ipſum Deum, ut, qui maledictum putant in hoc homine confidentem, maledictum putent confidentem in ipſum Deum. Verba igitur Prophetæ de tali agunt in hominem fide, quæ non ſit ſimul fides in ipſum Deum, ſeu, quæ per hominem hunc non tendat in ipſum Deum. Proinde agunt de homine qui non ſit miſſus à Deo, nec in ſervatorem hominibus datus. Talis enim homo, qui à Deo miſſus eſt, & in ſervatorem hominibus datus eſt, pro uno cum Deo hactenus reputandus eſt. Alioquin enim & Iſraëlitarum populus olim credidit in Deum & in Moſen ſervum ejus Exod. xiv. 31. Nec maledictus in hoc fuit, ſed benedictus. Ideo & Propheta addit, dictum ſuum explicans ac limitans: *Et ponit carnem brachium ſuum, & cor ejus recedit à Deo.* Videmus ad religionem Chriſti non tam eruditionem & ingenium requiri, quam judicii rectitudinem & animi probitatem, mundi contemtum, & ad ferenda pro veritate adverſa promptitudinem. Inde fit ut magis idonei plerumque ſint ad veritatem Chriſtianam amplectendam ſimplices, humiles, pauperes, quam docti, clari, divites.

Verſ. 50. *Dicit Nicodemus ad eos, qui venerat noctu ad illum, cum unus eſſet ex iis.* Non potuit ſe continere Nicodemus, cum bene ſentiret de Jeſu.

Cum eſſet unus ex eis. Nempe tunc congregatis, quippe quod eſſet unus ex principibus & ex Phariſæis. Vide cap. iij. 1, 10.

Verſ. 51. *Num lex noſtra judicat hominem, niſi audiat ab ipſo prius, & cognoſcat quid faciat?* Quia legem allegabant collegæ Nicodemi, ex lege eos vult convincere. Legi tribuit, quod hominis eſt ſecundum legem agentis: quaſi dicat, num is qui ex lege noſtra agit, *judicat hominem*, id eſt, de homine aliquo decretoriam fert ſententiam, qualem vos jam de Jeſu tuliſtis, cum ſcilicet eſſe ſeductorem?

Niſi audiat ab ipſo prius? Id eſt, niſi cum prius cauſam dicere faciat?

Et cognoſcat quid faciat? Id eſt, rectene, an ſecus? Quaſi dicat, deberetis prius dare iſti homini dicendi & defendendi ſe locum ac facultatem, & ſic cognoſcere quid faciat, ac tum demum, re bene cognita ac explorata, ſententiam de illo ferre. Hoc lex noſtra præcipit, quod vos in iſto homine non obſervatis. Quaſi dicat, ego eum non abſolvo, ſed nec ante tempus inauditum & indefenſum damnari velim. Moderate locutus eſt, ut & ſe ſubduceret invidiæ, & Jeſum, cui bene volebat, periculo. Idem & hodie fit, inauditi & indefenſi damnamur, præoccupatis hominum animis cœco adverſum nos odio & prava de nobis opinione. Accedit & hoc, quod licet cauſæ ſuæ maxime confidere videantur, ei tamen revera vehementer diffidant, & vereantur, ne ſi res ad legitimum examen & judicium veniat, cauſa ſibi cadendum ſit. Ita ſemper fieri neceſſe eſt iiſdem et accuſatoribus et judicibus. Cæterum Deus habet varia media ſuos liberandi et improborum conſilia diſturbandi. Ita per Gamalielem Actor. v diſturbavit quoque crudelia Judæorum adverſus Apoſtolos conſilia. De Nicodemitis etiam dici poteſt, quod illi eccleſiæ ſæpe proſint, ſibi non, ſimileſque ſint lignis illis et tignis, quæ ad ædificationem ædium adhibentur, poſt eam abjiciuntur et comburuntur. Nicodemi etiam virtutem non habent, qui malorum conſiliis interſunt, et ne verbo quidem juvant quos innocentes eſſe noverunt.

Verſ. 52. *Reſponderunt, & dixerunt ei; num & tu ex Galilæa es?* Quaſi dicant, qui pro iſto Galilæo loqueris? Qui malam cauſam habent, ſine convicio reſpondere vix poſſunt. Ne tamen viderentur conviciari tantum, addunt rationem ſui de Jeſu præjudicii.

Scrutare & vide, quod Propheta ex Galilæa non ſuſcitatus eſt. Scrutare, nempe Prophetarum vitas.

Et vide. Id eſt, cognoſce:

Quod Propheta ex Galilæa non ſuſcitatus eſt. Futiliſſimum argumentum opponunt tot tantiſque divinitatis in Chriſto documentis, ut ſolent homines improbi et à veritate alieni. Nam nec Jeſus ex Galilæa ortus erat, ſed ex Judæa; non ex Nazaretho, ſed ex Bethlehemo, quod intellexiſſent, ſi prius, ut Nicodemus monebat, Chriſti cauſam cognoſcere voluiſſent; nec ſequitur, quia Prophetam antea Deus ex Galilæa non ſucitaverit, idcirco nec impoſterum ſuſcitare potuerit. Contemnebant præ ſe Galilæos, abſurdum putantes, ut Deus Judæa præterita et poſtpoſita, ex Galilæa Prophetam excitaret? Negant hoc ſuo futili argumento, non tantum Jeſum eſſe Meſſiam: ſed etiam ſimpliciter eſſe Prophetam, et hæc etiam cauſa erat, ut eum per contemtum & opprobrium Galilæum aut Nazaræum, et diſcipulos ejus Nazaræos appellarent Matth. 1. 23. Joh. xix. 19. Act. xxiv. 5.

Verſ. 53.

Verſ. 53. *Et abiit quiſque in domum ſuam.* Erant enim congregati, exſpectantes donec à miniſtris captus adduceretur Dominus; ſed eorum conatus & exſpectationem divina providentia & potentia eluſit. Conſcii futilitatis, non exſpectant reſponſum Nicodemi; nec Nicodemus operæ pretium duxit, ut eos ex concilio abeuntes ſuo reſponſo moraretur, & fruſtra contenderet cum hominibus quibus non ſcientia deeſſet, ſed conſcientia & probitas Tit. III 10, 11: quo loco Apoſtolus jubet vitare hominem hæreticum poſt unam atque alteram admonitionem, cum ſit αὐτοκατάκριτος, ſeipſum damnans, id eſt, contra ſuam agens conſcientiam; quod iſtis etiam uſu venerat.

CAPUT. VIII.

Verſ. 1. JEſus autem abiit in montem olivarum. Quaſi dicat, illi quidem abiverunt quiſque ſuam in domum, Jeſus autem exacto ultimo feſti die, in montem abivit olivarum, vitans, ut puto, in urbe nocturnas inſidias.

Verſ. 2. *Diluculo autem rurſus aderat in templo.* Apparet Chriſtum id feciſſe toto inſequente octiduo & ultra. Vide cap. IX. 14. Nota, quam diligens & impiger fuerit in docendo.

Et omnis populus veniebat ad eum. Captus haud dubie ſermonis ejus divinitate: quod in furorem agebat Phariſæos.

Et conſidens docebat eos. Nunc ſedet, doctorum more, cum autem ſermonem illum proferret ultimo feſti die, & in maximo hominum concurſu ac panegyri, ſtabat erectus cap. VII. 37, 38.

Verſ. 3. *Ducunt autem Scribæ.* Id eſt, literati ac Legiſperiti.

Et Phariſæi. Perfectiſſimam in lege ſectam profeſſi: *Ad eum, mulierem in adulterio deprehenſam.* Quo conſilio id fecerint docetur verſ. 6.

Et cum ſtatuiſſent eam in medio. Accuſatores iſti cum muliere intervenientes concioni Chriſti, ſermonem ejus interruperunt, ad quem poſtea illis dilapſis revertitur verſ. 12.

Verſ. 4. *Dicunt ad eum, Magiſter; hæc mulier deprehenſa eſt in ipſo facto adulterans.*

Verſ. 5. *In lege autem Moſis nobis mandatum eſt, ut tales lapidemus, tu igitur quid dicis?* Quaſi dicant, an cum Moſe conſentis, an ab eo diſſides?

Verſ. 6. *Hoc autem dicebant tentantes eum.* Quid nimirum eſſet reſponſurus.

Ut haberent de quo accuſarent eum. Putabant enim, non jubebit eam necari, quandoquidem dicit, ſe ad ſervandos peccatores veniſſe: proinde cauſam habebimus eum accuſandi, quod legem Moſis convellat, & ſimul cum adultera lapidandi.

Jeſus autem deorſum ſeſe inclinans. Nimirum, ut occaſionem haberet ſeſe iterum poſt reſponſionem ſuam inclinandi deorſum.

Digito ſcribebat in terram. Aliis quaſi cogitationibus intentus. Solent enim cogitabundi digito ſcribere, & Jeſus, quia ſedens ad terram ſeſe inclinaverat.

Scribebat in terram. Nec enim ſedebat in cathedra aliqua edita, ſed in terra; qui orientalium mos eſt.

Verſ. 7. *Cum autem perſiſterent interrogantes eum.* Id eſt, urgerent pertinaciter reſponſum, hac ipſa in terram inclinatione & ſcriptione tanto magis incitati, quod putarent eum non reperire quid reſponderet.

Reclinans ſeſe, dixit ad eos. Qui veſtrum eſt ſine peccato, primus lapidem in ipſam jaciat. Sapientiſſimum reſponſum, & mundi omniumque ſervatore digniſſimum, quo & legi divinæ nihil derogavit, & peccatricem ſervavit, & omnium conſcientiam compunxit, & cauſam dedit, ut omnes apud ipſum, non in lege juſtitiam ac juſtificationem quærerent. Non vetat Chriſtus ſontes plecti etiam capitis pœna, ſed ſignificat eos qui ſcelerum pœnas ab aliis exigere volunt, ipſoſmet eſſe debere ſcelerum puros verſ. 8. Quo pertinet illud Pauli: *ſine excuſatione es, ô homo, omnis qui judicas: dum enim judicas alterum, teipſum condemnas, eadem enim illa facis quæ judicas* Rom. 2. 1.

Verſ. 8. *Et rurſus deorſum ſeſe inclinans, ſcribebat in terram.* Id eſt, hoc reſponſo dato, protinus iterum ſeſe inclinavit deorſum, & ut cœperat, ſcribebat in terram. Pudori conſulere volebat ipſorum, & illis dilabendi ſenſim opportunitatem præbere, quod ne ſtudio feciſſe videretur, idcirco ante ſuum reſponſum idem fecerat, ut ſic quaſi aliud agens redire tantum videretur ad inceptum. Et ex hac iterata inclinatione & reſponſo jam accepto videre poterant priorem inclinationem non hæſitationis cauſa factam, quaſi non protinus poſſet reſponſum expedire.

Verſ. 9. *Illi autem cum audiviſſent, & à conſcientia arguerentur, exibant unus poſt alium, initio facto a Senioribus uſque ad ultimos.* Amplexi ſunt hanc opportunitatem abeundi, pudore per Chriſti in terram inclinationem, & oculorum ab iis averſionem, ſublato.

A Senioribus. Id eſt, à Scribis & Phariſæis verſ. 3.

Ad ultimos. Nempe eorum qui mulierem hanc adduxerant & lapidare volebant. Nam, ut cæteri dilaberentur, opus non habebant. Aderant enim præter iſtos accuſatores plurimi auditores ex populo, quos Chriſtus docebat verſ. 2.

Et relictus eſt ſolus Jeſus, & mulier illa in medio ſtans. Quæ non audebat cum accuſatoribus ſuis excedere, manere maluit cum ſuo ſervatore. Solus Jeſus relictus dicitur, quod nullus remanſiſſet accuſatorum. Nam populus qui convenerat ad ſermonem audiendum, non abiverat, ut patet ex ſequentibus.

Verſ. 10. *Reclinans autem ſeſe Jeſus, & neminem videns.* Nempe ex accuſatoribus, *præter mulierem*, accuſatam ſcilicet:

Dixit ei; mulier, ubi ſunt illi accuſatores tui? Quaſi dicat. Exceſſerunt, abiverunt.

Nemo te condemnavit? Nemo ſententiam in te tulit damnatoriam?

Neque ego te condemno. Licet alia de cauſa. Illi quidem, quia ſibi peccatorum erant conſcii, ego autem, quia ad ſervandos, non damnandos peccatores veni.

Abi. Salva nimirum & incolumis;

Et non amplius pecca. Hoc addit ſalutare monitum. Neque enim Chriſtus venit ad conſervanda peccata, ſed ad conſervandos peccatores; peccata vero perdenda & exterminanda. Ideo enim peccatores exſolvit à peccatorum pœnis, ut eos

tanto beneficio à peccatis impoſterum retrahat. & hac tanta gratia penitus obſtringat Deo. Quod niſi conſequatur, multo deterior fit illorum conditio quam fuerat prior Rom. vi. 14, 15, 16. 2 Petr. 2. 20.

Verſ. 12. *Rurſus igitur Jeſus locutus eſt, dicens;* Nempe poſt dilapſos importunos illos accuſatores, & peccatricem hanc dimiſſam, rurſus rediit ad populum docendum.

Ego ſum lux mundi. Id eſt, hominum omnium, annunciabat enim omnibus peccatorum omnium remiſſionem, vitam æternam, juſtitiæ imputationem ex gratia per fidem in ſe, ſed per fidem vivam & per charitatem efficacem. Sine hoc Euangelio omnes homines ſunt in maximis animorum tenebris, ut merito ſe mundi lucem ac ſolem eſſe dixerit. Occaſionem hujus ſermonis ſumſit, ut arbitror, ex ſolis ortu verſ. 2. & ex ſervata peccatvice, cui lucem ſalutis attulerat in maximis tenebris.

Qui ſequuntur me. Accommodate ad lucem. Lucem enim ſequi ſolemus in tenebris. Senſus eſt: qui credit in me, qui meus eſt diſcipulus, & mihi obedit.

Non ambulabit in tenebris. Et hoc convenienter luci, id eſt, non verſabitur in ignorantia veri ac ſummi boni, & rationis illud conſequendi, nec in vitiis & peccatis.

Sed habebit lucem vitæ. Id eſt, talem in animo ſuo lucem, quæ eum ducet ad vitam æternam. *Vita* abſolute, pro vita æterna, & *lux vitæ*, per genitivum effecti. Sic *panis vitæ*, & ſimilia.

Verſ. 13. *Dixerunt igitur ei Phariſæi.* Chriſti ſcilicet adverſarii & inimici populo immixti, qui omnia excipiebant & carpebant in Chriſto.

Tu de te ipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt verum. Quaſi vero, quia quis de ſe ipſo teſtatur, idcirco teſtimonium ejus non ſit verum! poteſt enim aliquis de ſe vera teſtari, & omnes Prophetæ de ſe teſtati ſunt. Quin et innocentes omnes de ſe vera teſtantur. Sed illud ſequitur; teſtimonium tale non eſſe validum, nec ſufficiens, niſi etiam aliorum teſtimoniis ſuffulciatur. Quanquam, ſi quis ſe Prophetam & à Deo miſſum eſſe teſtetur, nec habeat iſtius rei divina teſtimonia, verum non ſit ejus teſtimonium. Quo pertinent verba Chriſti cap. v. 31.

Verſ. 14. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis; Etſi ego teſtor de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum.* Ponit enim Chriſtus ſe etiam habere ipſius Dei teſtimonium, diviniſſima illa opera, idque mox commemorat verſ. 18.

Quia ſcio unde veni, & quo vado. Quaſi dicat, non mentior de me teſtans, quia ſcio me ex cælo à Patre veniſſe, & in cælum ad Patrem iterum proficiſci.

Vos autem neſcitis unde venio, & quo vado. Quaſi dicat, hinc fit ut mihi mendacium objiciatis, ſed rerum eventu refutabimini. Eſt autem hic enallage temporis in utroque membro, in priore præſentis pro præterito.

Unde venio. Pro unde veni; in poſteriore præſentis pro futuro.

Quo vado. Id eſt, quo vadam. Supra cap. vij. 28 dicebat: *Et me noſtis, & ſcitis unde ſim,* quia de eo quod quod ſecundum carnem erat loquebatur, hic de eo quod erat ſecundum ſpiritum loquitur.

Verſ. 15. *Vos ſecundum carnem judicatis.* Id eſt, ſecundum ea quæ ad carnem ſpectant, non ſecundum ea quæ ſpectant ad ſpiritum; quia me carnali potentia & ſplendore deſtitutum videtis contemnitis me, & non reſpicitis ad ea quæ ſunt ſecundum ſpiritum, carnalibus multo potiora. Hæc ſi conſideraretis, longe aliter de me judicaretis.

Ego non judico quenquam. De nemine ſententiam damnatoriam fero; ne putarent, ſe quoque viciſſim judicari & damnari à Domino. Non enim venerat ad damnandos peccatores, ſed ad ſervandos; nec loquitur de re futura, ſed de præſenti.

Verſ. 16. *Etſi judico autem ego.* Particula *&* redundat, more Hebræo, ſicut & mox verſu ſequente.

Judicium meum verum eſt. Quaſi dicat, ſi autem ego judicarem, judicium meum verum eſſet, non, quale veſtrum eſt de me, falſum.

Quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater. Intellige, ſimul ſumus, ſemper mihi adeſt qui me miſit Pater: quippe, qui & miſit me, & Pater meus eſt. Non ergo poſſum judicare quenquam, quin ſimul mecum & per me judicet is qui me miſit Pater. Hic autem unus ille Deus eſt, cujus judicium ſemper eſt verum. Erat autem Pater cum Chriſto Filio ſuo per Spiritum ſuum ſanctum. Significat Chriſtus, ſi ſolus eſſet, & ſi Pater ſecum non eſſet, judicium ſuum non fore verum. Quod certe dicere non poterat, ſi Deus ille unus erat æque ac Pater.

Verſ. 17. *Et in lege autem veſtra ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum ſit.* Iterum particula *&* redundat. Quia ſe ſolum non eſſe dixit, ſed ſe & Patrem qui ſe miſerit, citat id quod de duorum hominum teſtimonio in lege ſcriptum extat, ut hinc arguat, vere ſe mundi lucem eſſe quam ſe eſſe dicebat & teſtabatur, quaſi dicat, lege veſtra vos convincam, in qua ſcriptum eſt:

Quod duorum hominum. Nempe nulla in re ſuſpectorum,

Teſtimonium verum ſit. Jubet enim lex duobus ejuſmodi teſtibus credere. Quam legem & Paulus allegat 2 Cor. xiij. 1.

Verſ. 18. *Ego ſum qui teſtor de me, & teſtatur de me qui miſit me Pater.* Quaſi dicat: me profecto nullius peccati poteſtis coarguere verſ. 46; tantum abeſt ut impoſtorem agam. Quid habetis contra me, quominus mihi credatis? Ne tamen dicatis me unum eſſe teſtem, idque in cauſa propria, & quidem tali, ut niſi accedat Dei ipſius teſtimonium, fides nullo modo dictis meis ſit habenda:

Et teſtatur de me qui miſit me Pater. Sicut me miſit, ſic etiam de me teſtatur. An ergo Pater, qui Deus ille unus eſt, mecum & de me teſtans, non pro mille teſtibus, & unus inſtar omnium erit? Propria igitur lege veſtra convincimini, quæ duorum hominum teſtimonium verum eſſe pronunciat, quanto magis meum & Patris mei teſtimonium? 1 Joh. v. 9.

Verſ. 19. *Dixerunt igitur ei; ubi eſt Pater tuus?* Dixerunt hoc Phariſæi, iidem illi qui prius verſ. 13. Convicti legis auctoritate, volunt ſibi Patrem, alterum teſtem, exhiberi.

Reſpondit Jeſus, neque me noſtis, neque Patrem meum.

meum. Quaſi dicat : ſatis illam habetis ante oculos in operibus diviniſſimis quæ per me facit.

Sed neque me noſtis. Quatenus ſcilicet non noſtis me Dei filium eſſe;

Neque Patrem meum. Quatenus non noſtis, Deum illum unum eſſe Patrem meum. Quæ veſtra maxima culpa eſt.

Si me cognoſceretis, & Patrem meum cognoſceretis utique. Id eſt, ſi cognoſceretis me Dei filium eſſe, quod omnino debebatis ex divinis quæ facio operibus, cognoſceretis utique & Deum eſſe Patrem meum.

Verſ. 20. *Hæc verba locutus eſt Jeſus in Gazophylacio.* Notat circumſtantiam loci, ad majorem narrationis fidem. Locus erat templi haud dubie munitus, in quo cuſtodiebatur Gaza templi.

Docens in templo. Id eſt, tum cum publice doceret in templo. Hic etiam circumſtantiam temporis notat.

Et nemo comprehendit eum. Quaſi dicat, in tali loco ex quo nullum dabatur effugium, inter tot infeſtos hoſtes, tum cum publice doceret, & talia Phariſæis objiceret, nec ulla vi carnali munitus eſſet. Notetur Dei providentia & virtus Chriſti diviniſſima. Hoc ipſum erat inter Chriſti præcipua miracula & divinitatis ejus argumenta.

Quia nondum venerat hora ejus. Qua ſcilicet ipſe Patris obſequens voluntati comprehendi volebat.

Verſ. 21. *Dixit igitur rurſus eis Jeſus*, uſus eſt *mimeſi*: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quo ego vado, vos non poteſtis venire. Ego vado*, nempe ad Patrem, id eſt, vadam.

Et quæretis me. Nempe ubi audiveritis me ex mortuis ſuſcitatum. Vide cap. vij. 33, 34.

Et in peccato veſtro. Id eſt, per & ob peccata veſtra. Singulari numero pro plurali, ut patet ex verſ. 24, in quo dicit, *moriemini in peccatis veſtris.*

Moriemini. Æterna videlicet morte. Nam, quia me non invenietis, nec videbitis redivivum, ideo in me non credetis, & ſic a peccatorum veſtrorum reatu ac pœna non liberabimini.

Quo ego vado vos non poteſtis venire. Per enallagen temporis præſentis pro futuro, id eſt, quo ego vadam vos non poteritis venire, nempe in cælum ad vitam æternam, quæ opponitur morti.

Verſ. 22. *Dixerunt igitur Judæi: Numquid occidet ſeipſum, quia dicit, quo ego vado vos non poteſtis venire?* Nempe dixerunt inter ſeſe. Cogitabant neminem qui ſit in vivis, eo poſſe vadere quo & alii non poſſint pervenire. An ergo, inquiunt, ſeipſum occidet, quandoquidem dicit, *quo ego vado*, ſibi ipſi exceſſum ſive profectionem hanc tribuens. Nimirum, non meminerant Eliam in cælum evaſiſſe, vel ſi meminerant, Jeſum haudquaquam cælo dignum eſſe putabant, aut ſe cælo indignos.

Verſ. 23. *Et dixit eis*, nempe porro : *vos ex iis qui infra ſunt eſtis, ego ex eis qui ſupra ſunt ſum.* Non reſpondet ad eorum fatuam & perverſam verborum ſuorum interpretationem ; ſed cauſam potius adfert ob quam non poterunt eo pervenire ubi ipſe erit.

Vos, inquit, *ex iis qui infra ſunt eſtis.* Id eſt, ex hominibus terræ affixis, quorum omnis cura & cogitatio eſt de rebus terrenis, proinde ex hominibus peccatis ac vitiis deditis.

Ego ex iis qui ſupra ſunt ſum. Id eſt, ex iis qui ſuperna cogitant, & ad ea perpetuo adſpirant, qui animo & cogitatione toti ſunt in cælo Coloſ. iij. 1, vel ex eorum numero qui ſupra ſunt ſacroſanctorum ſpirituum, qui ſemper voluntatem Dei faciunt.

Vos ex mundo hoc eſtis. Rem eandem aliter declarat, id eſt, ex hominum mundanorum numero, qui mundum hunc diligunt, mundi hujus bona unice ſpectant, & mundi mores habent.

Ego non ſum ex mundo hoc. Id eſt, ego ad hominum hujus mundi ſocietatem non pertineo: quaſi dicat, totus à vobis animo & cogitationibus & ſtudiis & factis differo, ideo mirum non eſt, quo ego vado, vos non poſſe pervenire: vide cap. xv. 19. Mundus hic, ſeu homines hujus mundi, opponuntur illius mundi habitatoribus, cum quibus etiam Chriſtus brevi habitaturus erat.

Verſ. 24. *Dixi igitur vobis.* Nempe ℣ſ. 21.

Quod moriemini in peccatis veſtris. Id eſt, per peccata & ob peccata veſtra: quaſi dicat, facile id potui veſtris ex moribus inſerre. Nam quicquid vobis blandiamini & videamini ſancti & juſti eſſe, peccatores eſtis miſerrimi, quippe homines terræ & mundo huic plane dediti.

Niſi enim credideritis. Quaſi dicat, à quo penitus propter mores veſtros & mundi hujus amorem abhorretis.

Quod ego ſum. Nempe ille qui venturus erat, ille Meſſias ſeu Chriſtus, ille Dei filius illuſtris, ac Prophetarum oraculis & votis omnium celebratus, ſolita ſibi hac in re apoſiopeſi. Vide verſ. 28, 58. cap. xiij. 19.

Moriemini in peccatis veſtris. Quaſi dicat: nam hæc unica ratio eſt evadendi mortem æternam & damnationem ob peccata, ipſaque peccata, ut credatis quod ego ſum ille Chriſtus ille filius Dei. At hoc quam vobis grave eſt & erit, ubi videritis me morte, eaque crucis affectum, & non videbitis me ex morte reſuſcitatum! Quam id erit veſtris ſtudiis & moribus contrarium, ut in me credatis! Docet aperte Chriſtus Judæos non ideo perituros eſſe, quod ad hoc ante ſecula prædeſtinati eſſent ; ſed quod in ipſum nollent credere ; nec hoc ob eandem prædeſtinationem, ſed ob pravos ſuos mores. Ideo & prædicit eis mortem, ſed quam, ſi ſuam excutere vellent improbitatem, poſſent effugere. Apoſiopeſi illa in verbis, *ego ſum*, libenter utebatur Chriſtus, & malebat potius intelligendum relinquere Judæis, quam ſe Chriſtum illum & regem à Deo promiſſum eſſe verbis exprimere. Malebat etiam *Filii Dei* nomine hoc ipſum ſignificare, quia titulus iſte multo minus habebat invidiæ apud civilem Magiſtratum. Semel inter Judæos palam & publice, idque coram ſynedrio, idque etiam adjuratus, expreſſe & diſerte ſe Chriſtum illum Dei, & iterum coram Pilato, ſe Regem eſſe profeſſus eſt, ut huic immoreretur veritati. Unde & mortis ſuæ cauſam capiti ſuo in cruce pendens ſuperſcriptam habuit : JESUS NAZARENUS REX ille JUDÆORUM cap. xix. 19.

Verſ. 25. *Dicebant igitur ei, tu quis es?* Volebant ut non reticeret, ſed expreſſe diceret quis eſſet. Non quod non intelligerent quid ſibi vellet Chriſtus, ſed ut eum criminationibus & periculis objicerent. Si dixiſſet;

dixiſſet ; ſum Chriſtus ille Dei, accuſaſſent eum rebellionis contra Cæſarem ; ſi dixiſſet, ſum Dei filius, accuſaſſent eum blaſphemiæ coram ſynedrio.

Et dixit eis Jeſus. Τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Neque interrogatus expreſſe reſpondet quis ſit, ſed ſeſe ad dicta ſua refert. Eſt autem in his verbis tranſpoſitio quædam, & conſueta Græcis ellipſis particulæ κατὰ, ut Joan. xv. 10. Hebr. x. 22, quaſi dicat, ὅ τι, καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν, id eſt, id ſum quod etiam à principio loquor vobis. Scitis id optime quem me dicam eſſe, ab ipſo principio prædicationis meæ perpetuo loquor quis ſim, ſed vos fingitis vos neſcire.

Verſ. 26. *Multa habeo quæ de vobis loquar & judicem.* Quam ſcilicet ſitis mihi infenſi, quam adverſi & inſidioſi, vel in hac ipſa interrogatione quis ſim.

Sed qui miſit me verus eſt. Quaſi dicat, ſed quicquid vos mihi adverſemini, quicquid contra me moliamini.

Qui miſit me verus eſt. Mentiri non poteſt. Eſt enim Deus ille unus, ut omnis boni, ita & veritatis fons & auctor.

Et ego quæ audivi ab ipſo hæc dico ad mundum. Proinde vera dico : εἰς τὸν κόσμον, εἰς, pro πρὸς: vel εἰς reſpondet Hebræorum *lamed*, quod eſt nota Dativi caſus, εἰς τὸν κόσμον pro τῷ κόσμῳ.

Verſ. 27. *Non cognoverunt quod Patrem eis diceret.* Quæſiverant enim verſ. 19, *ubi eſt Pater tuus?* id eſt, non cognoverunt ſeu non intellexerunt quod hæc dicens Patrem eis ſuum diceret ac proderet, ſeu quod diceret Deum eſſe Patrem ſuum, & ſe Dei Filium eſſe illum ſingularem ſeu Chriſtum. Si enim hoc intellexiſſent, iterum ut antea, tumultuati eſſent, & Chriſto blaſphemias objeciſſent cap. v. 18. Hoc autem inprimis erat quod audiverat à Deo, & quod dicebat ac prædicabat mundo, etiamſi ab expreſſa Chriſti appellatione pro temporis ratione abſtineret. Vide verſ. 24.

Verſ. 28. *Dixit igitur eis Jeſus.* Quandoquidem non cognoverant quod eis Patrem indicaſſet Deum, proinde ſe Dei eſſe Filium & Chriſtum illum :

Quando exaltabitis Filium hominis, tunc cognoſcetis quod ego ſum. Id eſt, quando me in crucem attolletis & morte afficietis cap. iij. 14. xij. 32, tunc maximas cognoſcendi cauſas habebitis, per metonymiam effecti pro cauſa. Nam eas curaturi non erant ✝ſ. 24.

Quod ego ſum. Chriſtus ſcilicet & Filius ille Dei. Eadem quæ ſupra apoſiopeſis verſ. 24. Deus enim me ſuſcitabit ex mortuis, & Dominum ac Chriſtum faciet, & ego me per diviniſſima opera Dominum ac Chriſtum eſſe omnibus oſtendam, ipſaque mors pro hac confeſſione à me obita, maximum addet illi confirmandæ momentum. Et ſic omnes ad me traham Joh. xij. 32. *Et à me ipſo facio nihil*, nempe in loquendo & docendo ; Nam quod miracula non faceret à ſeipſo, nulli dubium erat, & loqui ac docere etiam facere eſt, idque & ſequens docet oppoſitio.

Sed ſicut docuit me Pater meus, hæc loquor. Tunc cognoſcetis me, & hoc ipſum quod me Dei Filium dico, non ex me ipſo locutum eſſe, ſed id doctum eſſe à Patre meo. Vide quem Dei Filium ſe dicat Chriſtus, primum eum qui Filius hominis ſit iſque in crucem agendus : deinde qui nihil à ſeipſo faciat, nihil à ſeipſo loquatur, ſed ſicut ſe docuerit Pater, hæc loquatur. Cæterum hic expreſſe Patrem ſuum illis nominat, eumque unum illum Deum eſſe ſignificat.

Verſ. 29. *Et qui miſit me mecum eſt.* Docet quid viciſſim ſibi præſtet Deus tam fidei ſuo legato ac miniſtro, immo Filio, ut cauſam exprimat ob quam non ſolum tanta miracula faciat, & inter tot hoſtes incolumis adhuc perſtet, ſed etiam in crucem actus ex morte ad regnum cæleſte ſit evaſurus.

Qui miſit me, inquit, *mecum eſt*. Mihi adeſt, ſua nimirum paterna cura, & ſua divina virtute ac potentia.

Non reliquit me ſolum Pater. Qui me pro Filio ſingulariſſimo, id eſt, Chriſto illo ſuo ſuſcepit, proinde nec in cruce nec in morte me relinquet. Nam iſtud præteritum *non reliquit*, ita intelligendum eſt, ut & præſens & ſecuturum tempus complectatur. Significat Chriſtus, ſi Deus ille unus ſecum non eſſet, ſi ſe ſolum relinqueret, actum de ſe iri.

Quia ego quæ placent ipſi facio ſemper. Cauſam exponit cur ſecum ſemper ſit Deus, cur ſe ſolum non reliquerit :

Quia ego, inquit, *quæ ipſi placeant facio ſemper.* Nunquam diſcedo à meo officio, ita ſemper ago, ut Dei Legatum & Filium decet. Nihil magis placuit Deo, quam cum ſe Chriſtus ex mandato Patris ſubjecit cruci ; ideo nec mirum eſt, quod cum Deus non tantum eripuerit ex morte, & in vitam revocarit, ſed etiam ſupra omnia in tantum extulerit, ut pedibus ejus omnia ſubjiceret Phil. 2. 9, 10, 11. Epheſ. 1. 20, 21, 22. Non dicit quia ego ſum idem eſſentia cum Patre, ſed, quod huic plane contrarium eſt, quia ego ſemper facio quæ Patri placent.

Verſ. 30. *Hæc cum diceret, multi crediderunt in eum.* Nempe Judæorum, qui ſermoni ejus aderant. Cognoſcebant enim ex miraculis vere cum ipſo Deum eſſe cap. iij. 2.

Verſ. 31. *Dixit igitur Jeſus ad eos qui crediderant ipſi Judæos.* Credere in Chriſtum, & credere Chriſto parallela ſunt ſeu inter ſe connexa. Nemo enim Chriſto vitam æternam ſe daturum pollicenti credere poteſt, quin protinus in ipſum credat. Credere enim in aliquem eſt ei confidere.

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eſtis. Id eſt, ſi à ſermone meo non defeceritis, ſi conſtantes fueritis in fide ſermoni meo adhibita.

Vere diſcipuli mei eſtis. Quaſi dicat, ex conſtantia veſtra apparebit, vos vere diſcipulos meos eſſe, & vere mihi credidiſſe. Et qui deficiunt à ſermone Chriſti vere diſcipuli non ſunt, etiam tum cum illi adhuc adhærent. Apoſtatæ ex nobis exeunt, ſed non erant ex nobis : alioquin enim manſiſſent nobiſcum 1 Joh. 2. 19. Hortatur novitios iſtos diſcipulos ad conſtantiam in fide.

Verſ. 32. *Et cognoſcetis veritatem.* Nempe plene & perfecte. *Veritatem*, nempe divinam, quæ in meo ſermone continetur, quam nunc plene & perfecte non poteſtis cognoſcere cap. xvi. 12, 13.

Et veritas. Nempe plene & perfecte cognita.

Liberos faciet vos. Ingenti bono vos beabit, vera nimirum & ſolida libertate. Liberabit vos à peccatis, & conſequenter à lege, & ab omnibus peccatorum pœnis,

nis, æternæ vitæ vos aſſeret, Reſpicit enim ad id quod ſupra dixit: *Niſi credatis quod ego ſum, moriemini in peccatis veſtris* verſ. 24, quæ maxima ſervitus eſt. Libertatem ſuis diſcipulis pollicetur, tanquam Meſſias ille Dei, per quem omnes libertatem ſe adepturos eſſe ſperabant, ſecundum Eſaiæ prophetiam, de qua Luc. iv. 18.

Verſ. 33. *Reſponderunt ei.* Non qui crediderant, ſed qui non credebant, ut apparet ex verſ. 37, 40, 44. 48 & ſequentibus.

Semen Abrahami ſumus. Id eſt, filii ſeu poſteri. Proinde ſumus homines ingenui.

Et nemini ſervivimus unquam. Id eſt, nullius unquam fuimus mancipia, pretio emta.

Quomodo tu dicis. Nempe ad tuos diſcipulos.

Quod liberi eritis? Tacite nobis ſervitutem objicis, ſeu ſervos nos eſſe ſignificas. Quaſi dicant, ſub Romanorum quidem imperio ſumus, ſed tamen liberi & ingenui eſſe non deſiimus. Volebant, credo, ut aliquid adverſus Romanorum imperium, & præſentem Judæorum ſtatum loqueretur; quamvis ipſi nihil magis averent, quam ut Romanorum jugum excuterent, & quamvis ſe maxima ſervitute à Romanis premi gemerent. Sed jam ſervitus illis in libertatem vertit, dummodo verum libertatis vindicem è medio tollant! Hinc & poſtea clamabant, *non habemus Regem niſi Cæſarem: ſi hunc dimittis, Cæſaris amicus non es, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari* cap. xix. 12, 15.

Verſ. 34. *Reſpondit eis Jeſus; Amen, amen, dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Niſi enim ſervus peccati eſſet, peccatum non faceret, rem turpem, fœdam, adeo ſibi noxiam & pernicioſam. Trahitur ergo quiſque veluti obtorto collo à peccato qui facit peccatum. *Facit*, nimirum ſciens prudens, deliberata voluntate, ex conſuetudine. Quaſi dicat. Non loquor de carnali ſervitute, ſed de ſervitute Spirituali, de ſervitute peccati, in qua vos poſiti eſtis; cujus ſervitutis ſpecimen expreſſit Apoſtolus per mimeſin cap. vij. ad Rom. Hinc Joannes, *qui facit peccatum ex diabolo eſt, omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, & non poteſt peccare* 1 Joan. iij. 8, 9, ut hinc appareat, quam ſervus ſit peccati qui peccatum faciat!

Verſ. 35. *Servus autem non manet in domo in ſeculum.* Docet quæ ſit conditio ſervi; ea nimirum, ut non habeat jus manendi in herili domo. Subjectus enim ſemper eſt venditioni. Actum manendi ponit pro manendi jure.

Filius manet in ſeculum. Eſt enim hæres bonorum paternorum, adeoque Dominus. Docet hac ſimilitudine, Judæos non habere jus ullum hæreditatis in domo Dei, & conſequenter ad vitam æternam, quippe ſervos peccati. Solum Filium, id eſt, Meſſiam illum, qui omnis peccati purus eſt, jus hæreditatis habere.

Verſ. 36. *Si igitur Filius.* Qui ſolus habet jus hæreditatis. Se ſolum intelligit, quia illi ſoli titulus Filii Dei abſolute & ſubjective competit, quippe Chriſto illi Dei.

Vos liberos faciat. Nempe ea libertate quam ille largitur.

Vere liberi eritis. Eritis enim liberi à peccati ſervitute, in qua qui manent, etiamſi Reges ſint ac Regum filii, ſervi ſunt, nec ullum jus æternæ vitæ & cæleſtis hæreditatis habent; ſed æternæ damnationi ſubjecti ſunt: At nunc *nulla condemnatio eſt iis qui per Chriſtum Jeſum, non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum* Rom. viij. 1.

Verſ. 37. *Scio quod Abrahami ſemen ſitis.* Nempe ſecundum carnem.

Sed quæritis me occidere. Unde patet, vos peccati ſervos ac mancipia eſſe:

Quia ſermo meus non habet locum in vobis. Quaſi dicat, non ob ullum meritum meum, ſed ob id ſolum, quod ſermonem meum non recipiatis. Quid ergo vos juvat quod ſemen Abrahami ſitis ſecundum carnem?

Verſ. 38. *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Ne dicerent eum falſa docere, & homines ſeducere, ſignificat ſe apud Patrem in cælo fuiſſe; & ea loqui quæ apud Patrem, non auribus tantum, ſed oculis etiam ipſis hauſerit ac perceperit, veritatem nimirum, juſtitiam, charitatem, ſanctitatem.

Et vos igitur quod vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis. Quaſi dicat, pari conſequentia, *& vos quod vidiſtis apud patrem veſtrum.* nempe diabolum, cujus filios factorum & homicidii & mendacii imitatione vos reddidiſtis.

Facitis. Solent enim filii quæ apud Patrem vident facere, ſeu patris facta imitari. Vidiſtis diabolum ſermoni Dei ſemper adverſari, & à Deo miſſos occidere, hoc ipſum & vos facitis. Non tantum ſermonem meum non recipitis, ſed etiam adhuc occidere me vultis, idque ut faciatis modos omnes quæritis.

Verſ. 39. *Reſponderunt, & dixerunt ei, pater noſter Abraham eſt.* Quaſi dicant: quem patrem noſtrum tu dicis? pater noſter Abraham eſt, homo ſanctiſſimus & Deo gratiſſimus.

Dicit eis Jeſus, ſi filii Abrahami eſſetis. Nempe veri, non degeneres.

Opera Abrahami faceretis utique. Quaſi dicat, quid juvat ex patre præſtanti natum eſſe, niſi etiam ejus facta imiteris? Hoc eſt negare te tali patre ſatum eſſe: vel patris nobilitatem dedecore afficere. Hinc Deus ipſe ad Iſraëlem; *pater tuus Hettæus & mater tua Hamorrhæa:* Quod non Iſraëlis & Iſaaci & Abrahami, ſed Hettæorum & Hamorræorum mores & opera imitarentur.

Verſ. 40. *Nunc autem quæritis me occidere.* Quaſi dicat, pro operibus Abrahami ſanctis & juſtis, quæritis ut me occidatis, non hominem ſontem & nefarium, non mendacem & ſeductorem.

Sed hominem qui veritatem vobis locutus ſum. Nec vulgarem aliquam, ſed *quam audivi à Deo.* En! ipſe Chriſtus hominem ſe diverſe dicit, & ab uno illo Deo diſtinguit.

Hoc Abraham non fecit. Ut ſcilicet quæreret

hominem innocentem occidere, multo vero minus veritatem à Deo auditam ſibi loquentem. Putant quidam Abrahamum hoc non feciſſe dici, quia Chriſtum hoſpitio exceperit & humanitatis officiis coluerit Gen. xviij. 2. & ſequentibus. At id verba Chriſti non docent, in quibus nihil eſt opus, ut eundem numero hominem intelligamus. Certe non magis quam eadem numero opera & Abrahami & Judæorum & Diaboli. Similia hic intelliguntur opera, ſeu genere vel ſpecie eadem, non numero; ſic & homo. Vide cap. xiv. 12. Sed neque Chriſtus tum homo fuit. Aliud enim eſt, ſpeciem hominis vel viri gerere, aliud revera hominem vel virum eſſe, & tres illi viri, ſeu ſpeciem virorum gerentes reipſa Angeli erant Hebr. xiij. 2. Et quam cauſam habuiſſet Abraham ut occideret hominem, rem gratiſſimam ſibi nunciantem, quod ſcilicet ex Sara habiturus eſſet anno vertente filium? Hæc igitur ſententia non ex Chriſti verbis accepta eſt, ſed aliunde præconcepta, in Chriſti verba infertur, qui hominem ſe dicit, & Deo illi uni tanquam diverſum ſe opponit, Deum illum unum ſe eſſe negat.

Verſ. 41. *Vos facitis opera patris veſtri.* Id eſt, Diaboli, non eadem numero, ſed eadem ſpecie vel genere. Vide verſ. 38.

Dixerunt igitur ei. Quod negarentur eſſe veri & genuini ac legitimi filii Abrahami.

Nos ex ſcortatione non ſumus geniti. Non ſumus Iſmaëlitæ, qui non ex vera conjuge Abrahami, ſed ex concubina ſunt geniti, ſcortationem maligne dicunt, & adverſus ipſum Abrahamum patrem improvide, ex odio gentis Iſmaëliticæ, vel ſi ad Iſmaëlitas non reſpexerunt, multo magis ex ſcortatione vere dicta, genitos ſe negant.

Unum patrem habemus Deum. Quatenus ſcilicet omnes vi divinæ promiſſionis & accedente Dei potentia, ex Sara, legitima Abrahami uxore, miraculoſe ſumus progeniti. Proinde, quia nobis ſpiritualem Patrem aſſignas, alium aſſignare non potes nec debes quam Deum.

Verſ. 42. *Dixit igitur eis Jeſus.* Excipit hoc eorum dictum Chriſtus.

Si Deus Pater veſter eſſet. Nempe ſecundum ſpiritum, & reſpectu morum ac operum.

Diligeretis me utique: ego enim ex Deo, pro à Deo, *exivi.* Miſſus videlicet, ut mox dicitur.

Et venio. Conſequens prioris, præſens pro præterito veni. Rationem reddit dicti ſui: quaſi dicat, non poſſetis enim non diligere eum qui à Deo exivit & venit.

Si Deus. Ratione morum & operum

Eſſet veſter Pater: neque enim à me ipſo veni. Probat quod aſſeruit per negationem contrarii. Non veni mea ſponte, meo arbitratu. Nam quo fine, aut qua ſpe id facerem, nulla carnali potentia munitus, nec muniri cupiens?

Sed ille miſit me. Quod ex operibus divinis, quæ per me facit, omnes poſſunt agnoſcere. Significat Chriſtus ſeductorem ſe fore ſi veniſſet à ſeipſo nec à Deo miſſus eſſet. Quod in Deum illum unum nullatenus cadit.

Verſ. 43. *Propter quid loquelam meam non cognoſcitis.* Id eſt, non intelligitis, ut ſupra verſ. 27. Quaſi dicat, quare non intelligitis quid mihi velim, cum dico vos facere opera patris veſtri, aut vos facere quæ vidiſtis apud patrem veſtrum? (neque enim ſolet Chriſtus doctrinam ſuam λαλιὰν appellare.) Quid huc facit quod Abraham ſit Pater veſter ſecundum carnem, aut quod non ſitis ex ſcortatione geniti, ſed unum Patrem habeatis Deum, eo nimirum ſenſu quo vos id intelligitis? nihil ego contra hæc loquor. Qui fit ergo ut loquelam meam non intelligatis? Dabo cauſam.

Quia non poteſtis audire ſermonem meum. Præ nimio ſcilicet odio mei. Non poteſtis me ferre loquentem, quia me dico eſſe Dei Filium & à Deo miſſum, hinc fit ut animum non advertatis ad ea quæ loquor.

Verſ. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Quaſi dicat: loquar ego clarius, ut quid loquar cognoſcatis.

Vos ex patre Diabolo eſtis. Reſpectu nimirum morum & operum veſtrorum.

Et cupiditates patris veſtri vultis facere. Declarat quod dixit, id eſt, ea quæ cupit pater veſter diabolus, vultis facere. Cupiditates pro iis quæ cupiuntur, per metonymiam, quia ergo diabolum factis & ſtudiis imitamini ac refertis, merito vos ex hoc patre fatos dico. Digni erant tam infandi homicidæ hac tam acri objurgatione, cum alioquin Chriſtus mitis & manſuetus eſſet. Non enim repugnant modeſtiæ ac manſuetudini objurgationes acres, ſi ſint juſtæ ac meritæ: nec animo ulciſcendi ac lædendi, ſed corrigendi & veluti ex ſomno excitandi adhibitæ.

Ille homicida erat ab initio. Quaſi dicat, & adhuc eſt & erit quoad homines erunt. Voces *ab initio*, ex ſubjecta materia protinus intelliguntur. Docet quæ ſint cupiditates Diaboli, homines nimirum occidere & mentiri. Ab initio mundi ille erat homicida, quia parentes noſtros ſeducens occidit & mortis eorum cauſa fuit. Haud dubie & ad cædem Abelis operam contulerat 1 Joan. iij. 12.

Et in veritate non ſtetit. Non eſt verum locutus, cum dixit parentibus noſtris non moriemini. Quod dicens, non tantum mentitus eſt, ſed etiam Deum mendacem fecit, qui contrarium dixerat, & iis mortem comminatus fuerat.

Quia non eſt veritas in ipſo. Id eſt, nunquam vera loquitur, nec ſcit vera loqui.

Quando loquitur mendacium ex propriis loquitur. Significat, ſi diabolus aliquando vera loquitur, aliunde id eum accipere, non ex ſe loqui.

Quia mendax eſt. Id eſt, mendacio plane deditus.

Et pater ejus. Nempe mendacii; quatenus illud primus omnium edidit, & ad mendacia homines inſtigat.

Verſ. 45. *Ego autem, quia veritatem dico, non creditis mihi.* Id eſt, quia autem ego veritatem dico. Opponit ſe Diabolo.

Non creditis mihi. Quaſi dicat, unde merito conclu-

concludo, vos ex patre diabolo eſſe: crederetis mihi, ſi mendacium loquerer, ſi ea dicerem, quæ diabolus finxit. Nunc, quia veritatem loquor, fidem apud vos non invenio. Hinc apparet vos non veritate delectari, ſed mendacio. Confer cap. v. 43. verſ. 46.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Probat quod dixit. Quaſi dicat. Nam ſi ideo mihi non creditis quod mentiar, quis ex vobis arguit me de peccato? At in quo peccatum nullum eſt, in eo nec ullum eſt mendacium: homines enim mentiuntur ad contegenda peccata. Objicitis quidem mihi mendacia, ſed fruſtra & inique. Nam nullius peccati me poteſtis arguere, id eſt, argumentis efficacibus reum peragere. Si ego mendax eſſem, appareret in me ambitio, avaritia, libido & alia quæ in mendacibus & vanis ſunt. Nunc autem nihil in vita & moribus meis quod carpatis habetis. Hæc eſt illa aqua puritatis quæ teſtabatur de Jeſu 1 Joan. v. 6, 8. Mendacium eſt mater omnium vitiorum, & mater furti, ut ait Syracides. Hoc eſt peccatorum velum, hoc ſi tollas tolluntur peccata, ſicut & peccatis ablatis tollitur mendacium. Nemo veſtrum me peccati alicujus arguit, quo me mendacem eſſe convincat: adeo ut etiam fama de moribus meis mentiri vereatur. Quomodo igitur mentior? Huc facit quod alibi pſeudo-Prophetas ex fructibus eorum jubet cognoſcere, quia non poſſit mala arbor bonos fructus ferre Matth. vij. 26. Ideo doctoribus veritatis unice curandum eſt, ne eam improbe vivendo in ſuſpicionem adducant mendacii.

Si autem veritatem dico, propter quid vos non creditis mihi? Quaſi dicat, nulla alia cauſa eſt quam propter hoc ipſum quia veritatem dico, cui vos, tanquam filii diaboli, adverſamini.

Verſ. 47. *Qui eſt ex Deo.* Quaſi dicat: ut vos de vobis jactatis verſ. 41. Intelligit autem hominem probum, veri amantem, & recte factis deditum, ſimilitudine animi Dei filium, ſeu ex Deo natum. Ex Deo eſſe opponitur illi ex patre diabolo eſſe verſ. 44. Sic & Cain ex malo, id eſt, diabolo erat 1 Joan. iij. 12.

Verba Dei audit. Nempe libenter & cum aſſenſu, cum videat omnia in illis ad juſtitiam unice tendere, nec ullam iis ineſſe juſtam non credendi cauſam. Hoc dicto cauſam conſequenter aperit & infert ob quam illi verba Dei & conſequenter ſua (ſua enim verba Dei erant verba,) non audiant, quod eis verſ. 43 objecerat.

Propter hoc, inquit, *vos non auditis.* Nempe verba Dei, & conſequenter mea.

Quia ex Deo non eſtis. Non eſtis homines probi, veritati & juſtitiæ dediti, ejuſque amantes. Vitiorum amor vobis obſtat quominus audiatis Dei verba: quaſi dicat, jure hoc infero: ſi enim ex Deo eſſetis, verba Dei audiretis, cum omnis qui ex Deo eſt, verba Dei audiat, ut dixi.

Verſ. 48. *Reſponderunt igitur Judæi, & dixerunt ei.* Convicti argumentis, convitia, & probra, & mendacia regerunt.

Non bene dicimus nos, quod Samaritanus ſis tu, & dæmonium habeas? Quaſi dicant, bene profecto & probe! Apparet eos hæc de Chriſto dicere ſolitos fuiſſe. Prius quidem, quod apud Samaritanos diverterit, & cum iis per biduum converſatus fuerit, quodque multi Samaritanorum in eum crederent. Poſterius autem, quod miracula faceret & ſupra hominem in operibus eſſet. Ut vero nunc utrumque in os Chriſto ingererent, iracundia & ægre faciendi libido fecit. Ulciſci ſe volebant quod eos ex Deo non eſſe, & filios diaboli eſſe Chriſtus coargueret.

Samaritanus es, inquiunt. Quaſi dicant, quid enim pejus Samaritani Judæis objicere poſſent, quam Judæos ex Deo non eſſe?

Es dæmonium habes. Quia niſi dæmonis inſtinctu talia de Judæis loqui non poſſes, & ut homines seducas per dæmonium miracula facis. Ideo alibi dicunt, quod in Beelzebub ejiciat dæmonia.

Verſ. 49. *Reſpondit Jeſus; Ego dæmonium non habeo.* Samaritani appellationem ſilentio tranſmittit, ut manſuetudinem ac modeſtiam Chriſti decebat, cum ipſimet ſcirent unde eſſet cap. vij. 28, 41, 52, & contra propriam conſcientiam & confeſſionem Chriſto conviciarentur. Dæmonium habere ſe negat, quod in hoc color aliquis eſſet apud rudes & imperitos propter miracula, citra omnem tamen in tam atroci maledicto impatientiam.

Sed honore afficio Patrem meum. Quaſi dicat: Unde cuivis conſtare poteſt me dæmonium non habere; qui dæmonium habent, Deum honore non afficiunt. Sunt enim dæmones Deo contrarii ſpiritus. *At ego Patrem meum honore afficio.* Id eſt, colo, veneror, adoro, nomen ejus deprædico, legem ejus obſervo, idque merito facio. Pater enim meus eſt, qui me ultra omnes alios amore complexus eſt, ut ex amoris iſtius effectis conſpicitur, & magis magiſque conſpectum fiet. (Generationem ex virgine per Spiritus Sancti virtutem tacite quidem ſemper intelligit, quoties Deum Patrem ſuum, & ſe Dei Filium appellat: ſed eam non exprimit, quia nondum erat in propatulo) Itaque, inquit, dum Deum Patrem meum dico, & eum mei ac omnium quæ habeo, auctorem unicum aſſero, per hoc ipſum eum maximo honore afficio, & ſpiritu ejus, quo me unxit, adverſus dæmonia vel maxime agor.

Et vos ignominia afficitis me. Quaſi dicat: Et vos me, qui honore afficio Patrem meum, ignominia afficitis, dum me non tantum Samaritanum appellatis; ſed etiam, quæ maxima contumelia eſt, dæmonium habere dicitis. Non cogitatis non meam hanc eſſe contumeliam, ſed Patris, & Spiritus ejus Sancti blaſphemiam, cui nulla eſt apud Deum venia Matth. xij. 31.

Verſ. 50. *Ego autem non quæro gloriam meam.* Meam laudem & exiſtimationem; ne putetis me maledictis & contumeliis veſtris quicquam offendi. Hoc enim faciunt qui ipſi ſuam gloriam quærunt.

Eſt qui quærit. Nempe gloriam meam. Deum deſignat, Patrem ſuum: quaſi dicat, quid opus eſt ut ego ipſe gloriam meam quæram, cum ſit alius qui eam quærat, nempe Deus ille ſumus & unicus, Pater meus. Hoc dum dicit Chriſtus, ſe

Deum illum unum eſſe manifeſte negat. An enim Deus ille unus gloriam ſuam non quæreret ?

Et judicat. Nempe de me & omnibus : quaſi dicat, non ego moror veſtrum de me judicium. Eſt Deus qui & de me & de vobis judicat, eujus judicium verum ac juſtum eſt. Ille patefaciet quis ego ſim, & qui vos ſitis. Meminerimus & nos patienter ferre iniquas hominum contumelias propter Chriſtum, & alium eſſe qui gloriam noſtram quærat & judicet.

Verſ. 51. *Amen, amen, dico vobis ; ſi quis ſermonem meum ſervet, mortem non videbit in æternum.* Effectum exprimit ejus quod dixit, quia enim Deus quærebat Chriſti gloriam & judicabat, idcirco Chriſtum in tantum extulit & evexit, ut, ſi quis ſermonem ejus ſervet, mortem non videat in ſeculum, quaſi dicat, quidquid vos contra me dicatis, quidquid de me ſentiatis ac judicetis.

Amen, amen. Id eſt, vere, vere, etiam atque etiam vere.

Dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervet. Id eſt, credat quæ credenda, & faciat quæ facienda dico.

Mortem non videbit in ſeculum. Id eſt, vitam habebit æternam, quia reſuſcitabitur per me in ultimo die ad vitam æternam. Nam mors temporaria piorum non tam eſt mors, quam ſommus verus & quies, & ad vitam veram tranſitus. Vide cap. VI. 40. Quod ſi quis mortem temporariam excludi dicat, tum tempus quo hæe Chriſti promiſſio implebitur, ab adventu Chriſti & ultimo mundi die computet.

Verſ. 52. *Dixerunt igitur ei Judæi, nunc cognovimus quod dæmonium habeas.* Id eſt, plene & citra omnem dubitationem cognovimus. Loco pœnitentiæ quam illis Chriſtus exprimere voluit, tum ſui purgatione, tum ſingulari modeſtia, tum pollicitatione adeo divina, iterant, & profundius infigunt prius de dæmonio convicium.

Abraham mortuus eſt & Prophetæ, & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſervet, non guſtabit mortem in ſeculum. Exponunt argumentum ſuum. At quid in hoc eſt abſurdi & quod dæmonium ſpiret ? Pergunt igitur.

Verſ. 53. *Num tu major es patre noſtro Abrahamo qui mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt ?* Quaſi dicant, ſequeretur te majorem eſſe Abrahamo patre noſtro, & ſimul Moſe, & omnibus Prophetis ; quippe qui mortui ſint, tantum abeſt ut ſermonem locuti ſint, quem qui ſervet nunquam moriatur. At hæc dæmonis eſt blaſphemia & inſania, te majorem eſſe patre noſtro Abrahamo & Moſe & Prophetis omnibus.

Quem teipſum tu facis ? Quaſi dicant : vide quem tu ipſe te facias.

Verſ. 54. *Reſpondit Jeſus : ſi ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt.* Quaſi dicat, ſi verum eſt quod dicitis, ſi, inquam, ego me ipſum facio eum quem dico, gloria mea nihil eſt, id eſt, mentior, vaniſſima ſunt quæ de me dico. Quibus verbis profecto ſe Deum illum unum haud eſſe oſtendit ; An enim unus ille Deus ullatenus hoc de ſe diceret & dicere poſſet ? Cujus gloria non alias magis vera ac ſolida eſt quam cum ipſe ſeipſum glorificat, qui etiam ſolus omnes vera gloria poteſt afficere, & Chriſtum affecit.

Eſt Pater meus qui glorificat me. Id eſt, gloriam mihi tribuit, & eam poteſtatem, ut omnis qui ſermonem meum cuſtodiat, vitam æternam adipiſcatur, quam ſi ego mihi tribuerem, verba hæe eſſent inania.

Quem vos dicitis quod Deus veſter ſit. Id eſt, cujus vos cultores eſſe profitemini. Oſtendit illis ſuum Patrem Deum nimirum illum unum. Ne putarent alium aliquem à Chriſto deſignari. Docet Patrem ſuum, & Deum illum unum inter ſe reciprocari. Nam ſi Deus ille unus latius pateret quam Pater Chriſti, ſequeretur dici poſſe, aliquis Deus ille unus eſt Pater Chriſti, & aliquis Deus ille unus non eſt Pater Chriſti. Quod implicat contradictionem. Diceretur enim, Deum illum unum eſſe & non eſſe unum.

Verſ. 55. *Et non noſtis eum.* Hoc addit ne dicerent, ſi Deus ille unus, Deus noſter, eſſet Pater tuus, nos id ſciremus, cum Deum noſtrum & ejus voluntatem norimus. Negat hoc Chriſtus. Dicitis, inquit, illum eſſe Deum veſtrum, ſed non noviſtis eum, quia ſcilicet ejus præcepta non ſervatis. Nam me hominem ab ipſo miſſum quæritis occidere ; & ut id jure facere videamini, mentimini adverſum me, & me dæmonis inſtinctu agi ac loqui affirmatis. Quod nunquam faceretis, ſi Deum cognoſceretis.

Ego autem novi eum. Quaſi dicat, ideo mihi major eſt habenda fides, quod Dei ſim Filius & à Deo miſſus, quam vobis id negantibus.

Et ſi dicam quod non norim ipſum, ero ſimilis veſtrûm mendax. Id eſt, tam mentiar negando me Deum noſſe, quam vos mentimini id de vobis affirmando.

Sed novi eum. Quaſi dicat : Sed abſit ut id de me unquam dicam. Nam novi Deum ac voluntatem ejus.

Et (ut me verum dicere appareat) *ſermonem ejus ſervo.* Nullus enim veſtrum me peccati poteſt alicujus coarguere verſ. 46. Vide 1 Joh. 2. 2. Tit. 1. 16. 2 Petr. 2. 1. Jud. verſ. 4: quibus in locis cognitio Dei negatur de illis qui præcepta Dei non ſervant. Eſt enim ea vis & efficacia cognitionis Dei, ut obedientiam mandatorum Dei inducat ; quæ ſi abſit, merito & cauſam ejus abeſſe ſtatuendum eſt : cum cauſa poſita ponatur & effectus.

Verſ. 56. *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum.* Reſpondet ad inſtantiam de Abrahamo.

Pater veſter, inquit, quia Chriſto ſecundum ſpiritum, quæ multo potior erat ratio, alius erat Pater, nempe Deus ille unus Rom. 1. 4.

Exultavit ut videret diem meum. Id eſt, cum exultatione deſideravit, per ſynecdochen partis pro toto. Solent enim homines, cum iis ſpes ſit alicujus magni boni, geſtire & exultare, & ſic cum exultatione deſiderare ut illud videant & conſequantur. Sic Pſal. CXXXIV. 3: *Concupivit & deſideravit anima mea ad atria Domini, & cor meum & caro mea exultabunt ad Deum vivum.* Abraham igitur, dicit Chriſtus, cum illi ſpes mei à Deo facta eſſet per promiſſionem divinam, (promiſſionem haud dubie deſignat de ſemine illo,

illo, in quo benedicendæ omnes gentes eſſent;) cum exultatione deſideravit ut videret diem meum, id eſt, tempus meum, quo ſcilicet re ac facto ipſo exhibendus eram: ſolet enim dies per ſynecdochen poni pro tempore Luc. xix. 42. 2 Cor. vi. 2. 1 Petr. 2. 12. Quod Abrahamo uſu venit, id ipſum & multis aliis Propheris & Regibus & juſtis evenit, eodem teſte Chriſto Matth. xiij. 17.

Et vidit. Nempe diem meum. Non quidem oculis corporis, ſed oculis animi, per ſpiritum Propheticum. Erat enim Propheta. Hinc Prophetæ Hebręis *videntes* dicti ſunt, quod longinqua & multis poſt ſeculis eventura viderent & prænunciarent. Quocirca Abrahamo vivente, ſeu Abrahami diebus, erat dies Meſſiæ, & conſequenter Meſſias ipſe. Erat, inquam, tum, immo & ante Abrahamum, & ante ſecula, dies Meſſiæ & Meſſias ipſe, quatenus erat Dei deſtinatione & conſtitutione. Nam ſi nullatenus erat, nullatenus etiam videri poterat. Non entis enim, ut ajunt, nullæ ſunt affectiones. Et hinc de Meſſia & rebus Meſſiæ ſæpe tanquam de jam præſentibus ac præteritis loquuntur Prophetæ.

Et gavisus eſt. Quaſi dicat, licet eum tantum in ſpiritu Porphetico, & tanquam olim reipſa futurum viderit. Hinc Chriſtus vult ut colligant, quid de ejus præſtantia cogitare debeant, & annon ipſe multo major ſit Abrahamo & Prophetis omnibus, & conſequenter Meſſias ipſe? Hæc verba manifeſte docent, Dominum de ſe, tanquam de Meſſià loqui. Meſſias enim erat, cujus diem Prophetæ videre ſuis oculis avebant, & per ſpiritum propheticum videbant & gaudebant 1 Petr. 1. 10, 11, 12. Quis ergo dubitet eum etiam mox, cum aſſertum hoc confirmans dicit, ſe ante Abrahamum eſſe, de ſe tanquam de Meſſia loqui.

Verſ. 57. *Dixerunt igitur Judæi ad ipſum, quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidiſti!* Cum non haberent quod reſponderent, verba Chriſti pervertuot, & id dicentem faciunt, quod ſicut per ſe abſurdum & contradictorium eſt, ſic nec a Chriſto ullatenus dictum eſt.

Quinquaginta annos, ajunt, *nondum habes.* Longe adhuc aberat Chriſtus à quadraginta annis, ſed augent annorum numerum liberaliter: nihil enim hoc erat ad annos ultra bis mille.

Et Abraham vidiſti? Qui longe ultra duo annorum millia vixit ante tuam ætatem? Vide quanta Judęorum iſtorum fuerit perverſitas in detorquendis Chriſti verbis! Rem plane contrariam ſignificavit Chriſtus, nempe diem ſuum, & conſequenter ſeipſum, Abrahami temporibus non niſi divina prædeſtinatione & conſtitutione fuiſſe. Sed quia in eo nihil abſurdi erat, ut Abraham diem alicujus tanquam Propheta videret, mutant & invertunt verba Chriſti, quaſi dixerit, quod ipſe Abrahamum viderit. Nam ſi idem erat, vidi Abraäm, & Abraäm vidit diem meum; ſeu, ſi alterum ponit alterum, & alterum ex altero conſequitur, quare mutant verba Chriſti?

Verſ. 58. *Dixit eis Jeſus; Amen, amen, dico vobis, priuſquam Abraham eſſet*, (nam γίνεσθαι, unde γενέσθαι tam ſignificat ſum, quam fio) *ego ſum. Dixit eis Jeſus*, non curans videlicet eorum manifeſtam calumniam, cujus illi ipſi non poterant ſibi non eſſe conſcii, ſed aſſertum ſuum confirmans, & ſic ſimul oſtendens aliud ſe dixiſſe, aliud Judæos dicentem ſe feciſſe, & ſe, ut ſolebant, calumniatos eſſe.

Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham eſſet ego ſum. Quaſi dicat, merito ergo dixi, quod Abraham diem meum viderit.

Ego ſum. Nempe eo modo quo Meſſias & dies Meſſiæ ante Abrahamum, immo ante mundum conditum erat: de ſe enim tanquam de Meſſia loquitur, ut verſ. 56 vidimus, proinde tanquam de homine: Meſſiæ enim ſeu Chriſti nomen, hominis eſt nomen. Nam & Judæi ipſi dicunt, legem ac Meſſiam longe ante mundum conditum fuiſſe. Quod & Salomon de ſapientia quam lex divina docet aſſerit Proverb. viij. 22, 23 & ſequentibus. Multo vero magis ſenſu myſtico id de Euangelio Meſſiæ, quod exactam continet ſapientiam, quam de lege Moſis intelligendum eſt. Erat nimirum Meſſias & ante Abrahamum, & ante mundum conditum apud Deum. Nam quæ à Deo deſtinata & conſtituta ſunt, antequam rebus & factis ipſis exhibeantur, apud Deum eſſe dicuntur. Sic Joannes de vita æterna dicit; *& vita manifeſtata eſt, quæ erat apud Patrem, & manifeſtata eſt nobis*, 1 Joh. 1. 2, ubi ait de vitæ æternæ aperta promiſſione, quæ per Chriſtum manifeſtata eſt. Manifeſtari enim ac revelari dicuntur, quæ à Deo deſtinata, vel ſaltem præviſa rebus ipſis exhibentur cap. ix. 3. Rom. viij. 18, 19. 2 Theſſ. 2. 8. 2 Tim. 1. 10. Tit. 1. 2. 1 Petr. 1. 5. Hinc & Petrus, *Chriſtum præcognitum* dicit, *ante mundi conſtitutionem: manifeſtatum autem*, id eſt, reipſa ac facto exhibitum, *ultimis temporibus propter nos*, 1 Petr. 1. 20. Ideo & verba illa; *In Principio erat ſermo*: (qui eſt Meſſias) ſi quis ad principium mundi referre omnino velit, ita poſſint intelligi; In principio mundi erat Meſſias, *& Meſſias erat apud Deum*, nempe nondum reipſa ac facto exhibebatur, ſed Deus jam apud ſe conſtituerat eum ſuo tempore exhibere, *& Deus erat Meſſias.* Eodem nimirum modo; quod & eventus docuit. Deum enim ſeu Elohim ipſum fecit Deus ille unus. *Hic erat in principio apud Deum.* Conjunctim repetit quæ disjunctim dixerat. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Quaſi dicat; adeo erat in principio rerum omnium apud Deum; ut omnia per ipſum facta ſint: nempe tanquam per cauſam finalem, quæ efficientem impellit ad agendum, & Judæi ipſi fatentur mundum conditum eſſe propter Meſſiam.

In ipſo vita erat. Quippe quæ etiam tum demum, cum Meſſias manifeſtaretur, manifeſtata eſt. Chriſtus ipſe cap. xviij. 5 rogat Patrem; *glorifica me Pater apud te ipſum ea gloria quam habui antequam mundus eſſet apud te.* Quibus verbis exhiberi ſibi rebus & factis ipſis petit eam gloriam quam habuerit apud Patrem antequam mundus eſſet, nempe quia Pater eam ſibi jam tum deſtinaverit & dare conſtituerit; ſic & ſermo factus eſt caro, cum ſcilicet manifeſtaretur, id eſt, rebus ac factis ipſis exhiberetur, cum antea apud Deum eſſet, id eſt, Dei conſtitutione ac decreto. Qui dicunt quemlibet hominem à Deo deſtinatum eſſe ante mundum conditum, tanto magis id negare non debent de Meſſia. Et iidem etiam hactenus de quolibet homine dicere queant, quod ante mundum conditus eſſet: Sed ſcriptura id tanquam rem ſingulariſ-

ſimam de Meſſia prædicat, nec ulli alii homini communem, ut merito & Abraham & alii Prophetæ diem Meſſiæ multis ſeculis ante quam reipſa exhiberetur, videre potuerint, & viderint. Quod his verbis confirmare Chriſtus voluit, qui etiam propterea non aſſerit quod Judæi objiciunt, ut ſane debebat, ſi id vere Chriſto objiciebant, ſed hoc tantum aſſerit quod neceſſarium erat ad id, ut Abraham diem ejus videret. Idem verborum Chriſti manet ſenſus, ſi quis verba Chriſti *ego ſum*, cum ſolita intelligit ellipſi, vel apoſiopeſi, id eſt, antequam Abraham eſſet, ego ſum Meſſias ille, ut ſupra verſ. 24, 28. et xiij. 19. Hoc enim ſenſu verba iſta, *ego ſum*: abſolute prolata, Chriſtus de ſe uſurpare ſolebat. Quin et pſeudo-Chriſti uſurpaturi erant Marc. xiij. 6. confer cum Matth. xxiv. 5. Nec alia potior ratio dari poteſt, cur non dixerit *ego eram*, ſed *ego ſum*, quam ut hac formula ſe Meſſiam eſſe ſignificaret. Argumentum Chriſti eſt: *Qui eſt Meſſias ille, antequam Abraham eſſet, illius diem Abraham vidit. Ego ſum Meſſias ille, antequam Abraham eſſet* (divina nimirum conſtitione) *Ergo Abraham diem meum vidit.* Majorem negare non poterant Judæi: minorem ipſe aſſerit, & divinis demonſtrabat operibus. Ita docet Chriſtus, ſe Meſſiam illum eſſe, ante ſecula à Deo præcognitum, & ſic Abrahamo multo majorem, & docet cum iterata aſſeveratione. Sic et infra cap. x. 33, cum Judæi ex verbis Chriſti ſimiliter perverſe inferrent quod ſe Deum faceret, quamvis aperte ſeſe à Deo, tanquam Filium à Patre diſtingueret, calumnia eorum prætermiſſa, id tantum confirmat & evincit quod aſſeruit, nempe ſe Dei Filium eſſe verſ. 34 & ſequentibus. Si verba Chriſti, *ego ſum*, ſic accipiantur, ut iis per ſolitam ellipſin ſeu apoſiopeſin ſignificet, ſe Meſſiam ſcilicet Chriſtum illum eſſe, valde eſt elegans, nec ullo modo ſpernenda hæc verborum Chriſti interpretatio, ut dixerit Chriſtus: *Amen, amen, dico vobis, priuſquam Abraham pater multarum gentium fiat*, (id enim vox Abraham ſignificat) *ego ſum*, Meſſias ſcilicet ille à Deo promiſſus, et á vobis exſpectatus. Quaſi dicat, verba mea pervertitis, ideo non eſt ut vobiſcum amplius argumentis et rationibus agam, hoc unum vobis pro re certiſſima & veriſſima dixiſſe ſufficiat. Nam ubi ea res evenerit, nec vos interea credatis, rejiciemini a Deo, aliis gentibus in nomen & hæreditatem filiorum Abrahami aſſumtis, ut ita, quod in nomine Abrahami prænunciatum eſt, eveniat. Ita utrumque orationis Chriſti membrum, *& priuſquam fiat*, *& ego ſum*, pendebit à verbis, *dico vobis*. Omnia in hunc ſenſum eleganter congruunt. Nam & voces Πρὶν γενέσθαι, alibi, *priuſquam fiat*, vertuntur: & ſimiliter à verbo *dico* vel *dixi* pendent, & verba *ego ſum*, iis juncta, eandem ſignificationem habent Joh. xiij. 19. xiv. 29: quo poſteriore loco, etſi non exprimuntur verba *ego ſum*, tamen intelliguntur. Nec ulla cauſa eſt, ut verba Πρὶν γενέσθαι, inter præſentis temporis verba poſita, & cum iis conſtructa, non vertantur, *priuſquam fiat*. Nam ſi cum verbo *dico* conſtruantur, ut & alibi fit, certe Chriſtus hoc non dicebat, antequam perſona Abrahami naſceretur; ſi vero verbis *ego ſum* ſimpliciter tantum exiſtentiam ſuam ante Abrahamum ſignificare volebat, nulla ratio erat ut cum verbis *priuſquam Abraham fieret, vel eſſet*, non conjungeret verbum præteriti ſimiliter temporis, et diceret *ego eram*. Et præterea ſicut ſenſus iſte Chriſto digniſſimus eſt, ſic non minus irritare potuit Judæos ut lapides arriperent, cum his verbis non tantum ſe Meſſiam illum eſſe aſſereret, quod Judæi ipſum per ſe ferre non poterant; ſed etiam Judæis, niſi id crederent, rejectionem, & gentium profanarum eorum in locum pro filiis Abrahami receptionem minaretur; quod Judæos in rabiem prorſus agebat, cujus rei illuſtre exemplum in Apoſtolo Paulo habemus Act. xxij. 21 & ſequentibus. Suntque ejuſmodi repentinæ & inſperatæ ejuſdem vocis in aliam, rei de qua agitur, accommodatiſſimam ſignificationem, uſurpationes, cumprimis ingenioſæ & memorabiles. Quarum exemplum & infra cap. ix. 41. collato cum verſ. 39 & 40 habemus in cœcorum voce. Et qui ex verbis iſtis colligunt, Chriſtum ante Abrahamum reipſa extitiſſe, dicant nobis prius, quomodo dies Chriſti temporibus Abrahami erat? Nam eam Abraham vidit. Conſtitutione divina erat, inquient, cur ergo non ſimul et Chriſtus ſeu Meſſias eodem modo & Abrahami temporibus, & longe ante Abrahami tempora eſſet? Neque enim citra diem ſeu tempus ſuum eſſe quiſquam poteſt.

Verſ. 59. *Tulerunt igitur lapides ut projicerent in ipſum.* Tulerunt, id eſt, ſuſtulerunt. Simplex pro compoſito, Hebræa phraſi. Habebant, ut apparet, lapides ad manum.

Ut jacerent in eum. Vel, quod ſe Meſſiam illum eſſe ſignificaret, & Abrahamo ac porro et omnibus aliis Prophetis anteponeret: (lex enim pſeudo-Prophetas, quanto magis pſeudo-Chriſtos lapidibus obruere jubebat: Ita non ob mendacium, ſed ob veritatem ipſam Chriſtum lapidare volebant, quia eam mendacium & blaſphemiam ducebant) vel, ſi verba Chriſti ſic interpretabantur, quaſi ſe Deum illum unum faceret; injuriam Chriſto faciebant maximam, qui Deum illum unum Patrem ſuum eſſe, & hic verſ. 54, & ubique ſemper profeſſus eſt, nec minus ab uno illo Deo, quam à Patre ſeſe diſtinxit; cujus iniquitatis exemplum quoque eſt cap. x. 33. Rem Deo illo uno dignam ſcilicet diceret, quod eſſet priuſquam Abraham fieret! Hocne etiam tanta cum aſſeveratione dicendum erat, ut fidem inveniret, eum qui Deus ille unus ſit, eſſe priuſquam Abraham eſſet aut fieret? Nonne dixiſſet: Ego ſum Deus ille unus, mundi & Abraham & rerum omnium creator, ſi verum erat? an enim protinus, quia eſſet, priuſquam Abraham eſſet, unus ille Deus eſſet? Immane quantum hæc adhuc interſe diſtant! Si vero id tantum intellexerunt, quaſi aliquid de ſe diceret, quod in hominem nullo modo poſſet cadere, (quale ipſorum opinione & illud erat, quod viſuri eſſent Filium hominis ſedentem à dextris majeſtatis, & venientem in nubibus cæli Matth. xxvj.) blaſphemiam itidem ducebant, quod erat ipſa divina veritas. In hominem quidem cadere non poteſt, ut ſit unus ille Deus, aut ut reipſa ſit antequam reipſa ſit; at ut longe ante ſit Dei conſtitutione, quam in effectu ac repræſentatione, aut, ut à Deo ad dextram ejus exaltetur, & veniat in nubibus cæli; id vero in hominem cadit, & in homine Meſſia evenit.

Jeſus

Jeſus autem abſconditus eſt. Nempe ab eorum oculis, divina virtute, quæ oculos eorum retinuit ne illum viderent, quod & Sodomitis illis olim evenerat, ne viderent oſtium in Lothi domo Gen. xix. 11. Sic & vis ignis in Babylone cohibita fuit, ne tres illos juvenes adureret Dan. iij. 25, & ſimilia.

Et exivit ex templo. Quo veluti incluſus erat.

Tranſiens per medium eorum. Quamvis non tantum templo incluſus, ſed etiam ab illis undique cinctus ac ſeptus eſſet, tranſivit per medium eorum: nec enim opus erat ut templi parietes moliretur, aut per ſublime evaderet oculis eorum detentis.

Et tranſiit ſic. Fruſtratis adverſariorum conatibus.

CAPUT IX.

Verſ. 1. E*T tranſiens.* Id eſt, in illo tranſitu & evaſione ex manibus adverſariorum.

Vidit hominem cœcum ex nativitate. Non vulgariter cœcum, ſed cœcum natum. Aſſidebat templo ut aliquid emendicaret, ut dicitur verſ. 8. Hoſtium manus evadens Chriſtus, adeo protinus ingenti miraculo oſtendit eum ſe eſſe quem dixerat, id eſt, Meſſiam illum, cujus inter alia proprium erat, ſecundum Prophetarum vaticinia, cœcorum oculos aperire.

Verſ. 2. *Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus, dicentes; Magiſter, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cœcus naſceretur?* Exiſtimarunt cœcitatem fuiſſe peccati pœnam. Solent plerumque homines ad pœnam Dei referre ſi quid adverſi alicui accidat. Parentum peccatum cœcitatis iſtius cauſam putant, tum quod cœcitas hæc ad calamitatem parentum pertinuerit, tum quod cœcus ante nativitatem ſuam non fuerit: quaſi dicant, atqui non peccavit iſte; natus enim eſt cœcus? ergo parentes peccarunt, & filii ſui cœcitate puniti ſunt. Exemplum hoc docet, male vulgo fieri ut protinus improbitatis damnentur qui in calamitatem aliquam incidunt. Sic perverſe de Jobo judicabant amici ejus, confer Act. xxviij. 4. Sic et Chriſtus ipſe pro malefico habitus eſt, quia tanquam maleficus patiebatur. Docet item eam eſſe Deo poteſtatem in homines, ut etiam innocentiſſimis calamitates queat immittere, ſeu quibus velit bona tribuere, quibus velit negare. Non enim eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei Rom. ix. 26.

Verſ. 3. *Reſpondit Jeſus, neque hic peccavit.* Quaſi dicat, peccare enim non potuit nondum natus. Peccatum, ut apparet, originale quod ajunt, Chriſto non erat notum.

Neque parentes ejus. Intellige, peccarunt, ut ſcilicet cœcus iſte naſceretur, id eſt, non factum eſt hoc peccato parentum, (nam alioquin parentes ejus haud dubie ſæpe peccarunt) nec peccato ipſius cœci nati.

Sed. Intellige, evenit hoc, naturæ videlicet defectu, & Dei permiſſu vel conſilio etiam.

Ut manifeſtentur opera Dei in illo. Opera Dei, de quibus mox verſu ſequenti, id eſt, ut opera, quæ Deus per Meſſiam ſuum fieri deſtinavit, rebus ipſis in illo exhibeantur. Opera, id eſt, miracula ſua, Dei vocat opera, quod ea faceret non ſua virtute ſed virtute à Deo accepta cap. v. 19. Pluralem autem numerum ponit pro ſingulari.

Opera Dei. Id eſt, unum ex operibus Dei: unum enim tantum Dei opus in iſto homine manifeſtatum eſt. Nam dicere, ut manifeſtetur in illo, quam Deus in operibus ſuis, id eſt, in dandis vel negandis beneficiis ſit liber, & remotius eſt, & per ſe hinc non apparet, cum ad naturæ defectum referri poſſit: & iſto ſenſu non opus aliquod Dei manifeſtatur hac cœcitate, ſed tantum Dei libertas in dandis vel negandis citra cujuſquam meritum beneficiis.

Verſ. 4. *Me oportet operari opera ejus qui miſit me.* En opera illa Dei de quibus dixit verſ. 3: quaſi dicat, non mea opera, tanti enim non ſum ut ea meis viribus faciam, ſed ejus opera qui me miſit, ut me non à me ipſo veniſſe, nec ſeductorem agere, ſed a Deo miſſum eſſe appareat, cujus rei in hoc cœco nato egregia mihi præbita eſt materia.

Donec dies eſt. Similitudinem ſumit ab hominibus qui operantur donec dies eſt.

Venit nox, quando nemo poteſt operari. Niſi forte ad lucernam, neque tamen tam commode, & lucerna tunc pro die eſt. Significat Chriſtus, facienda ſibi miracula eſſe, quamdiu tempus ei rei ſit idoneum. Non enim ſemper fore idoneum, nempe perpeſſionis ſuæ tempore, quo Dei formam depoſiturus, & formam ſervi ſumturus erat Philip. 2. 7.

Verſ. 5. *Quamdiu in mundo ſum.* Id eſt, apud & inter homines palam & publice verſor. Significat, non ſemper ſe in mundo fore, immo brevi non fore.

Lux ſum mundi. Id eſt, hoc meum eſt officium ut per me ipſum oculos hominum, ſive mentis, ſive corporis, illuminem. Nam & illuminatio oculorum corporis eo faciebat ut oculi animorum illuminarentur.

Verſ. 6. *Hæc cum dixiſſet, exſpuit in terram & fecit lutum ex ſputo, & illevit lutum illud ſuper oculos cœci.* Poterat Chriſtus ſolo contactu vel juſſu ſanare cœcitatem, ſed operationem hanc adhibuit, tum ut experimentum caperet fidei iſtius cœci, tum ut tanto magis in apertum produceret Phariſæorum improbitatem, qui Chriſtum criminaturi erant quod ſabbatum violaſſet. Deus enim juſto ſuo judicio improbis majores ſubinde occaſiones exercendæ improbitatis merito ſuggerit, ut indurentur, & menſuram ſuæ malitiæ impleant. Quia araneis in eo ſunt ſimiles, ut ex qualibet, etiam innoxia re venenum exſugant, ſuppeditat eis talia ultro, ex quibus quam plurimum veneni colligere poſſint.

Super oculos cœci. Id eſt, cœci nati verſ. 1: ſuper oculos, in quibus erat totalis, ut ajunt, privatio viſus; proinde per συνεκδοχὴν oculos dictos.

Verſ. 7. *Et dixit ei, vade, lava in piſcina.* Εἰς κολυμβήθραν, εἰς pro ἐν, *Siloam.* Etiam cœco imperat ut operetur. Ipſe ſputo indidit ſanandi virtutem ex quo lutum fecit, ut magis adhæreret oculis cœci. Sic ad contactum veſtis Chriſti Matth. ix. 20, egreſſa eſt virtus ex corpore ejus, quæ mulierem illam fluxu ſanguinis laborantem protinus ſanavit. Sic ſufflans in Apoſtolos Spiritum iis Sanctum communicavit Johan. xx. 22. Quia vero lutum tandem erat abluendum

dum ab oculis; in piſcina Siloam, alioquin & ipſa certis temporibus ſanante, id facere juſſus eſt, credo, ne Phariſæorum improbitati deeſſet occaſio ſanationem à Chriſti virtute in piſcinam Siloam derivandi.

Quod exponitur miſſus. Quia Deus ſcaturiginem illius piſcinæ ex viſceribus terræ emiſerat, tanquam ſingulare munus, lectoris cauſa addidit interpretationem Hebrææ vocis Siloam. De hac piſcina vide cap. v. 2, quæ iſtic ab adſtructis porticibus & divina beneficentia appellatur Bethesda, domus beneficentiæ. De hac piſcina ad radices montis Sion perennibus aquis fluente, vide Eſa. viij. 6.

Abivit igitur: & lavit, & venit. Id eſt, rediit. Simplex pro compoſito, Hebræo more:

Videns. Credidit Chriſto, & credens obedivit, & fidei ac obedientiæ ſuæ fructum tulit: nam & Chriſtus haud dubie experimentum capere voluit, an ſibi homo iſte crederet, & dicto obediens futurus eſſet. Utrumque enim erat neceſſarium, credere ut obediret, & obedire ut ex cœco videns fieret. Expreſſum ſpecimen habemus, ut credamus & obediamus Chriſto, ſi velimus vitam æternam adipiſci. Nihil enim derogat gratiæ divinæ, ſicut fides, ſic & obedientia, quæ in ſpirituali ablutione conſiſtit. Valde enim exigua res eſt, credere & obedire, id eſt, vitia abluere, reſpectu immenſi illius, quod nobis propoſitum eſt, præmii. Sicut & hic exiguum quiddam erat, ut cœcus iſte crederet, & iret ad piſcinam Siloam, & lutum ablueret, reſpectu viſus, quem per hoc acquireret. Simile exemplum habemus in Naämane Syro, qui, ut mundaretur à lepra, ad Jordanem proficiſci, & in illo corpus abluere ab Eliſæo juſſus eſt, non quod in Jordane ulla ſanandi vis eſſet, ſed ad explorandam Naämanis fidem & obedientiam, quam Deus ſanitatis dono proſecutus eſt. Hic acceſſit Chriſti ſputum, & ex ſputo lutum oculis illitum cœci, ut eum Chriſti virtute ſanatum fuiſſe appareret; non ut Naäman ſanatus erat ſola Eliſæi fide.

Verſ. 8. *Vicini igitur, & qui videbant eum prius quod cæcus eſſet.* Quaſi dicat, quamvis vicini non eſſent.

Dicebant, non, pro nonne, *hic eſt qui ſedebat & mendicabat?* Ut ſolent qui pauperes ſunt, & labore victum parere non poſſunt, præſertim cœci. Iſti admirabundi dubitant.

Verſ. 9. *Alii.* Nempe ex vicinis, & qui eum prius cœcum videbant, *dicebant, quod hic ſit.* Iſti non dubitant quod hic ſit;

Alii, quod ſimilis ei ſit. Iſti non putant illum eſſe, ſed illi ſimilem.

Ille dicebat, quod ego ſum. Nempe cœcus ille. Nemo poterat hic certior eſſe teſtis quam ille ipſe. Et ideo ſua confeſſione omnibus exemit dubitationem.

Verſ. 10. *Dicebant igitur ei.* Nempe omnes, quandoquidem amplius dubitare nemo poterat, quod ipſe cœcus ille eſſet.

Quomodo aperti ſunt tui oculi? Expone nobis tantum & tam incredibile miraculum.

Verſ. 11. *Reſpondit ille & dixit; homo qui dicitur Jeſus.* Cognovit hæc omnia non ex viſu quo carebat, ſed ex auditu & tactu, nec Jeſum ex tanto miraculo Deum illum unum eſſe putat, ſed hominem agnoſcit Deo chariſſimum.

Lutum fecit. Nempe ex ſputo ſuo in terram demiſſo, & hoc factum eſſe audivit.

Et inunxit meos oculos. Hoc tactu percepit;

Et dixit mihi, abi in piſcinam Siloam. Id eſt, ad piſcinam. Sic *venire in mundum,* eſt venire ad mundum, id eſt, ad homines.

Et lava. Ut lutum abluas.

Verſ. 12. *Poſtquam vero abivi & lavi, viſum recepi.* Ἀνέβλεψα, non quod unquam antea viderit, ſed quod ex privatione totali pervenerit ad habitum.

Dixerunt igitur ei, ubi eſt ille? Jeſum ſimul ad manus habere volunt.

Dicit, neſcio. Dum enim ille ad piſcinam it, Jeſus interea alio divertit.

Verſ. 13. *Ducunt eum ad Phariſæos, qui quondam erat cæcus.* Ut ſcilicet hac de re cognoſcerent. Sed ab iſtis judicibus quid æqui ſperandum erat, qui modo Chriſtum lapidibus volebant obruere.

Verſ. 14. *Erat autem ſabbatum, quando lutum fecit Jeſus, & aperuit ejus oculos.* Hæc erat cauſa ducendi cœcum ad Phariſæos: quorum improbitatem ut in apertum produceret Chriſtus, hanc luti factionem & oculorum inunctionem de induſtria in ſabbato adhibuit, & ipſum cœcum ad piſcinam ire, & lutum abluere juſſit.

Verſ. 15. *Rurſus igitur interrogabant eum & Phariſæi.* Nam prius interrogaverant qui eum ad Phariſæos adduxerant.

Quomodo viſum receperit? Ἀνέβλεψεν, vide verſ. 12.

Ille vero dixit eis, lutum impoſuit ſuper oculos meos, & lavi & video. Breviter & rotunde rem refert, jam ante coram aliis expoſitam

Verſ. 16. *Dicebant igitur ex Phariſæis aliqui.* Extremæ videlicet & inſanabilis malitiæ, non omnes.

Hic homo non eſt à Deo, quia ſabbatum non ſervat. Id eſt, quia & nunc in ſabbato lutum ex ſputo fecit, hoc ſputo oculos cœci inunxit & aperuit, & cœco ipſi operari imperavit: quaſi dicant, ut detur eum facere miracula, quia tamen legem violat, pſeudo-Propheta eſt. Si ſolo contactu & juſſu in ſabbato Chriſtus ſanaret, ſabbatum ipſorum judicio violabat, quanto magis ſi accederet ulla vel minima operatio, aut lecti illa ad Dei gloriam portatio cap. v. 8. At Chriſtum eodem illo ſabbato lapidare cap. viij. 59 ſabbatum illis violare non erat. Vide hominum extremam perverſitatem & nefandam hypocriſin.

Alii dixerunt. Non tam improbi videlicet, & prioribus ſaniores aut ſanabiliores. Inter malos ſemper ſunt aliqui minus mali, qui tamen ferme aperte deteriori & majori vincuntur, ut & hic factum.

Quomodo poteſt homo peccator. Id eſt, ſeductor, pſeudo-Propheta, pſeudo-Chriſtus, ſabbati violator, per ſynecdochen generis,

Talia ſigna facere? Quaſi dicant, quæ non niſi divina virtute poſſunt fieri, ſeu, ut Nicodemus dixit, quæ nemo poteſt facere niſi Deus ſit cum ipſo. An ergo Deus cum peccatore, cum ſeductore erit,

& per

& per eum alia ſigna faciet? Deus ergo ipſe homines ſeducet? Atqui Deo cum peccatoribus, & maxime ſeductoribus, nulla communitas eſt.

Et ſciſſio erat in eis. Id eſt, inter eos: quaſi dicat, & ſic ſciſſio erat inter eos, aliis damnantibus Chriſtum, aliis abſolventibus.

Verſ. 17. *Dicunt cœco iterum.* Cum inter ſe convenire non poſſent iterum ad cœcum recurrunt, & interrogant. *Cœco.* Id eſt, ei qui fuit cœcus. Sic Simon dicitur leproſus, quia olim fuerat Matth. xxvj. 6.

Tu, quid dicis de ipſo? Tuum judicium ac ſententiam audire volumus de iſto homine.

Quia aperuit tuos oculos. Quaſi dicant, quia tua res acta eſt; tui, non alterius oculi ab ipſo ſunt aperti: tu forte igitur tanto certius de eo judicare potes. Docti coguntur ad idiotas recurrere. Putabant, credo, aliquid eum adverſus Chriſtum dicturum.

Ille vero dixit, quod Propheta eſt. Id eſt, homo à Deo miſſus, & verba Dei loquens. Sine tergiverſatione dicit quod verum putabat. Mollius hoc erat in Phariſæorum auribus, quam ſi Meſſiam eum dixiſſet: ideo hominem nondum objurgant. Quo igitur ſe vertant?

Verſ. 18. *Non crediderunt igitur Judæi de ipſo, quod cœcus erat, & viſum receperit, donec vocarent parentes ejus qui viſum receperat.* Non habent ullum aliud effugium, quam ut non credant hominem hunc cœcum fuiſſe natum, & viſum recuperaſſe. Sed quanto magis veritati repugnant & inquirunt, tanto magis convincuntur, & veritas pateſcit. Pertinacium mos eſt, omnia etiam apertiſſima in dubium vocare, & in ſcirpo nodum, ut ajunt, quærere.

Verſ. 19. *Et interrogaverunt eos, dicentes; hic eſt,* pro hiccine eſt, *filius veſter, quem vos dicitis quod cœcus natus ſit? quomodo igitur nunc videt?* Tria ſunt de quibus interrogant. I. An eum pro filio ſuo agnoſcant. II. An verum ſit quod cœcus natus ſit. III. Quî factum quod viſum receperit? Parentes ad duas priores quæſtiones affirmate reſpondent ſimpliciter, neque in gratiam Phariſæorum contra conſcientiam loqui volunt, quamvis probe intelligerent quid illi ſibi reſponderi vellent. Ad tertiam reſpondent in ſequentibus.

Verſ. 20. *Reſponderunt ipſis parentes ejus & dixerunt, ſcimus quod hic ſit filius noſter, & quod cœcus natus ſit.*

Verſ. 21. *Quomodo autem nunc videat neſcimus, aut quis aperuerit ejus oculos nos neſcimus; ipſe ætatem habet.* Puer non eſt, ſed vir ætate maturus.

Ipſum interrogate, ipſe de ſe loquetur. Quaſi dicant, quidquid hac de re ſcimus ab ipſo ſcimus, ex nobis neſcimus, ſuperiora ex nobis ſcimus. Sic reſpondent parentes: rem hanc ad filium rejiciunt, qui etiam ſolus rem certo ſcire poterat, parentes fide tantum ſciebant. Cauſam tam circumſpecti reſponſi addit Joannes:

Verſ. 22. *Hæc dixerunt parentes ejus, quia metuebant Judæos.* Quaſi dicat, quamvis narrationi filii plane crederent.

Judæos. Id eſt, Judæorum ſeniores, per antonomaſiam, ut & mox.

Jam enim conſtituerant Judæi. Id eſt, Judæorum Seniores, ſacerdotes nimirum, Scribæ, Phariſæi.

Ut ſi quis eum confiteatur Chriſtum. Non ſimpliciter Prophetam: hoc enim populus credebat, hoc & cœcus iſte profeſſus eſt verſ. 17: neque ipſi tot ſignis ac miraculis tam aperte contraire audebant: ſed ſi quis eum Chriſtum eſſe confiteatur. Conditionem Jeſu vilem et pauperem ſecundum carnem allegare poterant, & totius gentis à Romanis periculum. Interim tamen, ſi Jeſus non erat Chriſtus, ne Propheta quidem erat. Chriſtum enim & Dei Filium ſe eſſe dicebat.

Ex Synagoga ejiciatur. Id eſt, Judæorum omni communione & ſacra & profana privetur. Odio ſuo privato & invidiæ adverſus Chriſtum prætexebant ſalutem publicam.

Verſ. 23. *Propter hoc parentes ejus dixerunt, quod ætatem habeat, ipſum interrogate.* Cauſam hanc omnem à ſe rejiciunt ad filium, annis jam maturum, ne ſe Judæorum furori & conſtitutioni ſine neceſſitate objiciant.

Verſ. 24. *Vocaverunt igitur iterato hominem qui erat cœcus.* Apparet cum examinarentur parentes, cœcum ſecedere juſſum, viſuri an ſeorſim interrogati inter ſe convenirent.

Et dixerunt ei. Ubi ſcilicet viderunt omnia convenire. *Da gloriam Deo.* Id eſt, fatere verum. Obſtringunt hominem, ut verum fateatur, & veri confeſſione Deum gloria afficiat, tanquam omnium quæ fiunt conſcium, & mendacii vindicem, etiam cum vitæ ſuæ periculo, ſeu etiam ſi ageretur de vita. Vide eandem phraſin hoc ipſo ſenſu Joſuæ vij. 19.

Nos ſcimus quod homo iſte peccator ſit. Id eſt, ſeductor & ſabbati violator. *Nos,* inquiunt, ut eum ſua auctoritate permoveant: quaſi dicant, propterea fieri non poteſt ut is oculos tuos aperuerit, vel ſi aperuit, ut id divina virtute fecerit.

Verſ. 25. *Reſpondit igitur ille & dixit; ſi peccator eſt, neſcio.* Quaſi dicat, ego me vobis non æquo, malo hic ignorantiam fateri; homo ſum ſimplex & idiota, vobis viris tam doctis & literatis nullo modo comparandus. Vos ſcitis illum peccatorem eſſe, ego an peccator ſit, neſcio. Nolo vobis contradicere, ſed nec affirmare quod neſcio. Atqui evincit infra argumento ſolidiſſimo, eum peccatorem haud eſſe verſ. 31. Nimirum quia hic adhuc Phariſæorum invidiam declinans minus dicit quam verum eſſe credebat. Licet enim non ſemper omnem veritatem dicere.

Unum ſcio, quod cum cœcus eſſem nunc video. Ne putarent hic eſſe aliquas præſtigias aut faſcinum. Hinc autem quid concludendum ſit ipſis relinquit.

Verſ. 26. *Dixerunt autem ei rurſus; quid fecit tibi? quomodo aperuit tuos oculos?* Non contenti ſuperioribus, iterum de modo quærunt, ſi forte aliquid quod Chriſto detrahatur inveniant.

Verſ. 27. *Reſpondit eis; dixi vobis jam, & non audiviſtis?* Sumit animum adverſus Seniores & doctos, tam evidentis veritatis fiducia: quaſi dicat, ita vos geritis tanquam ſi non audiviſſetis.

Quid rurſum vultis audire? Id eſt, quam cauſam habetis ut rurſum audire velitis? nihil novi dicam.

Num & vos. Quaſi dicat, ſicut multi ex populo, & ego ipſe.

Vultis ejus diſcipuli fieri? Quaſi dicat, nam ego

nullam aliam iterum interrogandi me cauſam video.

Verſ. 28. *Conviciis igitur affecerunt eum, & dixerunt; tu eſto diſcipulus illius.* Per conceſſionem ironicam: quaſi dicat, tu homo viliſſime & inſulſiſſime, talibus enim diſcipulis magiſter iſte dignus eſt. Quia illos cœcus iſte coarguerat, ideo conviciantur.

Nos autem Moſis ſumus diſcipuli. Opponunt Jeſu Moſen, ne videantur ſine ratione loqui, & ut hominem iſtum perterrefaciant, quaſi à Moſe defecturum ſi Jeſu fiat diſcipulus.

Verſ. 29. *Nos ſcimus quod Moſi locutus ſit Deus.* Cauſam addunt facti ſui. Locutus eſt in monte Sinai & alibi.

Hunc autem neſcimus unde eſt. Quaſi dicant, at ſi à Deo eſſet ſciremus id non minus quam ſcimus Moſen à Deo fuiſſe. Signum nimirum quærebant ex cælo. Iterum ſe tanquam ſcientes cœco, tanquam rudi & ignaro opponunt.

Verſ. 30. *Reſpondit ille homo & dixit eis, in hoc enim mirum eſt.* Id eſt, res omnino mira in hoc eſt.

Quod vos. Quaſi dicat, viri tam ſapientes,

Neſcitis unde eſt. Id eſt, quod à Deo ſit.

Et aperuit meos oculos? Quaſi dicat, meos, qui cœcus natus ſum? An hinc cognoſcere & ſcire non poteſtis quod à Deo ſit? Veritas homini ſuggerebat & animum & argumenta, quantoque diutius cum iis colloqueretur, tanto magis animum ſumebat. Neque enim adverſarii veritatis tam ſunt terribiles in congreſſu, quam primo adſpectu. Particula *enim* aliquid eum intellexiſſe docet: quaſi dicat, neſcio quid de vobis ſentire ac ſtatuere debeam?

Verſ. 31. *Scimus autem.* Pertexit ſuam argumentationem, & eorum quam jactabant ſcientiæ, aliam multo veriorem, & omnibus communem, opponit ſcientiam.

Quod peccatores. Id eſt, ſeductores, præceptorum Dei violatores, qualem hunc eſſe dicitis.

Deus non audit. Ut ſcilicet miraculum aliquod per eos, aut in eorum gratiam quicquam faciat. Audit, pro exaudit, vel etiam ne audit quidem, quos enim audit, hos etiam exaudire ſolet 1 Joan. v. 14, 15. *Sed ſi quis Dei timens eſt, & voluntatem ejus facit, hunc audit.* Proinde ſi quem audit, ita ſcilicet ut miraculum per eum faciat, hunc Dei timentem eſſe, & voluntatem ejus facere neceſſario ſequitur. Hauſit hoc dictum ex auditu verbi Dei, cum legeretur ſacra Scriptura, & ex ipſa ratione. Vide Pſal. xxxiv. 16. lxvj. 18. cxlv. 19, 20. Eſa. 1. 15. Sic Caïni oblationem non reſpexit Deus; at Abelis reſpexit. Exiſtimavit Chriſtum precibus id obtinuiſſe à Deo ut oculos ejus aperiret. Sed hoc ad argumentum ejus perinde eſt, ſive Deus ad preces Jeſu oculos ejus aperuerit, ſive Jeſu virtutem eos aperiendi dederit. Nam utrumque divini erga Jeſum amoris eſt argumentum. Cæterum tantum abeſt, ut ex tanto miraculo colligat Jeſum eſſe unum illum Deum, ut hinc colligat Jeſum eſſe Dei cultorem ac timentem.

Verſ. 32. *A ſeculo non auditum eſt.* Id eſt, ex quo ſeculum ſeu mundus cœpit,

Quod aperuerit aliquis oculos cœci nati. Exaggerat rem: quaſi dicat, ſi alia aliqua miracula Deus per Jeſum faceret, quæ & per alios fecit Prophetas, tamen credendum erat quod à Deo eſſet, quanto magis id credendum eſt ob tantum, nec unquam à mundo condito auditum miraculum?

Verſ. 33. *Si non eſſet hic à Deo,* concludit ſuum argumentum, *non poſſet facere quicquam.* Nempe eorum quæ ſolus Deus poteſt facere, nedum tantum miraculum, quod citra omnem dubitationem ſolius eſt creatoris, & ejus qui ab ipſo facultatem ejus faciendi acceperit. Merito igitur dixi verſ. 30, majus prope miraculum in eo eſſe quod vos, vos inquam, neſciatis unde ſit Jeſus, cum aperuerit meos cœci nati oculos, quam in hac ipſa meorum oculorum apertione. Tacite illos, vel tam ſanctos, (ut videri volebant) maximi mendacii, vel tam ſapientes, incredibilis arguit ſtultitiæ.

Verſ. 34. *Reſponderunt & dixerunt ei; in peccatis tu natus es totus, & tu doces nos? & ejecerunt eum foras.* Nimirum ad furias properant qui ratione carent.

In peccatis tu natus es totus. Id eſt, tu ab ipſa nativitate totus peccatis oppletus es, immo etiam cum naſcereris, & antequam natus eſſes adhuc in utero matris hærens: quaſi dicant, quod ex hac ipſa tua cœcitate manifeſtum eſt. Hyperbolica locutio, qualis & illa Pſal. lviij. 4: *Defecerunt impii ſtatim à nativitate, ab utero errarunt*: quali utitur & David de ſe Pſal. lj. verſ. 7, unde probare conantur peccatum originale, ſed iſti Phariſæi haud credebant ſe in peccatis fuiſſe natos, nedum totos, opponunt enim ſeſe iſti homini, *tu*, non *nos*. Et David alibi de ſe canit: *In te confido à nativitate mea; ex utero matris meæ tu es Deus meus.* Et alibi: *ab utero matris meæ ſperavi in te* Pſal. xxij. 11. lxxj. 6, quæ etiam foret originalis juſtitia.

Et tu doces nos? Tu homo indigniſſime & inſulſiſſime doces nos, nos ſanctos, totos in virtutibus natos, nos magiſtros & doctores? Singulis verbis ineſt emphaſis.

Et ejecerunt eum foras. Nempe ex congregatione illa ſua & domo in qua congregati fuerant. Non tantum eum videbant animo & affectu totum in ſervatorem ſuum propendere, ſed etiam ſe ab homine, ut putabant, viliſſimo argui & doceri, ferre non poterant. Nimirum eadem ſemper agitur tragœdia, perſonis tantum mutatis.

Verſ. 35. *Audivit Jeſus quod ejecerint eum foras, & cum inveniſſet eum, dixit ei; tu credis in Filium Dei?* Patiebatur pro Chriſto, & ejectus erat propter Chriſtum; ideo quærit eum Chriſtus & invenit, ut eum ſuſcipiat.

In Filium Dei? Id eſt, in eum, quem Deus pro Filio ſingulariſſimo & Chriſto illo ſuo elegit et ſuſcepit, ſibique ſimilem fecit, qui oculos tuos aperuit, & tot divinis operibus Dei majeſtatem refert ac repræſentat. Quærit an credat, antequam eum ad ſe recipiat.

Verſ. 36. *Reſpondit ille & dixit; quis eſt Domine, ut credam in eum?* Nondum enim eum viderat, ideo eum monſtrari ſibi petit, ut in eum credat: quaſi dicat, paratus omnino ſum in eum credere, quamprimum ſcivero quis ſit, id eſt, quamprimum mihi monſtratus fuerit: nam nondum eum viderunt oculi iſti mei quos mihi cœco nato aperuit. Jam pro illo patior indigna. Hoc tantum reſtat ut eum videam & cognoſcam, & ei me totum lubens applicem.

Verſ. 37.

Verſ. 37. *Dixit autem ei Jeſus, & vidiſti eum.* Id eſt, vides; Hebræa phraſi præteriti pro præſenti.

Et qui loquitur tecum, ille eſt. Magis ſpecifice. Se nimirum Dei Filium eſſe, & oculos ejus aperuiſſe oſtendit. Modeſtiſſime Chriſtus, ut ſolet, in tertia de ſe perſona loquitur.

Verſ. 38. *Is autem dixit: credo Domine.* Quaſi dicat, quan doquidem tu es Domine, qui meos oculos aperuiſti, credo te Dei Filium eſſe, & conſequenter in te tanquam in Dei Filium credo: cum facile videam in Dei Filium credere, eſſe in Deum ipſum credere. Neque enim Filius à Patre ſeparari poteſt.

Et adoravit eum. Ore fidem profeſſus, etiam adoratione teſtatur. Conjuncta hæc ſunt, credere in aliquem ut Dei Filium ſingulariſſimum, & eum adorare & invocare.

Verſ. 39. *Et dixit Jeſus.* Nempe ex occaſione iſtius cœci.

In judicium. Id eſt, ad judicii, nempe Dei, executionem, per metonymiam cauſæ pro effectu. Judicium intelligit de probis per Euangelium illuminandis, & improbis excœcandis.

Ego in mundum hunc. Nempe ex ſuperno illo mundo miſſus à Patre.

Veni ut qui non videant. Qualis erat iſte cœcus & alii homines ſimplices, indocti, idiotæ, cœcis ſimiles.

Videant. Et ſecundum corpus, ſi iidem & ſecundum corpus cœci ſint, & ſecundum animum, id eſt, ut videant & agnoſcant me Dei Filium eſſe.

Et qui vident. Id eſt, qui docti ſunt & alioquin ſapientes.

Cœci fiant. Id eſt, non videant quod ſimplices & indocti vident, non mea culpa, ſed ambitione & vitiis ſuis impediti, quod illis ſermo meus & totius vitæ meæ ſtatus plane ſit contrarius. Judicium continet duas partes, & beneficium & pœnam, ut ſcilicet bene fiat bonis, & male fiat malis. Fiebant illi cœci per ea omnia quibus in Chriſto, immerito ſcandaizabantur. Ideo ipſe dixit, *Beatus qui non ſcandalizatur in me* Matth. xj. 6. Offendebant eos ſauctiſſima Chriſti præcepta.. Offendebat multo divinior quam ipſoram erat doctrina, offendebat hnmilis Chriſti ſecundum carnem vitæ conditio, offendebantur ipſis miraculis, quibus maxime debebant ad fidem adduci. Hæc enim maximam invidiam ambitioſis movebant, quantoque majora erant, tanto magis inſanos eos reddebant. Aliquando etiam tales ſermones uſurpabat Chriſtus, per quos ſuo vitio, ſua culpa ſcandalizabantur, ut ſupra cap. vj de pane qui de cælo deſcendit, de carne & ſanguine. Non ſolus igitur eventus his verbis, *ut cœci fiant*, ſignificatur, ſed & cauſa finalis: quaſi dicat, hunc in finem veni ut cœci fiant, ſuo nimirum merito ac culpa. Hinc apud Eſaiam ſenſu myſtico jubetur Chriſtus excœcare cor populi iſtius cap. vj. 10. Supra dixit Chriſtus ſe miſſum non eſſe ut judicet mundum cap. iij. 17, ſe neminem judicare cap. viij. 15, nimirum quia ibi de ſententiæ damnatoriæ pronunciatione & executione loquitur, hic de converſatione, qua fiat ut probi illuminentur, improbi excœcentur.

Verſ. 40. *Et audiverunt ex Phariſæis hæc qui erant cum ipſo.* Solebant Phariſæi Chriſtum ſectari, ut aliquid exciperent quod calumniarentur.

Et dixerunt ei; num & nos cœci ſumus? Senſerunt ſe tangi: quaſi dicant, num & nos Phariſæi cœci ſumus, nec videmus ea quæ videnda ſunt, quæque Deus à nobis cognoſci vult?

Verſ. 41. *Dixit eis Jeſus; ſi cœci eſſetis non haberetis peccatum.* Declinat Chriſtus invidiam deflexione vocis in alium ſenſum, ſicut cap. viij. 58, vocis Abraham.

Si cœci eſſetis. Id eſt, ſi videre non poſſetis, me ſcilicet eſſe Dei Filium, & à Deo miſſum.

Non haberetis peccatum. Id eſt, non eſſetis rei peccati, quod me pro Dei Filio non agnoſceretis, ſicut cœcus non peccat, quod non videat. *Nunc vero dicitis, quod videatis.* Nempe me peccatorem eſſe, nec à Deo miſſum eſſe, multo minus Dei Filium eſſe, dicitis quod Deum cognoſcatis.

Peccatum igitur veſtrum manet. Id eſt, non tantum peccatum habetis, ſeu rei peccati eſtis, ejuſque maximi, cum nullam ignorantiam poſſitis prætexere; ſed etiam nulla pœnitentiæ & emendationis veſtræ ſpes eſt. Non tollitur peccatum veſtrum, proinde nec pœna graviſſima. Notent hoc omnes, qui cum ſint docti, & doctos ac rerum divinarum ſcientes ſe putent, veritati divinæ reſiſtunt, eam vocantes mendacium. Quorum multo deterior eſt conditio, quam ſi nullam ejus cognoſcendæ facultatem habuiſſent. Nimirum præconcepta de ſe opinio illis obſtat ad cognitionem veritatis. Multi enim ſciviſſent niſi jam ſe ſcire putaſſent.

CAPUT X.

Verſ. 1. A*Men, amen, dico vobis.* Pergit in cœpto ad Phariſæos ſermone, & docet quis ſit fur & latro, id eſt, ſeductor, pſeudo-Prophetes, & pſeudo Chriſtos, ut hinc diſcant eum ſe non eſſe. Adhibet autem ſolitam ſibi aſſeverationem.

Qui non ingreditur per oſtium in caulam, id eſt, in ſtabulum ſubdiale, *ovium.* Id eſt, qui non venit legitimo modo, per vocationem nimirum & miſſionem à Deo ad populum, Prophetam vel Chriſtum ſe ferens.

Sed aſcendit aliunde. Nimirum per ſepta ovium, per quæ aſcendere non habet opus qui ingreditur per oſtium, id eſt, venit non vocatus, nec miſſus à Deo, ſed ſe ipſum pro Propheta vel Chriſto ingerens, & vim ac potentiam carnalem adhibens, eaque fretus.

Ille fur eſt & latro. Id eſt, ille venit ut furetur & occidat oves verſ. 10. Ille ſeductor eſt, pſeudo-Propheta & pſeudo-Chriſtus, non ſpectans nec curans bonum ac ſalutem populi, ſed ſua commoda.

Verſ. 2. *Qui autem ingreditur per oſtium.* Id eſt, modo legitimo, vocatus nimirum à Deo ad Prophetæ vel Chriſti officium, & divina virtute ac operibus inſtructus, quibus fidem faciat ſe à Deo miſſum eſſe, nullam vim carnalem adhibens, nec ea fretus vel præditus.

Paſtor eſt ovium. Id eſt, verum Prophetam, verum Chriſtum agit ſi Chriſtum ſe ferat. Non ſua commoda, ſed populi ſalutem quærit & curat.

Verſ. 3. *Huic.* De Chriſto loquitur in ſpecie,

Janitor. Id eſt, Lex & Prophetæ, janitor enim paſtore minor eſt. *Aperit.* Dum nimirum Legem & Prophetas pro ſe habet, dum ei omnes Prophetæ teſtimonium præbent, ut Petrus loquitur Act. x. 47.

Et oves. Id eſt, homines ovibus ſimiles, ſimplices & probi, quibus nihil aliud quam veritas eſt cordi.

Vocem ejus audiunt. Id eſt, ſermoni ejus obediunt, per metonymiam cauſæ pro effecto, vel cum effecto. Intelligunt enim ſermonem Chriſti nihil aliud continere quam ſanctitatis præcepta, & promiſſiones veræ & æternæ beatitatis.

Et proprias. Id eſt, ſuas *oves*, homines probos & veri amantes.

Vocat ſecundum nomen. Id eſt, unamquamque de nomine, quippe optime ſibi notas, quod ſures & latrones facere non poſſunt. Ad alienas enim & ſibi ignotas oves veniunt. Deſcribit paſtorem Chriſtum, qui oves ſuas optime novit, & ante fidem, & poſt fidem in ſe. Sic vocat de nomine Simonem filium Jonæ; ſic Saulum, qui poſtea Paulus, Saule, Saule, quid me perſequeris?

Et educit eas. Nam & paſtores oves ſuas educunt, ſic & Chriſtus educebat ſuos diſcipulos ad ſacra pabula.

Verſ. 4. *Et quando proprias oves emittit, ante eas incedit.* Sic & Chriſtus incedebat ante ſuos diſcipulos. Sed ſimilitudine ad ſpiritum, ut oportet, relata, educit Chriſtus oves ſuas ex veteri ſynagoga & ex mundo, educit eas ad paſcua ſpiritualia ſermonis ſui, & cum primum eas educeret, ibat ante ipſas, iis relinquens exemplum, ut ſubſequerentur veſtigiis ejus 1 Pet. 2. 21, & nunc, cum emittit oves ad paſcua, incedit ante eas ſua divina cura & providentia, ne quidquam vere mali & noxii iis eveniat.

Et oves ipſum ſequuntur. Id eſt, adhærent ipſi, nuſquam ab exemplo & ſermone ejus recedunt.

Quia norunt vocem ejus. Id eſt, quia approbant, amant ſermonem ejus. Noſſe pro approbare & amare, per metonymiam, Hebræa phraſi, eaque huic parœmiæ convenienti.

Verſ. 5. *Alienum autem non ſequentur.* Id eſt, pſeudo-Prophetam & pſeudo-Chriſtum.

Sed fugient ab ipſo. Averſabuntur eum homines probi, ſi nimirum veniat.

Quia non norunt alienorum vocem. Id eſt, non probant. Sic dicitur, *Deus novit vitam juſtorum* Pſal. 1. verſ. ultimo: *Novit Dominus qui ſunt ejus* 2 Tim. 2. 19. Rom. vij. 15. Matth. vij. 23.

Verſ. 6. *Hanc parœmiam.* Id eſt, ſermonem hunc proverbialem è medio petitum, ex re omnibus nota.

Dixit eis Jeſus. Nempe Phariſæis. Vide cap. ix. verſ. 40.

Et illi non cognoſcebant quæ erant, id eſt, quid ſibi volebant, *quæ loquebatur eis.* Non intelligebant hoc ſermone pſeudo-Prophetas & pſeudo-Chriſtos & verum Chriſtum deſignari & deſcribi, ipſumque eſſe qui ſe hoc ſermone paſtorem ovium ſignificaret.

Verſ. 7. *Dixit igitur rurſum eis Jeſus.* Ut ſcilicet rem intelligerent.

Amen, amen, dico vobis, quod ego ſum oſtium ovium. Non protinus dicit ſe paſtorem eſſe, ſed incipit ab eo quod minus quidpiam videbatur, ut ſenſim & facilius illaberetur animis. Oſtium ſe dicit ovium, non illud quo paſtores ingrediuntur ad oves, (nam & ipſe per hoc oſtium ingreſſus eſt verſ. 2) ſed quo oves ingrediuntur & egrediuntur, ut mox verſ. 9 exponit: quatenus nimirum nemo in vitam æternam ingreditur niſi per Chriſtum, & poſtquam is venit nemo niſi per fidem in ipſum, quatenuſque omnes rem ſalutis ſuæ peragunt per Chriſtum. Nam per *ingredi et egredi*, Hebræa phraſi, tota vitæ converſatio deſignatur Act. j. 21. Dum vero ſe januam hanc ovium dicit, eo ipſo ſe per januam paſtorum ingreſſum eſſe, conſequenter verum paſtorem eſſe docet, quod & verſ. 11. infert.

Verſ. 8. *Omnes quotquot ante me venerunt.* Intellige, dicentes ſe Chriſtos eſſe. Eſt enim hoc intelligendum ex ſubjecta materia, talis erat Theudas, & Judas Galilæus Act. vj. 37.

Fures ſunt & latrones. Furati ſunt homines Deo, & mortis ac perditionis cauſa iis extiterunt. Vide verſ. 1.

Sed non audiverunt eos oves. Id eſt, homines probi, quieti, pacati, Dei timentes, non fuerunt ſermoni eorum obedientes. Vide verſ. 3. Secuti ſunt eos homines improbi, facinoroſi, peccatis dediti, et ii quibus omnis ſpes erat ex rebus novis. Doctrina quam non facile alii ſuſcipiunt niſi homines probi, & virtutis ac veritatis amantes ex Deo ut ſit oportet.

Verſ. 9. *Ego ſum oſtium.* Repetit quod de ſe dixit, ut id explicet.

Per me ſi quis ingrediatur. Accommodate ad oſtium, id eſt, ſi quis in me credat. Sicut cap. vj accommodate ad panem, fidem in ſe, mandicationem ſui, immo & carnis ſuæ dixit.

Salvabitur. Nempe ab æterno interitu. Loquitur enim de temporibus ſuis, id eſt, Meſſiæ, quibus nemo poteſt in vitam æternam ingredi, niſi per fidem in Chriſtum.

Et ingredietur & egredietur, & paſtum inveniet. Et hic accommodate ad oves, quarum omnis beatitas eſt, ut paſtæ ingrediantur in ovile, & egrediantur ad paſtum, & egreſſæ paſtum inveniant, id eſt, erit vere beatus, nihil illi deerit ad beatitatem perfectam. Vide Apoc. vij. 16, 17.

Verſ. 10. *Fur non venit niſi ut furetur, & mactet & perdat.* Opponit ſibi furem, includens & latronem. Significat autem pſeudo-Prophetam & pſeudo-Chriſtum.

Ego veni ut vitam habeant. Vitam opponit mactationi & perditioni, & ſimul exponit illum quem dixit paſtum.

Et abundanter habeant. Περισσὸν ἔχωσι, neutrum adjectivum pro adverbio, ut Philip. 2. 6. Vitam intelligit æternam, nunquam deficientem, & omni bonorum affluentem copia. Neque enim ſatis eſt ut oves paſtum habeant, ſed requiritur ut eum abunde habeant, ſi eis omni ex parte bene debeat eſſe.

Verſ. 11. *Ego ſum paſtor bonus.* Ὁ καλὸς, cum articulo emphatico, id eſt, excellenter & eximie bonus. Nunc porro merito infert ſe paſtorem, eumque eximie bonum eſſe. Qui enim venit ut oves per ipſum vitam habeant, & abunde habeant, omnino paſtor eximie bonus eſt. Significat ſe Meſſiam eſſe, qui credentibus in ſe vitam æternam erat allaturus.

Paſtor bonus. Ὁ καλὸς, iterum, id eſt, eximie bonus.

Ans-

Animam ſuam ponit pro ovibus. Aliam deſcriptionem eximie boni paſtoris adfert, quam ſibi verſ. 15 applicat: quod nimirum paſtor eximie bonus ita ſuas oves amet & curet, ut etiam animam ſuam pro iis ponat contra lupum venientem, ut ex ſequentibus intelligitur, id eſt, lupo ſe objiciat, etiam mori paratus potius, quam ut oves deſerat, & ſe vivo dilaniari ac diſpergi patiatur. Animam enim ponere & ille dicitur, non tantum qui eam amittit, ſed etiam qui ejus amittendæ periculum adit Rom. XVI. 4.

Verſ. 12. *Mercenarius autem.* Bono paſtori mercenarium opponit. Sacerdotes, Scribas & Phariſæos deſignat, qui non ſalutem populi, ſed ſua quærebant commoda.

Et qui non eſt paſtor. Nempe verus.

Cujus non ſunt oves propriæ. Explicat quod dixit. Verus enim paſtor eſt ille, cujus oves propriæ ſunt. Quiſque enim ſua propria magis curat quam aliena. Hic iterum Chriſtum paſtorem deſignat, cujus Chriſtiani proprius ſunt populus, tanquam unici Dei Filii & hæredis omnium à Deo conſtituti.

Videt lupum venientem. Rem ob oculos ponit, perſecutores intelligit piorum, & principem eorum diabolum cap. XIV. 30.

Et relinquit oves & fugit. Non enim eſt paratus pro alienis ovibus mori. Dicit quid fieri ſoleat à mercenariis, & ab iis quorum non ſunt oves propriæ. Nam alioquin veri miniſtri Chriſti, quamvis eorum propriæ non ſint oves, quia tamen non temporaria ſed æterna ſibi habent propoſita præmia, non deſerunt oves Chriſti Domini ſui, nec fugiunt, ſed mori parati ſunt, quoties videant fugam ſuam non multo magis ovibus profuturam eſſe quam mortem.

Et lupus rapit eas, & diſpergit oves. Alias rapit & devorat ac diſcerpit; alias diſpergit ac diſſipat, cum nemo eſt qui oves defendat. Hoc pati non debent paſtores ovium Chriſti, ut per ſuam fugam oves aliæ rapiantur à lupis, id eſt, perſecutorum præda fiant, deſerta veritate; aliæ diſſipentur, id eſt, ſine paſtore maneant, ſi his malis manendo vel ſe ad oves recipiendo mederi queant. Diſſipatæ enim oves, niſi ſubinde congregentur, pro perditis habendæ ſunt. Non ſatis eſt ne paſtor veritatem abneget, hoc enim & ovium officium eſt; ſed requiritur ut in perſecutionibus & periculis, vitationem periculorum ex ovium ſalute moderetur, ne dum vitæ ſuæ temporariæ ſatagit, æternam ovium vitam prodat: quanquam nec vitam propriam ſine ullo uſu prodere debet.

Verſ. 13. *Mercenarius autem fugit.* Ut ſcilicet vitæ ſuæ conſulat. Repetit quod dixit, ut rem tanto magis oculis exponat. Quaſi dicat, & lupus quidem rapit ac diſpergit oves, mercenarius autem ab ovibus ſibi fuga conſulit.

Quia mercenarius eſt. Id eſt, quia oves non ſunt illius propriæ, nec ſpectat æternam ſibi in cælis propoſitam mercedem, nulla ei ſpes eſt ullius poſt mortem vitæ.

Et nulla ei cura eſt de ovibus. Quippe alienis, non ſuis. At qui paſcunt oves Chriſti, ſub ſpe æternæ etiam poſt mortem vitæ, quamvis aliquando fugiant, fugiendo quoque curam habent ovium, cum ob idipſum fugiant, ut iis fugiendo multo magis quam manendo & occumbendo proſint. Sic Paulus in corbe de muro demiſſus fugit pro ſalute ovium, ut illis diutius prodeſſet 2 Cor. XI. 32. Et Chriſtus ipſe perſecutionis tempore ex uno loco in alium Apoſtolos ſuos juſſit fugere, & exemplo ſuo præivit, citra ullum detrimentum, immo cum emolumento gloriæ divinæ & ſalutis ovium Matth. X. 23. Luc. IV. 30. Joan. VIIJ. 59.

Verſ. 14. *Ego ſum paſtor bonus*, Ὁ καλὸς. Iterum ſibi paſtoris eximie boni titulum attribuit, omnia ſibi applicans quæ ſupra de paſtore, Chriſtum ſignificante, dixit.

Et cognoſco mea. Id eſt, meas oves. Neutro genere pro communi. De hac cognitione vide ſupra verſ. 3.

Et cognoſcor à meis. Id eſt, meæ oves viciſſim me cognoſcunt, quatenus nimirum voci meæ, id eſt, ſermoni meo obediunt, credunt quod credendum doceo, faciunt quod faciendum dico, per metonymiam cauſæ ſynecdochicam. Ideo mox verſ. 16, & infra verſ. 27, rem eandem ſignificans, ait: *Oves meæ vocem meam audiunt*, id eſt, ſermoni meo obediunt, & ſupra ℣ſ. 8 dixit: *ſed non audiverunt eos oves*, cum negaret de ovibus reſpectu furum & latronum, quod hic de illis affirmat reſpectu ſui.

Verſ. 15. *Sicut cognoſcit me Pater.* Intellige, ſic ego cognoſco oves meas.

Et ego cognoſco Patrem. Intellige, ſic & oves meæ cognoſcunt me, id eſt, mihi obtemperant in omnibus.

Et animam meam pono. Id eſt, ponam, per enallagen temporis, occidi me patiar ultro.

Pro ovibus. Id eſt, ut oves ſervem, ut eas in vitam æternam aſſeram: quaſi dicat, multum enim ſalutis earum intereſt ut ego me patiar occidi, quo me à Deo miſſum eſſe oſtendam & teſter, quo fœdus novum de peccatorum remiſſione, & juſtificatione per fidem ad vitam æternam obtinendam, deque ſpirituali libertate & regeneratione, ſanguine meo ſanciam, quo victima fiam pro peccatis omnium, ut omnis qui credet in me non pereat, ſed habeat vitam æternam. Neque enim ego in morte manebo; nam hæc foret ovium perditio; ſed ex morte ſuſcitabor ad vitam immortalem, & omnem in cælo & in terra poteſtatem. Ita oves meæ videbunt dari exitum ex morte, quamvis atroci & ignominioſa, ad vitam æternam & regna cæleſtia. Hinc fiet ut omnem mortis metum deponant, immo exemplo meo animati beatos ſe ducant, ſi mecum in afflictionibus & morte communicent, utque ſic meum & Patris mei ſummum erga ſe cernentes amorem, & ſalutis ſuæ certitudinem, rapiantur viciſſim in ardentiſſimam mei Patriſque mei dilectionem. Animam igitur pro ovibus meis ponam & moriar, ut per mortem meam lupum venientem, id eſt, diabolum, mortis imperium habentem, & ovibus meis imminentem devincam, & oves meas conſervem, ac in veram libertatem, mortis metu ablato aſſeram Hebr. 2. 14, 15. Quanquam etiam in hujus tantæ rei ſignum quoddam, cum lupus in Juda & in illa Judæ aſſociatorum caterva veniret, non fugit Chriſtus ab ovibus, id eſt, diſcipulis ſuis, ſed ſe pro eis lupo venienti objecit, utque diſcipuli ſui abirent incolumes effecit

cap. xvij. 12. xviij. 8,9. Ita Chriſtus omnes bonos paſtores, proprie ſic dictos, longe ſuperavit. Illi enim etſi ſe periculo pro ovibus objiciant, mori tamen nolunt, quia & vitam ovium tanti non ducunt, & ſciunt mortem ſuam futuram ovium mortem: at Chriſtus, quia ſciebat mortem ſuam fore vitam & ſalutem ovium, tanti vitam & ſalutem earum duxit, ut non tantum mortis adiret periculum, ſed etiam ipſam mortem ſubiret pro ovibus.

Verſ. 16. *Et alias oves habeo.* Id eſt, homines ovibus ſimiles, & aptos ac idoneos ut oves meæ fiant, per anticipationem, ut cum hoſpites & convivæ invitari, aut milites conſcribi dicuntur.

Quæ non ſunt ex ovili hoc. Exponit quomodo ſint aliæ. Id eſt, quæ non ſunt ex gente & populo Iſraëlitico, ſed ex gentibus profanis & incircumciſis, veri Dei notitia carentibus, idolorum cultoribus. Nam inter iſtas gentes, ut docuit eventus, multi erant ad fidem in Chriſtum apti, quos Lucas appellat ordinatos ad vitam æternam Actor. xiij. 48.

Et illas me oportet adducere. Nempe ad me & ad fidem in me, per Apoſtolos nimirum & miniſtros meos. Et hoc boni paſtoris proprium eſt, oves diſperſas undiquaque colligere & congregare ℣ſ. 3.

Et vocem meam audient. Id eſt, ſermoni & Euangelio meo obedient. Non erit opera mea fruſtranea. Apparebit me paſtorem eſſe, quem oves, id eſt, homines probi & veri ac recti amantes cognoſcant.

Et fiet unus grex. Id eſt, una eccleſia Chriſtiana ex omnibus gentibus collecta, in qua non erit Judęus neque Græcus &c, ſed omnia & in omnibus Chriſtus Col. iij. 11.

Et unus paſtor. Id eſt, unus Rex omnium Chriſtus. Res ſic evenit ſicut prædicta eſt, quam & Prophetæ oraculis ſuis olim, id eſt, temporibus Meſſiæ eventuram celebrarunt Ezech. xxxvij. 22 & ſequentibus. Nam his verbis prædici unam tantum in terris fore, Chriſtianam videlicet religionem, extinctis & abolitis aliis, quin & hęreſibus omnibus inter Chriſtianos, commune quidem & vulgo receptum, & antiquum ſed pravum, ut ſolet, interpretamentum eſt. Vide cap. 1. 21.

Verſ. 17. *Propter hoc Pater me diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam.* Quaſi dicat: nemo ex morte mea colligat quod me Pater non amet. Tantum enim id abeſt, ut Pater ob hoc ipſum me diligat quod ego ponam, id eſt, ponere velim, & poſiturus ſim animam meam, ut ſic eam iterum Patris potentia ac beneficio recipiam. Sic enim oſtendam quantopere Patri confidam, & Patri cauſam & occaſionem præbebo maximæ ſuæ potentiæ & bonitatis in me declarandæ, & exempli ſtatuendi, patere omnibus per potentiam & bonitatem ejus exitum ex morte ad vitam, eamque immortalem. Vides præcipuam dilectionis paternæ erga Filium cauſam, obedientiam nimirum uſque ad mortem, mortem autem crucis Phil. 2. 8, quam etiam immenſum illud exaltationis præmium eſt conſecutum ℣ſ. 9, 10, 11. Unde manifeſtum eſt, Filium Dei abſolute ſeu ſubjective & κατ' ἐξοχὴν dictum, non alium eſſe quam hominem Jeſum, Nazarænum dictum, nec ante vel præter hunc alium Dei Filium, quem dixi, quærendum eſſe. Ejuſdem autem paternæ dilectionis conſortes fiunt, qui itidem pro Chriſto animas ſuas ponunt, ut eas iterum à Deo per Chriſtum reſumant.

Verſ. 18. *Nemo tollit eam à me.* Explicat & illuſtrat quod dixit: ne quis putaret Chriſto animam ablatum iri, quod violentiæ adverſariorum non poſſet reſiſtere. Potuit omnino, ſed noluit, ut Patris obſequeretur voluntati.

Sed ego eam à me ipſo pono. Id eſt, ultro, non coactus, non adhibens meam virtutem, qua facile poſſem inimicos repellere, me ipſum exinanio Phil. 2. 7,8, & formam ſervi ſumo, & ſimilis hominum fio, & figura invenior ut homo, quamvis reipſa ſim ut Deus, humilio me ipſum, non humilior ab aliis, & obediens fio uſque ad mortem, mortem autem crucis. Melior ſum omni bono paſtore proprie ſic dicto, qui ſi occumbat pro ovibus, ideo occumbit quod lupus illo ſit validior: ego autem occumbo quamvis lupo multo ſim validior, eique nullo negotio poſſem reſiſtere, quippe quod ſciam, me per mortem multo magis & efficacius ſervaturum eſſe meas oves. Loquitur Chriſtus per enallagen præſentis pro futuro.

Poteſtatem habeo ponere eam. Nempe à Patre: ne quis dicat; male facis quod animam tuam ponas, cum eam ſervare & retinere poſſis. Hoc enim perinde videtur, atque ſi ipſe te vita privares. Bene facio, inquit: nam hanc poteſtatem & jus dedit mihi Pater, quin & mandatum: alias enim id facere non auderem. Scio neminem vitæ ſuæ prodigum eſſe debere, nec ante ponendam quam cum accedit Dei voluntas, qui ſolus in vitam cujuſque jus ac poteſtatem habet, aut ea neceſſitas ut mortem alia ratione quam deſertione officii vitare nequeas.

Et poteſtatem habeo rurſus accipere eam. Eo nimirum modo quo mortui rurſus animas accipiunt, cum ſcilicet à Deo ſuſcitantur ex mortuis. Ipſorum in eo nulla proprie loquendo eſt actio, ſed omnis actio eſt Dei. Cæterum per metaphoram hoc illis tribuitur. Proinde & poteſtatem iſtius rei dicuntur habere, quatenus promiſſionem à Deo habent fore ut eos reſuſcitet ex mortuis. Sic & Chriſtus poteſtatem dedit omnibus in ſe credentibus, ut filii Dei fiant cap. 1. 12, & conſequenter, ut ſi moriantur animas ſuas rurſus ſumant. Simili phraſi dicuntur & animas ſuas ſervare, invenire, vivas generare, & ſic ejus rei poteſtatem habere quia promiſſionem habent divinam reſurrectionis ex mortuis ad vitam æternam Matth. x. 38. xvi. 25. Marc. viij. 35. Luc. ix. 24. xvij. 33.

Hoc mandatum accepi à Patre meo. Ipſe Chriſtus verba ſua exponit, & docet quo pacto utramque hanc poteſtatem habeat; quatenus nimirum mandatum à Patre accepit ponendæ animæ, cum promiſſione illius recipiendæ. Solet enim Deus mandatis talibus promiſſiones apponere. Itaque in mandati voce, per ſynecdochen, Chriſtus etiam promiſſionem complectitur; qui certe pro gaudio ſibi propoſito ſuſtinuit crucem, pudore contemto, & in dextra throni Dei conſedit Hebr. xij. 2. Sic mandati vox haud dubie accipitur infra cap. xi. 57. Proditoribus enim præmia conſtitui ſolent, et mandata talia dantur nonniſi mercede propoſita. Sic & Abraäm poteſtatem habuit offerendi Iſaaci, & poteſtatem habuit ejus iterum recipiendi. Nam & offerre eum juſſus erat, & promiſſionem acceperat fore ut in Iſaaco nominaretur illi ſemen. Ideo cum eum offerret, cogitabat quod etiam ex mortuis ſuſcitare potens

ſit Deus

ſit Deus Hebr. xi. 19. Qui ex his verbis colligunt Chriſtum ſeipſum ex mortuis ſuſcitaſſe, illi eum affirmant vivum fuiſſe cum eſſet mortuus. Et ſic non tantum contradictionem implicant, dicentes unam & eandem perſonam ſimul vivere & non vivere, mortuam eſſe, & mortuam non eſſe proprie loquendo, Deum illum unum eſſe, & hominem eſſe (hinc enim iſta interpretatio profecta eſt, ex qua proinde illud probari non debet) ſed etiam exemplum mortis & reſurrectionis Chriſti, ad firmandam reſurrectionis noſtræ fidem, plane nobis inutile reddunt. Nos enim cum morimur, bona fide morimur, & vivere deſinimus, tantum abeſt, ut etiam noſipſos ex mortuis ſuſcitare queamus. Niſi forte Chriſtus ſeipſum ex mortuis ſuſcitaſſe dicatur, eodem illo ſenſu quo & illi qui pro Chriſto animas perdunt, eas inventuri & ſervaturi, & vivas generaturi, & in vitam æternam cuſtodituri dicuntur, quia factum illorum hic conſequetur divinæ gratiæ & potentiæ effectus. Qua loquendi ratione & pauperes recipient in æterna tabernacula, eos qui in ſe fuerant benefici Luc. xvi. 9, quia id fiet propter pauperes & beneficentiam iis exhibitam.

Verſ. 19. *Sciſſio igitur rurſus facta eſt.* Vide cap. vi. 43. ix. 16. *In Judæis.* Id eſt, inter Judæos, antonomaſtice, pro Judæorum ſenioribus à turba & populo diſtinctis.

Propter ſermones iſtos. Id eſt, occaſione ſermonum iſtorum.

Verſ. 20. *Dicebant autem multi ex ipſis.* Exponit hoc ſchiſma. Non fruſtra dicit *multi:* quia multi erant iſti, reſpectu paucorum rectius de Chriſto judicantium.

Dæmonium habet. Id eſt, à dæmone obſeſſus eſt.

Et inſanit. Effectum prioris. Non ſimplicem ei tribuunt inſaniam, quæ ex naturæ aliquo defectu ſeu morbo, ſed quæ à dæmonio inſidente proveniat. Verborum Chriſti non aſſequebantur ſenſum, & quia ipſi non bene ſani erant, Chriſtum inſanire putabant; quia vero etiam peſſime illi erant affecti, idcirco ad dæmonium inſaniam ejus revocabant, non Dei legatum & Filium, ſed diaboli eum dicentes mancipium. Quæ erat manifeſta Spiritus Sancti blaſphemia.

Quid eum auditis? Quaſi dicant, hominem à dæmone inſeſſum & inſanum, qui loquitur quæ nemo, nec ille ipſe intelligat. Indignus eſt quem audiatis.

Verſ. 21. *Alii dicebant.* Nempe pauci, collati prioribus,

Hæc verba non ſunt dæmonium habentis. Δαιμονιζομένου, qui à dæmone agitetur. Probant ſtatim quod dicunt:

Num dæmonium poteſt cæcorum. Nempe totaliter, qualis erat ille cœcus natus, cujus occaſione ad hunc ſermonem Chriſtus venit cap. ix. 41,

Oculos aperire? Quaſi dicant, hoc ſolus Deus poteſt, non diabolus, proinde nec ullum dæmonium. Nihil minus igitur eſt quam ut hic homo dæmonium habeat. Vindicant Chriſtum à dæmonio, de inſania tacent, quia priore ſublato hoc poſterius per ſeipſum ruebat. Et ipſa Chriſti verba per ſe, quamvis tum non ſatis intelligerentur, parem miraculo quod fecerat divinitatem ſpirabant.

Verſ. 22. *Erant autem encænia Hieroſolymis.* Nempe poſt hæc quæ ſupra memorata ſunt. Feſtum intelligit quo templi renovati celebrabatur memoria. Vide 1 Macchab. iv. 59. Apparet Chriſtum à feſto Scenopegiæ, de quo cap. vij. 2, ad hoc uſque tempus ex monte olivarum Hieroſolyma frequentaſſe cap. viij. 1, 2. Nam ſuperiora omnia cum his continuata ſerie narrantur.

Et hyems erat. Quippe quod in hyemem feſtum hoc incideret.

Verſ. 23. *Et ambulabat Jeſus in templo.* Forte frigoris cauſa, ut ſe corporis motu calefaceret, non enim fruſtra hyemis facta mentio.

In porticu Salomonis. Notat in ſpecie eam templi partem in qua deambulabat, quippe quæ etiam huic uſui inter cæteros deſtinata erat.

Verſ. 24. *Circumdederunt igitur eum.* In loco anguſto, ne elabi poſſet.

Judæi. Id eſt, Judæorum ſeniores, per antonomaſiam, ut toties ſupra οἱ Ἰουδαῖοι, cum articulo.

Et dixerunt ei, quouſque animam noſtram ſuſpendis? Αἴρεις, *tollis*, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi.

Si tu es Chriſtus, dic nobis libere. Παῤῥησίᾳ, palam, aperte, ſine ullis ambagibus & obſcuritatibus. Senſerant opinor etiam ſuperiorem Chriſti ſermonem eo collimare, ut ſe Chriſtum eſſe ſignificaret. Abſtinebat enim ab expreſſo Meſſiæ ſeu Chriſti titulo, ne illis videretur ſeditionem moliri, & rebellionem cœptare contra Cæſarem. Tum ſe Chriſtum eſſe palam, libere & diſerte coram illis profeſſus eſt, cum in manibus illorum eſſet, pro hac veritate moriturus.

Verſ. 25. *Reſpondit eis Jeſus, dixi vobis.* Non addit, *me Chriſtum eſſe*, ſed intelligit, etiamſi id verbis expreſſis illis non dixerit. Ita nec veritati quidquam derogat, & inſidias ac criminationes illorum fruſtratur. Habebant enim hæc verba ſimul hunc ſenſum, dixi vobis quis ſim. Dixerat autem ſe Dei Filium eſſe, ſe paſtorem illum eſſe cujus oves ſint propriæ, & qui oves ſuas novit unamquamque de nomine, & alia quæ nulli alii competere poſſunt quam Meſſiæ. Sed in civili foro, apud Romanos præſertim, non tam hæc erant criminationibus obnoxia, quam ſi diſerte dixiſſet ſe Chriſtum ſeu Regem eſſe. Docuit hic Chriſtus exemplo ſuo, quam caute agendum & loquendum ſit, quando cum adverſariis perverſis & ſophiſtis nobis res eſt. Ideo memores eſſe debemus illius moniti Apoſtolici Epheſ. v. 15, 16. Col. iv. 5, 6. *Et non creditis.* Quaſi dicat, non in me cauſa eſt ut neſciatis quis ſim, ſed in vobis ipſis. Ego vobis dixi, & vos non creditis.

Opera quæ ego facio. Oſtendit quam immerito ſibi non credant, id eſt, tot & tanta miracula, quæ me facere videtis, quorum unum & in cœco nato vidiſtis.

In nomine Patris mei. Id eſt, per nomen Patris mei, ſeu per Patrem meum, accepta nimirum ab illo virtute ac poteſtate. Nomen Patris, Hebræa phraſi, ponit pro ipſo Patre.

Hæc teſtantur de me. Nempe quod ſim ab illo miſſus, & vera omnia eſſe quæ de me dico & quæ doceo. Iterum hic operibus actio perſonarum tribuitur, ut ſupra cap. v. 36.

Verſ. 26. *Sed vos non creditis.* Quaſi dicat, quamvis tanta, tam liquida teſtimonia habeatis.

Non

Non enim eſtis ex ovibus meis. Cauſam adfert tantæ illorum contumaciæ : quaſi dicat, quia non eſtis homines probi, & veri ac recti amantes, & ſic minime idonei ut fiatis oves meæ. Gloriam ab hominibus magis amatis quam gloriam Dei & à Deo cap.v. 44. xij. 43.

Sicut dixi vobis. Nempe tum cum de meis ovibus loquerer, & dicerem quod oves meæ me cognoſcant, & vocem meam audiant, ſupra ℣ſ. 3,4,14,16. & cap. viij directe, aliis licet verbis verſ.47.

Verſ.27. *Oves meæ.* Iterum hic dicit quod ſe iis dixiſſe ait, nempe in memoriam id revocat, ſi ſorte obliti erant.

Vocem meam audiunt. Id eſt, ſermoni meo obediunt, credunt ei. Agnoſcunt enim eum omni ex parte ſanctum, & Deo digniſſimum eſſe.

Et ego cognoſco eas. Unamquamque de nomine & cognomine, animi etiam cujuſvis earum intima perſpecta habeo, nedum dicta & facta verſ. 3,14, qua cognitione per metonymiam continetur & amor erga oves, & ſingularis earum cura. Eſt autem hæc cognitio ex perfectiore Chriſti ſtatu intelligenda perfectior. Nam nunc omnes ubique probos homines novit & amat Chriſtus, & ſi nondum ſint in eccleſia, ad ſevocat & eccleſiæ aggregat.

Et ſequuntur me. Id eſt, meis incedunt veſtigiis 1 Petr.2. 21, ſequuntur me etiam extra caſtra, opprobrium meum portantes Hebr xiij. 13. Filius enim hominis eſt qui expellitur, non nos, nos eum ſequimur, ſeu ei nos ipſos commodamus.

Verſ.28. *Et ego vitam æternam do eis.* Id eſt, dabo cuilibet earum, per enallagen præſentis pro futuro. Docet quantam beatitatem ipſe viciſſim conſerat ovibus ſuis cum voci ſuæ obediunt, & ſe ſequuntur. Quaſi dicat, talis ſum paſtor qui nullam ovium mearum perdo, ſed cuilibet earum vitam æternam largior.

Et non pereunt in ſeculum. Iterum præſens pro futuro, id eſt, non peribunt unquam. Prius illuſtrat per negationem contrarii. Loquitur autem de futuro ſeculo.

Et non rapiet quiſquam eas ex manu mea. Ne quis dicat, etſi tu eas ipſe non perdas, ſunt alii & alia quæ eas perdant & ex manu tua rapiant. Nemo eſt, inquit Chriſtus, nullus hominum, nullus Angelorum, nulla creaturarum aliarum, non mors ipſa ultimus inimicus, non infernus Rom. viij. 38,39. 1 Cor. xv. 26. Loquitur de ſe, ut & mox de Patre ſuo, per metaphoram ab hominibus qui in manu tenent quæ ſibi nolunt eripi. Hinc & Chriſtus ipſe jamjam moriturus ſpiritum ſuum commendabat & tradebat in manus Patris Luc. xxiij. 46. Significat Chriſtus multo ſe validiorem eſſe ad ſervandas ſuas oves, quam ullum ſuum adverſarium, ullum lupum ad eas rapiendas, quominus à ſe ſervari & in vitam æternam aſſeri poſſint. Rapiendi verbo de ovibus eleganter utitur, ſolent enim oves à lupis rapi. Notandum hoc de credentibus & Chriſtum ſequentibus dici, ſi conſtanter & ad extremum in fide ac obedientia permaneant, ſeu non deſinant eſſe oves Chriſti. Omnes enim credentes in Chriſtum eumque ſequentes, ad ſalutem prædeſtinati & electi ſunt. Sed diligenter ſibi cavere debent, ne ex electis fiant reprobi 1 Cor. ix verſ. ult. Nam etſi nemo poſſit rapere oves Chriſti ex manu ejus; tamen poſſunt oves ſua propria culpa ſua ſalute excidere. Oves proprie dictæ non poſſunt deſinere oves eſſe : quia nec fieri oves ſua voluntate poſſunt. Sed ſpirituales oves, ut ex non ovibus ſua voluntate factæ ſunt oves; ſic ſua voluntate iterum ex ovibus poſſunt fieri non oves. Hinc in ſacra Scriptura toties ad conſtantiam & perſeverantiam in fide & ſanctis operibus admonemur, ne gratia divina & noſtro ſtatu excidamus Rom. xi. 20,21,22. 2 Petr. i. 10,12. Hebr. iij. 12,13. iv. 1,2 &c. Quod ſi nulla fieri ratione poſſet, ut homo Chriſtianus ſua culpa deſinat eſſe ovis Chriſti, certe tam abſurdæ eſſent hæ admonitiones quam ſi quis ovem admoneat ne deſinat eſſe ovis, vel hominem ne deſinat eſſe homo.

Verſ.29. *Pater meus.* Probat quod dixit, *qui dedit mihi.* Id eſt, dat mihi, nempe oves, proinde eas ſervari vult. Præteritum ponit pro præſenti, Hebræa phraſi. Dat Pater oves Chriſto, quatenus Euangelii ſui efficacia homines probos & veri ac recti amantes ad fidem in Chriſtum adducit. Ad Patrem omnia revocat Chriſtus, tanquam ad omnium bonorum & fidei in ſe primam cauſam & auctorem.

Major omnium eſt. Id eſt, fortior ac potentior, ipſaque morte & inferno, adeo ut ex mortis & inferni faucibus oves meas non tantum illæſas & incolumes, ſed etiam immortales poſſit educere, cum ſit Deus ille unus, infinitæ potentiæ & ſapientiæ, rerum omnium creator.

Et nemo poteſt rapere ex manu Patris mei. Quaſi dicat, quidquid enim eſt præter Patrem meum, Deum illum unum, creatura ut ſit neceſſe eſt. Quid vero creatura contra factorem ſuum poteſt? quid mors contra eum qui eſt vita ipſa?

Verſ. 30. *Ego & Pater unum ſumus.* Hoc ad concludendum argumentum erat neceſſarium. Alioquin enim dici poterat, quid hoc ad te? Num tu Pater es? Num tu Deus ille unus es? Reſpondet Chriſtus: Ego quidem Pater non ſum, nec unus ille Deus; ſed ego qui Filius ſum, & Pater qui unus ille Deus eſt, unum ſumus, penitus inter nos conſentimus et conſpiramus, ut proinde qui meas oves velit ex manu mea rapere, neceſſe ſit ut eas rapiat ſimul ex manu Patris mei. Unum inter ſe dicuntur, qui inter ſe uniti ſunt, et plane conſentiunt, unum ſpirant, quod maxime locum habet inter Filium Patri obſequentiſſimum, et Patrem Filii amantiſſimum. Quo et Chriſtus, Filium ſe dicens, et Deum illum unum Patrem, haud dubie reſpexit. Pater autem et Filius unum ſunt et dici ſolent, non quia unus homo ſunt, ſed quia inter ſe conſentiunt et conſpirant. Hoc ergo Chriſti dictum ad eſſentiam trahere nugari eſt: Pater enim et Filius perſonis diſtincti ſunt, proinde et eſſentiis; cum unaquæque res, proinde et perſona, per ſuam eſſentiam ſit id quod eſt, et ab alia qualibet diſtinguatur. Itaque totum hoc pertinet ad Patris et Filii pleniſſimum et perfectiſſimum, ſicut in omnibus, ſic in ſervandis ovibus, qua de re hic agitur, conſenſum. Profecto, qui ex iſtis Chriſti verbis inferunt, quod Pater & Filius ſit unus ille Deus, Judæos idipſum inferentes imitantur, et Chriſto directe contradicunt. Additur enim :

Verſ. 31. *Tulerunt igitur iterum lapides Judæi, ut lapi-*

lapidarent eum. *Iterum*, nam & antea idem fecerant cap. viij. 59. *Tulerunt.* Id eſt, ſuſtulerunt, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi. Apparet lapides præſto fuiſſe, quibus ad lapidationem uti poſſent.

Verſ. 32. *Reſpondit eis Jeſus.* Dum nimirum lapides corripiunt, in manibus tenent conjecturi. Iram & impetum eorum reſponſione ſua moratur, & illi quid reſponſurus ſit adhuc exſpectant, jam non evaſurum putantes.

Multa bona opera monſtravi vobis ex Patre meo. Quaſi dicat, non ex me ipſo; id enim facere nullo modo poſſum cap. v. 19; ſed ex Patre meo, qui mihi illa faciendi virtutem & poteſtatem dedit. Opera hæc talia ſunt, ut nulla alia niſi Patris mei, unius illius Dei virtute perfici poſſint.

Propter quale eorum opus lapidatis me? Id eſt, in eo eſtis ut me lapidetis. Facere eos dicit quod agebant ut facerent: voluntatem faciendi habere conſummatam facere eſt. Quaſi dicat, hoc prius ſcire velim à vobis. Nam cauſam aliam me vobis præbuiſſe non video. Cohibent pudefacti lapidationis impetum, & ne videantur inique agere, blaſphemiæ ingentis & intolerandæ Chriſtum arguunt ſuo more, id eſt, per ſummam injuriam & calumniam. Sequitur enim.

Verſ. 23. *Reſpondent ei Judæi dicentes; de bono opere non lapidamus te.* Quaſi dicant: ne nos hoc nomine crimineris.

Sed, quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Nempe unum illum, ſeu abſolute & κατ' ἐξοχὴν dictum. Id vero mirum erat, hominem blaſphemum tam multa opera ex Deo potuiſſe monſtrare & exhibere. Quia ſe & Patrem unum eſſe dixit, inferunt iſti quod ſe Deum illum unum & ſummum faciat. Atqui hoc aperte negat, manifeſte enim ſe ab eo, tanquam Filius à Patre diſtinguit, & hactenus ſe ei opponit. Filius enim & Pater relata ſunt. Relata autem ſunt oppoſita; & in ſervandis ovibus ad Patris potentiam, tanquam majoris omnium, & (cap. xiv. 28) ſui etiam provocat; haudquaquam eo opus habiturus, & his ambagibus uſurus, ſi unus ille Deus erat. Itaque reſpondens in ſequentibus Chriſtus, hanc eorum per ſe manifeſtam calumniam reſponſo non dignatur: Sed quod de ſe dixit, nempe ſe Dei Filium eſſe, argumento ex ipſa eorum lege ducto confirmat. Quia vero ad illorum objectionem & criminationem non reſpondet, eo ipſo oſtendit eos calumniatos eſſe. Probat nimirum ſe citra ullam blaſphemiam dicere, quamvis homo ſit, Dei ſe Filium eſſe, proinde & unum cum Patre; ea nimirum ratione qua Filius & Pater unum eſſe ſoleant, & conſequenter vera eſſe omnia quæ de ſe, etſi diviniſſima, affirmet. Si vero non fuerunt adeo impudentes Judæi ut objicerent Chriſto, quod ſe Deum illum unum proprie loquendo faceret, ſed tantum quod ſe faceret illi æqualem, ea ſibi tribuendo quæ uni illi Deo ſint propria: (nam & ſupra cap. v. 18 ob ſimilia Chriſti dicta idipſum tanquam blaſphemum objecerunt Chriſto. Et dici poteſt aliquem ſe Regem facere ſi Regi ſe æquet, & ea ſibi tribuat quæ ſolius ſint Regis;) aut quod ſe faceret Deum, etſi non illum unum; (cum vox Dei natura ſua latius pateat; nec hic articulum excellentiæ notam adjunctum habeat;) Reſponſione ſua quæ ſequitur, à Dei titulo abſtinere ſe ſignificat; licet eum multo meliori jure, quam quo aliis quibuſdam hominibus à Scriptura tribuitur uſurpare poſit: æqualem autem illi uni Deo Patri ſuo non aliter ſe facere, quam quatenus hæc æqualitas in hominem cadat, quem Deus ille unus in Filium ſingulariſſimum ſuſceperit; cum hoc ſolum de ſe affirmet, idque meritiſſimo, ut ſequitur.

Verſ. 34. *Reſpondit eis Jeſus; non eſt*, pro nonne eſt, *ſcriptum in Lege.* Id eſt, in volumine, ſeu libris, qui à præcipua ſui parte per ſynecdochen denominantur Lex. Nam alioquin ſcriptum hoc legitur Pſ. lxxxij. 6.

Veſtra. Quaſi dicat, qui libri ſunt apud vos ipſos in ſumma auctoritate.

Ego dixi, Dii eſtis. Recitat id quod ſcriptum eſt:

Ego. Nempe Deus ille, abſolute altiſſimus.

Dixi, Dii eſtis. Elohim. Hinc porro argumentatur Chriſtus ut ſequitur.

Verſ. 35. *Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt*, ὁ λόγος. Articulus ὁ ſermonem deſignat allegatum, id eſt, illos quos hoc ſermone ſuo alloquebatur, nempe ſupremos populi ſui judices ac rectores.

Et non poteſt ſolvi Scriptura. Id eſt, redargui. Sic ſolvi dicuntur argumenta cum redarguuntur.

Verſ. 36. *Quem Pater ſanctificavit.* Id eſt, ab omnibus aliis hominibus, quamvis & ipſum hominem, ſecrevit, ac Spiritu Sancto unxit, idque ſic ut eum ſibi ſimilem divina virtute ac poteſtate fecerit.

Et in mundum miſit. Id eſt, ad homines, ut ſcilicet inter illos Dei majeſtatem diviniſſimis operibus referret ac repræſentaret, & omnibus in ſe credentibus vitam ſeſe daturum æternam polliceretur. Mundus pro hominibus, uſitata ſynecdoche; & εἰς hoc loco ſignificat *ad*, ut cap. ix. 11. xx. 3,6.

Vos dicitis quod blaſphemas, in ſecunda perſona, per mimeſin, *quia dixi Filius Dei ſum.* Id eſt, à Deo ſum in Filium ſingularem electus & Dei Filius ſingularis factus? quaſi dicat, an tanta dignitas, tanta cum Deo ſimilitudo, non meretur Fili Dei nomen? an ergo judicibus Deus ipſe dicere recte potuit & dixit:

Dii eſtis. Et ſic judices Deos dixit & appellavit; quamvis & ipſos homines, propter judicandi poteſtatem & muneris dignitatem, quo à cæteris hominibus ſegregantur ac Dei referunt imaginem; & ego blaſphemo, quod, cum itidem homo ſim, dicam me Dei Filium? Minorem uſurpavi titulum, propter multo majorem ac diviniorem ſanctificationem & muneris dignitatem. Judices, inquam, appellantur Dii, & ego majeſtate ac divinitate Deo multo ſimilior blaſphemo, quia dixi quod Dei ſim Filius? Videte quam ſitis in me iniqui! Ex hac reſponſione Chriſti manifeſte patet, eum non defendere quod homo cum ſit dixerit ſe Deum illum unum eſſe. Neque enim hoc argumento id ullo modo defendiſſet, & à blaſphemia vindicaſſet; cum non ſequatur, ſi homines poſſunt dici Dii propter officium citra omnem blaſphemiam, etiam citra blaſphemiam hominem poſſe dici Deum illum unum, aut Dei Filium qui ſit Deus ille unus. Quocirca ſi Judæi illud objecerant Chriſto, quod dixerit ſe Deum illum unum eſſe, calumniati ſunt Chriſtum, nec Chriſtus calumniam hanc eorum, quippe per ſe manifeſtam, reſponſo magis dignatus eſt, quam cum eum Samaritanum eſſe dicerent ſupra cap. viij. 48. Id tantum agit, ut quod de ſe dixit, defendat, & blaſphemiam haudqua-

quam eſſe oſtendat. Simul enim hinc & Judæos, longe aliud ipſi quam dixerit objicientes, calumniatos eſſe conſequitur & apparet. Nam ſi Chriſtus hoc quod ſibi objiciebatur dixiſſet, etiam id haud dubie defendiſſet. Unde nec cauſam aliam adfert, ob quam homo cum ſit, dicat ſe Dei Filium eſſe, quam quæ in hominem tantum cadit.

Quem Pater ſanctificavit, inquit, *& in mundum miſit*. Sanctificare & in mundum mittere ſolius Dei proprium eſt; ſanctificari & in mundum mitti ſolius hominis. Cum igitur hanc ob cauſam Dei ſe Filium dixerit, aperte ſignificavit ſe Dei Filium non futurum fuiſſe ſi homo non eſſet; tantum abeſt ut blaſphemet, quod homo cum ſit, Dei Filium ſe eſſe dicat. Sic & ſupra cap. v. 27, ob idipſum poteſtatem ſibi datam eſſe etiam judicii faciendi dixit; (quod certe vel maxime Filium Dei eſſe ſignificat,) quia Filius hominis eſt. Hoc eodem argumento Chriſti valide refutantur, qui Chriſtum hominem, Deum & Filium Dei dici blaſphemiæ damnant, niſi ſimul ſit unus ille Deus. Hoc profecto quid aliud eſt, quam cum Judęis blaſphemiæ damnare, quod Chriſtus de ſe dixit ac docuit, illud autem quo Judæi Chriſtum ſumma cum injuria onerare voluerunt, pro vero agnoſcere. Unus ille Deus & homo, valde ſunt diſparata, & ita inter ſe opponuntur, ut Deus ille unus, & non Deus ille unus, ut homo & non homo. Definitionibus enim inter ſe differunt quam longiſſime. Sic homo non eſt Angelus, nec Angelus eſt homo. Sic equus non eſt leo, nec leo eſt equus, nec ulla res alia res eſt. Quanto magis homo non eſt Deus ille unus, nec Deus ille unus eſt homo? multo enim magis diſparata ſunt homo & Deus ille unus, quam homo & Angelus, Leo & equus, & omnes aliæ res inter ſe. Humanam ajunt naturam aſſumſit Deus. Hac phraſi nuſquam Scriptura utitur. Humana enim natura, ſi homo non ſit, ratione tantum concipitur. At Chriſtus homo erat verus. Hunc hominem vere aſſumſit Deus ille unus, non quia Deus ille unus homo factus ſit, (factus enim eſſet non Deus ille unus, quod contradictionem involvit, nec ullius uſus eſt) ſed quia hunc hominem Deus ille unus in Filium unicum ac ſingulariſſimum ſuſcepit, eumque ſibi majeſtate ſimillimum fecit; in quo & omnes alios homines in ipſum credentes aſſumit, ac in filios & regni ſui hæredes ſuſcipit.

Verſ. 37. *Si non facio opera Patris mei.* Urget argumentum ſuum Chriſtus, id eſt, ſi non facio opera quæ ſolus Pater meus facere poteſt, non credite mihi, nempe quod ſim Dei Filius à Patre ſanctificatus & in mundum miſſus, proinde nec ullis meis dictis ac ſermonibus credite.

Verſ. 38. *Sin autem facio*. Nempe opera Patris mei; quaſi dicat, ut ſane facere me videtis.

Etiamſi mihi non credatis. Id eſt, meo ſermoni & affirmationi meæ per ſe.

Operibus credite. Quod ſcilicet ſim Dei Filius &c: opera enim iſta certiſſimum hujus rei teſtimonium & argumentum præbent.

Ut cognoſcatis & credatis quod in me Pater, intellige *ſit*, *& ego in ipſo*, intellige *ſum*. Id eſt, quod ego, ut Filius ſim conjunctiſſimus Patri, & Pater mihi, & ſic, quod ego & Pater, ut dixi, unum ſimus. Summa enim unitas & conjunctio ſignificatur cum alterum in altero dicitur eſſe. Vide cap. xv. 4. xvij. 21, 23. 1 Joan. iij. 24. iv. 13. Prius autem ponit *cognoſcere* Chriſtus, deinde *credere*. Ad veram enim fidem requiritur ut prius argumentis idoneis convincamur quę nobis perſuadeant aſſenſum & fidem. Cæterum ex operibus ac miraculis colligi non poteſt Chriſtum eſſe Deum illum unum; cum ea facere poſſit & is qui eorum faciendorum virtutem ac poteſtatem à Deo acceperit. Sed colligi poteſt ac debet, Chriſtum, quamvis hominem, eſſe Dei Filium, & Deo, ut Filium Patri, conjunctiſſimum. Non igitur Dei Filium eſſe, & quod hinc conſequitur, Patrem eſſe in Filio, & Filium eſſe in Patre, ullo modo ſignificare poteſt Chriſtum eſſe Deum illum unum.

Verſ. 39. *Quærebant igitur iterum ut eum comprehenderent*. Extorſit illis Chriſtus lapides ex manibus reſponſo tam evidenti. Mitius jam agunt ſolidiſſimis argumentis contuſi. Remittunt aliquid de furore. Comprehendere Chriſtum prius volunt, non protinus occidere.

Iterum. Nam & antea idem facere conati ſunt cap. vij. 30. Et hic loci invitabat anguſtia.

Et exivit ex manu eorum. Ne eum ſcilicet comprehenderent. Haud dubie divina uſus eſt virtute ac potentia, ut etiam hoc ipſo oſtenderet ſe vere Dei Filium eſſe.

Verſ. 40. *Et abiit iterum ultra Jordanem*. Vide cap. iv. 13. Flumine ab ipſis dividi voluit.

In locum ubi Joannes primum baptizabat. Tutiorem nimirum eum exiſtimans eſſe, ſed Joanne jam pridem tradito & extincto Matth. xi. 2. xiv. 10.

Et manſit ibi. Non fruſtra. Colligebat ſementem quam Joannes fecerat. Additur enim;

Verſ. 41. *Et multi venerunt ad eum*. Nempe ut fierent ejus diſcipuli, tanquam perfectioris Joanne Magiſtri.

Et dicebant, quod Joannes quidem ſignum fecerit nullum, omnia autem quæ dixit Joannes de iſto, vera eſſent. Exponunt ipſi quid ſe adduxerit ut venirent ad Jeſum. Primum Joannis teſtimonium, qui etiamſi nullum ipſe ſignum fecerit, omnia tamen quæ de Jeſu dixerit, vera eſſent & eventu complerentur, & ſic Joannem divinum fuiſſe virum appareret. Alterum, ſigna illa diviniſſima quæ Jeſus faciebat ſecundum prædictionem Joannis, ut ita & Joannes divinus vir fuerit, & Jeſus adhuc Joanne multo divinior eſſet.

Verſ. 42. *Et crediderunt ibi multi in eum*. Multi venerant ut crederent, igitur & multi crediderunt; præſentia non minuebat famam. *Ibi*. Cum Hieroſolymis multi eſſent adverſarii. Sic invenit Chriſtus alibi meſſem, quamvis eam magnis in urbibus non inveniat.

In ipſum. Nempe ut in ejus nomen baptizarentur, quippe in nomen ſingulariſſimi Filii Dei, & ſic confeſſionem ederent ſuæ fidei. Vide cap. xij. 42.

CAPUT XI.

Verſ. 1. E*Rat autem quidam ægrotans Lazarus ex Bethania*. Aliquot Chriſti miracula ſpeciatim enarravit majoris ſubinde divinitatis, nunc adjicit unum quo nullum fieri poterat

terat divinius. Ideo & in hoc miraculo finem narrandi Chriſti miracula fecit. Dum Dominus moratur loco memorato, Lazarus incidit in morbum. Deſcribit Lazarum, quod fuerit Bethanienſis.

Ex vico Mariæ & Marthæ ſororis ejus. Id eſt, Mariæ. Vicum intelligit, in quo Maria & Martha habitabant. Cur mulierum iſtarum mentionem faciat, ſequens docet de Lazaro narratio.

Verſ. 2. *Erat autem Maria.* Quaſi dicat, & hoc in parentheſi de Maria dicam, illa erat

Quæ Dominum unxit unguento &c. Cujus mulieris tanta hoc nomine laus eſt in Euangelio Matth. XXVI. 13. Marc. XIV. 9, qui eam non nominant. Rem hanc iterum infra narrat Joannes ſuo loco, hic per anticipationem. Niſi putemus idem iterum à Maria factum eſſe cap. xij. 3. Nam quæ apud Lucam cap. vij. 37 pedes ungit Domino, mulier erat peccatis famoſa, & facit id in domo Simonis Phariſæi Luc. vij. 36, 40, non Simonis leproſi, ut Matthæus & Marcus habent, quam in rem alia ſunt argumenta plurima, ſi lectorem illis detinere operæ pretium eſſet.

Unxit Dominum. Teſtantur enim Matthæus & Marcus unguentum hoc ſuper caput recumbentis Chriſti effuſum fuiſſe, unde haud dubie etiam defluxit in corpus.

Et abſterſit pedes ejus capillis ſuis. Nempe cum & pedes Chriſti ſeorſim vellet ungere. Nam & pedes unxit cap. xij. 3. *Cujus frater Lazarus ægrotabat.* Et Martha dicitur ſoror Mariæ, & Lazarus frater Mariæ, denominationem ſumentes à Maria credo, quod Mariæ nomen, ob ſingularem ejus erga Dominum Jeſum pietatem, & tam inſigne factum maxime celebres eſſet.

Verſ. 3. *Miſerunt igitur ſorores ad ipſum, dicentes; Domine, ecce quem diligis ægrotat.* Non dicunt, ægrotat frater noſter, *ſed quem diligis.* Quaſi dicant, ipſa te dilectio invitat ut ei opem feras.

Verſ. 4. *Audiens autem Jeſus dixit, hæc infirmitas non eſt ad mortem.* Ut ſcilicet Lazarus in morte maneat. Nam alioquin mortem oppetiit.

Sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Nempe infirmitatem, id eſt, illius occaſione & cauſa. Gloriam Dei conjungit cum glorificatione Filii ejus, quia glorificatio Filii Dei tendit in gloriam Dei. Filius enim Dei omnia habet à Deo Patre ſuo. Vides hic Dei nomine ſolum Patrem intelligi, & Filii nomine hominem Jeſum, qui omnia Dei faciat virtute.

Verſ. 5. *Diligebàt autem Jeſus Martham & ſororem ejus & Lazarum.* Quaſi dicat, quæ dilectio erga omnes tres eum incitavit, ut per Lazari excitationem Dei gloriam vellet promovere. Beati quos Dominus Jeſus diligit: neque enim eos in morte relinquet.

Verſ. 6. *Cum igitur audiret quod ægrotaret, tunc quidem manſit in quo erat loco duos dies.* Hoc amori contrarium videbatur, non feſtinare ad amicum ægrotantem, idque periculoſiſſime; ſed Chriſto conſtabat facti ſui ratio. Sciebat enim ſe ſemper in tempore venturum eſſe. Manſit ut interea Lazarus moreretur & ſuſcitaretur ex mortuis. Majus enim eſt beneficium ac longe divinius mortuum ſuſcitare, quam ægrotum ſanare.

Verſ. 7. *Deinde,* pro deinde autem, præceſſit enim particula *quidem: poſt hoc dicit diſcipulis; age, eamus in Judæam rurſus.* Erat enim trans Jordanem cap. x. 40. Dixit hoc, poſtquam ſpiritu divino cognovit Lazarum eſſe mortuum.

Verſ. 8. *Dicunt ei diſcipuli, Magiſter, nunc,* id eſt, paulo ante, per hyperbolen, *quærebant te lapidare Judæi* cap. x. 31, *& rurſum vadis eo?* Quaſi dicant, rem facis inconſultam.

Verſ. 9. *Reſpondit Jeſus, nonne duodecim ſunt horæ diei?* Quaſi dicat, quæ ubi præterierint nox eſt. Loquitur reſpectu illarum regionum quæ æquales fere habent dies & noctes, non longe enim abſunt ab æquatore.

Si quis ambulat interdiu non offendit. Ambulare & offendere in protaſi hac proprie accipitur.

Quia lucem mundi hujus videt, ſi vero qui ambulet noctu, offendit.

Verſ. 10. *Quia lux non eſt in ipſo.* Id eſt, lucem non habet in oculis. Docet hac ſimilitudine Chriſtus opportunum bene agendi tempus negligendum non eſſe. Nunc tempus eſſe ut miracula faciat, nunc ſibi lucem adhuc affulgere libertatis, mox futurum ut ſibi tenebræ ingruant triſtis captivitatis, cum ſibi crux ſubeunda, & mors oppetenda erit. Nunc ſe eſſe in forma Dei, mox futurum in forma ſervi, nunc ſe Deo æqualem ac ſimilem eſſe Philip. 2. 6 & ſeqq. factis nimirum divinis & operibus, mox ſimilem ſe hominum futurum, & figura ut hominem repertum iri, patiendo nimirum vincula, ſputa, alapas, verbera, virgas, crucem, irridentibus Judæis & dicentibus; ſi Filius es Dei, deſcende de[illegible]ce.

Verſ. 11. *Hæc dixit, & poſt hoc dicit eis.* Exponens ſcilicet, quid ſibi ſimilitudine illa velit.

Lazarus amicus noſter obdormivit. Quaſi dicat, nunc habeo optimam occaſionem maximi & diviniſſimi operis in Judæa & in oculis Judæorum faciendi. Lazarus enim amicus noſter obdormivit. Dormire dicit eum qui mortuus erat, quia & ſupra dixerat morbum hunc non eſſe ad mortem. Somnus enim merito dici poterat mors, ex qua Lazarus mox erat expergefaciendus. Nam & dormire dicuntur, qui in Domino moriuntur, quamvis in ultimo demum die ſint reſuſcitandi. Sciebat autem ſpiritu divino Lazarum jam obiiſſe.

Sed vado ut expergeſaciam eum. Id eſt, ut eum reſuſcitem ex mortuis. Quia mortem ſomnum dixit, recte etiam reſuſcitationem ex morte appellat expergefactionem ex ſomno: quaſi dicat, ſi alius aliquis eſſet mortuus, minus ſtringerer ad eum excitandum, nunc cum amicus noſter ſingularis & notus omnibus ſit mortuus, dicerent Judæi me in amico ægrotante non potuiſſe miraculum facere, proinde nec Dei Filium eſſe ℣ſ. 37.

Verſ. 12. *Dixerunt igitur, ſi obdormivit ſervabitur.* Nempe à morbo & à morte, non morietur, ſanitatem recuperabit: quaſi dicant, proinde non opus eſt ut in Judæam eamus ad hoſtes noſtros capitales; quando incipiunt ægroti dormire, ſolet morbus declinare, & ſomnus prænuncius ſolet eſſe ſanitatis.

℣ſ. 13. *Dicebat autem Jeſus de morte, illi vero putabant quod de dormitione ſomni loqueretur.* Id eſt, quæ ſomnus eſt proprie dictus, per genitivum differentiæ, non

Digitized by Google

de dormitione improprie & per metaphoram dicta, quæ mors eſt.

Verſ. 14. *Tunc igitur dixit eis Jeſus aperte.* Quia verba ejus aliter intelligebant. Παῤῥησίᾳ. Confer. cap. x. 24.

Lazarus mortuus eſt. Ne eum dormire proprie loquendo putetis.

Verſ. 15. *Et gaudeo propter vos.* Quaſi dicat, non Lazari cauſa, quem mortuum eſſe triſtor, ſed veſtri cauſa, ut credatis. Exprimit hanc cauſam, id eſt, ut tanto magis credatis me Dei Filium eſſe. Credere, pro magis vel plene ac perfecte credere. Confer. cap. 2. 11.

Quia non eram ibi. Quaſi dicat: nam eum ſanare, precibus omnium, & lamentationibus ſororum, & ipſius Lazari miſeratione, aliiſque de cauſis coactus fuiſſem.

Sed eamus ad ipſum. Ut ſcilicet eum ex morte reſuſcitem. Non ſanavi amicum, mori eum ſum paſſus, quem etiam abſens ſanare poteram; præſtabo igitur quod majus eſt, mortuo reddam vitam. Seipſum incitat Chriſtus per primam perſonam plurativam ſubjunctivi, ut in illo, *faciamus hominem* Gen. 1. 26. Nam ad diſcipulos ſeorſim mox dicit Thomas; *eamus & nos.*

Verſ. 16. *Dixit igitur Thomas, qui dicebatur Didymus.* Forte enim jam obiverat cum hæc ſcriberet Joannes. Cæterum Thomas Hebraice dicebatur, Didymus Græce; idem enim utraque vox ſignificat.

Condiſcipulis, eamus & nos. Nempe diſcipuli cum Domino. Nam Chriſtus ſeipſum jam ad eundem incitaverat.

Ut moriamur cum illo. Nempe Lazaro. Nihil ille minus quam de Lazari in vitam reſtitutione cogitat. *Ut moriamur*, inquit, *cum Lazaro*, tantum abeſt ut Lazarus vivat nobiſcum. Semper Thomas difficilis eſt ad credendum, non credit niſi videat cap. xx. 25, 27, 28. Ideo & ſolos condiſcipulos alloquitur. Ut moriamur cum illo, inquit, ex animi affectu & amore nimirum, per hyperbolen in amicorum caſibus uſitatam; ut in illo, *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.* Haud dubie enim & diſcipuli Dominum imitati amici erant Lazari. Ideo & ſupra dixit Chriſtus, Lazarus amicus noſter ℣ſ. 11, niſi quis putet reſpicere Thomam ad periculum verſandi in Judæa verſ. 8.

Verſ. 17. *Poſtquam igitur venit Jeſus, invenit eum quatuor dies jam habentem in ſepulchro.* Similem phraſin vide cap. v. 5. Jam quatuor dies egerat in ſepulchro; Ergo plures erant dies quam quatuor, ex quo mortem oppetierat. Neque enim moris erat apud Judæos, neque uſquam eſt ipſo mortis die protinus corpora mortuorum ſepelire. Tamdiu exſpectabat Chriſtus, ut tanto majus ac certius eſſet miraculum.

Verſ. 18. *Erat autem Bethania prope Hieroſolyma quaſi à ſtadiis quindecim.* Notat hoc, ut oſtenderet ipſam vicinitatem invitaſſe multos Judæorum ad inviſendam Martham & Mariam in hoc earum luctu; & quam prope Chriſtus acceſſerit ad ſuos maximos adverſarios.

Verſ. 19. *Et multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam*, πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν, phraſi Græca, pro πρὸς Μάρθαν καὶ Μαρίαν, *ut conſolarentur eas de fratre earum.*

Verſ. 20. *Martha igitur ubi audivit quod Jeſus veniat, occurrit ei.* Occurſus iſte oſtendit quanto cum deſiderio exſpectarit, quanto cum gaudio receperit Dominum, quantumque honoraverit Dominum; forte etiam, quod vereretur ne Dominus in turbam infenſiſſimorum ſibi Judæorum incideret, vide verſ. 28.

Maria autem in domo ſedebat. Nempe quia Jeſum venire non audiverat ℣ſ. 28 & 29.

Verſ. 21. *Dixit igitur Martha ad Jeſum, Domine, ſi hic fuiſſes, frater meus non eſſet mortuus.* Quia nimirum eum ſanaſſes tua divina virtute. Ideo & tibi ſignificaveramus ejus morbum verſ. 3; ſed neſcimus quæ tibi cauſa fuerit moræ.

Verſ. 22. *Sed & nunc.* Quaſi dicat, quamvis frater meus ſit mortuus.

Scio quod quæcunque petieris à Deo. Quaſi dicat, proinde, ſi petieris ut eum ſuſcitet ex mortuis.

Dabit tibi Deus. Non habet Jeſum pro ipſo Deo, ſed pro Dei chariſſimo Filio, quod & infra teſtatur verſ. 27, cui Deus petenti nihil deneget. Ad Deum refert Chriſti miracula. Idem fecit & cœcus ille natus ſupra cap. ix. 31 &c. Videtur Martha nondum credidiſſe Chriſtum habuiſſe in ſe poteſtatem excitandi mortuos, ſed putaſſe eum precibus tantum hoc poſſe apud Deum efficere, ut fratrem ejus in vitam reducat, ut & hinc tanto magis appareat quam Chriſtum Dominum & Magiſtrum ſuum non crediderit eſſe unum illum Deum. Et in illo quidem adhuc tum ſine periculo ſalutis errare potuit; at hoc ignorare non potuit ſi verum erat.

Verſ. 23. *Dicit ei Jeſus, reſurget frater tuus.* Promittit ei fratris reſurrectionem.

Verſ. 24. *Dicit ei Martha, ſcio quod reſurget.* Putabat enim Dominum de hac reſurrectione loqui quam à Domino prædicari audiverat;

In reſurrectione, nempe univerſali, *in ultimo die.* Id eſt, quæ fiet ultimo die.

Verſ. 25. *Dixit ei Jeſus; ego ſum reſurrectio & vita.* Id eſt, reſurrectionis & vitæ efficiens cauſa, per metonymiam effecti.

Qui credit in me. Id eſt, mihi confidit.

Etiamſi moriatur, vivet. Quaſi dicat, ſum ergo reſurrectio. Non dicit, ero reſurrectio, ſed ſum: ſignificans ſibi jam ineſſe virtutem & poteſtatem ſuſcitandi mortuos.

℣ſ. 26. *Et omnis qui vivit & credit in me, non morietur in ſeculum.* Quaſi dicat, ſum ergo vita. Viventes & in ſe credentes negat morituros in ſeculum, id eſt, unquam, quatenus, etiamſi moriantur (neque enim omnes morientur) iterum tamen victuri ſint. Mors enim, quam reſuſcitatio ad vitam, eamque immortalem ſequitur, ſomnus verius eſt quam mors verſ. 11. Nam quos in ultimo die vivos offendet, vivos immutabit, & ex mortalibus immortales faciet. Ideo hæc verba etiam ſic intelligi poſſunt.

Et omnis qui vivit. Nempe ſic ut mortis expers ſit ad meum adventum & diem ultimum, & credit in me, jam non morietur unquam. Itaque neque mors, neque vita ſeparabit ullum credentem à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu Rom. viij. verſ. ultimo.

Verſ. 27. *Credis hoc?* Quaſi dicat, ſi hoc credis, facile etiam credes Lazarum amicum meum à me ad vitam temporariam nunc excitatum iri.

Dicit

Dicit ei; etiam Domine. Quaſi dicat, credo omnino Domine id quod dixiſti.

Ego credidi quod tu ſis Chriſtus ille. Ὁ Χριστὸς, cum articulo emphatico, qui deſignat Chriſtum illum eximium. Cauſam exprimit cur ei credat: quaſi dicat, tu Chriſtus ille Dei es, mentiri non potes.

Filius ille Dei. Ὁ υἱὸς, itidem cum articulo emphatico. Altero titulo eandem exprimit dignitatem. Nam quem Deus Chriſtum fecit illum eximium, eundem etiam eo ipſo fecit Filium illum eximium, quod Chriſtus ipſe docuit cap. x. 36. Quis enim magis diligitur à Deo aut Deo ſit ſimilior quam Chriſtus ille Dei? At vero, qui Deo chariſſimus eſt, & charitatis iſtius effectis omnes longe exſuperat, eo ipſo Dei filius ille ſingulariſſimus efficitur. Nam alioquin, ſicut multi ſunt Chriſti Dei, ſic etiam multi ſunt Filii Dei; ſed κατ' ἐξοχὴν & ſubjective unus tantum eſt Chriſtus, unus Filius Dei, cui ſignificando articulus excellentiæ index adhibetur. Uterque titulus, quia rem eandem deſignat, ideo per appoſitionem & ſine copula conjungitur. Vides Martham credidiſſe Jeſum eſſe Filium illum Dei ſingulariſſimum, & tamen nihil minus crediſſe quam eum eſſe unum illum Deum verſ. 22.

Qui in mundum veniebat. Ipſa declarat quem Chriſtum, quem Dei Filium intelligat, illum nimirum, *qui in mundum*, id eſt, ad homines veniebat, id eſt, venire debebat, & à Prophetis venturus prænunciabatur, ut nimirum mundo vitam æternam annunciaret, & omnibus in nomen ejus credentibus donaret. Ἐρχόμενος & *venientem*, & *eum qui veniebat* declarat, qua poſteriori ſignificatione hic accipitur. Jam enim Chriſtus ille Filius ille Dei advenerat, vide cap. vj. 14. De generatione Jeſu per conceptionem ex Spiritu Sancto Martha forte nondum notitiam habebat, nec de generatione per reſurrectionem ex mortuis adhuc cogitare poterat, multo etiam minus de unctione in Regem cæleſtem. Solam illam dignitatem & divinitatem, quam in Chriſti dictis & factis videbat conſiderat, & illius ſolius reſpectu Jeſum pro Chriſto illo, Filio illo Dei, præſertim cum id ex ejus ore audiret, agnoſcit, Nam ut Martha hæc dicens crediderit unum illum Deum non eſſe perſona unum, ſed aliam ejus perſonam eſſe Patrem, aliam Filium, ne illi quidem ipſi puto dicent qui ſic de Deo illo uno ſentiunt. Filium illa deſignat Dei, qui venturus erat in mundum, omnium notitiæ expoſitum, omnium votis expetitum. Jam vero, ſi Jeſus Filius ille Dei erat propter illa ſola divinæ charitatis effecta quæ tum in illo apparabant, quanto magis titulus iſte tribuendus eſt illi propter omnia quorum quædam tunc adhuc erant ignota, quædam etiam, eaque multo maxima, tunc nondum erant in ipſo exhibita? Cæterum genitivus τοῦ θεοῦ, non tantum ad Filium, ſed etiam ad Chriſtum referendus eſt, & ſicut appellatio Chriſti hominem ſignificat, ſic non minus appellatio Filii Dei uſurpata de Chriſto, etiam voci Dei articulus additur exoches cauſa, ad ſignificandum Deum illum unum, qui abſolute & ſubjective ſeu κατ' ἐξοχὴν Deus dicitur, á quo Chriſtus, tanquam Filius à Patre, diſtinguitur.

Verſ. 28. *Et poſtquam hæc dixiſſet abivit, & vocavit Mariam ſororem ſuam, clam dicens, Magiſter, ὁ διδάσκαλος*, per antonomaſiam, *adeſt & vocat te.* Clam hoc dixit haud dubie, ne Dominum proderet, Judæos verita, qui præſentes aderant ibi.

Verſ. 29. *Illa cum audivit.* Apparet igitur prius illam non audiviſſe verſ. 20. *Surgit celeriter & it*, (ἔρχεται) *ad eum.* Ἔρχεται pro *eo.*

Verſ. 30. *Nondum enim venerat Jeſus in vicum, ſed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha.* Forte quod & ipſe nollet ſe hoſtibus ingerere, vel quod mallet prius Lazari ſepulchrum adire quam vicum & domum ingredi, prius maximum beneficium exhibere quam ullum hoſpitalitatis officium experiri. Nec enim arbitror in ipſum Lazarum inofficioſus erat, ut eum fruentem jam cælitum conſortio & gaudiis immortalibus, ex beatis ſedibus in hanc miſeriæ vallem retraheret.

Verſ. 31. *Judæi igitur qui erant in domo, & conſolabantur eam, videntes Mariam quod celeriter ſurrexerit & exiverit, ſecuti ſunt eam, dicentes, quod eat ad ſepulchrum ut ploret ibi.* Maria nimio ſtudio & feſtinatione veniendi ad Chriſtum, Judæos ſecum nolens elicit.

Ut ploret ibi. Solent qui luctui indulgent ad ſepulchra mortuorum flere.

Verſ. 32. *Maria igitur, poſtquam venit ubi erat Jeſus, videns eum cecidit ad pedes ejus.* Et reverentia erga Dominum & luctu dejecta.

Dicens ei; Domine, ſi hic fuiſſes, non fuiſſet mortuus meus frater. Eadem loquitur quæ Martha, ſed Martha occurſu tantum Dominum honoraverat, Maria, quia à Domino evocata veniebat, ad pedes ejus procumbit.

Verſ. 33. *Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem & Judæos qui erant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum. Infremuit ſpiritu*, id eſt, animo, (ut cap. xiij. 21 *turbatus eſt ſpiritu*) *& turbavit ſeipſum.* Explicat quod dixit, ideo rem eandem exprimens vſ. 38 dicit, *Jeſus igitur rurſus infremens in ſeipſo.* Niſi quod turbatio cauſa eſſet fremitus, qui ſine ſono ac gemitu non erat.

Turbavit ſeipſum. Id eſt, ſpiritum & animum ſuum penitus commovit & concuſſit, ad Lazarum videlicet excitandum. Ejulatus nimirum & lamentationes & caſus amici id effecerunt. Neque enim Dei Filius erat ſine commotionibus & affectibus animi; homo enim erat; ſed eos ſemper ſpiritu regebat ac temperabat.

Verſ. 34. *Et dixit, ubi poſuiſtis eum?* Quaſi dicat, ut eam & illum excitem; quærit aliorum hominum more, nam ut id ſpiritu divino ſciret nihil opus erat.

Dicunt ei, Domine veni & vide. Quaſi dicant, miſerabile ſepulchrum.

Verſ. 35. *Lacrymavit Jeſus.* Nempe inter eundum; flevit nimirum cum flentibus, non in ſpeciem, ut Stoici docent, ſed ex animo Rom. xij. 15. Doluit & amici caſum & ſororum lugentium vicem, quamvis mox remedium allaturus erat. Riſiſſe Chriſtus non legitur, lacrymaſſe aliquoties legitur.

Verſ. 36. *Dicebant igitur Judæi, vide quomodo diligebat eum.* Nam in lacrymas effundi ob amici mortem, ſignum eſt ſingularis dilectionis.

Verſ. 37. *Quidam autem ex ipſis dicebant.* Naſutuli videlicet, & animo magis perverſi.

Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut hic non moreretur? Quaſi dicant, ergo apparet & illam apertionem oculorum veram non eſſe. Nam quod noluerit Lazarum ſanare, hæc tanta erga eum dilectio credere non patitur. Sed in promptu erat iſtius cavillationis diſſolutio. Paſſus eſt Lazarum mori, ut eum ſuſcitaret ex mortuis, quod multo divinus erat, quam ne moreretur efficere.

Verſ. 38. *Jeſus igitur rurſum infremens in ſeipſo.* Prius fletibus, nunc cavillationibus Judæorum commotus.

Venit ad ſepulchrum, εἰς τὸ μνημεῖον. Sic cap. IX. 11, ſic venire εἰς τὸν κόσμον, id eſt, ad mundum, ad homines ✝. 27, & ſupra 1. 9. iij. 19. vj. 14. IX. 39. xij. 46. xvj. 28. Nam & Apoſtolos mittit Chriſtus in mundum cap. xvij. 19, eodem modo & pſeudo-Prophetæ dicuntur in mundum, id eſt, ad homines exiviſſe 1 Johan. IV. 1.

Verſ. 39. *Ait Jeſus, tollite lapidem.* Non enim ſolebat miracula patrare, niſi tunc cum ab hominibus aliquid fieri non poſſet; nolebat etiam ex lapidibus panes facere, cum ut id faceret nihil eſſet opus.

Dicit ei Martha ſoror ejus qui mortuus fuerat, Domine, jam olet. Quaſi dicat, quorſum jubes lapidem amovere? Jam fœtet, fœtore te complebit.

Quatriduanus enim eſt. Nempe ex quo in ſepulchrum eſt conditus verſ. 17.

Verſ. 40. *Dicit ei Jeſus: non dixi tibi?* Aparet hinc Martham, cum ad rem ventum eſſet, in fide labaſſe.

Quod ſi credas. Nempe Lazarum per me excitatum iri, erigit ejus fidem Chriſtus.

Videbis gloriam Dei? Id eſt, opus ex quo Deus maximam gloriam conſequetur, per metonymiam effecti pro cauſa: videbis fratris tui reſurrectionem. Non ad ſe facti iſtius gloriam derivat, ſed ad Deum Patrem ſuum; Filius enim à ſeipſo nihil facere poterat cap. V. 19, 30. Deus erat qui omnia illa per Filium faciebat cap. XIV. 10. Dixerat autem hoc Marthæ implicite & quod ad rem verſ. 24, 25, 26, 27.

Verſ. 41. *Suſtulerunt ergo lapidem à loco ubi is qui mortuus fuerat erat poſitus.* Id eſt, ab ore vel ingreſſu ſepulchri.

Jeſus autem ſuſtulit ſurſum oculos & dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Suſtulit oculos ſurſum, ſignificat Patrem animo & cogitatione & oculis ſurſum quærendum eſſe. *Pater*, merito Deum Patrem, nempe ſuum, appellat, cum Chriſtus Filius ejus ille ſingulariſſimus eſſet, tot & tantis divinæ charitatis argumentis inſignitus.

Gratias ago tibi, quod audiviſti. Id eſt, exaudiviſti, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi.

Me. Nempe in hoc, ut Lazarum excitem. Hinc apparet Chriſtum id à Patre oraſſe, ut, cum juberet Lazarum è ſepulchro prodire, protinus conſequeretur effectus.

Verſ. 42. *Ego autem ſciebam quod ſemper me audis.* Quaſi dicat, proinde non ideo tibi gratias ago quaſi neſcirem quod ſemper me audias, id eſt, exaudias, quoties ſcilicet aliquid te rogo.

Sed propter populum circumſtantem dixi. Nempe hanc gratiarum actionis ſermonem.

Ut credant, quod tu me miſiſti. Quandoquidem me in tanto opere perficiendo exaudiviſti. Niſi enim me miſiſſes, certe me non exaudiviſſes. Quia vero Chriſtus ex ſuis divinis operibus ſe miſſum à Deo vult colligi, manifeſte hinc patet Chriſtum non propria virtute & à ſeipſo hæc opera patraſſe, nec patrare potuiſſe, ſed Patris gratia & beneficio. Alioquin enim ex illis colligi non poſſet Chriſtum à Patre miſſum eſſe.

Verſ. 43. *Atque hæc quum dixiſſet, voce magna clamavit.* Reipſa oſtendit ſe à Patre exauditum eſſe.

Voce magna. Humana majore, quam & mortuus audiret, id eſt, qua mortuum excitaret, ut ex ipſa voce virtus appareret in Chriſto divina, & qui tot divinis operibus virtutem ſuam divinam teſtabatur, cur non & ipſa voce, præſertim quam adhibuit in tanto divinitatis opere præſtando. Sic & alibi *vox magna* vocem humana majorem ſignificat Matth. XXIV. 31. Apoc. j. 10. xij. 10, & Paulus vocem magnam in ſanando illo claudo adhibuit Act. XIV. 9.

Clamavit, Lazare, exi foras. Mortuum alloquitur tanquam vivum. Ita Rom. IV. 17 Deus dicitur vocare non exiſtentia ut exiſtentia. Deo etiam mortui vivunt Luc. XX. 38, quia vocantem audiunt. Sic & Chriſto, in quo divina virtus fuit, Lazarus vixit, & jure de ipſo ſupra Chriſtus dixit eum obdormiviſſe, & ſe eum expergefacturum.

Verſ. 44. *Et exivit qui mortuus erat.* Et quatriduo in ſepulchro jacuerat, & jam fœtebat. Effecit nimirum Deus potentia ſua, ut ad hunc Filii ſui juſſum conſequeretur effectus.

Vinctus. Non valde ſtricte, ſed ut mortui ſolent, pedes & manus faſciis ſepulchralibus, ita fuit vinctus ut poſſet incedere aliquo modo.

Et facies ejus ſudario circumvincta erat. Ita exivit ut erat in ſepulchro compoſitus, ne ulla eſſet impoſturæ ſuſpicio.

Dixit eis Jeſus, ſolvite ipſum. Manus enim & pedes ligatos habebat.

Et ſinite abire. Quippe jam ſanum & bene valentem.

Verſ. 45. *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.*

Verſ. 46. *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Jeſus.* Effectus tanti miraculi. Multi crediderunt, non omnes, maluerunt quidam ire ad Phariſæos, capitales Chriſti hoſtes, & factum hoc deferre, quam credere; opponuntur enim prioribus. Nihil eos juvit miraculi conſpecti magnitudo, tanta eſt pertinacia & improbitas multorum, ut nulla evidentia vel rationum vel miraculorum ad frugem revocari poſſint. Fruſtra igitur athëi vel increduli miracula poſcunt fieri, & tunc ſe credituros. Recte enim in parabola Luc. xvj. 31 dictum eſt; ſi Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurgat credituri ſunt. Ecce hic reſurrexit à mortuis Lazarus, quo miraculo nullum majus dari potuit, & tamen non tantum Phariſæi, ubi eis narratum eſt, non crediderunt, ſed neque ii omnes qui præſentes miraculo aderant, & oculati reſurrectionis iſtius teſtes fuerunt.

Verſ. 47. *Congregarunt igitur.* Effectus apud Judæorum principes & Phariſæos auditi miraculi.

Quid facimus? Id eſt, quid nobis faciendum eſt? Res erat in expedito, ſi probitas adfuiſſet. Credite in ipſum.

ipſum. · Non poſſunt negare ſigna à Chriſto fieri, & tamen obluctantur & contra tendunt. Sic & Act. IV. 16 ajunt, quid faciemus hominibus iſtis? Quia notum ſignum per eos factum eſt, omnibus Hieroſolymis habitantibus manifeſtum, & non poſſumus negare. Et tamen obliſtunt tam manifeſtæ veritati.

Verſ. 48. *Si ſinamus eum ſic.* Nempe non captum, non coërcitum.

Omnes credent in eum. Nempe tanquam in Regem illum & Meſſiam à Deo promiſſum. Quid autem fiet inde mali?

Et venient Romani, & tollent noſtrum & hunc locum. Id eſt, urbem cum templo.

Et gentem. Quod eum pro Rege arripuerit. Quia improbitati ſuæ prætexebant reſpectum boni publici, (neque enim revera hic illis boni publici cura erat, ambitionem & affectus ſuos curabant) ideo divino judicio res vertit in contrarium, ut ſcilicet Romani venirent, & urbem & templum & gentem eorum tollerent, Deo per Romanos pœnas ſumente, quod Regem ſuum Meſſiam rejecerint & occiderint. Deus enim confundit ſolertiam ſapientum hujus ſeculi 1 Cor. 1. 19, 20, fugiendo fata in media fata ruunt.

Verſ. 49. *Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, qui ſummus Sacerdos erat ille anno.* Ex Judæorum nimirum ambitione & Romanorum avaritia. Nam ex lege munus hoc erat non annuum, ſed ad mortem perpetuum.

Verſ. 50. *Vos nihil ſcitis.* Quaſi dicat, quandoquidem quid hic faciendum ſit neſcitis. Satis pro imperio & auctoritate ſummi Pontificis. Hærebant, ut apparet, in occidendi Chriſti conſilio, tanto miraculo obſtupefacti.

Neque cogitatis quod conducat nobis ut unus moriatur homo pro populo. Explicat quo pacto nihil eos ſcire dixerit, quod ſcilicet non cogitarent rem per ſe obviam: quaſi dicat, cum aut populo & toti genti pereundum ſit, aut huic homini; conducit nobis ut unus homo pereat & moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc ſane hic verum erat, Deo ita rem moderante, & Chriſtum reſuſcitante ex mortuis, & ad regnum ipſi deſtinatum perducente, ſi nimirum accederet per hanc mortem ad Chriſtum converſio: ſed Pontifex hujus conſilii divini ignarus, rem hanc per ſe ſpectabat. Ideo ipſe, cum ſe ſolum ſapientem putaret, nihil ſciebat, quid enim & ipſis, & populo, & toti genti pernicioſius eſſe per ſe poterat, quam ſi occiderent hominem innocentem, ſanctum, à Deo miſſum, Prophetam, immo ipſum Meſſiam Dei Filium? Quod & eventus docuit, poſtquam eos morte ſua ad ſe non convertit. Chriſtum enim occidendo, & ſe & populum Hieroſolymitanum, & totam gentem Judæorum perdiderunt. Salus populi ſuprema lex eſto, ſed ea per nefas nunquam procurabitur, tolletur potius.

Verſ. 51. *Hoc vero à ſeipſo non dixit.* Quia verba iſta Caiphæ verum & egregium divini conſilii reſpectu ſenſum habebant, ut diximus, monet Apoſtolus eum hoc non à ſeipſo dixiſſe, id eſt, non ex ſuo ingenio, non ſuopte motu & inſtinctu. Neque enim ulli hominum in mentem venire poſſet, mortem unius hominis, nullius criminis convicti, immo tot divinis operibus inclyti, ad ſalutem populi & totius gentis pertinere, cum res plane contraria humano pateat ingenio, ſi innocens & juſtus immo ſanctus & à Deo miſſus aut ipſe Meſſias & Dei Filius, quem ſe Jeſus ferebat, & tot diviniſſimis operibus teſtatum dabat, occideretur.

Sed cum ſummus Sacerdos eſſet anni illius, prophetabat quod deberet Jeſus mori pro gente. Qui prophetabat hoc dicens, loquebatur non à ſe, ſed à ſpiritu prophetico. Sunt enim eadem prophetare & ſpiritu loqui prophetico. Unde vero Caiphæ ſpiritus propheticus? Summus ſacerdos erat illius anni. Dedit hoc Deus illius muneri, ut eum ad hæc verba proloquenda ſpiritu prophetico afflaret potius, quam ullum alium. Nec refert quod fuerit improbus, nam & Balaam & multi alii probi non erant, & tamen prophetabant. Non ſequitur autem, quia Deus ad hæc verba proferenda ſummum Sacerdotem potius quam ullum alium ex illo concilio ſpiritu prophetico afflavit, idcirco eo vel ante vel poſt afflatus fuit, aut muneri huic ſpiritum adjunctum fuiſſe propheticum. Ex uno enim actu conſuetudinem vel regulam facere non licet. Una hirundo, ut ajunt, non facit ver. An enim quia Balaami aſina ſemel ſpiritum loquendi accepit, ſemper eum habuiſſe cenſenda eſt? Nec ſi ſummus Sacerdos ſub lege aliquando prophetavit, idem de ſummo Sacerdote ſub Euangelio concludendum eſt. Ille enim à Deo inſtitutus erat; at hic ab hominibus contra legem divinam, qua ſolus Chriſtus ſummus Sacerdos conſtitutus eſt, cæteri omnes ejus miniſtri, nullo alii in alios dominatu præditi. Docet & exemplum hoc Caiphæ, non omnes qui ſpiritu prophetico loquantur, ſemper eo loqui & veros eſſe doctores; cum hic Spiritu Sancto locutus ſit, & tamen non ſemper eo ſit locutus, quinimmo falſus ac Chriſto plane contrarius doctor fuerit. Et homines, licet alioquin etiam ſpiritu divino præditos, non ſemper tamen prophetare, docet exemplum illorum ſeptuaginta ſeniorem, qui cum primum de ſpiritu Moſis afflarentur prophetarunt, & poſtea nunquam Num. xj. 25: nedum ut Caiphas unquam alias prophetaſſe dicendus ſit. Mortuus autem eſt Jeſus pro gente, nempe Judæorum, quia eam per mortem ſuam à peccatis omnibus purgavit, ad ſe convertit, & in jus æternæ vitæ aſſeruit. Per mortem enim ſuam ad regnum ſuum pervenit.

Verſ. 52. *Et non pro gente tantum.* Nempe Judæorum. Hoc addit Joannes, quippe Propheta quam Caiphas major & certior.

Sed ut etiam filios Dei diſperſos congregaret in unum. Nempe eadem illa vi mortis ſuæ. Filios Dei vocat omnes credentes, per fidem enim ſimus filii Dei. Credentes autem congregari dicuntur per anticipationem, quo pacto convivæ vel hoſpites invitari, milites conſcribi vel legi, & ſimilia.

Diſperſos. Nempe per omnes gentes.

Congregaret in unum. Nempe ad ſe, & ſic in unam eccleſiam ſuam; quo reſpiciens Chriſtus, ipſe dicit infra; *& ego, ſi exalter ex terra* (mortem ſuam deſignans) *omnes traham ad me ipſum* cap. xij. 32, 33. Traxit enim omnes ad ſe vi mortis ſuæ, & vi Regni ſui, ad quod per mortem pervenit.

Verſ. 53. *Ab illa die conſilium ceperunt.* Tantæ auctoritatis oraculo perſuaſi, læti quod prætextum invidiæ,

invidiæ & improbatati ſuæ invenerint bonum publicum. At ſi ſeductor erat, per ſe occidendus erat; ſi Filius Dei erat, nullo prætextu occidendus erat.

Verſ. 54. *Jeſus autem.* Cum ſciret ſpiritu divino quid conſilii cœpiſſent.

Non amplius. Nempe ad ultimum illud Paſcha verſ. 55.

Aperte, Παῤῥησίᾳ *ambulabat in Judæis.* Id eſt, palam inter Judæos verſabatur, utens videlicet humana prudentia, ne haberet neceſſe divinam adhibere virtutem.

Sed abivit inde. Nempe ex Bethania & locis urbi vicinis.

In regionem prope deſertum. Maluit prope deſertum verſari, quam in urbe vel prope urbem. Exemplum nobis dedit Chriſtus, ut prudentia utamur, & loca vitemus in quibus præſentiſſimum eſt nobis ab hoſtilus veritatis vitæ periculum, & exigua ſpes profectus.

In Ephraïm dictam civitatem. In ſpecie deſignat locum iſtius regionis.

Et ibi verſabatur cum diſcipulis ſuis. Quos ſcilicet una ſecum periculo ſubduxit. Hos docebat & inſtruebat, cum alii nonniſi de cæde ejus cogitarent.

Verſ. 55. *Erat autem prope Paſcha.* Ultimum illud, in quo Chriſtus paſſus eſt, ut ſequentia docent,

Et aſcenderunt multi ante Paſcha. Præceperunt Paſchatis tempus.

Ut purificarent ſeipſos. Et ſic puri illud feſtum obirent purificatione, ritu Judaico, per ſacrificia peracta.

Ex illa regione. Verſ. 54. Quanquam & regio abſolute intelligi poteſt urbi oppoſita.

Verſ. 56. *Quærebant igitur Jeſum.* Quippe quod in eorum regione egiſſet.

Et loquebantur inter ſe in templo ſtantes. Cum ſcilicet Jeſum non invenirent.

Quid videtur vobis. Id eſt, quam cauſam putatis,

Quod non veniat ad feſtum? Quaſi dicant, cum ſe Prophetam & à Deo miſſum ferat, & tantis miraculis ſit inclytus, nec feſta negligere ſoleat ac debeat. Clarus erat Jeſus, & in ore ac circulis hominum verſabatur. Bono autem animo & affectu populum hos agitaſſe ſermones docent ſequentia quæ habentur cap. xij. 9 & ſequentibus.

Verſ. 57. *Dederant autem & Summi Sacerdotes.* Qui ſcilicet Summum Sacerdotium annuis obibant vicibus.

Et Phariſæi. Sanctitatis & perfectionis nomine apud populum præfulgentes.

Mandatum. Præmio propoſito.

Ut ſi quis cognoſcat ubi eſt indicet, ut capiant eum. Quaſi dicat, ut mirum non ſit Jeſum ante tempus furori eorum objicere ſeſe noluiſſe. Nimirum id quod conſuluerant verſ. 53, exequi volebant.

CAPUT XII.

Verſ. 1. JEſus *igitur ante ſex dies Paſcha venit.* Id eſt, quam Paſcha veniret.

In Bethaniam. Maluit ante Paſcha venire in Bethaniam quam Hieroſolyma, propter illos hoſtes ſuos qui ſe conſtituerant occidere.

Ubi erat Lazarus. Quippe Bethanienſis cap. xj. 1.

Qui mortuus erat, quem excitavit ex mortuis. Contulit ſe ad amicos, & ingenti recenter affectos beneficio.

Verſ. 2. *Fecerunt igitur ei cœnam ibi.* Ut amicum & gratum animum tanto hoſpiti teſtarentur, Lazarus nempe & ſorores & alii qui iſtic erant amici. Ex Matthæo & Marco apparet in domo Simonis leproſi cœnam hanc factam fuiſſe, haud dubie quod locus eſſet commodior. Cœnam, non prandium, quod illic locorum cœnæ lautiores eſſe ſoleant quam prandia. Intelligit autem ſingularem & ſolito lautiorem, Chriſto ſequenti die Hieroſolyma abituro verſ. 12.

Et Martha miniſtrabat. Διηκόνει, nempe accumbentibus, ex ſingularis hoſpitalitatis officio & erga Chriſtum ſtudio. Unde & illi qui Chriſtianorum ſimul convivantium menſas curabant, peculiariter Diaconi dicebantur.

Lazarus autem! quaſi dicat, non miniſtrabat, *ſed unus erat ex illis qui cum Chriſto accumbebant.* Credo ſic volente Chriſto.

Verſ. 3. *Maria igitur.* Ne & ipſa deeſſet officio, *accipiens libram unguenti Nardini liquidi pretioſi, pedes recumbentis unxit, & exterſit capillis ſuis pedes ejus.* Nempe antequam eos ungeret. Cur enim unguentum detergeret? Et longe majoris humilitatis & honoris erga Chriſtum erat ſordes & pulverem de pedibus ejus capillis ſuis detergere, quam pretioſum & odoriferum unguentum. Hinc & peccatrix illa Luc. vij pedes Chriſti prius capillis deterſit, quam unguento imbuit, ſed poſtremo narratur, quod maxime notabile erat, per ὕστερον πρότερον. Summum honorem Maria exhibuit Domino, quippe Meſſiæ & Filio Dei, mundi & ſuo Servatori. Non eſt hæc Maria peccatrix illa, quæ etiam in domo Simonis idem officii Chriſto præſtitit. Ille enim Simon erat Phariſæus, & Chriſto non ſatis æquus hic Chriſti diſcipulus. Vide cap. xj. 2.

Domus autem impleta eſt ex odore illius unguenti. Præſtans & pretioſum fuiſſe apparet. Licet autem Maria & caput Domini hoc unguento liquido ſeu oleo perfuderit, ut ex verſ. 7 apparet, & Marcus teſtatur cap. xiv. 3, (ex capite enim defluebat in corpus) tamen quia Maria eodem pretioſiſſimo unguento de induſtria pedes etiam ungebat Chriſti, & eos capillis ſuis extergebat, & ſic præcipuum muliebris capitis ornatum ac decus ad miniſterium pedum Chriſti adhibebat, id ſolum exponendum ſibi duxit Johannes. Hoc enim inſolitum erat, nec ulli alii quam Dei Filio convenientis honoris.

Verſ. 4. *Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus.* Matthæus diſcipulos dixiſſe cap. xxvj, Marcus quoſdam diſcipulos di

los dixiſſe ait, ſed ſic loqui ſolemus per communicationis figuram, ſi unus dicat ex aliorum numero. Sic & latrones dicuntur maledixiſſe Chriſto apud Matth.xxvij.44, quia unus maledixit, ut apud Lucam videre eſt xxiij. 39.

Verſ. 5. *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?*

Verſ. 6. *Dixit autem hoc, non quia de egenis ipſi cura eſſet, ſed quia fur erat, & loculos habebat, & quæ immittebantur, portabat.* Exemplum præbuit hic Judas veri hypocritæ, qui ſuæ avaritiæ pietatem prætexit. Sed non fallunt tales hypocritæ Deum, qui novit quo quid quiſquam faciat animo. Quemadmodum nec Judas fefellit, qui etiam tacite Chriſtum reprehendit quod tam ſumtuoſam unctionem admiſerit. Maluiſſet enim ut unguentum hoc cum ſuo vaſe conjectum fuiſſet in marſupium ſibi commiſſum. Sciviſſet enim quo pacto prædam inde caperet non exiguam. Vide cap. xiij. 29. Pauperes prætexit, furtum ſpectat, cujus occaſionem habebat marſupium & peram habens, & quæ immittebantur portans. Nec enim id agebat ut Maria ipſa pretium pro hoc unguento pauperibus daret; ſed, ut Chriſtus unguento accepto, iſtius rei curam & cuſtodiam ſibi committeret. Videmus hic Dominum Jeſum accepiſſe ab auditoribus ea quæ ad ſuos uſus pertinebant; mittebantur hæc in marſupium vel peram. Ipſe Dominus ex Euangelio vixit. Hinc etiam videmus officium eſſe diſcipulorum & auditorum, ut ſuis paſtoribus & miniſtris proſpiciant de rebus neceſſariis, ad victum & amictum; conf. 1 Cor. IX. 14, immo etiam ut abundent ad uſus pios Gal. vj. 6. Nam & Dominus ea quæ ſupererant diſtribuebat inter pauperes cap. xiij. 29. Dominus Jeſus quidem opus non habuit iſtis, potuiſſet vivere ſine hoc officio, potuit ex uno pane panes in quantum voluit multiplicare. Sed cum aliquid fieri poteſt modo ordinario, quid opus eſt ut modo fiat miraculoſo? Et par erat, ut illi, præſertim quibus erat copia, (quales Lazarum & Martham & Mariam fuiſſe apparet) amorem & gratum ſuum animum, etiam ad abundantiam, hoc modo teſtarentur erga Chriſtum. Apparet etiam id Dominum grato animo accepiſſe. Hinc mentio fit mulierum quæ Domino miniſtrabant ex facultatibus ſuis Luc. viij. 3, & hoc fine eum comitabantur in itinere. Hac poteſtate uſus eſt Dominus, qua uti noluit Paulus apud Corinthios; alias uſus eſt, cum videret nullum exinde oriri poſſe ſcandalum 1 Cor. IX. 6, 7 & ſeqq. 2 Cor. xj. 7, 8, 9. Phil. IV. 10, 14 & ſeqq. Dicet aliquis, etiam Dominum ea calumnia potuiſſe à Judæis onerari, quod prædicaret ut munera acciperet; ſed hæc calumnia in Chriſto non tam fuiſſet probabilis. Ex perpetuis enim miraculis & operibus illis divinis quiſque poterat videre, non exhiberi Domino aliquod beneficium, ſed potius à Domino exhiberi beneficium cum aliquid accipere dignaretur. Videbant eum omnia in ſua poteſtate ut Dei Filium habentem, facile ſibi potuiſſe proſpicere de rebus neceſſariis. Exiguum etiam hoc admodum erat, pro eo quod dabat Dominus per divina ſua opera & miracula omnibus.

Verſ. 7. *Dixit ergo Jeſus, ſine eam.* Ne ſis illi moleſtus, noli eam hoc nomine reprehendere; *In diem funerationis meæ ſervavit hoc.* Non quidem intentione, ſed eventu. Apparet eam ſervaſſe hoc unguentum, ut illud captato tempore in Dominum effunderet. Significat ergo Dominus id eam valde commodo tempore feciſſe. Ἐνταφιασμὸς erat præparatio corporis ad ſepulturam: ſolebant inungi & condiri corpora ut diutius conſervari poſſent in ſepulchris. Dominus autem non erat mortuus, ſed brevi moriturus. Ideo Marcus habet, *præcepit ungere corpus meum ad funerationem.* Ad funerationem enim ungebantur corpora poſt mortem: Maria unxit ante mortem, ſed jam inſtantem. Significat hic Chriſtus ſuum corpus poſt mortem non debuiſſe ungi. Parata quidem erant unguenta, ſed ungendi non erat tempus; Sabbatum enim appetebat cap. XIX. 31. Ideo involutum Chriſti corpus cum aromatis & unguentis poſuerant in ſepulchrum verſ. 40, 41, 42. Duo ergo ſic prædixit, I. Mortem ſuam imminere, II. Corpus ſuum poſt mortem unctum non iri. Vide autem quam Dominus non refugerit ea quæ etiam ultra neceſſitatem liberali hominum more fierent, ſicut nec aſpernatus eſt in cœna convivium lautius pro ſe apparatum. Vidit enim Mariam hoc feciſſe non ex luxu, ſed ex ſummo quem ſibi habuit honore. Ideo non reprehendit ejus factum, ſed approbat, non rejicit hoc, ſed grato animo accipit. Nullum igitur in eo peccatum eſt ſi quis Dominum & ſervos ejus liberalius habeat & tractet, quin potius ſi hoc non ad oſtentationem fiat, ſed ad teſtandum debitum animi affectum, laudandum eſt. Omnia habent ſuum tempus, etiam in pauperes beneficentia. Ideo addit:

Verſ. 8. *Pauperes enim.* Quaſi dicat, nam pauperes quod attinet, hos *ſemper habetis vobiſcum*, in præſenti loquitur, ut perpetuam iſtius rei continuationem indicet. Nunquam igitur deeſt pauperibus benefaciendi occaſio, quia nunquam deſunt pauperes.

Me autem non ſemper habetis. Id eſt, habituri eſtis, nempe ſic ut vobis corpore præſens adſim, in quod impendere aliquid poſſitis. Falſum igitur eſt corpus Chriſti corporaliter eſſe in pane, cum pane, ſub pane. Edi quidem caro Chriſti debet ubique, & ſanguis ejus bibi; ſed quia credendo in Chriſtum caro ejus editur, & ſanguis ejus bibitur, id eſt, vis & efficacia mortis ejus in nos derivatur, non aliter caro & ſanguis Chriſti ubique eſt quam quatenus mortis ejus vis & efficacia ubique præſto eſt ad ſalutem omnibus credentibus in ipſum. Vide cap. vj. 63. Significat autem Dominus, licet id non exprimat, non defuturum unquam quod pauperibus detur: quaſi dicat, quamvis hoc unguentum ſit profuſum, ſemper tamen erit quod erogetur in pauperes. Non exhauſit per hoc Maria omnes ſuas opes. Corpora mortuorum inungere & condire pretioſis unguentis & aromatis, videtur eſſe luxus; & tamen Dominus in ſeipſo morem hunc non improbat. Quod ſi hoc improbandum non ſit, non videtur etiam improbandum eſſe, ut corpora veſtiantur veſtibus pretioſis, & urnæ ornentur tegumentis, ſericis, & alii ſumtus adhibeantur circa mortuorum ſepulturam. Reſpondeo, Dominus Jeſus hoc in corpore ſuo non improbavit, quia id & vivum adhuc erat, & mortuum mox erat reſuſcitandum: at ut cum cadaveribus res pretioſæ computreſcant, rationi non congruit, nec ambitione ca-

ne caret; à qua Maria & alii in Chriſti corpore aromatis condiendo, & quàm honeſtiſſime curando longe abfuerunt. Solus erga Chriſtum amor, qui etiam cum vita ejus exſtingui non potuit, cuncta effecit, cui modum ponere, erga pios præſertim, difficile eſt. Sola ambitio vitio non vacat. Maria, quia ſimplici & ſancto erga Chriſtum affectu profuſionem hanc fecit, Chriſtus eam merito probavit. Templa, altaria extruere magnifica, & auro, argento, pretioſis lapidibus exornare, ſuperſtitionis eſt ambitioſæ ſub Euangelio, per quod Deus declaravit talia ſibi cordi non eſſe, poſt traditam perfectioris pietatis diſciplinam. *Non enim Dominus habitat in templis manu factis* Act. vij. 48, 49. Eſa. LXVJ. 6. Cœnam apparare non eſt luxus, ſed ſi quis in eo captet gloriam ob quam ſit omnis luxus, reprehendendum eſt. Stemmatum inſignia in urnis non poſſunt adhiberi, niſi ex ambitione & inanis gloriæ cupidine, idque tum cum vel maxime admonemur conditionis noſtræ, & ad humilitatem ducimur. Cadaver veſtiri poteſt honeſte, ſi ſplendide & ſumtuoſe, luxus eſt. Urna tegi poteſt, ſi exornetur, luxus eſt. Condiri & inungi cadaver poteſt, ne ſordeat. Chriſtus non erat ſuperſtitioſus, ut hodie ſunt Monachi qui nolunt geſtare marſupia. Permiſit etiam unguentum pretioſum in corpus ſuum effundi. Non erat vita ejus ſic auſtera, ut in externis iſtiuſmodi opinionem ſanctitatis captans cilicio tectus & cucullatus incederet, carne non veſceretur, & his ſimilia faceret. In Chriſto Jeſu hæc non valent, ſola fides valet per charitatem efficaciter operans Gal. v. 6. Pauperes, quos habemus nobiſcum, etiam ſunt extranei, non tantum fidei domeſtici Gal. vj. 10: idcirco & in illos exercenda eſt beneficentia. Hæc enim eſt voluntas Dei, ut in hac vita ſemper alii ſint divites, alii ſint pauperes, eo fine ut locus ſit ſemper exercendæ beneficentiæ. Etiam in eccleſia hoc diſcrimen eſſe vult inter fideles. Propterea monentur ditiores ut benefaciant omnibus indigentibus; imprimis autem domeſticis fidei Gal. vj. 10. Neque ſemper neceſſe eſt, ut ſtatim una vice elargiamur omnia pauperibus. Sic enim facile fieri poſſet, ut amplius benefacere non poſſemus, immò ipſi aliorum ope & beneficentia egeremus. At hoc expreſſe Apoſtolus cavere jubet ne ullius egeamus 1 Theſſ. IV. 12, & dare operam ut noſtrum, non alienum panem edamus 2 Theſſ. iij. 12.

Verſ. 9. *Cognovit igitur populus multus ex Judæis, quod ibi eſt.* Nempe Jeſus in Bethania. Facile poterant cognoſcere, ob vicinitatem loci.

Et venerunt. Eadem vicinitate invitante.

Non propter Jeſum tantum. Quem videre & cui adeſſe avebant.

Sed ut & Lazarum viderent &c. Videre volebant ipſi quod ab aliis viſum audiebant.

Verſ. 10. *Conſilium autem ceperant ſummi Sacerdotes, ut & Lazarum occiderent.* Quaſi dicat, & populus quidem Lazarum videre avebat; ſummi Sacerdotes autem conſilium ceperant etiam Lazari, non tantum Chriſti, occidendi. Extrema malitia. Adeo illis Lazari excitatio non profuit ad fidem, ut quia multis proderat, & illis ipſis prodeſſe debebat, concluſerint non tantum Lazari excitatorem, ſed & ipſum excitatum occidere. Ergone occidi merebatur, non tantum qui mortuum excitaverat, ſed etiam qui mortuus excitatus erat?

Ἐβουλεύσαντο, ex conſilio ſtatuerunt. Credo equidem! Facilius enim erat Lazarum occidere quam eum ſuſcitare mortuum. Ita ad tuendam ambitionem & pertinaciam ſuam perſas nefaſque graſſabantur Judæi, & Jeſum & Lazarum ad mortem depoſcentes.

Verſ. 11. *Quia multi propter ipſum ibant Judæorum.* Cauſa conſilii additur, quia ſcilicet Judæorum multi propter ipſum ibant, id eſt, ejus videndi cauſa, & eo conſpecto credebant in Jeſum, tanquam in Meſſiam illum Dei Filium. Volunt ergo & Lazarum è medio tollere, ne multis eſſet cauſa in Jeſum credendi. A quo tamen nequiſſimo conſilio eos ſuperſediſſe apparet, poſtquam Chriſtum, & ſic ſimul & fidem in ipſum, ut putabant, ſuſtuliſſent.

Verſ. 12. *Poſtero die.* Nempe poſt cœnam illam; inter quam & Paſcha duo dies intercedebant Matth. XXVJ. 2. Marc. XIV. 1.

Turba multa. Apparet hanc crediſſe in Dominum, hoc enim apparet ex acclamatione & officio illi præſtito. Ideo Lucas XIX. 37 vocat turbam diſcipulorum. Ubique enim Dominus habuit diſcipulos, qui undique confluxerant ad feſtum, etiamſi mox mutati ſint, cum viderent Dominum eſſe captum & vinctum, & omnia in contrarium ſpei ipſorum evenire. Diſcipulorum eſt ramos frangere, ſternere in via, obviam procedere, acclamare Hoſanna &c.

Poſtquam audiverunt quod Jeſus venit Hieroſolymam. Hinc apparet cœnam illam poſtero die diſceſſuro fuiſſe præbitam.

Verſ. 13. *Acceperunt ramos palmarum.* In ſignum lætitiæ & victoriæ.

Et exiverunt in occurſum ei. Tanquam ſuo Regi & Meſſiæ illi à Deo promiſſo, honoris cauſa.

Et clamabant. Solet enim populus venienti Regi acclamare.

Hoſanna. Acclamatio ſumta ex Pſal. CXVIIJ. 25. Significat autem, *ſerva quæſo ô Deus*: eodem ferme ſenſu, quo noſtri ſolent acclamare, *vivat, vivat*.

Benedictus, intellige, *ſit*. Id eſt, beatus ſit, proſpere agat;

Qui venit in nomine Domini. Id eſt, à Deo miſſus, quod ex tam divinis ejus colligebant operibus ac miraculis.

Ille Rex Iſraëlis. Id eſt, ille Meſſias à Deo promiſſus, & Prophetarum oraculis celebratus. Titulum Filii Dei non addunt, quia Regem illum Iſraëlis eſſe, & Filium illum Dei eſſe, vocibus differre, ſenſu & ſignificatione convenire & idem eſſe ſciebant.

Verſ. 14. *Poſtquam autem invenit Jeſus pullum aſini.* Hanc hiſtoriam vide apud alios Euangeliſtas.

Sicut eſt ſcriptum. Zach. IX. 9. Conformiter Scripturæ, quam in Chriſto impleri oportuit.

Verſ. 15. *Noli timere.* Recitat Scripturam, id eſt, bono animo eſto, procul ſit omnis à te metus ac trepidatio.

Filia Sion. Jeruſalem ad montem Sion exſtructa, per Metaphoram.

Ecce Rex tuus. Nempe Meſſias ille.

Venit ſedens ſuper pullum aſinæ. Non ſuper equum ferocem, & in regali pompa, bella geſturus, & populum tributis oneraturus: ſed mitis & placidus, & pauper, pacem allaturus omnibus, id eſt, non terrenus, ſed cæleſtis Rex futurus. Solent Reges in metropoles ſuas invehi. Idem & Chriſtus fecit.

Verſ. 16. *Hæc autem non cognoſcebant diſcipuli ejus.* Nempe divinitus eſſe prædicta.

Primo. Id eſt, cum hæc fierent & implerentur in Jeſu.

Sed quando glorificatus eſt Jeſus. Id eſt, in Regem cæleſtem eſt evectus.

Tunc recordati ſunt quod hæc eſſent de eo ſcripta; & hæc fecerant ei. Ut ſcilicet impleretur Scriptura. Cum implerent Scripturam, id eſt, cum Chriſto pullum adducerent, & Chriſtum pullo imponerent, neſciebant ſe Scripturam implere, eamque impleri, cum Chriſtus pullo inſidens urbem inveheretur: ſed poſt ex regno Chriſti cæleſti, accepto etiam Spiritu Sancto, in memoriam Scripturæ iſtius venerunt, eamque ſe impleviſſe cognoverunt.

Verſ. 17. *Teſtabatur igitur turba quæ erat cum ipſo.* Nempe acclamationi illi ſuæ, argumentum addens certiſſimum: tot teſtes habuit Chriſtus hujus facti ſui turbam ac multitudinem. Negare hoc non poterant Phariſæi: ideo tanto magis utebantur & concitabantur ad Chriſtum occidendum, cum deberent incitari ad credendum.

Teſtabatur quod Lazarum vocarit è ſepulchro & ſuſcitarit. Quaſi dicant, & vocem ſecutus ſit effectus.

Verſ. 18. *Propter hoc etiam occurrit ei turba.* Huic multitudini læta alia turba ex urbe occurrit.

Quia audivit hoc eum feciſſe ſignum. Tanti ſigni fama turbam excivit. Ita impletum eſt quod Chriſtus dixerat de Lazari morbo, quod non eſſet ad mortem, ſed pro glotia Dei cap. xj. 4. Notandum hic duas fuiſſe turbas, unam quæ venerat Hieroſolymis Bethaniam, ut videret Lazarum excitatum verſ. 9, & alteram quæ poſtero die Chriſto ex Bethania Hieroſolyma tendenti occurrit verſ. 12, 13: illa ergo priot turba, quæ ptidie Bethaniam venerat, & tunc cum Chriſto redibat verſ. 17, teſtabatut alteri turbæ Chriſto occurrenti de Lazaro excitato, tanquam de re probe explorata.

Verſ. 19. *Phariſæi igitur dixerunt ad invicem; videtis quod nihil proficimus; ecce mundus.* Hyperbolice, ut ſolet in exaggerationibus. Nam & hodie non ita magnæ piorum congregationes adverſariis videntur maximæ.

Poſt ipſum abiit. Eum ſequitur tanquam Regem & Meſſiam illum. Tandem ipſi adverſarii coguntur agnoſcere ſua conſilia nihil valere contra Dei conſilium, & hoc magis poſtea ſunt experti, cum non Judæi tantum ſed & gentes in eum crediderunt, & ſic revera mundus eum ſecutus eſt. Recte igitur eos monuit Gamaliël Act. v, ut deſinant Apoſtolorum prædicationem opprimere, quia ſi ex Deo ſit, non poſſint Deo reſiſtere. Ergo & nunc fruſtra divinæ veritati reſiſtitur. Hic relinquit tantiſper Phariſæos Joannes, omnes interea modos occidendi Chriſti ineuntes, donec nobis enarret quid Chriſtus, antequam ab iis caperetur, & fecerit & locutus ſit, iis omiſſis quæ ab aliis Euangeliſtis narrata ſunt Matth. xx. Luc. xix.

Verſ. 20. *Erant autem quidam Græci.* Nempe gente. Etiam Græcos hæc tanta de Jeſu fama commoverat.

Ex aſcendentibus ut adorarent in feſto. Id eſt, ex eorum Græcorum numero, qui veniebant ut adorarent, nempe Deum, quippe veri Dei cum Judæis cultores.

In illo feſto. Quod unum erat ex ſolennibus, quibus populus univerſus undique confluebat ad cultum divinum ex Legis præſcripto.

Verſ. 21. *Hi igitur acceſſerunt ad Philippum qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes, Domine, volumus Jeſum videre.* Nempe propius, ut eum alloquamur & ei innoteſcamus.

Verſ. 22. *Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dixerunt Jeſu.* Erat Andreas cum Philippo ex eodem oppido oriundus cap. 1. 45. Hunc ergo primum Philippus adit, & deinde uterque adit Chriſtum: credo quod non ſoleret Chriſtus Ethnicos admittere. Nondum enim tempus venerat ut Ethnicis & incircumciſis aditus ad Chriſtum pateret Matth. xv. 24.

Verſ. 23. *Jeſus autem ipſis.* Nempe Andreæ & Philippo,

Dixit, venit hora. Quia in propinquo erat, præteritum pro mox futuro, Hebræorum more.

Ut glorificetur Filius hominis. Id eſt, ut ad gloriam & regnum ſuum cæleſte, ſibi à Patre deſtinatum, perveniat: quaſi dicat, & tum erit tempus ut omnes gentes ad eum veniant, nunc parum refert. Filium hominis ſe dicit naturæ ſuæ reſpectu, ſicut Dei Filium & naturæ & officii & dignitatis ſuæ reſpectu.

Verſ. 24. *Amen, amen, dico vobis.* Significat ſibi prius moriendum eſſe, & exemplo grani docet, fore ut per mortem ſuam multum fructum ferat.

Niſi granum tritici cadens in terram moriatur. Id eſt, in terram cadat & moriatur, reſolutum nimirum in lacteam materiam 1 Cor. xv. 36.

Ipſum ſolum manet. Sine ullo fructu ſcilicet.

Si vero moriatur multum fructum fert. Quia multa grana ex ſe uno profert. Significat ergo Chriſtus, ſe ſimiliter, niſi moriatur, ipſum ſolum manſurum: perire enim non poterat qui abſque peccato erat? ſi vero moriatur, innumeros Chriſtianos ex ſe pariturum; quippe qui per mortem ſuam, Patris executus voluntatem, perventurus eſſet ad regnum ſuum, quo facto, nihil futurum erat quod quenquam retineret poſſet quominus Chriſtianus fieret, præter ſolam improbitatem & nequitiam. Quis enim hac amota, & videns Dei Filium ad cæleſte regnum à Deo deſtinatum, in mortem eamque crucis prius fuiſſe traditum pro peccatis, & pro ſalute totius humani generis, & ex morte ſuſcitatum ad regnum ſuum perveniſſe, non protinus in illo ſalutem æternam ſibi deſpondeat, & illi ſe totum addicat? Quis in illum non credat, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam? Deus igitur, quia ſpectavit fructum hunc uberrimum ex morte Chriſti proventurum, ideo non mutavit conſilium, licet Dominus ſuppliciter petierit ut à ſe transferret hoc poculum, quanquam ita ut ſeſe Patris voluntati ſubmitteret Matth. xxvj. 39 & ſeqq.

Verſ. 25. *Qui diligit.* Ex hac occaſione qua ſe

ipſum ad mortem, eamque & violentam & maxime atrocem ac infamem excitavit, monet ſuos diſcipulos ne pro ſuo nomine, proque veritate ac juſtitia Dei, mori recuſent, ſed ſuum ſequantur exemplum, ſi Deus velit & res ita ferat.

Qui diligit animam ſuam. Nempe ſic ut illius conſervandæ cauſa me abneget, Dei veritatem ac juſtitiam deſerat.

Perdet eam. Id eſt, hic peribit.

Et qui odit animam ſuam. Nempe tradendo eam in mortem, pro me, pro veritate ac juſtitia Dei.

In hoc mundo. Nam in futuro non erit locus iſti odio.

In vitam æternam cuſtodiet eam. Id eſt, hic vitam æternam per beatam reſurrectionem adipiſcetur. Sic dicuntur nos recepturi in ſua tabernacula pauperes quibus benefecimus Luc. XVI. 9, benefaciendo pauperibus conſequemur ut recipiamur in tabernacula piis pauperibus deſtinata. Multo plus hic dicit Chriſtus de fidelibus quam de ſe dixit cap. X. 18, & tamen hinc nemo colligit fideles ſeſe ſuſcitaturos eſſe ex mortuis.

Verſ. 26. *Si mihi miniſtret aliquis.* Id eſt, ſi quis meus eſt miniſter ac famulus.

Me ſequatur. Id eſt, ne me deſerat, eat mecum ad mortem, ego præeo, ille ſequatur. Liberum eſt cuique mihi miniſtrare vel non: ſed ſi quis mihi miniſtret, me ſequatur. Miniſtrorum eſt ſequi dominum. Non debet miniſter ſperare meliorem conditionem quam ſit heri ſui.

Et ubi ſum ego. Id eſt, brevi ero, per enallagen præſentis pro mox futuro ut cap. iij. 13.

Ibi & miniſter meus erit. Quippe qui me ſecutus eſt, perveniet mecum per mortem ad vitam, nec ego illum deſeram in morte verſantem & conſtitutum, poſtquam & ego ex morte evadam.

Et ſi quis mihi miniſtret. Quaſi dicat, ne forte quem à me abigant, quominus mihi miniſtret, ignominiæ, opprobria, contumeliæ.

Honorabit ipſum Pater. Nempe meus. Pater enim ſolet honorare fideles miniſtros Filii chariſſimi. Nemo autem eſt fidelior quam qui pro meo nomine morietur. Honorabit igitur illum meus Pater, Rex ille regum & Dominus dominorum 1 Tim. VI. 15, 16. Ita contumeliis omnibus quas coguntur pati ſervi Chriſti, cum ignominioſe tractantur & occiduntur, opponit honores infinitis partibus majores, quos conſequentur à Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti. Habet aliquid ſimile Paulus 2 Tim. 2. 10. 2 Cor. IV. 17. Rom. iij. 18. Quem ergo non excitabunt talia, ut paratus ſit etiam ignominioſiſſima & duriſſima quæque perferre pro nomine Chriſti? Multos honores Rex poteſt conferre in hominem, ut in Joſephum Pharao, in Mardochæum Aſuerus; quanto majores hominibus conferre poteſt unus ille Deus?

Verſ. 27. *Nunc anima mea turbata eſt.* De morte ſua loquebatur, ideoque mortem hanc ſuam jamjam inſtantem, (nocte enim inſequente comprehenſus eſt,) adeo ignominioſam & acerbam animo reputans, turbabatur. Homo enim erat, & humanis affici debuit conturbationibus, ne nobis diſſimilis eſſet. Nimirum non ignarus mali, miſeris ſuccurrere didicit Hebr. V. 11. Significare ſimul voluit hæc dicens, ſe minime ignarum eſſe eorum quæ ſibi proxima nocte, & eam inſequenti die eventura eſſent.

Et quid dicam? Intellige, in hac animæ meæ conturbatione.

Pater, ſerva me ex hora hac. Quaſi dicat: hoc ne dicam, Pater, qui me genuiſti virtute Spiritus tui, qui me in ſingulariſſimum Filium elegiſti, qui me ſanctificaſti & in mundum miſiſti, & Chriſtum illum tuum feciſti, *ſerva me.* Id eſt, libera me.

Ex hac hora. Id eſt, ex hoc inſtante tempore. Intelligitur autem, per metonymiam continentis, id quod futurum erat in illo tempore, nimirum triſtes illæ & acerbæ perpeſſiones & mors crucis.

Sed propter hoc, nempe ut iſta patiar, *veni in horam hanc.* Id eſt, in hoc inſtans tempus morti meæ à te deſtinatum, & præverti feſtum iſtud Paſchatis, tuæ obſequens voluntati: quaſi dicat, non igitur hoc dicam, ſed hoc potius, *Pater glorifica tuum nomen.* Id eſt, fac id mecum quod ad nominis tui gloriam pertinet. Tuus ſum, tibi in me plenum eſt jus & arbitrium, trade me, ſi tua eſt omnino voluntas, in mortem crucis, ut me ex illa reſuſcites, & Regem facias, & ſic immenſam gloriam conſequaris.

Verſ. 28. *Venit igitur vox ex cælo.* Huic poſteriori Filii ſui voci annuit Pater, eique voce ſua viciſſim reſpondit.

Et glorificavi. Nempe nomen meum per ingentia illa miracula tua. Omnia enim in Dei gloriam cedebant, quia tantam poteſtatem dederat homini Chriſto.

Et rurſus glorificabo. Cum ſcilicet te ex morte tertio die ſuſcitabo, & ad cæleſte regnum eveham, Dominum & Chriſtum efficiam. Vide Phil. 2. 9, 10, 11. Qui putant addendum vel ſubaudiendum eſſe pronomen *te*, faciunt aliud orantem Filium, aliud reſpondentem Patrem; quamvis alioquin verum ſit, Patrem glorificaſſe nomen ſuum in eo quod glorificaverit Chriſtum cap. xiij. 31. Vide Epheſ. 1. 20 & ſeqq.

Verſ. 29. *Turba igitur quæ ſtabat & audierat, dicebat; tonitru eſſe factum.* Apparet vocem hanc non intellectam fuiſſe à turba. Articulata incidit in aures Domini Jeſu, ſed in aures multitudinis adſtantis inarticulata, ut ſonitus quidam ingens ac tonitru. Idem factum in converſione Pauli Actor. IX. 7. Conſ. cum cap. xxij. 9. Alii licet non intelligerent vocem, dicebant tamen, Angelum illi fuiſſe locutum, & ſic vocem hanc non fuiſſe inarticulatam. Poterat ipſe Deus fuiſſe locutus ſine interventu miniſterii Angelici.

Verſ. 30. *Reſpondit Jeſus & dixit.* Ne quis putaret Dominum opus habuiſſe hac voce, quaſi dubius & incertus eſſet ſuæ poſt mortem reſuſcitationis & glorificationis; ideo populo hoc reſpondit & dixit.

Non propter me hæc vox facta eſt. Qui optime ſcio Patrem nomen ſuum in me glorificaturum eſſe.

Sed propter vos. Ut intelligeretis me Dei Filium eſſe, cui Pater oranti ex cælo reſpondeat. Soletis petere ſignum ex cælo. En vobis ſignum ex cælo, vocem Patris mei voci meæ reſpondentem & annuentem.

Verſ. 31. *Nunc judicium eſt mundi hujus.* Per enallagen præſentis pro futuro, *eſt* pro *erit*, & judicium pro damnatione accipitur, quaſi dicat. Nunc

damna-

damnabitur mundus hic (id eſt, homines, per metonymiam vel ſynecdochen conſuetam.) Nunc habebit Deus juſtiſſimam cauſam ut mundum hunc judicet, atque adeo etiam illum judicabit, poſtquam nimirum Filium ſuum unicum pro mundi vita in mortem tradiderit, & mundus tamen convertere ſe ad Deum, & in Filium hunc ejus, quem ex mortuis reſuſcitabit, & rerum omnium Dominum efficiet, credere noluerit. Mundus, quod Deum ignoraret, quod Deo non ſerviret, habuit adhuc multas excuſationes, multos prætextus (licet iniquos) in illis tenebris ignorantiæ. At mox fiet ut omnes iſtæ excuſationes mundo adimantur, & ut mundus habeat maximas cauſas ſeſe ad Deum convertendi & Deo ſerviendi, quod, niſi faciat, judicium ac damnationem non effugiet. Vide cap.iij. 18,19. Actor.xvij. 30.

Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Quaſi dicat, antea tenebatur mundus ſub dominatu ac tyrannide diaboli, ſed *nunc princeps mundi hujus*, id eſt, diabolus,

Ejicietur foras. Mundum tanquam domum Dei propriam invaſit, & in ea dominatur, ex hac ejicietur & expelletur foras, data omnibus ad Deum ſeſe convertendi maxima & juſtiſſima cauſa.

Verſ. 32. *Et ego ſi exalter ex terra.* Id eſt, ut mox Johannes interpretatur, ſi in crucem agar, *omnes traham ad me.* Exponit quo pacto diabolus ejicietur foras, quatenus ſcilicet ipſe morte ſua, reſuſcitatus ex mortuis, & in Regem cæleſtem evectus, omnes homines ad ſe tracturus ſit, conſiderantes nimirum tam admirandam Dei charitatem, quod Filium & Chriſtum ſuum pro omnium hominum bono ac ſalute, & mortem, & violentam mortem, & omnium acerbiſſimam & ignominioſiſſimam mortem experiri voluerit. Intelligenda autem ſunt Chriſti verba, non tam de effectu, quam de efficacia. Mundus enim efficaciæ mortis Chriſti contumaciam ſuam opponit, & diabolo ſervire mavult quam Chriſto, aut mortem Chriſti unicum animorum pharmacum in pernicioſiſſimum venenum ſibi convertit, quanquam & effectus ſatis inſignis & eximius ſecutus eſt, ut patet ex Actor.2. 11. IV. 4, & ex tot eccleſiis inter gentes congregatis.

Verſ. 33. *Hoc autem* (nempe *ſi exalter ex terra*) *dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Significabat ſe in crucem actum iri & in cruce moriturum. Quanto tetrior erat mors Chriſti Dei Filii, tanto etiam omni ex parte efficacior.

Verſ. 34. *Reſpondit ei turba; nos audivimus ex Lege.* Sacra volumina intelligunt, per ſynecdochen, ut ſupra Chriſtus x. 34.

Quod Chriſtus maneat. Pro manſurus ſit, per enallagen præſentis pro futuro.

In ſeculum. Quippe in ſeculum regnans Pſal. LXXij. 5. LXXXIX. 30. CX. 4. Eſai. IX. 6. Ezech. XXXVij. 25.

Et quomodo tu dicis, quod oportet exaltari. Id eſt, in crucem tolli,

Filium hominis? Apparet Dominum Jeſum hæc verba addidiſſe, *oportet enim exaltari Filium hominis.* Nam & cap.iij. 14 illa dixerat.

Quis eſt iſte Filius hominis? Quaſi dicant, Chriſtus eſſe non poteſt, qui numquam moritur, & quis Chriſtum illum Dei in crucem ageret? Nimirum non-dum ex Lege didicerant, Chriſtum ad vitam & regnum in ſeculum manens, pervenire debuiſſe per mortem, eamque crucis Luc.XXI. 26,27.

Verſ. 35. *Dixit igitur eis.* Non reſpondet ad eorum objectionem, non tam verbis, quam rebus ipſis tollendam. Necdum enim tanti myſterii capaces erant, ut mortem crucis & regnum æternum Meſſiæ inter ſe conciliare poſſent, quod neque poſt rem factam plerique poſſunt. (*Chriſtus enim crucifixus, Judæis eſt ſcandalum, Græcis ſtultitia, ſolis credentibus eſt Dei ſapientia & Dei potentia, quia ſtultum Dei ſapientius eſt quam homines, & infirmum Dei potentius eſt quam homines* 1 Cor.1.23,24,25.

Adhuc parvum tempus vobiſcum eſt. Quaſi dicat, quod dixi, *adhuc parvum tempus*, vix ad occaſum ſolis,

Lux. Id eſt, Meſſias,

Vobiſcum eſt. Proxima nocte capietur, & craſtino die videbitis eum flagris cædi, damnari, in crucem tolli, occidi, ſepeliri. Meſſiam, id eſt, ſe lucem vocat, quod gratiam & veritatem, & conſequenter vitam æternam & immortalitatem, per Euangelium, tanquam luce illata, mortalibus oſtenderit, verus mundi ſol. Vide cap.I. 9. iij. 19.

Ambulate donec lucem habetis. Ex dicto monitionem inſert, manens in metaphora lucis. Solent homines ambulare dum lucem habent. Monet ergo ut & ipſi in lucem credant, ſicut mox loquitur, donec occaſionem credendi habeant.

Ne tenebræ vos comprehendant. Id eſt, ne Deus contumacia veſtra irritatus auferat à vobis lucem, ablato Euangelio & omni occaſione credendi. Eandem phraſin habuimus cap.I. 5.

Et qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Docet quam malum ſit in tenebris ambulare. Qui in tenebris animi ambulant, putant quidem ſe ſcire quo vadant, ſed revera neſciunt. Ideoque tanto periculoſior eſt in tenebris animi ambulatio. Nam dum putant & confidunt homines ſe ad ſalutem tendere, tendunt ad interitum; quod plane Judæorum genti evenit.

Verſ. 36. *Donec lucem habetis.* Id eſt, Meſſiam, habentes ejus Euangelium.

Credite in lucem. Id eſt, in Meſſiam verſ. 46.

Ut filii lucis ſitis. Id eſt, ut ſemper in luce verſemini, nec unquam vos tenebræ comprehendant. Opponit enim filios lucis iis quos tenebræ comprehendunt, qui certe ſunt tenebrarum filii, Hebræa phraſi.

Hæc locutus eſt Jeſus, & abiens abſconditus eſt ab iis. Typo quodam & imagine expreſſit quod dixit, brevi fore ut eorum ex oculis tollatur. Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus invidi. Credo etiam ſubduxiſſe ſe, ne motum aliquem & tumultum excitaret in populo, qui eum Regem Iſraëlis tantis cum acclamationibus ſalutaverat & in urbem deduxerrt ỹſ.12,13. Vide VI. 15.

Verſ. 37. *Tanta autem ſigna cum feciſſet coràm eis, non crediderunt in ipſum.* Poſt tanta ſigna recenſita, quæ peculiariter excerpſit ex innumeris eorum ſimilibus, docet Judæos tamen non crediſſe in Jeſum, nec eum pro Meſſia recepiſſe.

Non crediderunt in ipſum. Nempe quia gens & gentis duces ac principes, in commune loquendo,

non crediderunt. Egerunt enim illum in crucem.

Verſ.38. *Ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur.* Ne quis miraretur, & de tantis miraculis dubitaret an unquam facta eſſent, docet id ab Eſaia prædictum fuiſſe. Cæterum, non quia Eſaias id prædixerat, ideo illi non crediderunt, ſed quia illi credituri non erant, ideo Eſaias id prædixit, qui maluiſſet prædictionis ſuæ eventu fruſtrari quam eam impleri, ſi Judæorum genti mens tam læva non fuiſſet. Mallet Deus ipſe non impleri tales prædictiones: hæ enim neminem ad peccandum cogunt. Prævidet talia fore; ſed ita ut nemini inferat neceſſitatem peccandi. Viri prudentes multa prævident, dum ex cauſis colligunt effecta. Prævident ex moribus, educatione & ingenio, triſtem multorum exitum, quamvis illi poſſent ſeipſos vincere. Pater quandoque ex moribus filii prædicit, fore ut filius ſuſpendatur, vel turpi morte pereat; & tamen, ſi filius evadat vir bonus, non iraſcitur propterea pater, immo gaudet filium ad ſaniora converſum. Sic & Deus Judæos videbat malos, ex malis ortos, pejores ex ſe daturos, vidit fuiſſe invidos, ambitioſos, à pietate alienos. Prævidit ergo quid acturi eſſent cum Chriſto, quem ita miſſurus erat ut malis & improbis non deeſſet adverſus illum peccandi occaſio. *Domine.* Exponi tunc ſermonem Eſaiæ, quo ſub perſona Meſſiæ, ſenſu myſtico alloquitur Deum cap. LIIJ. 1. *Quis credidit auditui noſtro?* Id eſt, ſermoni *noſtro*, per metonymiam effectus pro cauſa. Conqueritur de paucitate eorum qui Euangelio crediderunt, præ iis qui illud rejiciebant. *Et brachium Domini.* Id eſt, Meſſias, per quem Deus, tanquam per brachium ſuum, divina opera eſt executus. Solent enim miniſtri regum in exequendis eorum operibus brachia regum appellari. *Cui revelatum eſt?* Ut ſcilicet Meſſiam agnoſceret: quaſi dicat, paucis admodum, non Dei culpa, ſed ipſorum hominum, qui Chriſti paupertate, & humili, infirmo ac calamitoſo ſecundum carnem ſtatu offendebantur, nec intelligebant Chriſtum, cum dives eſſet, pro nobis pauperem vitam egiſſe, ut nos divites fieremus ſua paupertate 2 Cor. viij. 9. Poteſt & brachium Dei, per metonymiam, pro effectu brachii ejus accipi, id eſt, pro operibus ejus divinis, quæ Judæis revelata non ſunt: quatenus ea divina eſſe non cognoverunt. Nam brachium Dei, per metaphoram & metonymiam, pro potentia Dei accipitur, etiam hoc ipſo apud Eſaiam loco paulo ante cap. LIJ. 10.

Verſ. 39. *Propter hoc non potuerunt credere.* Docet qui factum ſit, ut tanta ſigna videntes non potuerint credere.

Quia rurſus, id eſt, alio in loco, *dixit Eſaias* cap. VI. 10: *Excæcavit eorum oculos.* Non quidem proprie propter hoc non potuerunt credere, quia iſtud dixit Eſaias, ſed quia Deus iſtud fecit quod Eſaias dixit. Cognatum poſuit pro cognato. Nam quia Deus hoc facturus erat, ideo hoc dixit Eſaias. In textu Hebræo alloquitur Deus Prophetam, & ſub Prophetæ perſona Meſſiam ſenſu myſtico: *Excæca oculos eorum.* Propheta ergo ipſe id faciebat, quia prædicatio ejus ita erat comparata, ut quanto magis prædicaret ille, tanto minus illi crederent. Sic & Chriſtus, quanto magis prædicabat, tanto magis eos excæcabat, quod jam per ſe eſſent ab illius prædicatione averſi. Ipſis ſuis miraculis eos excæcabat & indurabat. Quanto plura & majora Chriſtus edebat miracula, ut, cum Lazarum excitaſſet, vel cæcum natum ſanaſſet, tanto magis illi obdurabant animos; hoc faciebat cæca ambitio & invidia; unde & cæcum illum ejecerunt, & Lazarum interficere voluerunt: ſic facere ſolent homines obſtinati. Hinc fit, ut quanto magis & nos conamur illis per ſcripta & conciones veritatem commendare, tanto magis obfirment animum, & non tantum veritatem rejiciant, ſed etiam profeſſores ejus perſequantur. Unde patet Deum ita homines excæcare, & corda ſeu animos eorum indurare, ut id ſit citra omnem & Dei accuſationem & hominum excuſationem. Proprie & per ſe ſua quemque improbitas excæcat & indurat: Deus per accidens, quatenus hominum improbitas, omnia quæ in ſalutem data ſunt, rapit in ſuam perniciem, & ex optimis ſuccis merum ſugit venenum.

Ne videant oculis. Exponit ipſe Deus fines quorſum in excæcatione & induratione ſpectet, primo, ne videant oculis, nempe Dei veritatem, loquitur enim de oculis mentis.

Et intelligant corde. Exegeſis eſt prioris. Id eſt, ne animo intelligant hanc eſſe veritatem Dei, hoc vero iterum facit

Ne convertantur. A ſua nimirum malitia & improbitate. Ex quo colligitur neminem indurari, niſi malum & improbum: iſtud denique eo fine,

Ne eos ſanem. Nempe à pœnis peccatorum: quaſi dicat, ſanarem enim eos ſi converterentur. Hinc apparet, homines qui à Deo excæcantur & indurantur, eſſe jam ante malos, & perire plane meritos. Alioquin enim Deus ipſe non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Proinde hæc excæcatio & induratio tota in eo conſiſtit, ut malis & improbis juſtiſſimo & ſapientiſſimo Dei conſilio, non deſit occaſio peccandi, quo vel pejores fiant, vel malitiam & improbitatem ſuam vincant, quod raro facere ſolent.

Verſ. 41. *Hæc dixit Eſaias.* Addit hoc Joannes, ne quis putet Eſaiæ verba ad Chriſtum non pertinere. Pertinent, inquit Joannes, ſenſu nimirum myſtico, quia hæc, quæ ſcilicet ex illo citavi, dixit Eſaias,

Quando vidit. Spiritu nimirum Prophetico.

Gloriam ejus. Id eſt, Chriſti, quam ſcilicet poſt toleratas perpeſſiones & crucem adepturus erat Luc. XXIV. 26. Nam & proxime ante verba priore loco ex Eſaia citata, agitur de ingenti Meſſiæ gloria: *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur & ſublimis erit valde. Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum, quia quibus non eſt narratum de eo viderunt, & qui non audiverunt contemplati ſunt* cap. LIJ. 13, 14, 15. Et poſt eadem illa verba ac deſcriptas Meſſiæ perpeſſiones, iterum eadem ejus gloria celebratur cap. LIIJ. 10, 11, 12. Omnia, inquam, agunt de Chriſti perpeſſionibus, & eas conſecuturis gloriis, ut Petrus loquitur 1 Petr. 1. 11. Hinc ergo patere vult Joannes verba illa ex Eſaia citata, in Chriſto ſenſu myſtico impleta eſſe.

Et locutus eſt de eo. Nempe etiam cap. VI, ubi extant verba poſterius citata. Locutus autem eſt Eſaias ſenſu myſtico de Chriſto in ſua perſona ℣ſ. 8, 9. Agitur enim

tur enim in hoc capite de gloria Dei, cujus plena ſit omnis terra verſ.3, & de rejectione Judænrum, eorumque iterum ad Deum converſione ℣ſ.11,12,13: quæ omnia ad tempora Meſſiæ maxime ſpectant, per quem omnes gentes ad Deum converſæ ſunt, & ſic omnis terra gloria Dei repleta eſt, & Judæi ob ſuam contumaciam rejecti ſunt, & iterum convertentur Rom.xi ℣ſ.25 & ſequentibus. Non minus ergo & quæ de excœcatione & induratione dicuntur, ad tempora Meſſiæ myſtico ſenſu pertinent. Solet ex hoc loco ſumi argumentum Chriſtum eſſe unum illum Deum, quippe qnem Eſaias viderit ſedentem ſuper thronum excelſum, cui accinebant Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Zebaoth. At non dicit Joannes quod viderit Eſaias Chriſtum; (id omnino dicturus, ſi Chriſtus erat Dominus ille Zebaoth. Nam & Eſaias dicit ſe vidiſſe (in illa nimirum imagine) ipſum Dominum Zebaoth, non gloriam ejus) ſed quod viderit gloriam Chriſti; quam certe vidit cum verba illa diceret; *Domine quis credidit auditui noſtro?* ut oſtendimus; quanquam etiam eandem vidit, & de ea vaticinatus eſt, cum audiret in illa viſione cani a Seraphim, *plena eſt omnis terra gloria ejus*, nempe Domini Zebaoth. Hæc enim eſt iſta gloria, quæ ei tribuitur ab omnibus gentibus in Chriſto Jeſu, quam Eſaias vidit, non tanquam jam tum præſentem, ſed tanquam futuram: vidit ſpiritu Prophetico, quemadmodum & Abraham vidit diem Chriſti cap. viij. 56. Et verba illa, *excæcavit*, *induravit*, reſpectu Chriſti, multis poſt ſeculis erant implenda, & tum demum cum Chriſtus venit impleta ſunt. Ait enim Joannes, *Ut impleretur &c.* Cur ergo non & viſio illa temporibus Chriſti ſimiliter impletionem habitura eſſet. Nempe cum omnis terra gloria Dei per Chriſtum impleta eſt, converſis ad Deum & Chriſtum ejus omnibus gentibus? Sed jam dictum eſt, viſionem gloriæ Chriſti, ſicut prius à Joanne ponitur, ſic etiam ad prius citatum ex Eſaia locum referri, & quod poſterius, tanquam generalius ponitur, nempe *& locutus eſt de eo*, ad poſteriorem ex Eſaia citatum ſpectare locum.

Verſ. 42. *Crediderunt tamen etiam ex principibus multi.* Quaſi dicat: Etiamſi vero non crediderint, nec credere potuerint in eum, propter excœcationem & indurationem; multi tamen etiam ex principibus, non tantum ex populo crediderunt in eum; tanta vis erat ſignorum ejus. Unde etiam patet excœcationem & indurationem non tantam fuiſſe, ut eam, ſi vel mica probitatis ineſſet, exſuperare non poſſent. Proinde verba mea [illegible] intelligi volo.

Sed propter Pharizæos non confitebantur. Quaſi dicat, ſed confeſſio defuit illorum fidei, non erat ipſorum fides ad confeſſionem valida, proinde nec ad ſalutem. Non confitebantur autem *propter Phariſæos*, qui ſcilicet plerique infenſiſſimi erant Chriſto.

Ne ex Synagoga ejicerentur. Quam ſcilicet Phariſæi ob exiſtimationem ſummæ ſanctitatis & doctrinæ in ſua poteſtate habebant ac poſſidebant. Vide principibus etiam à Phariſæis & à Synagoga metuendum eſſe.

Verſ. 43. *Diligebant enim gloriam hominum.* Cauſam exponit ob quam tantopere excommunicationem horrebant, quia diligebant gloriam hominum, id eſt, laudem & honorem ab hominibus, per genitivum cauſæ.

Magis quam gloriam Dei. Id eſt, gloriam quæ à Deo proficiſcitur, ſimiliter per genitivum cauſæ, vel quod eodem recidit, magis illis cordi erat ipſorum gloria quam gloria Dei, quam ex ipſorum confeſſione habiturus erat, qua in re fuerunt, & omnes eorum ſimiles ſunt, miſerrimi ac ſtultiſſimi. Ille enim demum gloriæ ſuæ vere conſulit, qui totus in Dei gloriam defixus eſt.

Verſ. 44. *Jeſus autem clamavit & dixit.* Alio tempore. Nam illo die jam abiverat & abſconditus erat ab illis verſ. 36. Quaſi dicat Joannes, & illi quidem non credebant in Jeſum, Jeſus autem elata voce dicebat,

Qui credit in me. Quibus verbis commendat fidem in ſe.

Non credit in me. Nimirum ſic ut fides ejus in me terminetur.

Sed in eum qui miſit me. Id eſt, in ipſum Deum credit, cujus verba ego loquor, quippe miſſus ab illo. Eſt ergo ut quis in me credat, cum fides in me non ſit fides in me, ſed fides in ipſum Deum. Significat Chriſtus, ſi fides in ipſum terminaretur in ipſo, fidem in ipſum vanam fore. Significat ergo ſe haudquaquam Deum illum unum eſſe, ſed Chriſtum ejus & ab illo miſſum.

Verſ. 45. *Et qui videt me, videt eum qui miſit me.* Id eſt, nihil opus habet ut eum qui miſit me videat, cum à me omnem ejus voluntatem poſſit cognoſcere.

Verſ. 46. *Ego lux.* Nempe animorum.

In mundum. Id eſt, ad homines, *veni*, à Deo ſcilicet miſſus:

Ut omnis qui credit in me, in tenebris. Id eſt, in ignorantia divinæ voluntatis,

Non maneat. Proinde nec in vitiis, nec in vitiorum pœnis.

Verſ. 47. *Et ſi quis mea audiat verba, & non credat.* Locutus de eo qui credit, nunc loquitur de eo qui non credit.

Non credat. Nempe meis verbis, & conſequenter in me, qui me Dei Filium eſſe dico.

Ego non judico, id eſt, non damno *eum*, pro non damnabo, per Enallagen præſentis pro futuro. Loquitur de ultimo judicio verſ. 48. Quaſi dicat, non id ex me fiet ut damnetur, non mihi imputet ſuam damnationem, nollem ego quenquam condemnare, alienus ſum ab omni condemnatione, ne quis me ob contemtum mei privatæ ultionis cupiditate flagrare putet.

Non enim veni. Nempe miſſus à Deo Patre meo ad homines,

Ut judicem. Id eſt, damnem & perdam.

Mundum. Id eſt, homines, hoc ut faceret Deus, miſſione mea & adventu meo ad homines nihil opus fuit.

Sed ut ſervem mundum. Id eſt, homines, hic verus & unicus eſt adventus mei ſcopus ac finis. Deus enim vult ut omnes in me credant, & per fidem in me ſerventur: miſit me Servatorem mundi 1 Joh.iv. 9, 10,14. Damnatio ſine me commode peragi poterat,

ſed ut

ſed ut homines ſervarentur, meo ad illos adventu, mea morte, & ex mortuis reſuſcitatione & glorificatione plurimum erat opus.

Verſ. 48. *Qui rejicit me & non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* Quaſi dicat: Ne putet ſe judicem non habere & damnationis expertem fore.

Sermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in ultimo die. Id eſt, erit ei damnationis cauſa. Sic diceret judex, ego non damno maleficum, ſed Lex, ſi quis ſervet Legem, non damnatur; ſic, ſi quis ſervet ſermonem Chriſti, non damnabitur, ſi vero quis non ſervet, non à Chriſto damnatur, ſed à Chriſti ſermone, proinde ipſe ſibi damnationis eſt cauſa, quia in manu ejus erat ſermonem Chriſti ſervare.

Verſ. 49. *Quia ego ex me ipſo non locutus ſum.* Cauſam exponit, cur ſermo ſuus non creditus & receptus damnet: quaſi dicat, ſi ex me ipſo locutus eſſem, nullam vim damnandi non credentes ſibi ſermo meus haberet. An hoc Deus ille unus de ſe diceret?

Sed qui miſit me Pater. Nempe Deus ille unus.

Ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Cum igitur nihil extra Patris mandatum dicam, nihil loquar, merito ſermo meus damnabit eum qui illum aſpernatur & rejicit.

Verſ. 50. *Et ſcio quod mandatum ejus vita æterna eſt.* Exponit hoc mandatum ſibi datum à Deo, id nimirum eſſe ut vitam æternam omnibus annunciet in ſe credentibus. Vita æterna, pro annunciatione vitæ æternæ, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto. Sic cap. 1. 4.

Scio, inquit, non fallor.

Quæ igitur loquor. Ex dictis verſ. 49. *Pater mihi dedit mandatum quid dicam & quid loquar.* Concluſionem infert, *quæ igitur loquor ego, ſicut dixit mihi Pater ſic loquor*, nihil addo, nihil detraho, nihil muto.

CAPUT XIII.

Verſ. 1. *ANte feſtum autem Paſchatis.* Intellige, executus eſt Jeſus ſingulare factum, quod narraturus ſum, quæ narratio incipit verſ. 4. Intelligit diem paraſceues, quo mactabatur Paſcha, & qui primus erat azymorum Matth. xxvi. 17. Marc. xiv. 12. Luc. xxij. 7. Nam ipſum Paſchatis eſum & feſtum differebant Judæi in Sabbatum, ſi proxime ſequeretur, ut tum acciderat. Incipiebat autem, Hebræorum more, dies à veſpera computari. Itaque hoc factum eſt poſt veſperam, diem ſextum, qui Veneris profano nomine dicitur, proxime antecedentem Matth. xxvi. 20. Marc. xiv. 17.

Sciens Jeſus quod venerit hora ut tranſeat. Alludit ad vocem Paſchæ, quæ tranſitum ſignificat.

Ex mundo hoc ad Patrem. Hic Chriſti futurus erat tranſitus, hoc Paſcha. Enarraturus in ſequentibus Chriſti factum ſingulariſſimum, ſicut & ſermones diviniſſimos, præmittit hæc & ſequentia ad verſ. 4, id eſt, cum Dominus ſciret inſtare horam tranſitus ſui ex hoc mundo per mortem & reſurrectionem ad Patrem, etiam in hoc extremo vitæ ſuæ actu voluit teſtari ſingularem ſuum amorem erga diſcipulos.

Diligens. Ἀγαπήσας, id eſt, cum ſemper dilexerit.

Proprios. Id eſt, ſuos.

Qui in mundo. Intellige erant, diſcipulos nimirum ſuos.

In finem. Id eſt, etiam ad extremum vitæ ſuæ dilexit eos, ut ex ſequenti facto & ſermonibus conſtabit.

Verſ. 2. *Et cœna facta.* Aliam magis ſpecialem & propiorem notat circumſtantiam, nempe poſt cœnam Paſchæ ſolennem & Lege imperatam, quam Dominus, tum Legi potius quam Judæorum mori obſecutus, præcepit. Nam nec ad ſequentem veſperam ac cœnam provicturus erat.

Cum diabolus jam injeciſſet in cor Judæ Simonis Iſcariotæ, ut eum traderet. Jam enim cum Sacerdotibus pactus erat Matth. xxvi. 14. Marc. xiv. 10. Notavit hoc Apoſtolus ſpeciatim: quaſi dicat, quamvis ſciret quid Judas jam cum Sacerdotibus pactus eſſet & in animo agitaret; tamen nihil ea re motus eſt, quominus pedes etiam ſui proditoris lavaret, & exemplum daret ſummæ charitatis & humilitatis. Diabolus hominem avarum & argenti cupidum nactus, injecit in animum ejus cogitationem & conſilium de prodendo per pretii licitationem Chriſto; quod ille lubens arripuit, Sacerdotes adiit & cum iis tranſegit. Videmus diabolum ſuggerere facta, quæ humanæ impietatis modum videntur excedere, ſi animum ad ea diſpoſitum inveniat.

Verſ. 3. *Sciens Jeſus.* Etiam hoc addit, ne quis putaret Jeſum ignoratione futuræ ſuæ majeſtatis, ad ſequens factum, id eſt, ad lavandos diſcipulorum pedes ſeſe demiſiſſe.

Quod omnia dederit, id eſt, dare conſtituerit, *ei Pater in manus.* Hoc eſt quod cap. iij. 35 dicitur *dedit in manus*, tanquam Chriſto ſuo, quem rerum omnium Dominum & hæredem facturus erat.

Et quod à Deo exiverit. Tanquam ejus Legatus, ſcilicet hac tanta dignitate ſe jam affectum ſciebat.

Et ad Deum vadat. Ut ſcilicet apud Deum habitet, & omnia in manus ſuas, id eſt, ſub imperium & poteſtatem accipiat. Sciebat autem hæc Chriſtus à Deo Patre ſuo.

Verſ. 4. *Surgit ex cœna.* Nunc incipit narrare factum Chriſti, ſurgit à cœna, non ut diſcipuli ſimul ſurgerent, ſed ut famulum ageret, qui ſurgere ſolent à cœna ut dominis adhuc accumbentibus miniſtrent. Nimirum diſcipuli tunc erant domini, Dominus erat eorum miniſter.

Verſ. 5. *Deinde mittit aquam in pelvim.* Jam miniſterium ſuum incipit, cujus cauſa à cœna ſurrexerat, & veſtitum herilem depoſuerat, & ſumto linteo ſe præcinxerat.

Et cœpit lavare pedes diſcipulorum. Nimirum prout quiſque propior erat. Quiſque ſe accumbens, pedibus demiſſis, elevabat, Dominus afferebat pelvim cum aqua, & lavabat pedes, non unius alicujus diſcipulorum & ſervorum ſuorum, ſed uniuſcujuſque. Credibile eſt ab ultimo

ince-

Digitized by Google

incepiſſe, & ordine ad Petrum veniſſe, qui primo loco accumbuerat. Solebat enim ille inter Apoſtolos primas ducere. Et hoc erat humilitatis ab ultimo incipere.

Cæpit lavare pedes. Id eſt, lavabat pedes; & cœpit & continuabat. Sic Actor. 1. 1 *cæpit docere & facere*, id eſt, docebat & faciebat. Itaque venit ad Petrum, non lavaturus diſcipulorum pedes, ſed jam lavans, ſeu cum aliorum pedes jam laviſſet, & exterſiſſet lotos.

Verſ. 6. *Venit igitur ad Simonem.* Nempe ordine eum deducente.

Et dicit ei ille; Domine, tu meos lavas pedes! Quaſi dicat, res profecto indigna, ut tu, Dominus & Dei Filius, meos, qui tuus diſcipulus & ſervus ſum, laves pedes, ut ad pedes meos lavandos te demittas! Mirum eſt quod nullus diſcipulorum contradixerit Domino, & omnes paſſi fuerint ſibi lavari pedes, ſumma auctoritate Chriſti victi: ſolus Petrus contradixit, tanto etiam forte magis quod alii paſſi eſſent. Habuit ergo aliquid ſingulare, ſolus è navi ſe dedit in mare ut ſuper fluctus iret ad Dominum, ſolus gladium arripuit & ictum intulit ut Dominum defenderet, ſolus cæteris fugientibus, (Joanne excepto, cujus diſpar erat ratio) Dominum ſecutus eſt, ſolus etiam temeritatis ſuæ pœnas luit. Erat, ut apparet, animo ardentiori quam alii.

Lavas. Id eſt, lavare vis: per metonymiam effectus pro cauſa.

Verſ. 7. *Reſpondit Jeſus & dixit ei; quod ego facio.* Non improbat adhuc Dominus cogitationem & dictum Petri, ſed tantum monet ne ſe impediat, cui monito par erat ut Petrus acquieſceret. Simile quiddam videmus in Joanne Baptiſta, qui tamen à Domino admonitus protinus ceſſit, & hoc ipſo humilitatem animi ſui magis teſtatus eſt, quam recuſatione exhibendi Chriſto baptiſmi Matth. iij. 14, 15.

Tu neſcis. Quatenus ſcilicet cauſam iſtius facti Chriſti neſciebat.

Cognoſces autem poſtea. Nempe poſt abſolutum hoc miniſterium dicam vobis illius cauſam verſ. 13, 14, 15 & ſeqq.

Verſ. 8. *Dicit ei Petrus; Non lavabis mihi pedes in æternum.* Hic jam peccat Petrus, & dum humilis eſſe vult elatum ſe oſtendit. Reſiſtit enim Domino, ſummo conſilio cuncta facienti, & alios diſcipulos tacite accuſat, & ſignificat indignum eſſe ut major lavet pedes minoris. Caveant ergo ne cum Petro peccent, qui ſpecie humilitatis inducti, lavari ſibi pedes ab iis detrectant, qui Domini exemplum imitari & mandatum exequi volunt. Nam ſi Chriſto lavare volenti pedes retrahendi non erant, cui obſecro erunt retrahendi, Chriſti exemplum imitari & mandatum exequi volenti & cupienti? Ita ſæpe vitia ſpecie virtutum imponunt. Neque enim minor eſt humilitas admittere humilitatis miniſteria quam exhibere.

Reſpondit ei Jeſus ſi non lavo te. Nempe reſpectu pedum, per ſynecdochen totius pro parte.

Non habes partem mecum. Nihil tibi mecum eſt commune; renuncio tibi plane. Triſtis ſententia adverſus eos qui lavari ſibi pedes à Domino per ſervos ſuos lavare volenti non ſinunt. Petrus adhuc carnalia ſapiebat, uti & cum Dominum increparet, mortem ſuam ignominioſam prædicentem Matth. xvi. 22, 23. Ideo ſicut tunc aſperam objurgationem, ſic & nunc triſtem denunciationem audire meruit. Dominus ſpiritualia ſemper ſpectabat, eadem & ab ejus diſcipulis unice ſpectanda ſunt Rom. viij. 5. Col. iij. 1.

Verſ. 9. *Dicit ei Simon Petrus, Domine.* Reſponſione Chriſti ceu fulmine percuſſus, protinus reſilit à ſua pertinacia, adeo ut ad aliud extremum delabatur, & ſicut modo defectu peccaverat, ſic nunc modum excedit in obedientia: quaſi dicat, Domine, ſi hæc res tanti eſt ut agatur de meo conſortio tecum,

Non tantum pedes meos, ſed & manus & caput. Intellige, lava. Omnia tibi permitto. Ita Petrus pertinaciam obedientia correxit, & exemplum & hic dedit ſingularis reſipiſcentiæ.

Verſ. 10. *Dicit ei Jeſus; qui lotus eſt.* Nempe toto corpore.

Non opus habet niſi ut pedes lavet. Propterea quod pedes incedendo ſubinde inquinentur. Nam manus haud dubie laverant accubituri.

Sed eſt purus totus. Proinde & quod ad manus ac caput.

Et vos puri eſtis. A propria ſignificatione tranſit ad metaphoricam, ut hac occaſione tangeret Judam proditorem. Addit enim: *Sed non omnes.*

Verſ. 11. *Sciebat enim tradentem ſe.* Id eſt, tradere ſe volentem, quique in hoc erat ut ſe traderet, per metonymiam, ut ſupra verſ. 6 *lavas*, id eſt, lavare vis, & id agis ut laves.

Propter hoc dixit non omnes puri eſtis. Puritatem animi intelligit. Ille animo purus eſt qui in animo nihil habet mali, nihil cogitat & agitat improbi. Tales erant omnes diſcipuli, excepto Juda cujus animus fœdo avaritiæ crimine pollutus erat, quique de Chriſto prodendo jam cum Sacerdotibus pretium licitatus tranſegerat.

Verſ. 12. *Poſtquam igitur lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, cum recubuiſſet.* Miniſterio peracto, & ſumtis quæ depoſuerat veſtimentis, recumbens iterum ad menſam, necdum enim menſa plane ſublata erat verſ. 26, & diſcipuli adhud diſcumbebant verſ. 23.

Dixit eis, cognoſcite quid fecerim vobis. Nunc vobis dicam iſtius facti mei cauſam. Videbant enim quid fecerat, ſed hactenus quid fecerit ignorabant, quatenus ignorabant facti cauſam. Exhibet id quod Petro ſupra pollicitus eſt. verſ. 7.

Verſ. 13. *Vos vocatis me magiſter & dominus.* Cum ſcilicet ad me vel de me loquimini, magiſtri & domini titulo me vocatis.

Et recte dicitis. Cum ſcilicet me magiſtrum & dominum dicitis.

Sum enim. Quippe Chriſtus ille Dei, Magiſter & Dominus κατ' ἐξοχὴν. Etſi ſe demiſerat ad pedes lavandos, conſcius tamen ſibi erat ſuæ dignitatis, ut indicatur ℣. 3.

Digitized by Google

Verſ. 14. *Si igitur ego lavi veſtros pedes, & vos.* Quaſi dicat, qui omnes mei diſcipuli, mei ſervi eſtis, & alii aliorum domini & magiſtri non eſtis.

Debetis alii aliorum lavare pedes. Lavare alicujus pedes pars eſt hoſpitalitatis. Hinc Chriſtus occaſionem ſumſit lavandi pedes diſcipulorum ſuorum, non ut eos hoſpitalitatem per hoc doceret, ſed ut doceret ſingularem charitatem & humilitatem. Officium enim hoc hoſpitalitatis ipſum per ſe etiam per famulum peragi poterat: at tanta charitas & humilitas non poterat. Idcirco illius cauſa non ſemper per famulos, ſed ſæpe per nos ipſos alii aliorum pedes in hoſpitalitatis exercitio lavare debemus. Nam & Chriſtus in hac cœna patremfamilias agebat, ipſius enim mandato erat apparata Matth. xxvi. 17, 19. Marc. xiv. 12, 15. Luc. xxij. 8, 9, 12. Qui ſi ad lavandos diſcipulorum ſuorum pedes ſe demiſit, quanto magis nos debemus ad pedes condiſcipulorum! Non enim hic tam agitur de eo ut hoſpites noſtri lotos habeant pedes; hoc enim manus noſtras non exigit, quam ut nos ſingularem charitatem & humilitatem animi conteſtemur, ad quod manuum noſtrarum admotione ac miniſterio opus eſt. Nec Chriſto defuiſſent alii qui id officii diſcipulis ejus præſtitiſſent. Chriſtus quidem ſemel id tantum fecit; ſed & multis ſimul fecit, & Dominus fecit ſervis, & nec forte uſquam antea præter hanc ultimam cœnam patremfamilias egit. At quin nos id ſæpe faciamus hoſpitibus & fratribus noſtris in Chriſto, nulla profecto cauſa eſt. Nos vero, ne ſemel quidem propriis manibus miniſterium iſtud cuiquam in Chriſto exhibere conati, egregie tamen hoc Chriſti præcepto nos defungi arbitramur? At Chriſtus non animum tantum, ſed & manum ad lavandos aliorum pedes requirit, ut manuum miniſterium animum iſtum ad lavandos aliorum pedes demiſſum ac ſemper paratum exhibeat; ad quod miniſterium, ſi neceſſitatem expectemus, nunquam ea advenerit. Ideo nec Chriſtus eam expectavit.

Verſ. 15. *Exemplum enim dedi vobis.* Rationem reddit præcepti ſuperioris, quia, inquit, exemplum dedi vobis hoc meo facto:

Ut ſicut ego feci vobis, & vos. Pro, ſic & vos, per ellipſin particulæ ſimilitudinis, Hebræis familiarem.

Faciatis. Nempe alii aliis. Ego ſemel, id enim in me Domino & magiſtro veſtro vobis ſufficiebat ad exemplum, vos ſæpe: id enim requiritur ad obedientiam. Nam ut id ſemper faciamus non magis requiritur quam ut ſemper ſacrum panem frangamus; cum ejuſmodi res, in quarum omiſſione nulla natura ſua turpitudo eſt, temporum & occaſionum intervalla pati poſſint; baptiſmum ſane ſemel tantum ſuſcipimus. Cæterum cum nobis datur exemplum, ut ſicut Chriſtus fecit ſic & nos alii aliis faciamus; idem omnino ſpecie requiritur factum aliorum erga alios. Non ſatiſfit exemplo per factum ſpecie diverſum, præſertim cum ut idem ſpecie factum præſtetur, occaſio eſt. Nam exemplum, & quod fieri jubetur ad exemplum, maxime inter ſe convenire debent.

Verſ. 16. *Amen amen dico vobis.* Urget præceptum & exemplum ſuum Chriſtus.

Non eſt major. Id eſt, dignior, per μείωσιν. Significat enim Dominum ſervo, & mittentem Apoſtolo ſeu legato majorem & digniorem eſſe. Nullo modo igitur detrectare debent ſervi & Apoſtoli, quod non detrectavit Dominus, & qui miſit ipſos: quod annon detrectent, experiendum eſt. Cæterum miniſterium hoc charitatis & humilitatis, qua nos exemplo & mandato Chriſti ad lavandos & abſtergendos alii aliorum pedes demittimus, non jam lotis & puris, ſed illotis & impuris pedibus exhibendum eſt, nec loco & tempore alieno, nec cum ſtatus, & ordinis, & ſexus, & ætatis confuſione, aut decori ulla ex parte neglectu, nec tanquam ritus aliquis & ceremonia, ſed tanquam verum eximiæ charitatis & humilitatis inter Chriſtianos, qua alii alios dignos cenſemus quibus pedes lavemus & detergamus, officium ac miniſterium. Debemus enim alii alios honore prævenire, & excellentiores præ nobis ducere Rom. xij. 10. Phil. 2. 3: quod præceptum etiam ipſum ſuum habet convenientem modum ac certos fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Verſ. 17. *Si hoc noſtis.* Nempe quæ dixi, ut ſcilicet alii aliorum pedes exemplo meo lavare non detrectetis, ſi ad iſtius rei notitiam profeciſtis.

Beati eſtis ſi faciatis hæc. Neque enim ad beatitatem ſatis eſt ſcire & noſſe quid faciendum ſit, ſed etiam ut id facias requiritur, nec animo tantum, ſed & manu ac opere.

Verſ. 18. *Non de omnibus vobis loquor.* Quaſi dicat: eſt inter vos ad quem hæc non pertinent, neque ut hæc norit, neque ut beatus ſit, neque ut faciat, meus ex diſcipulo & ſervo & Apoſtolo proditor, quem ſuum ſcelus agit in exitium.

Ego novi. Ne quis diceret, an ergo neſciebas quos eligebas? novi, inquit,

Quos elegerim. Non me fallebat & ille.

Sed ut Scriptura impleretur. Intellige, non mirum eſt rem hanc evenire.

Qui edit mecum panem. Recitat Scripturam Pſal. xli. 10: nempe meum panem. Judas enim edebat panem Chriſti.

Suſtulit in me calcem ſuam. Equo vel aſino indomito ſimilis, qui calcem excutit in dominum ex cujus præſepi ſaturatur. Etiamſi vero Scriptura prædixerit fore ut unus ex diſcipulis familiaribus Chriſtum proderet, nullam illi tamen tanti ſceleris committendi neceſſitatem intulit. Facile enim paſſus fuiſſet Deus, ut hæc non implerentur, ſi homo improbus, & à Chriſto in tam ſanctam ſocietatem electus, mores ſuos mutare voluiſſet. Nam talia non prædicit Deus, niſi de hominibus improbis & in improbitate ſua pergentibus, quæ ſola illos agit in ea quæ de illis prædicuntur facinora. Poſſunt & verba, *ut Scriptura impleretur*, in parentheſi legi, ut ſit ſenſus, ego novi quos elegerim, non nego me vos omnes elegiſſe, ſed qui edit mecum panem, & à me electus eſt in familiare conſortium, ſuſtulit in me calcem ſuam: verba Scripturæ recitat pro ſuis, ſicut & Paulus 1 Cor. 1. 31. Immo idem Chriſtus apud hunc ipſum Joannem cap. xv. 25.

Verſ.

Verſ. 19. *A modo dico vobis, priuſquam fiat.* Nempe ut unus ex vobis à me electis & diſcipulis meis familiariſſimis me prodat.

Ut quando fiat credatis. Nempe tanto magis ac fortius,

Quod ego ſum. Nempe Meſſias ille, per apoſiopeſin Chriſto ſolitam. Nam quando quis ſe pro Propheta, multo vero magis pro Meſſia gerit, & id evenit quod prædicit, argumento hoc eſſe debet eum eſſe Prophetam vel Meſſiam; ſecundum legem divinam Deuter. xviij, niſi forte à vero Deo abducat. At Chriſtus omnes ad verum Deum adduxit.

A modo. Id eſt, nunc. Ideo in eadem ſententia cap. xiv. 20 particula *nunc* reponitur.

Verſ. 20. *Amen amen dico vobis.* Locutus de lavandis aliorum pedibus, quæ hoſpitalitatis pars eſt, commendat in ſpecie hoſpitalitatem erga ſuos legatos, ad quos merito referri poſſunt omnes Euangelii miniſtri.

Qui recipit. Ὁ λαμβάνων, ſimplex pro compoſito, hebræa phraſi, intelligitur in domum ſuam, qua in re includuntur omnia hoſpitalitatis officia.

Si quem mittam me accipit. Nempe in perſona mei legati & miniſtri; tanti hoc eſt atque ſi me recipiat.

Qui vero me recipit, recipit eum qui me miſit. Id eſt, Deum illum unum, quod quia magnum videtur, ideo præmiſit repetitam aſſeverationem. Vide Matth. x. 40. xxv. 40, 45. Non ergo nos pudere debet, ut pedes alii aliorum, & inprimis miniſtrorum Euangelii lavemus: perinde enim hoc eſt atque ſi ipſius Chriſti pedes lavaremus, nec id ſibi fieri recuſare debent qui Chriſtum & nos diligunt.

Verſ. 21. *His dictis Jeſus conturbatus eſt ſpiritu.* Id eſt, animo commotus eſt, ſciens nimirum quid mox ſecum eſſet futurum. Non caruit humanis affectibus hominis Filius, neque ullo modo carere debuit, cum nos iis carere noluerit Deus in perpeſſionibus, ut tanto major eſſet fidei noſtræ victoria; & charitas Dei ejuſque Filii tanto major apparuit, quanto acerbiora bono noſtro ſuſtinuit: *teneamus ergo confeſſionem*, inquit auctor ad Hebr. iv. 15: *non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*

Et teſtatus eſt & dixit. Non dubitanter aſſeruit ſpiritu Prophetico inſtructus.

Amen amen dico vobis. Ipſum Chriſti ſermonem aſſeverantem exponit, ut quanta vi futura prævidendi & prædicendi præditus fuerit appareat.

Quod unus ex vobis. Meis diſcipulis ſingulariter electis, qui hic mecum menſæ accumbitis.

Tradet me. In manus ſcilicet adverſariorum.

Verſ. 22. *Reſpexerunt igitur ad invicem diſcipuli.* Nempe qui ſibi male non erant conſcii. Nam Judas haud dubie facinoris conſcientia tactus, oculos dejecit, nec tamen reſipuit, immo ſumta ex impudentia audacia, & ipſe quærit num proditor eſſet?

Dubitantes de quo dicat. Ideo veſtigantes oculis improbum.

Verſ. 23. *Erat autem accumbens unus ex diſcipulis ejus.* Nempe ex more accumbendi, quia proximus accumbebat Jeſu.

In ſinu. id eſt, ad ſinum.

Quem diligebat Jeſus. Id eſt, ſingulariter præ cæteris. Cauſam indicat ob quam ad ſinum Jeſu accumberet. Mores præ cæteris amabiles haud dubie effecerant ut etiam præ cæteris amabilior eſſet, quod & ſcripta ejus indicant nil niſi amorem & dilectionem ſpirantia. Atque hic eſt iſte ipſe Joannes, ſcriptor hujus libri cap. xxi. 20, 24.

Verſ. 24. *Innuit igitur huic Simon Petrus ut percontaretur quis eſſet de quo diceret.* Voluit omnino Petrus ſceleſtum & proditorem à Chriſto edi, ſed cum ipſe non auderet ex Chriſto percontari, innuit Joanni. Apparet in ſumma Dominum fuiſſe obſervantia & reverentia apud diſcipulos, ita ut nihil minueret de illius auctoritate quotidiana familiaritas, ſed nec invidebant Joanni peculiarem apud Chriſtum gratiam. Ita ſuavitate morum vicerat etiam invidiam.

Verſ. 25. *Is vero cum ſe inclinaſſet ad pectus Jeſu.* Quia ad ſinum Domini poſitum erat Joannis accumbentis caput, facile ſe ita allevare potuit, ut caput ad pectus Domini acclinaret & admoveret amabiliter. Admoto igitur capite pectori Domini,

Dicit ei, Domine, quis eſt? Credo ſubmiſſa voce.

Verſ. 26. *Reſpondit Jeſus.* Submiſſa itidem, ut arbitror, voce.

Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Itaque Chriſtus non tantum in genere ſcivit unum ex diſcipulis ſuum eſſe proditorem, ſed etiam Judam hunc eſſe.

Verſ. 27. *Et poſt fruſtulum tunc introivit in eum Satanas.* Ne ſcilicet à Chriſto tactus animum & conſilium mutaret pœnitentia, antea diabolus injecerat in cor Judæ ut Chriſtum proderet, & cum Sacerdotibus tranſigeret verſ. 3, nunc ſeipſum injicit, Juda non reſiſtente.

Dicit igitur ei Jeſus. Quia nimirum ſciebat quid agitaret.

Quod facis. Id eſt, quod agitas.

Fac cito. Id eſt, cito exequere, noli morari. Hora inſtat: quaſi dicat, quandoquidem te jam Satanæ permiſiſti, age exequere ſine mora tuum facinus. Tale eſt illud, *& vos implete menſuram patrum veſtrorum*, *audientes audite & non intelligite.* *I ſequere Italiam ventis.*

Verſ. 28. *Hoc autem.* Nempe, quod Chriſtus dixit,

Nemo accumbentium intelligebat. Excepto Juda, quia nemo tantam improbitatem capere poterat, ſaltem ſcelus in tam propinquo eſſe non cogitabat.

Verſ. 29. *Quidam enim putabant, quandoquidem marſupium haberet Judas, quod diceret ei Jeſus; eme quibus opus habeamus ad feſtum, aut pauperibus ut aliquid daret.* Probat neminem intellexiſſe quorſum ei dixerit illud, quia quidam putabant longe alio fine id ei dictum eſſe; at ſi quiſquam intellexiſſet, facile id aperuiſſet aliis.

Marſupium. Ei commiſerat Dominus, ut haberet, in quo vel fidem exerceret vel perfidiam: ad deteriora flectere maluit. Locus hic docet non defuiſſe Chriſto marſupium, ex quo & neceſſitatibus ſuis ſuorumque, quin & pauperibus proſpiceret. Unde etiam patet neutiquam eum communionem bonorum inſtituiſſe, ut nemini ſua privatim poſſidere, & in hac parte Chriſtum imitari liceret.

Verſ. 39. *Sumto igitur fruſtulo ſtatim exivit.* Quippe jam verebatur Chriſti conſcientiam, & jam in poteſtate Satanæ erat. Exivit autem ut conſilium exſequeretur, & præſtaret quod Sacerdotibus condixerat, inſtante feſto.

Erat nox. Nam & cœna veſperi cœperat, & in noctem producta erat, & Judas noctu ſcelus ſuum tegere poterat facilius. Credo ritum fractionis panis ante lotionem pedum fuiſſe peractum. Erat enim appendix cœnæ Lucæ xxij. 20, 21, & ſupra verſ. 2, 4.

Cœna facta. Chriſtus laviſſe diſcipulorum pedes dicitur, quibus lotis tamen iterum accubuit, quia nondum menſa ita ſublata erat, quin reliquias cœnæ cui liberet legere licuerit. Ideo Matthæus & Marcus præmittere hanc de proditore narrationem, temporis ordine non obſervato, potuerunt.

Verſ. 31. *Quando igitur exivit.* Nempe ad Chriſtum prodendum & tradendum illa ipſa nocte in manus Sacerdotum.

Dicit Jeſus, nunc glorificatus eſt Filius hominis. Id eſt, nunc glorificabitur, per enallagen Hebræam præteriti pro futuro: quaſi dicat, mors crucis ignominioſiſſima, quam mox ſubibit, erit illi glorioſiſſima, quod eam pro Euangelii veritate, pro mundi vita ſubire non recuſaverit. Sic & nunc glorificantur fideles, quando pro Chriſto pati & mori non recuſant. Hoc ipſum, cum contumeliis, infamia & ignominia onerantur, gloria ipſorum eſt. Hoc intelligebant Apoſtoli, ideo gaviſi ſunt Actor. v. 41, inprimis Paulus, qui non alia de re magis gloriari voluit, quam de ſuis afflictionibus & contumeliis quas patiebatur pro Chriſto.

Et Deus glorificatus eſt. Id eſt, per eandem enallagen, glorificabitur.

In ipſo. Id eſt, per ipſum, dum fiducia & amore in Deum non dubitat pro ejus veritate mori, dum ei obedit uſque ad mortem, mortem autem crucis. Omnes martyres Deum morte ſua glorificant cap. xxi. 19, ſed omnium maxime Chriſtus glorificavit.

Verſ. 32. *Si Deus glorificatus eſt.* Id eſt, glorificabitur, ſummam gloriam conſequetur.

In ipſo. Id eſt, per ipſum.

Et Deus glorificabit ipſum. Id eſt, ſuſcitabit eum ex mortuis, & cæleſti honore ac gloria coronabit.

In ſeipſo. Id eſt, per ſeipſum, per ſuam infinitam potentiam & ſapientiam Epheſ. 1. 19, 20 & ſeqq. Rependet illi Deus ſuam vicem. Hanc & ſuam, veram ac ſolidam, & Dei gloriam, & viciſſim ex Deo in ſe redundaturam, cæleſtem gloriam cogitare debent, exemplo Chriſti, omnes qui vocantur ad martyrium, per ignominias & cruces, & mortes infames.

Et ſtatim glorificabit eum. Tertio enim die ſuſcitabit eum ex mortuis, & exactis quadraginta diebus, ad conteſtandam ſatis ſuperque diſcipulis reſurrectionis ſuæ fidem, aſſumet eum in cælos, & ad dextram ſuam collocabit, omnibus ſub pedes ejus ſubjectis. Hoc Chriſtus, quippe credentium Novi Fœderis Dux ac Princeps ſalutis æternæ, præ cæteris omnibus habere debuit, ut ſtatim poſt mortem ad gloriam ſuam perveniret. Cæteris omnibus dies ultimus & Chriſti adventus exſpectandus eſt 1 Cor. xv. 23: interim fruuntur apud Deum & Chriſtum hac gloria, quod mortem pro veritate & juſtitia & conſcientia Dei non dubitaverint oppetere.

Verſ. 33. *Filioli.* Paternum amorem hac tam blanda appellatione diſcipulis ſuis teſtatur.

Filioli. Id eſt, filii chariſſimi.

Adhuc paululum vobiſcum ſum. Hac ipſa nocte abripiar à vobis. Ita omnia ſibi mox eventura prædicit.

Quæretis me. Nempe à vobis abreptum, quod Petrus & Johannes & Maria cap. xx. 2, 5, & omnes alii fecerant, audito quod corpus ejus in ſepulchro non eſſet, maxime vero reſurrectione ejus audita.

Et ſicut dixi Judæis. Cap. vij. 34.

Et vobis, pro *ſic & vobis.* Per ellipſin particulæ ſimilitudinis, more Hebræo.

Dico nunc. Alio tamen quam Judæis ſenſu, ideo nec iiſdem plane verbis. Judæis enim dixit, *Et non invenietis me.* Hoc diſcipulis non dicit, quia eum inventuri erant poſt mortem ſuſcitatum ex mortuis, & antequam iret ad Patrem. Judæis dixit: *ubi ſum ego*, diſcipulis dicit, *quo quo vado ego, vos non poteſtis venire.* Quia Judæis loquebatur de cælo, diſcipulis loquitur de morte ad quam vadebat pro Euangelii veritate. Eo venire non poterant diſcipuli, ut ex verſ. 36 colligitur. Nam nec vires tantas habebant, nec id Dei conſilium erat. Judæi credere nolentes nunquam poterant in cælum venire; diſcipuli non poterant venire ad mortem pro Euangelio illius tantum temporis reſpectu verſ. 36. Hoc dicit Chriſtus, ne putarent ſe deſeri ab illo, quaſi eos dignari inpoſterum nollet ſuo conſortio; hujus etiam cogitationis amoliendæ cauſa, tam blando, & amabili *filiorum* nomine, compellavit eos titulo. Cæterum ſi Chriſtus etiam tempus illud incluſit, quo cum iis poſt reſurrectionem verſatus eſt, ſignificat ſe iturum ad Patrem, quo ut illi ſecum veniant, fieri, pro illo videlicet tempore, non poſſit. Cui ſenſui hoc obſtat, quod Chriſtum in cælos profectum, quia in cælo apud Patrem eſſe ſciebant, quæſituri non erant diſcipuli, niſi forte animi deſiderio.

Verſ. 34. *Mandatum novum do vobis.* Quaſi dicat, tanquam Pater filiis chariſſimis, ut ſolet pater moriturus mandata dare filiis. Idem facit & Chriſtus, non multa dat mandata, ſed unum tantum, aliorum omnium breve compendium.

Ut diligatis alii alios. Nihil magis pater filiis mandat quam mutuam dilectionem. Ita de Sciluro patre octuaginta filiorum traditur, quod moribundus

bundus ad concordiam eos exhortatus ſit, faſciculo totidem ſagittarum ipſis ad frangendum dato, cum ſingulas & extra faſciculum quiſque nullo negotio fregiſſet, ſignificans unitos inter ſe ſemper invictos fore, diſſolutos autem mutua diſcordia injuriis omnium obnoxios & expoſitos fore. Sed quare dicit novum? Quid antiquius & magis uſitatum eſt dilectionis mandato, non tantum apud Moſen & Prophetas, ſed etiam apud omnes alios homines? Hoc ex ſequentibus Chriſti verbis intelligitur.

Sicut dilexi vos, ut vos diligatis alii alios. Id eſt, ut alii pro aliis animam ponatis, ſicut ego eam pro vobis mox ponam 1 Johan. 3. 16. Hoc mandatum eſt novum & Chriſto proprium, qui deſtruxit mortem, & vitam æternam illuminavit per Euangelium 2 Tim. j. 10. Hæc eſt nobilis illa Chriſtianorum charitas. Tria pari ejuſmodi charitatis recenſet antiquitas: at inter Chriſtianos, in primitiva præſertim eccleſia, innumera ſunt talia charitatis exempla, de Aquila & Priſcilla idipſum teſtatur Apoſtolus Rom. xvj. 4.

Verſ. 35. *in hoc*, id eſt, per hoc, *cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habeatis alii erga alios.* Ἐν ἀλλήλοις, pro ἐις ἀλλήλας: quaſi dicat, rarum eſt inter homines bonum mutua dilectio. Ideoque ſi ea in vobis erit, omnes per hoc cognoſcent vos meos eſſe diſcipulos, quod mihi maximæ gloriæ erit.

Verſ. 36. *Dicit ei Simon Petrus.* Hæret Petro in animo Chriſti diſceſſio, ideo quærit,

Domine quo vadis? Reſpondit ei Jeſus, quo vado non potes me nunc ſequi. Neque in mortem pro Euangelii veritate, neque ex morte in cælum ad Patrem.

Poſtea autem ſequeris me. Et in crucem & in mortem, & ex cruce ac morte in cælum ad Patrem.

Verſ. 34. *Dicit ei Petrus, Domine.* Si de periculo vitæ agitur, (neque enim video quid aliud me poſſit impedire) *animam meam pro te ponam.* Id eſt, tui cauſa, ut te ſervem, vel tecum oppetam. Nec ſane deerat Petro militaris fortitudo pugnandi & moriendi pro Chriſto, ut res docuit, ſed Chriſtus de alia fortitudine loquebatur, cui tum Petrus multum impar erat.

Verſ. 38. *Reſpondit ei Jeſus; animam tuam pro me pones?* Interrogatio vim habens negationis; nempe, non gladium pro me ſtringendo, & carnalem ineundo pugnam, ſed pro me & confeſſione mea lem mortem quiete patiendo. O quam tu longe nunc abes ab hac fortitudine.

Amen amen dico tibi. Aſſeveranter rem futuram prædicit Chriſtus, ſi nimirum Petrus iret, & ſe in periculum daret. Omni ex parte patet divina Jeſu ſapientia, proinde quem ſe profitabatur eſſe Chriſtum, quippe qui eventura, idque contingenter, tam accurate & cum circumſtantiis prævidit & prædixit, atque ſi ea jam fieri videret? non canet gallus, nempe hac nocte, non canet ſecundo, ut ex Marco intelligitur.

Donec abneges me ter. Vide cap. xviij. 17, 25, 27. Ita poſt primam abnegationem gallus in primo gallicinio ultimo cecinit. Cæteræ duæ evenerunt antequam ſecundum gallicinium inciperet. Futura contingentia tam aſſeveranter prævidere & prædicere multo major ac divinior eſt ſapientia quam prævidere & prædicere certo & ex Dei deſtinatione futura. Neque vero falſus fuiſſet Chriſtus ſi ea non eveniſſent, quippe qui ſciret nullam eſſe in iſtiuſmodi rebus neceſſitatem veram. Habent enim ſibi ſemper annexam tacite conditionem aliquam, ut in hoc facto; ſi Petrus iret, & ſe in tentationem hanc cui non ſufficiebat conjiceret, ſi interrogaretur, idque ter, ante ſecundum gallicinium; quod quia nihil impediebat quominus fieret, idcirco Chriſtus ternam iſtam Petri abnegationem prævidit & prædixit, idque cum aſſeveratione. Neque culpandæ ſunt ejuſmodi prædictiones ſi non eveniant, ſed ſi eveniant maxime admirandæ.

CAPUT XIV.

Verſ. 1. NE *turbetur veſtrum cor.* Videbat illos animo valde fuiſſe conturbatos ob dicta ſua tam triſtia, & multo magis turbatum iri rebus quas prædicebat evenientibus.

Ne turbetur veſtrum cor. Id eſt, animus veſter, ægritudine ſcilicet & metu.

Creditis in Deum. Qui omnia vertet in bonum.

Et in me credite. Quippe Dei Filium, Meſſiam illum. Videtur reſpexiſſe ad illa Scripturæ verba: *Credidit populus in Deum & in Moſen ſervum ejus* Exod. xiv. ℣. ultimo. Erat enim Moſes typus Meſſiæ. Eſt vero hoc præceptum Euangelicum, ut & in Chriſtum credamus, ſeu ut in Deum credamus per Chriſtum 1 Pet. 1. 21. Vide hic Chriſtum tanquam diverſum Deo opponi, & Chriſtianos à Judæis per fidem in Chriſtum diſcriminari. Irenæus lib. 4. cap. 27. *Quid autem*, inquit, *erat plus*, nempe *quam in Lege? Primo quidem non tantum in Patrem, ſed & in Filium ejus jam manifeſtatum credere*, capite vero 47: *In Novo Teſtamento ea quæ eſt ad Deum fides aucta eſt, addiſamentum accipiens Filium Dei.*

Verſ. 2. *In domo Patris mei.* Id eſt, Dei illius unius, qui me Chriſtum & Filium ſuum fecit.

Manſiones multæ ſunt. Alludit ad magnorum Regnum domos, in quibus multæ ſolent eſſe manſiones. Significat in illa cælesti Patris ſui domo manſionem etiam fore pro ſuis diſcipulis.

Si vero non. Id eſt, ſi non foret ibi manſio pro vobis diſcipulis meis.

Dicerem vobis. Quaſi dicat, cur enim vos seducerem & vana ſpe lactarem? Cur mille calamitatibus & me & vos ſub inaniſſima ſpe objicerem?

Proficiſcor parare vobis locum. Nunc abitus ſui cauſam exponit. *Proficiſcor*, nempe ad Patrem, *ut parem vobis locum*, in Patris mei domo: quaſi dicat, in quam non admitteremini, niſi ego prius ſingularis ejus Filius in eam intrarem, & ea facerem omnia quæ eo pertinent ut iſtic locum habeatis. Significat ſe ſuſcitatum iri ex morte. Neque enim aliter ad Patrem proficiſci, & nobis in domo Patris locum parare, noſtram ſalutem procurare, & ad nos redire, noſque ad ſe recipere, in ſumma, Chriſtus ille Dei, & Rex & caput noſtrum eſſe poterat, per quod nobis in cælo locus paratus eſt.

Verſ. 2. *Et ſi proficiſcar & parem vobis locum,* *iterum*

iterum venio & accipiam vos ad me ipſum. Ne dicerent, at quomodo tamen nos eo perveniemus? Ipſe redeo, inquit, & recipiam vos ad me ipſum. Vide 1 Theſſ. iv. 17.

Ut ubi ſum ego & vos ſitis. Id eſt, in domo Patris. Jam ſe ibi eſſe dicit, quia brevi futurus erat. Eadem enallage temporis eſt in verbis, *proficiſcor*, *rurſus venio*. Ex his à Chriſto dictis facile erat inferre; non eſt igitur ut vel morte vel diſceſſu meo quicquam turbemini.

Verſ. 4. *Et quo ego vado noſtis.* Ne dicerent, ubi ergo eris? Noſtis, inquit, quo ego vado, & ſic ubi ero & manebo. Noſſe eos dicit, quia id eis ſæpe dixerat, per metonymiam effecti pro cauſa. Dixit autem etiam in ſuperioribus verbis, quod proficiſcatur in domum Patris, ut eis ibi locum paret, & ſic ad Patrem.

Et viam noſtis. Nempe me, quod ſcilicet ſim Chriſtus ille Dei Filius.

Verſ. 5. *Dicit ei Thomas, Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* Nimirum, quia Thomas de loco aliquo terreno & via terrena cogitabat.

Verſ. 6. *Dicit ei Jeſus: ego ſum via.* Revocat Thomam à cogitatione rerum terrenarum ad cæleſtia, à via terrena ad ſpiritualem: quaſi dicat, ego ſum iſta via de qua loquor.

Et veritas. Quia veritatem docebat, per metonymiam effecti pro cauſa.

Et vita. Eadem metonymia, quia vitam, nempe æternam, confert. Utraque & veritatis & vitæ appellatione cauſam exprimit ob quam ſe viam appellet. Via enim ad terminum ſuum ducit, & veritas quam Chriſtus docet ad vitam ducit.

Nemo venit ad Patrem niſi per me. Clarius rem explicat: quaſi dicat, viam merito me dico, quia nemo venit ad Patrem, id eſt, unum illum Deum, niſi per me, id eſt, niſi in me credat. Ego duco ad Patrem inſtar viæ, qui ergo ad Patrem venire velit, per me illi eſt incedendum.

Verſ. 7. *Si cognoſceretis me, & Patrem meum utique cognoſceretis.* Rem adhuc confirmat: quaſi dicat, cognitio Patris eſt via ducens ad Patrem: at ſi me cognoſceretis, & Patrem meum cognoſceretis. Cognoſcitur Chriſtus cum ejus doctrina cognoſcitur; at cum ejus doctrina cognoſcitur, voluntas Patris, & ſic Pater cognoſcitur.

Et a modo. Id eſt, nunc. Vide cap. xiij. 19.

Cognoſcitis eum. Dum ſcilicet me cognoſcitis.

Et vidiſtis eum. Dum ſcilicet me vidiſtis, id eſt, videtis, Hebræo more, qui verba præſentis temporis non habent: ideo & cum præſenti *cognoſcitis* conjungitur: quaſi dicat, nihil enim aliud ex ipſo audiretis & diſceretis quam idipſum quod ex me auditis & diſcitis. Ipſe Chriſtus dicti ſui cauſam mox explicat verſ. 10.

Verſ. 8. *Dicit ei Philippus.* Tacite negat Philippus ſe cognnſcere & vidiſſe Patrem, dum eum ſibi petit oſtendi; nimirum quia non intelligebat Chriſti mentem.

Oſtende nobis Patrem. Id eſt, Deum illum unum, fac ut eum videamus.

Et ſufficit. Id eſt, ſufficiet, per enallagen temporis, *Nobis.* Jam nihil ultra deſiderabimus, jam erimus hoc contenti. Credo viſionem Dei poſcit, quales in veteri Teſtamento multis ſanctis contigiſſe norat. Chriſtus eo non opus eſſe ſignificat, & pro eo quod ille dixit, ſufficiet nobis ſi Patrem nobis oſtenderis, docet ſufficere illis abunde quod ſe Filium illum unicum Patris videant.

Verſ. 9. *Dicit ei Jeſus.* Ut nimirum eum in viam & ad mentis ſuæ intellectum deducat.

Tantum tempus vobiſcum ſum & non cognoviſtis me? Nempe quod ſim Chriſtus ille Dei Filius.

Philippe, qui vidit me vidit Patrem meum. Nempe in me.

Et quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem? Quaſi tibi nunc non ſatis ſit me vidiſſe.

Verſ. 10. *Non credis.* Oſtendit & convincit Philippum, quod dum ipſum videat Patrem videat, *non credis*, inquit, *quod ego in Patre & Pater in me eſt?* Non dicit, quod ego ſim unus ille Deus qui Pater, ſed quod ſim Patri conjunctiſſimus. Aliud enim eſt alterum eſſe alterum, aliud alterum eſſe in altero. Vinum non eſt aqua, nec aqua eſt vinum, ſed vinum eſſe poteſt in aqua, & aqua in vino, propter arctiſſimam conjunctionem, quæ ad perſonas translata de perſonis intelligenda eſt convenienter, & de Patre ac Filio eo modo quo ſtatim exponit ipſe Filius.

Verba quæ ego loquor vobis a me ipſo non loquor. Explicat hanc conjunctionem, quod ſcilicet verba quæ iis loquatur, à ſeipſo non loquatur, proinde ſua verba non ſua, id eſt, non à ſe inventa & excogitata, ſed Patris eſſe verba, & á Patre ori ſuo impoſita, ut ſic qui ſe videat, id eſt, cognoſcat, Patrem videat, id eſt, cognoſcat. Loquitur enim de animi viſu non corporis.

Pater autem qui in me manet. Dum ſcilicet per me loquitur, & mihi ſic conjunctiſſimus eſt.

Ipſe facit opera. Nempe illa miraculoſa, ut ſcilicet me à me ipſo non loqui, ſed me in ſe & ſe in me eſſe demonſtret. Neque enim ego per me & mihi relictus illa facere ullo modo poſſem.

Verſ. 11. *Credite mihi.* Quia dixerat, non credis? inſtat exhortando ad fidem, cui efficiendæ Pater ipſe faciat illa opera.

Quod ego in Patre & Pater in me. Quod ego ſim conjunctiſſimus Patri, ita ut verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquar, ſed ea per me loquatur Pater. En unionem Dei illius unius cum homine Chriſto, Patris cum Filio, ut alias uniones hic cogitare & excogitare nihil attineat: immo plurimum attineat nullum aliam cogitare. Jam enim nec Filius eſſet in Patre nec Pater in Filio, ſi Filius & Pater iidem eſſent ulla ratione numero.

Si vero non. Id eſt, ſi vero non credatis mihi propter ſolam aſſertionem meam.

Propter opera ipſa credite mihi. Quaſi dicat, etiamſi alia ut hoc mihi credatis non haberetis documenta. Atqui opera illa non probant Jeſum eſſe Deum illum unum, ut ex ſequentibus patet, ſed hoc ſolum, eum eſſe à Deo miſſum, & à Deo non à ſeipſo loqui: ſicut opera Apoſtolorum miraculoſa non oſtendebant eos eſſe Deum illum unum aut Chriſtum, ſed conſentire cum Deo & Chriſto, nec quicquam loqui extra ejus voluntatem. Quo pacto

& Apo-

& Apoſtoli erant in Chriſto, & Chriſtus in Apoſtolis verſ. 20. cap. xv. 5. xvij. 21, 23.

Verſ. 12. *Amen amen dico vobis.* Ut magis confirmet ſe Deo conjunctiſſimum eſſe, promittit cum aſſeveratione, fore ut & is qui credat in ipſum, eadem opera faciat quæ ipſe, & his adhuc majora.

Qui credit in me. Tanquam in Dei Filium ſeu Meſſiam. Non univerſaliter hoc dicit, ſed indefinite, quia multos, non omnes in ſe credentes hic intelligit. Similem locutionem habuimus cap. v. verſ. 25.

Opera quæ ego facio & ille faciet. Id eſt, dæmonia ejiciet, cœcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem, mortuis vitam reſtituet. Manendum enim eſt intra ſubjectam materiam; & opera eadem ſpecie non eadem numero intelligenda ſunt.

Et majora his faciet. Id eſt, linguis loquetur variis. Apoſtoli etiam id habuerunt ut per manuum ſuarum impoſitionem daretur Spiritus Sanctus, & ut eorum umbra & ſudaria morbos ſanarent.

Quia ego ad Patrem meum vado. Id eſt, vadam, per enallagen temporis: quaſi dicat, apud quem cum ero, efficiam ut id fiat quod dixi, & ipſe per vos majora his quæ ego per me nunc facio opera faciam.

Verſ. 13. *Et quicquid petieritis.* Extendit adhuc quammaxime promiſſionem ſuam, ſed ad Apoſtolos directam. Nam & ſuperius in Apoſtolis maxime erat locum habiturum. Pertinet tamen hæc promiſſio etiam ad omnes Chriſti diſcipulos, ſecundum cujuſque rationem ac modum. Petere enim quiſque debet ea quæ divinæ voluntati ſunt conformia, cui ſe quiſque Chriſti ipſius exemplo debet ſubjicere.

In nomine meo. Id eſt, nomen meum præferentes tanquam mei diſcipuli. Similis phraſis occurrit Jerem. xiv. 14, 15. xxiij. 25. Vel quod magis precibus reſpondet, per nomen meum, *in* pro *per*, ſueto Hebraiſmo, qui etiam in hoc ipſo commate mox occurrit. Per nomen autem Jeſu Chriſti petere, eſt eum quem petis, nominis Jeſu Chriſti amore ac gloria obligare, per metonymiam ſubjecti. Sic dicere ſolemus; rogo per nomen Dei vel Chriſti, id eſt, ut propter nomen Dei vel Chriſti facias, ſeu quam tibi charum eſt nomen Dei & Chriſti illiuſque gloria. Deo certe nihil eſt nominis Jeſu Chriſti gloria charius, quia in hac gloria maxima Dei continetur gloria.

Hoc faciam. Quaſi dicat, etiamſi vel maxima miracula petatis, & montium tranſlationem, *faciam*, inquit, non tantum illa qua polleo apud Patrem gratia & auctoritate, ſed etiam quam habiturus ſum apud Patrem rerum omnium poteſtate. Quia ſe facturum hic dicit quicquid petierint, ideo etiam hic abſolute dixiſſe videtur, quicquid petieritis, innuens nos etiam ad ſe preces dirigere poſſe. Sive enim Patrem petimus per nomen Filii ejus, ſive ipſum Jeſum Chriſtum per nomen ſuum, perinde eſt. Nam & Pater invocatur in Filio, & Filius ab iis qui per nomen ejus petunt invocatur in Patre ſupra verſ. 7. Docuit novam fidem: nunc etiam docet novam orandi rationem. Olim orabatur Deus per nomen Abrahami, Iſaaci, Jacobi & Davidis; nunc orandum eſt per nomen Chriſti: per illorum nomen tanquam in memoria Dei viventium, per Chriſti nomen tanquam reipſa cum Deo & apud Deum viventis & à dextris ejus collocati.

Et glorificetur Pater in Filio. Id eſt, per Filium. Docet quare facturus ſit quicquid in ſuo nomine petierint, ut, inquit, gloriam maximam conſequatur Pater per Filium, id eſt, Chriſtum ſuum, cui rerum omnium poteſtatem tradidit. Finis enim omnium eſt gloria Patris unius illius Dei, hanc & ipſe Filius unice quærit, in hanc & omnis Filii ſeu Chriſti ejus gloria dirigitur ac tendit Phil. 2. 11.

Verſ. 14. *Si quid petieritis in nomine meo ego faciam.* Repetit quod dixit, ut id tanto magis inculcet, quippe rem multo maximam, & ad conſolationem diſcipulorum maxime ſpectantem & efficaciſſimam: quaſi dicat, non eſt ergo quod ob meum à vobis diſceſſum quidquam turbemini; quin potius eſt quod ob eum exultetis. Niſi enim ego ad Patrem abeam, tanta bona vobis non contingent: ſed ſi abeam, omnino contingent.

Antea dixit, *hoc faciam*, nunc expreſſius dicit, *ego faciam.* Quaſi dicat, ego, ego faciam, ne putarent ullum alium id facturum eſſe. Docet hic locus divinam Chriſti ſuorum curam, & rerum omnium poteſtatem, & quam merito invocetur à ſuis in Dei Patris gloriam.

Verſ. 15. *Si diligitis me.* Quaſi dicat, non in eo veſter in me amor ſe exerceat, ut ob meum à vobis diſceſſum triſtemini, qui vobis tanta bona allaturus eſt,

Sed ſi me diligitis, mandata mea ſervate. Id eſt, in nomen meum tanquam Filii Dei credite, & alii alios diligite, ſicut ego vos dilexi. In hanc enim ſummam Joannes ipſe Chriſti mandata retulit 1 Joh. iij. 23. Nulla in re melius exercetur & ſeſe exercet amor in Chriſtum, quam in diligenti mandatorum ejus obſervatione.

Verſ. 16. *Et ego rogabo Patrem.* Rem novam iis promittit, eamque omnibus aliis ſignis & miraculis longe majorem: quaſi dicat, & ego viciſſim amorem meum erga vos exercebo.

Rogabo Patrem. Nempe ante mortem meam, & reſuſcitatus ex morte, antequam à dextris Dei Patris mei conſideam.

Et alium Paracletum dabit vobis. Nempe per me. Ità enim mihi Pater rerum omnium poteſtatem conferet, ut etiam hunc Paracletum juris & poſſeſſionis meæ faciat Act. ij. 33, quem ego vobis nomine Patris mei dabo, ut non tantum me apud Patrem in cælis; ſed etiam in terris mei loco alium Paracletum habeatis. Ego adhuc vobiſcum manens fui veſter Paracletus, vos conſolatus ſum, vos docui, vos rexi ac duxi, pro vobis interpellavi, (hæc enim omnia continet Parcleti appellatio) ſed me à vobis abeunte ſuccedet pro me Paracletus alius, quem vobis Pater, & propter me, ſeu rogatus à me, & per me dabit.

Ut maneat vobiſcum in ſeculum. Id eſt, non ad tempus ſicut ego, ſed ſemper quamdiu vixeritis, ſi nimirum me diligatis & mandata mea ſervetis. Omnes enim Chriſti promiſſiones hanc conditionem habent adjunctam, ſive expreſſe, ſive tacite, ut fruſtra ſint qui ex ejuſmodi promiſſionibus colligant eccleſiam errare non poſſe. Neque enim qui Spiritum Sanctum habent, ideo & peccare, & errare, & ultra quam oportet ſapere, & ſic deſipere non poſſunt; cum legamus multos qui in nomine Chriſti prophetarint & varia fecerint miracula, operatores fuiſſe iniqui-

quitatis, multos Spiritui Sancto reſtitiſſe, eum contumelia affeciſſe, contriſtaſſe; & tot Apoſtolicæ admonitiones ad eos extent qui Spiritum Sanctum acceperant, ut Chriſtianæ pietatis officia exerceant, & ſecundum ſpiritum ambulent, non ſecundum carnem, & à ſpiritu ſe regi, nec à veritate abduci patiantur. Nam & errare ſæpe peccare eſt, idque etiam graviſſime, cum ſcilicet errant, qui errare, & ubi errare minime deberent, & quod pejus eſt, etiam alios errare docent: & peccare vix unquam datur ſine aliquo errore. Nec qui Spiritum Sanctum habent, ſemper illum in ſe excitant ut illo acti loquantur, cujus rei exemplum in Eliſæo videmus 2 Reg. iij. 15. Quid quod Prophetæ poſſint etiam ob Spiritus Sancti dona inflari & animo efferri. Hinc lex Dei in Prophetam qui ſuperbe agat, & loquatur verbum à Domino ſibi non mandatum Deut. xviij. 20, 21. Apoſtolo Paulo, ne ob revelationum excellentiam ſeſe efferret, Angelus ſatan additus fuit, qui ipſum colaphizaret 2 Cor. xij. 7. Et quis magis ſeducere queat quam Propheta, ſi ad prava declinet? Hinc Prophetarum ſermones alii dijudicare jubentur, & ſi alteri ſedenti revelatum ſit primus tacere jubetur, & Spiritus Prophetarum Prophetis dicuntur eſſe ſubjecti, quia non ſit tumultuationis Deus ſed pacis 1 Cor. xiv. 24, 30. Quo vero fine hæc dicuntur, quam ne Prophetæ alii aliis obſtrepant, alii alios impediant, ſibi cedant invicem, nihil inter ſe diſſentaneum loquantur & doceant? *Ex vobis ipſis*, inquit Paulus, ſeniores alloquens eccleſiæ Epheſinæ Spiritu Sancto præditos, *exſurgent viri loquentes perverſa, ut abſtrahant diſcipulos poſt ſe* Act. xx. 30. Non quidem Propheta tunc agitur Spiritu Sancto cum perverſa loquitur, ſed antea agebatur, ut Balaam, vel citra & præter talia agi poteſt, ut Caiphas. Nicolaitæ certe, jure an injuria Nicolai illius Diaconi de quo Act. vj. 5 nomen & auctoritatem præferebant. Et tot hæreſes tanta vi & tanto ſucceſſu in eccleſiam invectæ, an putamus viles auctores habuerunt? Apoſtoli ſane non errarunt in doctrina de fide, quia ſemper de fide per Spiritum Sanctum loqui voluerunt & locuti ſunt. At hoc alios feciſſe ex Apoſtolorum doctrina tanquam ex norma cognoſcendum eſt. Extra fidem & Paulus ignoravit ſibi cum ſummo Sacerdote rem eſſe Actor. xxiij. 3, 5. Nam ſi quis Paulum ex inconſiderantia lapſum dicat, perinde eſt, cum inconſideraotia cauſa ſit ignorantiæ, & in eum qui Spiritum Sanctum habet cadere poteſt inconſiderantia, cadere etiam poteſt & ignorantia. Eccleſiam certe ſecundum Apoſtolorum vaticinia, adeo moribus corruptam ac depravatam videmus, ut vi pietatis extincta ſola pietatis inanis ſpecies ſuperſit 2 Tim. iij. verſ. 1 & ſequentibus: & dubitabimus adhuc de corruptione ejus quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ? 2 Tim. iv. 3. 4, deque apoſtaſia ab Apoſtolo prædicta? 2 Theſſ. 2. 3, 11, 12. Doctrina qualis nunc habetur in eccleſia, ita corruptis eccleſiæ moribus eſt attemperata, (iis quæ ſola primitus in eccleſia fuerunt, & ab Apoſtolis tradita ſunt, ab admixtione errorum mente ſeparatis & exceptis) ut in vocum muſicalium concentu nulla major detur harmonia. Omnia enim eo tendunt, ut hominibus fidem faciant æternæ ſalutis, citra vitæ, quam Chriſtus diſcipulis ſuis præcepit, ſanctitatem.

Verſ. 17. *Spiritum veritatis.* Id eſt, ſpiritum veracem, per duo ſubſtantiva, Hebræa phraſi. Exponit quid per Paracletum intelligat, nempe non perſonam aliquam proprie dictam, ſed ſpiritum, id eſt, afflatum divinum, veritatem inſpirantem & mentiri neſcium. Hinc Joannes de eodem ſpiritu: *ſpiritus eſt qui teſtatur quia ſpiritus eſt veritas* 1 Joh. v. 6. Poterant enim diſcipuli putare Chriſtum de perſona aliqua proprie dicta loqui. Quod autem eum tanquam perſonam inducat, id facit comparatione ſui, per elegantem metaphoram ac loquendi rationem, quales ex comparationibus oriri ſolent. Simili ratione David Pſal. cxix, cum dixiſſet, *principes adverſum ſe conſultare*, illorum comparatione, *ſtatuta divina viros conſilii* ſeu *conſiliarios ſuos* appellat. Hac loquendi ratione hic cœpta, eandem porro Chriſtus obſervat verſ. 26. cap. xv. 26. xvj. 7, 8, 13, 14. Ut mirum non ſit, quod de eodem ſpiritu in cælum jam profecturus loquens, eundem Patri & Filio, veris perſonis, tanquam perſonam tertiam, eadem loquendi ratione adjunxerit Matth. xxviij. 19. Conſtat enim Apoſtolis ita datum, ita miſſum Spiritum Sanctum, quin & aliis omnibus Chriſti diſcipulis, ut eo quiſque fuerit afflatus, & quiſque intra ſe portionem ejus acceperit.

Quem mundus. Id eſt, homines in me non credentes. Semper enim mundus veris Chriſti diſcipulis opponitur, etiam nunc poſtquam mundus ad Chriſti nomen eſt converſus. Non ante enim converti voluit quam veritas Chriſtiana per varias corruptelas ad mundi ſenſum & guſtum attemperaretur 2 Theſſ. 2. 11, 12: quæ cum pura mundo exhibetur, ſemper mundi odia irritat adverſus ejus profeſſores. Appellantur autem adverſarii Chriſtianæ veritatis mundus, non tantum quod mundum hunc ultra quam par eſt ament, ſed etiam quod eorum plenus ſit mundus. Veritatis autem puræ ſectatores, & non ſolum ejus profeſſione, ſed etiam moribus ei conformibus ab aliis diſcrepantes, ſemper ſint aliorum comparatione pauciſſimi.

Non poteſt accipere. Quatenus nimirum illo plane iodignum ſeſe reddit.

Quia non videt eum. Nempe in me, id eſt, videre non vult, quamvis tot illius effecta in me videat.

Neque cognoſcit eum. Nempe eſſe Dei & veritatis ſpiritum, quamvis cognoſcere poſſet & omnino deberet, quinimmo blaſphemiis eum inceſſit.

Vos autem cognoſcitis eum, quia apud vos manet. Id eſt, in contubernio vobiſcum, nempe in me.

Et in vobis erit. Quaſi dicat, nuoc eſt apud vos in me, ſed poſtea in vobis etiam ipſis erit.

Verſ. 18. *Non relinquam vos orbos.* Quaſi dicat, etiamſi moriar & vos interea futuri ſitis tanquam orbi ſine Patre, ſine tutore & defenſore: ſed non diu in hac orbitate manebitis.

Venio ad vos. Id eſt, veniam ſuſcitatus ex mortuis cap. xx. 19, 20, 26.

Verſ. 19. *Adhuc paululum & mundus me non amplius videbit.* Quaſi dicat, nam craſtino die me occidet.

Vos autem videbitis me. Quaſi dicat, quamvis me mundus occiderit.

Quia ego vivo. Id eſt, vivam, tertio die ſuſcitatus ex mortuis.

Et vos vivetis. Quaſi dicat, eodem modo quo ego, quamvis moriamini. Solent quidem & illi per metaphoram vivere dici, quibus ex triſtitia ſingularis affulget lætitia 1 Theſſ. iij. 8, ſed ſenſus proprius plenior eſt, qui & metaphoricum illum in ſummo gradu continet.

Verſ. 20. *In illa die.* Cum ſcilicet videbitis me à Deo ſuſcitatum eſſe ex mortuis. Diem ponit pro toto illo tempore.

Cognoſcetis. Nempe plene & perſecte. *Vos.* Quaſi dicat, nam mundus me non videbit, ut dixi.

Quod ego in Patre. Intellige, & Pater in me; (hæc enim ſunt teciproca) per ellipſin verbi ſubſtantivi, quæ & in ſequentibus ſtatim occurrit, id eſt, quod ego ſim Patri conjunctiſſimus, & Pater mihi, ita ut nihil à meipſo loquar. Vide verſ. 10.

Et vos in me. Intellige, eritis.

Et ego in vobis. Intellige, ero, id eſt, illa dies efficiet ut vos mihi penitus conjungamini, & ego vobis, ut, inquam, mihi & meæ doctrinæ penitus adhæreatis. Non enim dicere voluit, in illa die cognoſcetis quod vos in me eſtis & ego in vobis ſum, cum hoc habere nemo poſſit quin id ſciat & cognoſcat. Hic videmus Filium eſſe in Patre & Patrem eſſe in Filio, nihil minus ſignificare quam Filium eſſe unum illum Deum qui Pater eſt; cum & diſcipuli ſint in Chriſto, & Chriſtus in diſcipulis, quin & omnes Chriſtiani ſint in Deo, & Deus in illis, neque tamen hoc quidquam ad unam & eandem numero pertinent eſſentiam, non magis quam cum dicimus palmitem eſſe in vite, & vitem in palmite, vel annulum eſſe in annulo. Conjunctionem hoc arctiſſimam ſignificat, quin & unitatem, ſed in mente præditis ſeu perſonis, unitatem concordiæ, non eſſentiæ. Quorum alterum in altero eſt, duæ ſunt eſſentiæ; ut ſi vinum dicatur eſſe in aqua, & aqua in vino; ſed inter ſe conjunctæ & commiſtæ: quod ad perſonas transfertur ad ſignificandam arctiſſimam inter ipſas animorum conjunctionem.

Verſ. 21. *Qui habet mandata mea.* Quatenus ea novit. Docendo enim nobis traduntur Chriſti mandata, nos ea accipimus, & ſic habemus cognoſcendo.

Et ſervat ea. In omnibus ſuis actionibus, ne ulla in re violentur & lædantur.

Ille eſt qui me diligit. Quaſi dicat, ille demum, non ille qui triſtatur ob meum ad Patrem diſceſſum, aut aliud aliquid facit quod ego non mandavi, nec mihi acceptum eſt. Cauſam tacitè reddit ſuperioris dicti ſui verſ. 15. Habenda ſunt Chriſti mandata ut ea ſervemus, ſervanda ſunt ut per id dilectionem erga Chriſtum exerceamus.

Qui vero diligit me, diligetur à Patre meo. Quid enim gratius eſt Patri quam ſi quis Filium ejus chariſſimum diligat?

Et ego diligam eum. Quid enim æquius quam amantem redamare.

Et manifeſtabo ei meipſum. Effectum dilectionis ſuæ exponit. Conſpiciendum ei meipſum dabo, nempe per Spiritum Sanctum, ut tam certus ſit mei & mearum promiſſionum, atque ſi me ſuis oculis videat; quin & arcana doctrinæ meæ cognoſcet cap. xvj. 13. Videtur enim Chriſtus longe ultra quam ad illud tempus, quo ſe ſtatim poſt reſurrectionem ſuis conſpiciendum dedit, reſpexiſſe, & hanc promiſſionem etiam nunc implere.

Verſ. 22. *Dicit ei Judas, non Iſcariotes.* Nam ille jam abiverat cap. xiij. 30. Judas hic eſt Apoſtolorum unus, qui & Lebbæus, cognomento Thaddæus.

Domine quid factum eſt? Quid cauſæ intervenit?

Quod nobis manifeſtaturus es teipſum, & non mundo? Quaſi dicat, an non in oculis mundi totius regnabis? Secundum carnem hanc manifeſtationem intellexit Judas; alioquin hoc non miraretur, neque interrogaret: cur non mundo? jam enim ex Chriſto cauſam iſtius rei audiverat verſ. 17.

Verſ. 23. *Reſpondit Jeſus & dixit ei.* Non reſpondit ad interrogationem minime neceſſariam, neque Judas tum ſpiritualis ac cæleſtis regni Chriſti & manifeſtationis capax erat.

Si quis diligit me ſermonem meum ſervet. Quaſi dicat, omitte quæſtionem non neceſſariam, & patere me ſermonem perſequi de dilectione mei. Ut ſciatis (in quo ſita vobis ſunt omnia) quæ ſit vera dilectio mei. Dixi eum qui mandata mea ſervat me diligere, nunc viciſſim dico, ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Convertibilia ſunt iſta, ſermonem meum ſervare & me diligere, unum ab alio ſeparari non poteſt. Sermonem pro mandatis ponit, quia omnem ſuum ſermonem intelligit quem nobis ad ſervandum dedit.

Et Pater meus diliget eum. Repetit priorem dilectionis erga ſe fructum; neque enim ſatis celebrari & inculcari poteſt: de ſua viciſſim dilectione expreſſe nunc non dicit, ſed eam intelligit, & in effectu qui ſequitur, ponit ac manifeſte includit.

Et ad eum veniemus. Nempe Pater & ego.

Et manſionem apud eum faciemus. Nempe per Spiritum Sanctum Eph. 2. ℣. ult. Ideo non eſt ut de meo à vobis diſceſſu ſoliciti ſitis: habebit quiſque veſtrum non me tantum, ſed & Patrem meum ſemper apud ſe manentem: id tantum quiſque veſtrum agat ut me vere diligat, id eſt, mandata mea ſervet. Exponit illud quod prius dixit, *manifeſtabo ei meipſum* verſ. 21.

Verſ. 24. *Qui non diligit me ſermones meos non ſervat.* Hoc addit, ne quis dicat, poſſet aliquis ſermones tuos ſervare etiamſi te non diligeret. Negat hoc Chriſtus, & dictum ſuum omni modo convertibile oſtendit: ſi quis me diligit mandata mea ſervat verſ. 23. Ergo, qui mandata mea non ſervat is me non diligit. Et ſi quis mandata mea ſervat is me diligit verſ. 21. Ergo qui me non diligit mandata mea non ſervat. Ruditatem ſermonis notat hic Maldonatus. Miror ſane homo alias acutus! cum hoc Chriſti ſermone nihil ſit eruditius, nihil magis logicum. Sermones hic dicit in plurativo; ne quis unum aut alterum Chriſti ſermonem hic intelligat, ſed omnem.

Et ſermo quem audiviſtis. Nempe ex me, omnem ſuum ſermonem ſignificat.

Non eſt meus. Id eſt, à me inventus & excogitatus. Hoc addit ne quis putet impune laturum ſi eum non ſervet.

Sed ejus qui miſit me Patris. Ut ita qui ſermonem meum non ſervet, non meum, ſed Patris à quo ſum miſſus ſermonem non ſervet. Pater eſt ſermonis iſtius auctor; ego ſum Patris, qui unus ille Deus eſt, Legatus. Vide hic manifeſtam diſtinctionem Filii à Patre, tanquam ab uno illo Deo. An enim negaret ſer-

O monem;

monem quem prædicabat eſſe ſuum, ſi unus ille Deus eſſet?

Verſ. 25. *Hæc*, quæ ſcilicet ex me audiviſtis, *locutus ſum vobis apud vos manens.* Quaſi dicat, neque enim omnia vobis apud vos manens dicere potui cap. xvj. 12.

Verſ. 26. *Paracletus autem.* Nempe quem dixi. Vide verſ. 16.

Spiritus ille Sanctus. Quem *ſpiritum veritatis* appellavit, per ſimilem apoſitionem verſ. 17.

Quem mittet Pater. Loquitur enim de eo tanquam de perſona. Vide verſ. 16.

In nomine meo. Ideſt, ut nomen meum præferat, & meus appelletur ſpiritus, proinde qui nomine meo vos doceat, vel, quem mittet Pater iis qui nomen meum profitentur. Patri miſſionem hanc tribuit, quia Pater eum miſit per Chriſtum. Chriſtus enim accepto Spiritu Sancto à Patre, effudit eum in diſcipulos ſuos, ſicut promiſerat. Vide Act. 2. 33. & cap. xvj. 26.

Ille vos docebit omnia. Nempe plene & perfecte, quod ego vobiſcum manens facere propter infirmitatem veſtram non potui. Alioquin enim eis omnia nota fecerat quæ audiverat à Patre cap. xv. 15, ſed ad captum eorum cap. xvj. 12, 13.

Et in memoriam vobis revocabit omnia qua vobis dixi. Hic etiam eſt peculiaris Spiritus Sancti effectus, non patietur vos obliviſci eorum quæ dixi; & ea quorum obliti eſtis aut obliviſcamini, reducet vobis in memoriam; nam alioquin hominum memoria labilis eſt. Ita & illa memoria retinebitis quæ à me audiviſtis, idque cum eorum intellectu quæ nunc non intelligitis cap. xij. 16, & adhuc plura vobis addet Spiritus Sanctus, id eſt, profundiora myſteria.

Verſ. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quaſi dicat, etſi ego abeam, non auferam tamen mecum pacem, ſed vobis pacem relinquo.

Pacem meam do vobis. Exponit quam pacem intelligat, *pacem meam*, inqſiit, quæ ſcilicet exſuperat omnem mentem Philip. iv. 7, qua ego ſemper fruor ex ſpe certa æternæ vitæ & beatitatis, ſummam ſcilicet animi tranquillitatem & lætitiam.

Do vobis. In præſenti loquitur, quamvis magis ad tempus illud reſpiciat quo in cælum profecturus erat ad Patrem, hac pace mea vos quoque erigam & communiam, qui nunc eſtis mœrore dejecti, ut animo ſemper ſitis tranquillo & læto, & veſtra conditione ſemper contenti, non invidentes mundanis hominibus ſuas opes ac voluptates.

Non ſicut mundus dat ego do vobis. Id eſt, ſic ego do vobis, per ellipſin particulæ ſimilitudinis Hebræam. Solebant Hebræi abeuntes ut & advenientes cap. xx. 19, 26, pacem dare, id eſt, pacem precari, in pacis voto omnia includentes bona. Chriſtus alio modo ſe pacem ſuis dare dicit, non votis ſæpe inanibus, ſæpe fallacibus, nec ex animo profectis, ſed ipſo effectu, per Paracletum nimirum illum qui Spiritus Sanctus eſt. Mundus dat pacem quam ipſe non habet: at Chriſtus habet, & eam ſuis communicat.

Ne turbetur veſtrum cor. Nempe triſtitia, *neque formidet*, nempe propter abitum meum. Recte monitum hoc dictis ſubjicit. Quomodo enim turbemur animo & formidemus, pace Dei & Chriſti communiti?

Verſ. 28. *Audiviſtis quod ego dixi vobis.* Aliam cauſam addit ſui moniti.

Vado & venio ad vos. Per enallagen temporis præſentis pro futuro: dixit hoc verſ. 2, 3, 12, 18. Non eſt igitur ut turbemini, cum iterum ſim venturus ad vos.

Si me diligeretis gauderetis utique. Aliud argumentum moniti ſui ſumit ab eorum erga ſe dilectione: quaſi dicat, vos quia me diligitis triſtamini ob diſceſſum meum. Atqui ſi me vere diligeretis, gauderetis.

Quod dixi vado ad Patrem. Rationem ſubjicit, *quia Pater meus major me eſt.* Quaſi dicat, qui proinde multo me beatiorem & majorem apud ſe faciet quam nunc ſum, & eſſe poſſum apud vos manens. Hoc cum ſciatis, annon gauderetis ex tanta mea beatitate, (quæ etiam in vos ipſos redundatura eſt,) ſi me diligeretis? Quid ad hæc verba dicent, qui Chriſtum ſummum illum Deum eſſe ſtatuunt, quo nemo major eſt nec eſſe poteſt? Filius, ajunt, hoc dicit ſecundum ſuam humanitatem. Id vero magnum erat, ſi Deus ille unus major eſſet quam homo? Filius hoc dicit ſecundum ſuam magnitudinem ac divinitatem qua præditus erat. Et ſi Filius unus ille Deus erat, ex parte eaque multo minore, verum diceret? ex parte autem eaque multo majore ac potiore, falſum. Et cur Patrem ſe majorem diceret? Cur non ſe potius diceret eſſe majorem Patre propter duplicem naturam? Quid vero habuit opus ut iret ad Patrem, ſi unus ille Deus erat qui Pater? quid? quomodo magis ad Patrem ire potuit quam ad ſeipſum. Unus, ajunt, eſt Deus, ſed duæ perſonæ. Id quidem primum nemo aliter intelligit quam tanquam contradictorium. Deinde quæ perſona unus ille Deus eſt, neminem ſe majorem habere poteſt, nec ut ad ullam aliam perſonam proficiſcatur quidquam habet opus, ac ne ſecundum humanitatem quidem, etiamſi eam adjunctam habeat ſibi. Humanitas enim cum divinitate foret una eademque perſona. Perſona Patris, inquiunt, major eſt quam perſona Filii. Hoc ſane verum eſt: neque enim perſona Filii unus ille Deus eſt, quo nemo major eſt nec eſſe poteſt ulla ratione. Deinde Filius ea ratione Patrem ſe majorem dicit, ut ſe multo beatiorem fore dicat ſi apud eum ſit, quam ſi in terris apud diſcipulos maneat. Qui Chriſtum ajunt corporaliter eſſe ubique, dicant quis ſit locus profectionis ex hoc mundo ad Patrem, & rurſus adventus à Patre in mundum? Et cur triſtarentur diſcipuli? Cur & Chriſtus hoc ſolatium non adhibet? Dicit quidem ſe cum ipſis futurum uſque ad conſumationem ſeculi, ſed ſua defenſione & cura, non ſuo corpore & eſſentia. Nam & ſol nobiſcum eſt ſuo lumine & calore & operatione, licet corpore & eſſentia ſua abſit longiſſime.

Verſ. 29. *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat.* Nempe me proficiſci, id eſt, profecturum ad Patrem eſſe.

Ut quando fiat credatis. Non hoc fieri quod fiat; quid enim opus erat ut crederent quod viderent.

Sed ut credatis quod ego ſum. Nempe Meſſias ille. Vide cap. xiij. 19. Ex eo enim quod eveniant quæ prædico, poteſtis cognoſcere me veracem eſſe, proinde eum eſſe me quem eſſe me dico, non tantum ex ipſa profectione ad Patrem. Docet quo fine prædicat ſuam eis ad Patrem profectionem.

Verſ. 30.

Verſ. 30. *Non amplius multa loquar vobiſcum.* Etiam hoc ad prædicationem pertinet: prædicit enim inſtare ſuam captivitatem & mortem.

Venit enim mundi hujus princeps. Id eſt, diabolus, in Juda nimirum, in quem intraverat cap. xiij. 27. Venit, ut me comprehendat. Ducebat enim Judas Sacerdotum miniſtros ad Chriſtum comprehendendum, quod fieri Chriſtus ſpiritu divino videbat abſens. Mundi hujus princeps appellatur diabolus, quia homines hujus mundi ei ſe ſubjiciunt.

Et in me non habet quidquam. Nempe quod ſuum ſit, licet mundi ſit princeps facile poſſem eum repellere.

Verſ. 31. *Sed ut cognoſcat mundus.* Id eſt, ut omnibus hominibus documentum dem. Effectum ponit pro cauſa. Mundus enim id effectu ipſo tum non cognoſcebat.

Quod ego diligo Patrem. Quanam in re? *Et ſicut mandavit Pater mihi ſic facio.* Exponit ſuam erga Patrem dilectionem eadem illa ratione qua dilectionem erga ſe definiverat verſ. 15, 21, 23, 24. Quaſi dicat, mandavit mihi Pater, ut me capi, & in crucem agi, & occidi permittam. Ut ergo mundus cognoſcat quod Patrem diligam, faciens ejus mandata, quamvis per ſe nimium quam dura & acerba & triſtia; tamen Patrem ſupra omnia amanti jucunda & læta.

Surgite. Nimirum à menſa, adhuc enim accumbebant menſæ, & his à Chriſto detinebantur ac paſcebantur divinis ſermonibus. Vide cap. xiij. 12, & ſequentibus.

Eamus hinc. Nempe in locum in quem mundi princeps in Juda cohortem ſuam ad me capiendum ducit, ut me in manus eorum ultro tradam, quas mihi nemo me invito poſſet injicere. Occurram Deo ſic volente ac jubente mundi principi, ut eum per mortem meam vincam. Nobis Chriſti diſcipulis currendum non eſt ad mortem quia horam mortis ignoramus: veniet illa ad nos, & tum demum ſubeunda eſt cum eam aliter quam peccato vitare nequeamus. Paulus quidem tendebat ad vincula, ſed vinctus Dei ſpiritu, qui eum ad vincula illa agebat Act. xx. 22.

CAPUT XV.

Verſ. 1. EGo ſum vitis vera. Excitatis ab accubitu diſcipulis continuat nihilominus ſermones ſuos Chriſtus, forte ipſe adhuc, ut Dominum & magiſtrum decebat, accumbens. Nam cap. xviij. 1 demum exiviſſe cum diſcipulis ſuis dicitur. Unde enim exiret niſi ex domo in qua erat? Orditur ſermonem allegoricum, fortaſſis occaſione à vino ſumta, quo in cœna fuerant uſi. Aliam ex eodem vino allegoriam vide Matth. xxvj. 29. Luc xxij. 18.

Ego ſum, inquit, *vitis vera.* Comparat & ſimul opponit ſe viti proprie dictæ, veram ſe dicens vitem, non propter vocis proprietatem, ſed propter ſignificationis perfectionem. Sic dicitur lux vera, panis verus, tabernaculum verum Heb. viij. 2 & ſimilia. Veram ergo ſe dicit vitem, quia longe plures & præſtantiores palmites ex ſe progignat quam vitis proprie dicta, & longe præſtantiorem fructum ferat quam illa. Abſurdi ſunt qui metaphoram à voce transferunt ad rem ipſam, quaſi dicamus, verbi cauſa, Deum eſſe Patrem non verum ſed metaphoricum, quia per metaphoram dicitur Pater, aut Chriſtum eſſe Filium Dei; non verum, aut redemptorem non verum, ſed metaphoricum, quia per metaphoram dicitur & Filius & redemtor & his ſimilia. Ergo nec vitis erit vera, ſed metaphorica, quia metaphorice dicitur vitis? Metaphora ad vocem pertinet, non ad rem ipſam, quæ ſæpe tanto verior eſt, quanto vox minus propriam habet ſignificationem.

Et Pater meus agricola eſt. Per eandem metaphoram: cujus ſcilicet vinea propria eſt, qui vitem plantavit, vineam conſtruxit, colit & curat, cujus ſunt omnes vineæ fructus. Servat decorum, cum ſe vitem appellaſſet, recte Patrem dicit agricolam. Nam & vinea eſt ager, & agricolæ non tantum frugibus, ſed & vitibus agros conſerunt.

Verſ. 2. *Omnem palmitem in me.* Solent agricolæ palmites infructuoſos recidere. Idem facit & Pater. *Omnem palmitem in me.* Id eſt, omnem meum diſcipulum. Nam ſicut ex vite palmites, ſic ex magiſtro naſcuntur diſcipuli, & ſicut in vite ſunt palmites, id eſt, adhærent palmiti, ſic & magiſtro adhærent diſcipuli, doctrinam ejus amplectentes & profitentes.

Non ferentem fructum. Palmites enim in id ſunt ut fructum ferant: & diſcipuli Chriſti tam præſtantem doctrinam amplectentes ac profitentes, ex tam præſtanti vite enati, maxime ſunt in id ut fructum, id eſt, omnis generis bona opera, eaque prorſus eximia, non vulgaria tantum ferant.

Tollit eum. Pronomen Hebræa phraſi redundat, id eſt, amputat à vite, ſeparat à Chriſto, decreto nimirum ſuo, cum ſcilicet nullam ſpem videt fructus. Vide quam neceſſarium ſit ut palmites in vite fructum ferant.

Et omnem qui fructum fert purgat eum. Idem in pronomine pleonaſmus. Etiam in hoc imitatur Pater agricolas, palmitem fructum ferentem purgando, id eſt, omnia bonorum operum impedimenta ei adimendo, etiam errores qui adhuc proventum pietatis impediant; & Spiritum Sanctum ei ſuppeditando: illum αἴρει, hunc καθαίρει.

Ut majorem, id eſt, ulteriorem, *fructum ferat.* Gaudet enim agricola fructu vineæ ſuæ, qui quanto major eſt tanto majus gaudium eſt. Et Pater cæleſtis quidquid facit & fecit in Chriſto, omnia fructus iſtius cauſa fecit & facit. Omnis ejus gratia, & ipſa mors Chriſti, pro nobis hunc in finem directa eſt Tit. 2. 11 & ſequentibus, cap. iij. 8.

Verſ. 3. *Jam vos eſtis.* Cogitare enim poterant an & ipſi puri eſſent? Jam, inquit, *vos puri eſtis*: habiles ad fructum ferendum.

Propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Id eſt, propter doctrinam meam à vobis ſuſceptam, quæ omnia bonorum operum impedimenta tollit, & hominem qui eam admiſit, ad omne opus bonum habilem & promtum reddit.

Verſ. 4. *Manete in me.* Tanquam palmites in vite, loquitur ad ſimilitudinem propoſitam accommodate.

Et ego in vobis. Quaſi dicat, ſic fiet ut & ego in vobis maneam, tanquam vitis in palmitibus. Conjunctionem intelligit inter ſe & diſcipulos; quæ conſiſtit in fide ſermoni ſeu doctrinæ ſuæ adhibita. Diſci-

Diſcipuli enim in Chriſto manent per aſſenſum ac fidem, Chriſtus in diſcipulis per ſuum ſermonem ac doctrinam, ut ipſe explicat verſ. 7.

Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo. Inhærens ſimilitudini cauſam adfert moniti præcedentis.

Niſi maneat in vite. Id eſt, ſed ſi maneat in vite, tum demum fructum ferre poteſt. Ἐὰν μὴ pro ἀλλ' ἐὰν. Ex vite enim omnem vim & vitam ſuam accipit.

Sic nec vos. Intellige, fructum ferre poteſtis, cum nimirum qui diſcipulos meos deceat.

Niſi in me maneatis. Id eſt, conſtanter ſermoni ſeu doctrinæ meæ adhæreatis, ex qua vis omnis & vigor proficiſcitur ad fructum ferendum qui diſcipulis meis conveniat. Appoſite addit admonitionem, cum dixiſſet eos jam puros eſſe; ne putarent nihil ſibi deeſſe, nihil amplius ſibi faciendum eſſe. Oſtendit hoc illis adhuc deeſſe ut in ſe maneant. Ita Heb. x. 34, 35, 36. Hinc etiam patet ad conſtantiam in fide ac pietate operam hominum & ſtudium requiri. Fruſtra enim alioqui diſcipulis dixiſſet Chriſtus, *manete in me.*

Verſ. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites.* Rationem reddit ſuperioris comparationis: quaſi dicat, ego enim ſum vitis, ut antea dixi, vos mei diſcipuli eſtis palmites, ex me ſcilicet enati. Metaphorice Chriſtum loqui quilibet intelligit.

Qui manet in me & ego in ipſo. Scilicet ut palmes in vite & vitis in palmite, id eſt, qui mihi conſtanter adhæret.

Hic fert. Id eſt, hic ſolus fert, neque enim omnis fert, ut patet ex verſ. 2,

Fructum multum. Qui ſcilicet à meis diſcipulis requiritur. Poteſt aliquis Judaicæ, Philoſophicæ, moralis diſciplinæ fructum ferre, ſed meæ diſciplinæ fructum ille ſolus fert qui in me eſt, & ego in ipſo.

Quia ſine me. Rationem addit aſſerti, quia ſine me, id eſt, à me ſeparati, per apoſtaſiam ſeu defectionem.

Non poteſtis facere quidquam. Nempe quod proprie meum ſit. Nam alias poterant Judaice vivere ſine Chriſto, ſed quidquam quod vere Chriſtianum ſit facere non poterant. Opera quæ vere Chriſtiana ſunt, non inveniuntur niſi in ſolis Chriſtianis. Animam pro fratre ponere, mundum non diligere, carnem cum concupiſcentiis & affectibus crucifigere, non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ambulare, ſpiritus fructus ferre, nemo ſine Chriſti ſpiritu, proinde nemo præter Chriſtianos poteſt.

Verſ. 6. *Si quis non manſerit in me.* Docet, eidem inſiſtens ſimilitudini, quis tandem futurus ſit exitus apoſtatarum à veritate Chriſtiana.

Ejectus eſt. Id eſt, ejicietur, per temporis enallagen, ut rem quaſi jam factam ponat ob oculos.

Foras. Nempe extra vineam. Non dicit hic, ut ſupra verſ. 2, tollit eum Pater, ſed ejectus eſt foras. Quid enim opus eſt eum à vite tollere qui jam ipſe defecit?

Tanquam palmes. Qui ſeparatus à vite extra vineam ejicitur, ſic apoſtata foras ejicitur à Deo & ab eccleſia; non ſatis enim eſt quod ipſe ſe ab eccleſia ſeparaverit, ſed oportet ut & eccleſia ſe ab eo ſeparet. Deterior enim eſt apoſtata quam extraneus, immo quam quilibet alius qui ſe fratrem nominat vitioſus.

Et exaruit. Eadem temporis enallage, palmites à vite ſeparati exareſcunt. Idem fit & apoſtatis, ut omnem ſuccum, omnem vim ad fidem & pietatem Chriſtianam recipiendam amittant, multo hac in parte deteriore conditione quam alii vitioſi qui adhuc à veritate divina non deſciverunt.

Et colligunt eos. Exponit executionem decreti divini, ſimilitudini & allegoriæ etiam hic convenienter. Loquitur per enallagen temporis præſentis pro futuro, ut rem velut jam præſentem oculis ſpectandam exponat. Solent palmites extra vineam conjecti & areſacti ſuo tempore cum ſarmentis colligi, & in ignem conjici & exuri. Idem fiet & apoſtatis; quod quia certo futurum eſt, in rem veluti præſentem deducit nos Chriſtus. *Colligunt eos*, nempe Angeli.

Et in ignem conjiciunt. Illum ſcilicet æternum, iidem Angeli.

Et ardent. Nempe apoſtatæ. Eadem ſors manet & alios qui extra ſanctorum ſunt communionem & conſortium Apoc. xxj. 8. xxij. 15.

Verſ. 7. *Si maneatis in me.* Docet quantum ex adverſo bonum ſint habituri ſi non deficiant.

Et verba mea in vobis maneant. Exponit quod antea dixerat.

Et ego in vobis. Ut intelligamus Chriſtum in nobis manere dici cum verba ejus in nobis manent, & nos in Chriſto cum verbis ejus credimus. Intelligit autem hic Chriſtus talem alterius in altero manſionem, quæ ſit cum effectu ſuo conjuncta, id eſt, cum fructu copioſo & Chriſtiana fide digno, ut patet ex ſequentibus. Vide verſ. 5 & 2.

Quod volueritis. Quaſi dicat, neque enim voletis, aut velle debetis divinæ voluntati contraria & vobis noxia.

Petetis. A Deo ſcilicet, vel à me: quaſi dicat, opus enim eſt ut petatis ſi vultis accipere, cum id Dei gloria & officium veſtrum requirat.

Et fiet vobis. Nempe à Deo per me.

Verſ. 8. *In hoc.* Id eſt, per hoc, *glorificatus eſt*, id eſt, glorificatur, per enallagen temporis Hebræam,

Pater meus. Cui omnis gloria debetur.

Ut fructum multum feratis. Id eſt, ſi fructum multum feratis, vel cum fructum multum fertis. Similem locutionem vide ſupra cap. iv. 34. 1 Johan. iv. 17: quaſi dicat, ut mirum non ſit quod omnia quæ velitis & petatis, ipſe viciſſim vobis faciat, cum & vos fructum copioſum ferendo voluntatem ejus faciatis, & ſic ut glorificetur ab omnibus cauſa ſitis Matth. v. 16. 1 Pet. 2. 12. Habet enim Deus maximam gloriam, ſi Chriſtiani, qui filii ejus ſunt, fructum copioſum ferant, id eſt, ea bona opera faciant quæ Chriſtianos deceant, & omnium aliorum hominum bona opera longe exſuperent.

Et eritis mei diſcipuli. Id eſt, vere tum demum eritis mei diſcipuli, ſi nimirum fructum multum feratis, tum demum & ego vos pro meis diſcipulis agnoſcam, & omnia in gratiam veſtri faciam. Si fructus multus & copioſus abſit, fruſtra vos pro diſcipulis meis geritis, fruſtra in nomine meo petitis. Non novi vos.

Verſ. 9. *Sicut dilexit me Pater.* Id eſt, diligit, per Hebræam enallagen.

Et ego. Pro, ſic & ego, per ellipſin Hebræam.

Dilexi, id eſt, diligo *vos.* Teſtatur ſuam erga diſcipulos charitatem, eamque non levem ac vulgarem, ſed paternæ erga ſe charitati ſimilem, quod ſcilicet, ſicut Pater ſe velit hæredem omnium bonorum ſuorum facere, ſic & ipſe velit eos ſuos facere cohæredes, & ſicut Pater omnia faciat in gratiam ſui, ſic & ipſe omnia facere velit in illorum gratiam.

Manete in dilectione mea. Qua ſcilicet ego vos diligo. Date operam ne tantum bonum quo nullum eſt majus amittatis.

Verſ. 10. *Si mandata mea ſervaveritis.* Docet quomodo Chriſti erga ſe dilectionem conſervare debeant; ſic nimirum ſi ejus mandata ſervent.

Sicut ego Patris mei mandata ſervavi. Id eſt, ſemper ſervo, per Hebraiſmum.

Et maneo in ejus dilectione. Quaſi dicat, ſimilis dilectio ſimili conſervanda eſt modo. Vide Filium non ideò conſtanter à Patre diligi quod ſit unus ille Deus qui Pater, ſed quod mandata Patris ſui ſervet; quod priori plane contrarium eſt.

Verſ. 11. *Hæc locutus ſum vobis.* Docet quo fine ſuperiora locutus ſit.

Ut gaudium meum. Id eſt, gaudium quo ego gaudeo, gaudium ex certiſſima ſpe vitæ æternæ jugiter manans. Quam antea *pacem ſuam* dixit cap. XIV. 27, nunc *gaudium ſuum* dicit.

In vobis maneat. Quaſi dicat, quod in vobis non maneret, ſi & vos in me non maneretis, ſi fructum uberem non ferretis, ſi in mea dilectione mandata mea ſervando non maneretis.

Et gaudium veſtrum impleatur. Nempe adeptione vitæ æternæ, ob cujus ſpem gaudetis. Quod ſuum gaudium dixit, nunc diſcipulorum gaudium dicit, quia diſcipuli gaudent gaudio Chriſti, non eodem numero quo Chriſtus gaviſus eſt, ſed eodem genere ſeu ſpecie. Itaque nec ſpem vitæ æternæ fontem iſtius gaudii, nec ipſam vitam æternam ſpei ac gaudii iſtius impletionem habere poſſumus, niſi præcedentibus Chriſti monitis obſequamur.

Verſ. 12. *Hoc eſt mandatum meum*, ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμή. Quod peculialiter meum eſt, quippe à nullo ante me mandatum. Ideo id antea vocavit novum cap. XIIJ. 34. Non vult hic omnia ſua mandata commemorare, ſed hoc unum tantum quod maxime ſuum eſt.

Ut diligatis alii alios. Id eſt, vos mei diſcipuli inter vos invicem, Chriſtiani Chriſtianos.

Sicut dilexi vos. Exponit qualem iis inter ſeſe dilectionem mandet, talem nimirum, ut alii alios ſic diligant ſicut ipſe eos dilexerit. Nam alioquin & Lex dilectionem mandabat, ſed longe infra menſuram hanc conſiſtentem.

Verſ. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet.* Exponit dilectionem ſuam erga ipſos: eam nimirum eſſe tantam qua nemo hominum majorem habeat.

Ut quis. Id eſt, quam ut quis, per ellipſin,

Animam ſuam ponat. Id eſt, morti ſe objiciat,

Pro amicis ſuis. Non tantum cum agitur de illorum æterna ſalute, nam talem dilectionem etiam inimicis Chriſtus præſtitit; ſed etiam cum agitur de vita illorum temporaria. Chriſtus enim tradidit ſe in manus hoſtium, ut diſcipuli ejus ſalvi omnes abirent cap. XVIIJ, 8, 9, & ſic eos objectu capitis ſui liberavit. Talem ergo dilectionem Chriſtus diſcipulis ſuis aliis erga alios mandavit, qua nulla major eſt, & quam ipſe iis exhibuit, ne diſcipulus & ſervus facere detrectaret quod Magiſter & Dominus & Dei Filius fecit. Hujus mandati Chriſti memores Priſcilla & Aquila pro Pauli anima collum ſuum ſuppoſuerunt Rom. XVI. 4. Pro fratris, ſeu ejus qui mecum Chriſti diſcipulus eſt, æterna ſalute mori me non eſt opus, cum is ſit jam in ſalutis ſtatu, & ejus nomen ſcriptum ſit in libro vitæ, niſi forte ne ex hoc ſtatu excidat. Dilectionem hanc aliis etiam hominibus, exemplo itidem & mandato Chriſti debemus, ut pro illorum æterna ſalute vitam hanc impendere non recuſemus: certe Paulus etiam anathema à Chriſto pro Judæis fieri voluit. At fratribus in Chriſto peculiariter id debemus, ut etiam pro vita eorum temporaria morti temporariæ nos objicere non recuſemus. Neque enim fas eſt, ut Damon & Pythias magis inter ſe dilexerint quam Chriſtiani inter ſeſe, quibus vita æterna poſt mortem à Chriſto eſt propoſita: quamvis & hac in re non minus quam in aliis certus ſit modus ac certi fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Verſ. 14. *Vos amici.* Quia diſcipulos ſuos intelligens uſus eſt amicorum nomine, ut convenientius dilectioni loqueretur, cauſam adfert ob quam hac de illis appellatione ſit uſus.

Vos, inquit. Pro quibus ego animam pono,

Amici mei eſtis. Id eſt, amicorum nomen ac dignitatem apud me obtinetis,

Si faciatis quæcunque ego mando vobis. Oſtendit eos officio ſervos ſuos eſſe, & ſe Dominum eorum eſſe, jus habentem mandandi ac jubendi; ſed ſi faciant, non hæc aut illa tantum, ſed quæcunque iis mandat, proinde & hòc quod maxime ac peculiariter ſuum mandatum in ſe continet, amicos eos ſuos eſſe; & active (amicorum enim proprium eſt omnia quæ velit & cupiat amicus lubenter & prompte facere) & paſſive, id eſt, pro amicis eos à ſe duci. Sane ſi in hoc obedientes ſumus Chriſto, ut alii pro aliis animas ponamus, in aliis omnibus obedientes ſumus. Nam hoc ponit & maximam fidem in Chriſtum, ac per Chriſtum in Deum, & ſummum erga Chriſtum amorem, ac in Chriſto erga Deum, & omnia alia iſtius fidei & amoris effecta. Sobrie ſcilicet & caſte, & juſte, & pie vivere recuſabit, aut pro Chriſto mori, qui ad mandatum Chriſti pro fratre non dubitabit mori?

Verſ. 15. *Non amplius vos dico ſervos.* Nempe nunc, & in conſideratione ejus rei quam dicam: quaſi dicat, quamvis ſervi ſitis, & antea vos ſæpe dixi ſervos, & inpoſterum etiam cum uſus feret dicam, ut verſ. 20.

Quia ſervus. Nempe ut ſervus,

Neſcit quid facit ejus dominus. Id eſt, quid facere in animo habet, non aperit ſervo ſua conſilia, ſua arcana, ſervus tantum accipit mandata à domino. Facere ponit pro faciendi conſilio & propoſito, per metonymiam.

Vos autem dixi amicos. Quaſi dicat, merito: *quia omnia quæ audivi a Patre nota feci vobis.* Exponit cujus rei conſideratione dixerit eos amicos.

Omnia, inquit, non aliqua tantum, quamvis & hoc ſignum eſſet me vos pro amicis ducere; nunc

cum omnia vobis nota fecerim quæ à Patre meo audivi, nonne vos pro amicis duxi, & ſic merito amicos dixi? nonne vos hactenus eo loco habui quo Pater me Filium ſuum habuit? Vides hic Filium arcana Euangelii ſui audiviſſe à Patre ſuo. At ſi is Deus ille unus erat qui Pater, ut ea ex Patre audiret opus non erat. Solet Chriſtus ex mente ſua Deum illum unum Patrem ſuum appellare, non tantum quod Chriſtus ejus eſſet ille ſingularis; ſed etiam quod à Deo per Spiritus Sancti virtutem ex matre ſua, virgine à viro intacta, genitus eſſet; quamvis hoc ab ipſo nondum publicaretur.

Nota feci vobis. Quatenus nimirum ea capere nunc potuiſtis. Sed poſtquam Spiritum illlum Sanctum acceperitis, tum demum omnia plene intelligetis, cap. XIV. 25, 26. XVI. 12, 53.

Verſ. 16. *Non vos me elegiſtis.* Nempe in magiſtrum & Dominum, antevertentes ſcilicet meam electionem.

Sed ego elegi vos. Nempe ad munus Apoſtolicum, ex numero tot aliorum hominum, cum vos adhuc nihil de me cogitaretis.

Et poſui vos. Id eſt, conſtitui vos; hoc munere vos exornavi.

Ut vos eatis. Nempe ad omnes gentes cum Euangelio.

Et fructum feratis. Nempe dignum Euangelio, uberem & copioſum, de quo verſ. 8.

Et fructus veſter maneat. Id eſt, ſemper duret, nunquam ſit caducus, nunquam deficiat, ſicut terrenæ vitis fructus deficit.

Ut quidquid petieritis Patrem in nomine meo det vobis. Superiora laborem continere videbantur, hic exprimit laboris finem ſumme optabilem. Vide cap. XIV. 53, 14, & ſupra verſ. 7. Commemorat hoc Chriſtus, ut oſtendat quanto beneficio eos affecerit, & quam vere eos in amicos legerit.

Verba δῷ ὑμῖν *det vobis*, etiam *dem vobis* verti poſſunt, ſicut ſupra dixit cap. XIV, *hoc faciam*, *ego faciam* verſ. 53, 14. Potius tamen vertendum, *det vobis*, ut ſicut petitio, ſic & datio referatur ad Patrem, quod & infra fit cap. XVI. 20. Nam cap. XIV. 53, 14 ad quem petitio ſit dirigenda non definitur, quod hic fit.

Verſ. 17. *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.* *Hæc*, pro hoc, per enallagen numeri pluralis pro ſingulari, tanto aptiorem huic loco, quod in hoc mandato multa contineantur, immo omnia fere Chriſti mandata. Repetit ſuperius mandatum verſ. 12: quaſi dicat, ſi ergo me diligitis, ſi amici mei eſtis, ſi vicem amicitiæ & tantorum beneficiorum mihi rependitis, facite quod vobis mando, id eſt, alii alios diligite, hæc mandatorum meorum omnium eſt ſumma, hoc facientes me diligitis; hoc vobis mando quod ad uſum veſtrum totum ſpectat. Repetit autem hic mutuæ dilectionis inter ſuos diſcipulos mandatum, non tantum quia nunquam ſatis dicitur quod nunquam ſatis diſcitur, ſed etiam quia de mundi odio adverſus eos erat acturus.

Verſ. 58. *Si mundus vos odit.* Charitati inter diſcipulos ſuos mutuæ ſubnectit de mundi adverſus eos odio, quod per ἀντιπερίστασιν quandam, Chriſtianorum inter ſe charitatem magis accendere debet, non extinguere. Idque ne fiat, ne, inquam, per mundi adverſum Chriſtianos odia, charitas inter eos frigeſcat Matth. XXIV. 52, agit hic Chriſtus. Mundi nomine intelligit homines à veritate Chriſtiana alienos, quod eorum plenus ſit mundus.

Scitote. Id eſt, cogitate, animo expendite, per metonymiam cauſæ. Nam qui aliquid non expendunt cum opus eſt, videntur id neſcire.

Quod me priorem quam vos. Πρῶτον ὑμῶν, ut ſupra cap. I πρῶτός μου verſ. 30.

Odio habuerit. Hoc enim cum cogitaveritis, nihil odio mundi turbabimini, nihil de juſtitia cauſæ veſtræ dubitabitis. In odio complectitur etiam omnia ejus effecta, quæ erga Chriſtum Dei Filium fuere maxima, uſque adeo ut etiam in crucem ſit actus.

Verſ. 19. *Si ex mundo eſſetis.* Exponit odii cauſam, id eſt, ſi eſſetis ex numero eorum qui à veritate quam docui, ſunt alieni, ſi ita crederetis & faceretis in omnibus quemadmodum illi credunt & faciunt, ſi non eſſetis ab eis diverſi fide, confeſſione, vita ac moribus. Et ut rem ad hodiernum mundum, qui Chriſtianum ſe dicit, referam, ſi crederetis Deum illum unum perſonis eſſe trinum, & Chriſtum illum Dei ita hominem fuiſſe, ut eſſet unus ille Deus homo factus, & alia quæ veram Dei & Chriſti ejus cognitionem obſcurant ac impediunt, quæque hominibus etiamſi vitioſos mores non deponant, aditum ad ſalutem æternam expediunt, ſi inquam hæc crederetis ac profiteremini, & in vita ac moribus exhiberetis, nihilo ſanctiores ac meliores aliis.

Mundus proprium, id eſt, id quod ſuum eſt, *diligeret: quia vero ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo.* Dum vos ad veritatem ſuſcipiendam & errores deponendos adduxi, & meos diſcipulos feci, ut vos mecum vitæ æternæ hæredes facerem & ex mundi vindicarem exitio & interitu.

Propter hoc. Non propter veſtra ſcelera & improba facta.

Odit vos mundus. Itaque pulcherrima iſtius iniqui & immerii odii cauſa ſit vobis maximo ſolatio. Vacare culpa magnum eſt ſolatium, quanto magis etiam propter rem omnium honeſtiſſimam pati? Objicitur hic veris Chriſti diſcipulis Judæorum exemplum; quos omnes Chriſtiani merito damnent & averſentur. Sed primum Judæi externa ſunt gens, & inter alias gentes diſperſa, & ad odium aliarum omnium gentium imbuta ac inſtituta. Deinde & Judæi hactenus ex mundo non ſunt, quatenus antiqua ſua mundo adverſa retinent inſtituta, quæ Deum habuerunt auctorem, & quibus olim ſeparabantur à mundo, etiamſi nunc per novam & ſpiritualem Meſſiæ legem ſint antiquata. Porro etiam Judæi, verorum Chriſti diſcipulorum reſpectu, mundus ſunt, non minus quam hodierni Chriſtani: nam utrique in verorum Chriſti diſcipulorum, & ejus quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ odium conſpirant, nec Filium hominis, à Deo in Regem cæleſtem exaltatum æque pati poſſunt: Judæi quidem eum ſimpliciter damnant ac rejiciunt, Chriſtiani autem niſi ſimul ſit unus ille Deus. Unde etiam fit ut Judæi, quia & ipſi mundus ſunt, inter Chriſtianos tolerentur, & blaſphemias ſuas contra Chriſtum palam & impune exerceant, ac multis aliis privilegiis ſecuritatis ac libertatis gaudeant: at veris Chriſti diſcipulis, quam-

lis, quamvis inter ſuæ gentis homines, quamvis ad omnium hominum perfectiſſimam dilectionem imbutis & edoctis à Chriſto, nec ullis externis ritibus & inſtitutis, ſed ſolis ſanctis moribus ab aliis diſcriminatis, quamvis denique inter Chriſti nomen itidem profeſſos, Chriſtum colere & divinis honoribus afficere non licet. Mundus nimirum ulciſci Deum voluit, ut quia in hominem crucifixum credere debeat, non aliter in eum credere velit quam ut eum prius ipſum unum illum Deum ſaciat!

Verſ. 20. *Memineritis illius ſermonis quem ego*, *ὃ ἐγὼ*, per enallagen caſus in Græco, *dixi vobis*, tum cum lavarem pedes veſtros cap. xiij. 16.

Non eſt ſervus major domino ſuo. Id eſt, dignior & beatior: quaſi dicat, nam ſi hujus memineritis ſermonis, acquieſcetis ei conditioni quæ mea fuerit, qui Dominus veſter ſum, & cujus vos ſervi eſtis.

Si me, intellige, Dominum veſtrum. Exponit conditionis ſuæ & ipſorum æqualitatem in utramque partem.

Perſecuti ſunt. Nempe homines, qui me variis injuriis & contumeliis affecerunt. *Et vos*, qui ſervi mei eſtis, *perſequentur*. Non verebuntur vos aggredi, qui me reveriti non ſunt, propter eandem veritatem & ſermonis mei profeſſionem.

Si ſermonem meum ſervaverunt. Id eſt, ſermoni meo obedientes fuerunt, ut ſcilicet crederent, & facerent ea quæ per meum ſermonem docui.

Et veſtrum ſervabunt. Quaſi dicat: Cum meus & veſter ſermo ſit idem. Non addit Chriſtus, ſed ſupplendum relinquit: atqui me perſecuti ſunt, ergo & vos perſequentur: meum ſermonem non ſervaverunt, ergo nec veſtrum ſervabunt.

Verſ. 21. *Sed hæc omnia facient vobis.* Significavit Chriſtus diſcipulos ſuos odio hominum, & odiorum effecta experturos eſſe, propter nomen ſuum, nunc cauſam indicat tanti adverſum ſe & nomen ſuum odii; ut tanto æquiores ſe præbeant ad omnia diſcipuli.

Hæc omnia facient vobis. Ut ſcilicet vos odio habeant, perſequantur, rejiciant.

Propter nomen meum. Id eſt, propter nominis mei profeſſionem.

Quia non noverunt eum qui me miſit. Quaſi dicat: Ideo cum hæc ſit cauſa ob quam propter nomen meum hæc omnia vobis facient turbari non debetis, & æquo eſſe animo. Si noſſent eum qui me miſit, non facerent hæc, nunc quia eum non norunt, etiam exiſtimant ſe recte facere, & ſervitium offerre Deo.

Non noverunt eum qui miſit me. Quatenus non noverunt voluntatem & veritatem Dei, Deus enim cognoſci dicitur cum ejus voluntas & veritas cognoſcitur.

Verſ. 22. *Si non veniſſem.* Ne quis diceret, ergo ſunt ſine culpa. Non ſunt, inquit Chriſtus, *ſi non veniſſem & dixiſſem eis*, voluntatem ſcilicet & veritatem Dei.

Peccatum non haberent. Quod ſcilicet voluntatem & veritatem Dei non cognoſcerent. Neque enim arcana Dei cognoſci poſſunt ſine prædicante, & fides eſt ex auditu per verbum Dei Rom. x. 14, 17.

Nunc autem prætextum non habent peccati ſui. Ita in eo quod Deum non noverint peccant, ut ne prætextum quidem & excuſationis aliquam ſpeciem habeant. Sic nec illi prætextum habituri ſunt ullum peccati ſui qui veritatem non agnoverunt, quamvis ejus agnoſcendæ non deeſſet illis occaſio.

Verſ. 23. *Qui me odit & Patrem meum odit.* Quaſi dicat: dicat quidquid velit. *Patrem meum.* Id eſt, unum illum Deum, qui me Chriſtum illum & ſingulariſſimum Filium ſuum fecit. Non conſiſtit hoc odium in me; ſed terminatur in meo Patre. Nemo poteſt Filium Patri chariſſimum odiſſe, quin oderit & Patrem. Docet quam grave ſit peccatum ſe & nomen ſuum odiſſe.

Verſ. 24. *Si opera non feciſſem in eis.* Id eſt, inter eos, *in* pro *inter*, per Hebraiſmum, intelligit opera divina & miraculoſa.

Quæ nemo alius fecit. Non Moſes, non Prophetarum ullus, ſi & magitudinem & multitudinem eorum, & modum ea peragendi ſpectes; etiamſi eam exterius ſpeciem non haberent quam habebant miracula per Moſen facta, nec in oculis ſexaginta myriadum hominum ſimul congregatorum ſint patrata, quippe quod tali congregationi nullus tum locus eſſet, populo non in caſtris ſimul, ut olim, ſed in oppidis & vicis per totam Judæam & Galilæam degente ac diſperſo, & quod talia miracula fidem quam Dei Filius adferebat decerent, quæ non tam externa ſpecie oculos etiam improbiſſimorum perſtringerent, quam animos proborum intrinſeca virtute permoverent. Illud Legem decuit, diſciplinam illam ſervilem; hoc Euangelium, ſub quo dandum erat aliquid improbitati quo ſe paſceret, ne fides quæ cunctis imputatur ad juſtitiam, etiam improbiſſimis extorta, pretium ſuum apud Deum amitteret. Cæterum ſi omnes collectim numerarentur, qui diverſis temporibus & locis divina Chriſti miracula toto illo quo prædicavit tempore ſpectarunt, dubium non eſt quin eorum numerus ſexaginta hominum myriades longe ſuperaret. Non duxit Chriſtus populum per mare, non columnam nubis interdiu, & columnam ignis noctu præcedere fecit, nec populum terroribus implevit montis ardentis, terræ motus, tubarum clangoribus, quia non Legem promulgabat, ſed prædicabat Euangelium plenum gratiæ & veritatis. At quod Euangelii erat, morbos omnes ſanabat, dæmonia fugabat, mortuos ſuſcitabat, ſingula ejus miracula, quæ erant innumera divina erant beneficia, eaque ſolo Chriſti juſſu collata. Ne hic de miraculis quæ poſtea per tot Apoſtolos & alios diſcipulos ſuos innumeros toto terrarum orbe patravit, loquar, inter quæ Spiritus Sancti datio erat copioſiſſima, omnia Moſis miracula longiſſime ſupergrediens.

Peccatum non haberent. Quod ſcilicet Dei voluntatem & veritatem, & ſic me Dei Filium illum ſingulariſſimum, id eſt, Meſſiam illum eſſe non cognoſcerent. Meſſias enim talia miracula facturus erat, qualia nemo ante ipſum fecerat.

Nunc autem. Poſtquam ſcilicet talia opera feci.

Et viderunt. Oculis ipſis uſurparunt me Filium illum Dei ſeu Meſſiam illum eſſe. Effectum ponit pro cauſa, quia nihil defuit quominus viderent & manibus ſuis palparent. Similem loquendi rationem habemus inter alia Rom. 1. 21, 32.

Et oderunt. Quaſi dicat, & tamen oderunt,

Et me & Patrem meum. Quaſi dicat, cum odium erga me Dei Filium tendat in ipſum Deum Patrem. Nullam ergo excuſationem habent peccati, ſeu nullum ignorantiæ prætextum. Qui Chriſtum unum illum Deum faciunt, quod illis alioquin & abſque hoc ſi eſſet, indignus videatur Filius ille hominis, ut Dei Filius ſit ſingulariſſimus, ut ſit Chriſtus ille Dei, in quem omnes credant, & quem divinis honoribus ad Dei gloriam afficiant, quique cultores ejus oderunt & perſequuntur, his æque Chriſtus & Pater ejus odio eſt, quia illis odio eſt de Chriſto & Patre ejus veritas, quæ non in eo eſt ut Chriſtum & hominis Filium faciamus non Chriſtum, non Filium hominis, id eſt, Deum illum unum; ſed ut Filium hominis, tanquam Chriſtum illum Dei, tanquam eum quem Deus Filium ſuum ſingulariſſimum effecit, amemus & colamus, & in illo Deum, qui ſolus eſt Pater ejus.

Verſ. 25. *Sed ut impleatur.* Quaſi dicat: ſed mirandum non eſt, evenit hoc

Ut impleatur ſermo ſcriptus in Lege ipſorum. Nempe Judæorum de quibus agit. Prædictum hoc fuit, & nunc evenit ac impletur. Eventus notatur non finis. Legem per ſynecdochen partis dicit, pro toto ſacro volumine vel codice, cujus pars præcipua Lex erat. Vide cap. x. 34: ſcriptus enim eſt hic ſermo.

Quod odio habuerint me gratis. In Pſalmis Davidis, qui figuram Chriſti ſuſtinens conqueritur de Iſraëlitis, quod ſe Regem ſuum & à Deo unctum odiſſent.

Gratis. Id eſt, ſine ulla cauſa vera & juſta, tantum ex ſola malitia & invidia, & ſuo malo proprio, immo cum habuerint maximas me ſummopere diligendi cauſas. Quod veriſſime in Chriſto impletum eſt, & adhuc etiam inter ipſos qui nunc ſunt Chriſtianos impletur. Rejiciunt enim Chriſtum hominem à Deo cæleſti honore & gloria coronatum, niſi ſit ipſe unus ille Deus.

Verſ. 26. *Quando vero veniet Paracletus ille.* De quo antea dixit cap. xiv. 16,20. Docet adhuc reſtare magnum & cæleſtem ad coarguendos ſuos adverſarios doctorem, Paracletum illum.

Quem ego mittam vobis. Non mundo, non Judæis cap, xiv. 17: ſed vobis diſcipulis meis, ut ejus auxilio mundum arguere poſſitis. Loquitur convenienter Paracleto cap. xiv. 26, quem tanquam perſonam induxit.

A Patre. Quaſi dicat, non à me; quatenus ſcilicet eum mittam, non eum à me ipſo habens, ſed acceptum à Patre. Antea dixerat, *quem mittet Pater in meo nomine* cap. xiv. 26, hic dicit eodem ſenſu, *quem ego mittam vobis à Patre.* Nimirum quia Pater eum miſſurus erat per Chriſtum. An vero hæc perſonæ quæ unus ille Deus ſit conveniunt? & quem hic mitti dicit, ſupra cap. xiv. 16 dari dixit. Miſſio enim hæc Spiritus Sancti in datione conſiſtit.

(*Ille ſpiritus veritatis.* Vide cap. xiv. 17. Hac parentheſi Paracletum iſtum definit, ne perſonam aliquam proprie dictam cogitarent.

Qui à Patre exit.) Cauſam inſinuat cur eum ſpiritum veritatis, id eſt, nil niſi vera inſpirantem appellet: quaſi dicat, quippe qui Patris Legatus ſit. Pater enim eum mittit per Chriſtum. Sic & Chriſtus à Deo & à Patre ſe exiviſſe, & in mundum veniſſe, & miſſum eſſe dicit infra cap. xvi. 27,28. xvij. 8. Cum ergo Patris Legatus ſit, nil niſi vera loqui poteſt. Patet hinc quam nihil ad hunc locum, immo nec ad veritatem pertineant, quæ ex hoc loco de proceſſione perſonali Spiritus Sancti, quam vocant, inter Græcam & Latinam Eccleſiam diſputantur: cum apertum ſit Chriſtum hic de Spiritu Sancto tanquam de Legato Patris, per metaphoram & per figuram, comparatione ſui loqui, ut cap. xiv. 17 diximus.

Ille teſtabitur de me. Pergit in metaphora & figurata locutione, ſicut Spiritum Sanctum, afflatum illum divinum fecit perſonam, id eſt, Paracletum & Legatum, & Patris & ſuum facit etiam teſtem.

Ille. Nempe Paracletus, revertitur enim abſoluta parentheſi ad Paracleti nomen, ut docet pronomen ἐκεῖνος, voci Paracleti non πνεύματος reſpondens.

Teſtabitur de me. Quod nimirum ſim Filius Dei ſingulariſſimus ille, id eſt, Chriſtus ille. Hoc autem teſtabatur Spiritus Sanctus, quia diſcipulis Chriſti, ſeu nomen Chriſti præferentibus, & ſic in nomine Chriſti dabatur, & per ejus dationem replebantur divina ſapientia & aliis cæleſtibus donis, ut & linguis loquerentur variis, Jeſum eſſe Chriſtum prædicantes, & in ejus nomine divina facerent miracula. Nam Spiritui Sancto figurata locutione teſtimonium tribui res ipſa docet. Neque enim ſeparatam ab Apoſtolis perſonam conſtituebat, ſed quæ eo afflati & inſpirati Apoſtoli loquebantur & agebant Spiritui Sancto tribuuntur, ſicut & ea quæ Deus vel Chriſtus per Spiritum Sanctum operatur.

Verſ. 27. *Et vos autem teſtabimini.* Particula δὲ *autem* redundat. Teſtimonio Spiritus Sancti adjungit eorum teſtimonium, quatenus & ipſi per ſe, non habito reſpectu ad id quod Spiritu Sancto afflati eſſent, & illius virtute miracula facerent (hoc enim verius Dei teſtimonium erat Hebr. 2. 4. 1 Joh. v. 9, vel Chriſti Marc. xvi. 20) teſtaturi erant de Jeſu, quod nimirum eſſet Dei Filius ille ſingulariſſimus ſeu Chriſtus. Nam ſi duorum vel trium minime ſuſpectorum, nec ullam cauſam mentiendi habentium concordi teſtimonio ſtandum eſt, quanto magis tot teſtium?

Quia à principio mecum eſtis. Quaſi dicat: quia tot mea divina opera vidiſtis, & perpetui comites mei fuiſtis, ut vos veritas latere nullo modo potuerit. Hinc idem iſte Joannes 1 Epiſt. 1. 1,3: *Quod fuit à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectavimus & manus noſtræ contrectaverunt de ſermone vitæ &c, nunciamus vobis. A principio.* Hoc ex re ſubjecta intelligendum eſt, nempe à principio meæ prædicationis. Cur vero non idem facimus in primis hujus libri verbis, *in principio erat ſermo*, ut principium hoc ad rem ſubjectam referamus? Nam rem ſubjectam Euangelium eſſe quiſque videt.

Mecum eſtis, dicere maluit, quam eratis, ut tanto magis continuatam eorum ab ipſo principio ad illud uſque tempus converſationem ſecum exprimeret.

CAPUT

CAPUT XVI.

Verſ. 1. HÆ*c locutus ſum vobis.* Nempe de mundi adverſum vos odio. *Ut non ſcandalizemini.* Nempe per defectionem à me Matth.xiij. 21. Luc.viij. 13. Tela præviſa minus feriunt. Facilius adverſa ſuſtinet, qui dicere poteſt, omnia percepi atque animo mecum ante peregi. Hinc monet Petrus: *Dilecti, ne tanquam re nova & peregrina percellamini illo igne quo exploramini, quaſi novi quid vobis contingat* 1 Petr.iv. 12.. Qui in puteum ſponte & conſulto deſcendunt, nihil ſe illic eſſe triſtantur nec mirantur tanquam rem inſperatam. Sed qui caſu aliquo inviti in eum incidunt, ægre ferunt ſe in puteo eſſe, & caſu illo magnopere turbantur, quia eis hoc præter votum ac cogitationem eorum accidit. Idem uſu venit Chriſtianis, ſi deliberato animo & omnibus bene perpenſis ad Chriſtum accedant, nihil moventur ullis adverſis quæ ſibi eveniunt. Sed ſi temere ſuſceperint religionem Chriſtianam, animo nil præparato, fieri non poteſt quin admodum ingruentibus procellis turbentur, & ſubinde ſeipſos interrogent, quid nos hic facimus? quid opus erat nos hic eſſe? & ſic ſcandalizantur & deficiunt.

Verſ. 2. *Ex Synagoga ejicient vos.* A genere deſcendit ad ſpeciem ſeu ad odii effecta. A conventibus & congregationibus ſacris tanquam impuros vos arcebunt & notabunt, ne quidquam vobiſcum commune ſit populo Dei. Huc referuntur omnia anathemata, excommunicationes, execrationes, damnationes pro blaſphemis, impiis hæreticis, qua de re jam legem tulerant Judæi cap.ix. 22.

Sed venit hora. Quaſi dicat, durum quidem eſt hoc quod dixi, ſed dicam adhuc quod multo durius, ac omnium duriſſimum eſt. *Venit hora.* Id eſt, veniet, per enallagen temporis præſentis. *Hora,* pro tempore, per ſynecdochen.

Ut omnis, in commune ſcilicet loquendo, *qui occiderit vos, exiſtimet cultum offerre Deo.* Id eſt, ut non tantum occidamini, ſed etiam ut omnis qui vos occiderit, exiſtimet ſe ſacrificium offerre Deo, ita ut pro cæde veſtra etiam præmium à Deo ſperet, tantum abeſt ut pœnam metuat. Peſſima eſt hæc conſcientia quæ male facere jubet; nihil autem eſt pejus quam homines conſcientiam lædere nolentes occidere. Tali conſcientia nunquam laborant Chriſti diſcipuli, ut quenquam quod conſcientiam propriam lædere nolit oderint aut ullo malo afficiant, nedum occidant.

Verſ. 3. *Et hæc facient vobis quia non cognoverunt Patrem.* Id eſt, Patris mei, qui Deus ille unus eſt, voluntatem & veritatem, quamvis cognoſcere potuerint ac debuerint.

Neque me. Quod ſcilicet ſim Dei Filius ille ſingulariſſimus ſeu Chriſtus ejus: quaſi dicat, non fiet hoc veſtro merito, ſed illorum inſcitia ac cœcitate. Quid ergo dicendum eſt de iis qui alios occidunt & perſequuntur, quia non credant Jeſum eſſe Deum illum unum, etiamſi eum credant eſſe Chriſtum ullum & Filium Dei unicum? Idipſum nimirum quod non cognoverint Patrem neque Filium. Nam & Pater illis eſt non Deus ille unus quantus quantus eſt, & Filius illis eſt non homo Jeſus ab uno illo Deo diſtinctus, ſed Deus ille unus: adeo ab homine Jeſu abhorrentes, ut ſi non ſit unus ille Deus, abominabilis ſit, ac odio & perſecutione omni dignus in ſuis diſcipulis. Ita & iſti dum eos occidunt, exiſtimant ſe victimam offerre gratam Deo, immo & Chriſto, quo ipſo produnt ſe veros Chriſti diſcipulos haud eſſe. Iſti enim alienam conſcientiam & religionem perſequi rem Deo maxime inviſam eſſe judicant.

Verſ. 4. *Sed hæc dixi vobis.* Quaſi dicat, quamvis ingrata auditu, multo magis experientia.

Ut quando veniat hora, nempe quam dixi, *memineritis eorum quod ego dixerim vobis.* Id eſt, memineritis quod vobis iſta prædixerim; proinde ne vos iſta tanquam nova & inopinata turbent. Vide 1 Petr. iv. 12.

Hæc autem vobis ex initio. Nempe prædicationis meæ, ut ſupra cap. xv. 27. Vide hic iterum vocem principii ex ſubjecta re intelligi.

Non dixi quia vobiſcum eram. Quaſi dicat, quod ſatis temporis eſſet vobis iſta dicendi.

Verſ. 5. *Nunc autem abeo.* Id eſt, abibo, per enallagen temporis.

Ad eum qui miſit me. Id eſt, Deum illum unum Patrem meum. Antequam igitur abirem volui vobis iſta dicere, præſertim hoc ipſo tempore quo rei iſtius exemplum in me habituri eſtis. Miſit Deus Chriſtum ad homines, nimirum non ut naſceretur, ſed jam natum, & ad virilem ætatem perductum Luc.iij. 23.

Et nemo ex vobis interrogat me, quo abis? Jam quidem ipſe dicit ſe ire ad eum qui ſe miſerit, & ſupra, ſe ire ad Patrem cap.xiv. 28, ſe ire in domum Patris verſ.2; ſed nemo ex illis interrogabat ſic ut ſciret quis eſſet iſte abitus, & qualis, quid commodi ſibi abitus hic allaturus eſſet? Petrus etiam ſupra cap.xiij. 36 interrogavit quidem, Domine quo abis? ſed ibi Dominus agebat de abitu in crucem cap. xiv. 5: dixit etiam Thomas, Domine neſcimus quo vadis, ſed nec ibi cogitavit Thomas aut ullus ipſorum ut de abitus Chriſti ad Patrem ratione & commodis interrogaret. Patrem ſibi monſtrari petiit Philippus verſ. 8, ad alia delapſus. Hic ergo jure perſtringit Chriſtus eorum hac in parte ſocordiam.

Verſ. 6. *Sed quia hæc dixi vobis.* Nempe me abire ad eum qui me miſit.

Triſtitia implevit veſtrum cor. Quaſi dicat, non ratione ſed affectu ducimini, non hoc facitis quod debebatis. Non videtur improbaturus fuiſſe modicam triſtitiam, dicit enim, *triſtitia implevit cor veſtrum*, quaſi nullo relicto loco rationi & conſilio. Ita ſolent homines, non conſulta ratione, nec re bene expenſa turbari & affectibus abripi, qui ſi prius rem expenderent, ſæpe viderent quæ ſibi prima fronte occurrant triſtia, in melius eſſe ceſſura.

Verſ. 7. *Sed ego veritatem dico vobis.* Quaſi dicat: triſtamini ob veſtrum proprium bonum.

Veritatem dico vobis. Hoc eſt, quod alibi dicit: *Amen amen dico vobis.* Non fallo, non decipio, non fruſtror vos inani ſolatio, ut ſolent interdum qui mœſtos conſolantur.

Confert vobis, ut ego abeam. Nempe ad Patrem. Eſt hoc ex uſu & commodo veſtro.

Si enim non abeam. Nempe ad Patrem: probat quod aſſeruit.

Paracletus ille. De quo vobis dixi cap.xiv. 16,26, cap.xv. 26.

Non veniet ad vos. Nimirum quia ad hoc ut veniat, meo ad Patrem abitu, mei glorificatione eſt opus cap.vij. 39. Niſi enim Filius ad Patrem iviſſet, quomodo à Patre Spiritum Sanctum mittere potuiſſet? Significat Chriſtus plus in eo commodi ſuis diſcipulis eſſe, ut poſt ſuam cum illis converſationem Spiritum Sanctum accipiant, quam ut ſemper Chriſtus cum illis in terris corporaliter maneat: quod ſane verum eſt, Spiritus enim Sanctus reddidit eos ipſi Chriſto ſimillimos. At ſi Chriſtus uous ille Deus erat, nec ut ad Patrem iret ad mittendum nobis Paracletum, nec ut nobis melius eſſet, ullius alterius Paracleti ad nos miſſione quidquam erat opus.

Si autem eam. Nempe ad Patrem.

Mittam eum ad vos. Quatenus eum Pater per me mittet ad vos. Vide cap.xiv. 16,26. xv. 26. Pater enim Filio glorificato Spiritum Sanctum dedit ut eum effunderet in diſcipulos ſuos Act.2. 33: quaſi dicat, qui cum ad vos veniet, multo melius vobis erit quam nunc eſt.

Verſ. 8. *Et cum venerit ille.* Exponit Paracleti illius effecta.

Arguet, nempe per vos, *mundum*. Id eſt, homines veritatis, quam docui, adverſarios,

De peccato, de juſtitia, de judicio. Hæc Chriſtus in ſequentibus exponit.

Verſ. 9. *De peccato quidem quod non credant in me.* Tanquam in Dei Filium ſeu Chriſtum illum: arguet hujus peccati mundum efficacibus argumentis, dono Sapientiæ divinæ, linguarum, miraculorum multiplicium, quæ fient in meo nomine.

Verſ. 10. *De juſtitia autem, quod ad Patrem meum ab eo, & non amplius videtis me.* Per enallagen præſentis pro futuro, id eſt, arguet mundum, maximam in eo Dei juſtitiam eſſe, quod ego ad Patrem meum abiturus ſim, & non amplius me viſuri ſitis; quis enim locus eſſet credendi, ſcilicet in me, ſi ego ſuſcitatus ex mortuis vobiſcum adhuc manerem & oculis veſtris conſpicerer? cum ad fidem ſuffectura ſint argumenta, quibus Paracleus mundum arguet me à mortuis reſuſcitatum & Dominum ac Chriſtum a Deo factum eſſe.

Verſ. 11. *De judicio autem, quod princeps mundi hujus judicatus ſit.* Id eſt, damnatus ſit, cauſa ceciderit, me tanquam blaſphemum & pſeudo-Prophetam ac pſeudo-Chriſtum in mortem agens. Unde fiet ut omnes probi ab eo deficiant & mihi ſe adjungant, nec crucem ac mortem eo nomine metuant, cujus terrore princeps mundi ſolebat homines in ſua retinere ſervitute. De hac damnatione ſimilia Chriſti verba cap. xij. 31 recte poſſunt intelligi. Sequitur enim,

Et ego ſi exalter ex terra, omnes traham ad me. Nempe à mundo & à diabolo per mortem meam, inſequente ſcilicet eam reſuſcitatione mei ad gloriam & regnum cæleſte. Hinc enim apparebit, me Filium Dei illum ſingulariſſimum, quem præ omnibus elegit & dilexit, & in Regem illum ſingulariſſimum Spiritu Sancto unxit totius mundi bono, mortem, eamque crucis ſubiiſſe: quæ res admirabilem & Dei & meum erga homines amorem teſtabitur, & viciſſim homines ad Deum & me redamandum incitabit vehementiſſime. Arguet ergo Paracletus mundum cauſam Chriſti & diſcipulorum ejus juſtam & veram & bonam eſſe, cauſam autem diaboli Chriſto & diſcipulis ejus adverſantis malam & injuſtam. Et ſicut Chriſtum poſt mortem vivere & regnare, ſic diſcipulos ejus victuros ac regnaturos eſſe: diabolum autem mundi principem & conſequenter mundum ei ſe ſubjicientem damnatum ac perditum iri. Conjunxit Chriſtus hæc tria, peccatum, juſtitiam, judicium, quia priora duo inter ſe opponuntur, & tertium illorum ſolet eſſe conſequens.

Verſ. 12. *Adhuc multa habeo.* Aliud maximum commodum ex adventu Paracleti commemorat.

Dicere vobis. Nempe clarius quam dixi. Nam alioquin dixerat illis omnia quæ audiverat à Patre cap. xv. 15.

Sed non poteſtis portare. Id eſt, intelligere, non erudirent vos iſta, ſed obruerent.

Nunc. Prout nunc eſtis, & ante Paracleti illius adventum. Intelligit Chriſtus myſteria de regno ſuo cæleſti ac ſpirituali, de circumciſionis & rituum Legis abrogatione, de juſtitiæ imputatione per fidem in Chriſtum, de ambulatione ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem, de gentium omnium ad fidem in Chriſtum & Regni Dei hæreditatem vocatione. Hæc enim tanta erant myſteria ut tum adhuc à diſcipulis Chriſti capi & intelligi nequirent. Sunt qui tres unius Dei perſonas, & duas unius perſonæ naturas, id eſt, hominem & unum illum Deum deſignari putent; ſed fruſtra: cum hoc dogma ne nunc quidem à quoquam poſſit portari & intelligi.

Verſ. 13. *Quando autem veniet ille.* Nempe Paracletus, ſpiritus ille veritatis. Vide cap.xiv. 17.

Ducet vos. Nempe interna illuminatione,

In omnem veritatem. Nempe ad ſalutem æternam pertinentem, ita ut omnia ſciatis & intelligatis quæ vera ſunt & ad ſalutem pertinent. Eſt enim veritatis voci articulus præfixus, quæ eam ex ſubjecta materia docet intelligi. Docemur hoc loco Apoſtolos in omnem veritatem deductos fuiſſe, proinde dogmata poſt Apoſtolos invecta ad divinam veritatem non pertinere, ſed anathema eſſe Galat.1. 8,9.

Non enim loquetur à ſeipſo. Rationem affert, ob quam nullum periculum ſit ut in errorem vel mendacium ducat. Quia Spiritum Sanctum ſui comparatione Paracletum per metaphoram vocavit; ideo metaphoræ iſti convenienter per proſopopoëiam de Spiritu Sancto loquitur. Alioquin enim Spiritus Sanctus perſona eſſet quæ a ſeipſa non loqueretur: quæ ideo veritatem loqueretur quod à ſeipſa non loqueretur, quæ ea quæ audiat loqueretur: quod de perſona quæ Deus ille unus ſit dici non poteſt.

Non loquetur à ſeipſo. Id eſt, ſe auctore & repertore, ſeu id quod in mandatis non habeat.

Sed quæcunque audiet. Nempe à Deo qui veritas eſt ipſa.

Loquetur. Quaſi dicat: proinde & veritatem, & omnem veritatem loquetur, omnem enim audiet. Res aperta eſt, Spiritum Sanctum induci tanquam fidelem Dei legatum, cujus eſt legantem audire, & nihil à ſeipſo loqui, & omnia quæ audierit ac in mandatis acceperit, loqui.

Et ve-

Et ventura. Id eſt, ventura, per enallagen temporis.

Annunciabit vobis. Quaſi dicat, hoc etiam præſtabit ſpiritus ille veritatis, ut ventura ſeu futura vobis annunciet, quæ ubi evenerint, & vos & omnes argumentum hinc capietis nil niſi veritatem vobis à Spiritu Sancto ſuggeri & inſpirari. Sic Propheta per Spiritum Sanctum prædixit famem ſub Claudio; ſic prædixit vincula Paulo, & multa alia. Crebrum hoc erat in primitiva Eccleſia. Sic Paulus luculenter prædixit venturum Anti-Chriſtum 2 Theſſ. 2, Petrus exorituras hæreſes 2 Petr. 2.

Verſ. 14. *Ille me glorificabit.* Id eſt, non feret ſe alium à me doctorem, ſed feret ſe meum legatum, meum donum, quæ res mihi maximæ gloriæ erit.

Quia ex meo accipiet. Id eſt, ex meis opibus & copiis,

Et annunciabit vobis. Proinde meo nomine.

Verſ. 15. *Omnia quacunque habet Pater mea ſunt.* Ne quis diceret, cur non accipiet ex paterno, ſed ex tuo? reſpondet, omnia quæcunque habet Pater mea ſunt; proinde & myſteriorum omnium paternorum & futurorum ſcientia. Pater mecum communicavit omnia ſua bona, & hæredem me inſtituit omnium. Quod ex ratione ac natura rei debet intelligi Luc. xv. 31, nempe omnium quæ ſunt communicabilia.

Propter hoc dixi quod ex meo accipiet & annunciabit vobis. Nihil enim eſt Paternum cujus ego ex Patris gratia hæres & Dominus non ſim. Non poteſt ergo Spiritus Sanctus quidquam habere quod ex meo acceptum non ſit, quidquam vobis annunciare quod ex me vobis non annunciet, cum & ipſe Spiritus Sanctus meus ſit, & mihi à Patre datus ſit Actor. 2. 33.

Verſ. 16. *Parum*, nempe temporis, *& non videtis*, id eſt, videbitis *me.* Prædicit eis inſtantem ſuam mortem, quam ſequente noctem illam die debuit oppetere.

Et iterum parum. Nempe tertio poſt mortem meam die,

Et videbitis me, cap. xx. xxi, *quia ego vado ad Patrem.* Proinde ſuſcitabor ex mortuis, ut ad Patrem vadam.

Vado. Id eſt, vadam, per enallagen temporis.

Verſ. 17. *Dixerunt igitur ex diſcipulis ejus alii ad alios; quid eſt hoc quod dicit nobis: parum & non videtis me, & iterum parum & videbitis me, & quia vado ad Patrem?*

Verſ. 18. *Dicebant ergo, quid eſt iſtud parum?* Nempe in utramque partem, *neſcimus quid dicat*, vel hinc patet quod non potuerint tunc portare Dei myſteria.

Verſ. 19. *Cognovit ergo Jeſus quod vellent eum interrogare, & dixit eis: de hoc quæritis inter vos quod dixi; parum & non videbitis me, & iterum parum & videbitis me?* Oſtendit ſe ſcire ſecreta eorum colloquia, & quid ſe vellenr interrogare.

Verſ. 20. *Amen amen dico vobis.* Aſſeveratione confirmat id quod dixit, effectum ejus in illis & in mundo exponens, licet rem ipſam non exponat, quippe quam eventus ipſe mox interpretaturus eſſet.

Quod flebitis & lamentabimini vos. Nempe videntes me in crucem actum & occiſum.

Mundus autem gaudebit. Quod ſcilicet me cui adverſatur & quem odit occiderit, idque tam infami & atroci ſupplicio.

Vos autem triſtabimini. Diſcipulos opponit mundo, & triſtitiam eorum (cujus effecta futura erant fletus & lamentatio) gaudio mundi.

Sed triſtitia veſtra in gaudium fiet. Nempe cum me tertio poſt die videbitis ſuſcitatum ex mortuis & redivivum, multo vero magis in cælum proficiſcentem ad capeſſendum regnum meum, & inde cæleſtia munera in vos diſpenſantem.

Verſ. 21. *Mulier quando parit.* Subitam illorum triſtitiam, & poſt hanc ſubitum gaudium, illuſtrat eleganti ſimilitudine mulieris in partum incidentis & partu ſolutæ.

Triſtitiam habet quod venerit hora ejus. Id eſt, hora partus, proinde hora dolorum & periclitandi de vita. *Hora*, per ſynecdochen, pro tempore brevi.

Quando autem naſcitur puer. Solent enim mulieres magis gaudere puerum enixæ.

Non amplius meminit afflictionis. Quam ſcilicet in partu ſuſtinuit.

Propter gaudium quod natus ſit homo in mundum. Quod ex utero matris in mundum prodierit. Significat gaudium ex hac cauſa non afflictionem tantum ex partu, ſed etiam afflictionis obliterare memoriam, quatenus ſcilicet nil curat ſe afflictam fuiſſe, quinimmo valde lætatur. Nam alioquin etiam præteritorum dolorum dulcis eſt recordatio.

Verſ. 22. *Et vos igitur.* Pro ſic igitur & vos, per ellipſin particulæ ſimilitudinis, more Hebræo.

Triſtitiam quidem nunc habetis. Id eſt, habebitis, ex cruce & morte mea.

Rurſum autem videbo vos. Reſuſcitatus ſcilicet ex mortuis.

Et gaudebit veſtrum cor. Vide cap. xx. 20.

Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Non mundus, non diabolus, non ullæ calamitates, non ipſa mors. Nam etiam in media morte maxime gaudebitis. Gaudebitis enim ex me à mortuis reſuſcitato, & à dextris Dei collocato, proinde ex certiſſima ſpe vitæ æternæ Rom. xij. 12. Phil. iij. 1. iv. 4, quæ morte inſtante vividiſſima eſt 2 Tim. iv. 6, 7, 8. In mediis tribulationibus ſemper gaudere debent Chriſti diſcipuli; cum habeant fontem perennem gaudii. Poſſunt hæc gaudia turbari, ſed tolli non poſſunt. Sicut aquam ex fonte manantem limpidam poteſt aliquis turbare, ſed obſtruere fontem non poteſt, quin illa erumpat, & aliquantulum turbata mox fluat limpida. Sic ſe habet & gaudium hoc ſpirituale, turbari aliquantulum poteſt, tolli & inhiberi nunquam poteſt, & turbatum mox redditur ſuæ puritati. Nec mors illud magis tollet quam noſipſos, quia mors nobis aperit & adfert gaudii iſtius verum complementum.

Verſ. 23. *Et in illa die.* Id eſt, in illo tempore, *dies*, per ſynecdochen, pro tempore, ut cap. viij. 56.

Non interrogabitis me quicquam. Non principium temporis illius quo ſuſcitatus eſt ex mortuis intelligit, nam tunc adhuc interrogabatur à diſcipulis Act. 1. 6: ſed temporis illius progreſſum, cum in cælum evectus miſit illis Spiritum Sanctum, qui eos

in omnem deduxit veritatem. Reſpicit ad id quod ſe voluerint interrogare, ignari quid diceret verſ. 18, 19.

Amen amen dico vobis, quod quæcunque petieritis Patrem in meo nomine. Id eſt, per nomen meum, meo nomine, & nominis mei gloria, Patrem veluti obligantes & obteſtantes, vide XVI. 11, 12.

Dabit vobis. Ponit enim eos & mandata ſua obſervaturos, & ea petituros quæ voluntati ejus ſint conformia, (cui nos ſubjicere debemus in omnibus, exemplo Chriſti,) & quæ ipſis ſint bona ac ſalutaria, & petituros certa cum fide, nihil de petitionis effectu dubitantes; quæ fides peculiare eſt Spiritus Sancti donum in edendis miraculis 1 Cor. xij. 9. Docet quanta bona ſint in illo die conſecuturi, proinde quam etiam ex his bonis ingens gaudium habituri.

Verſ. 24. *Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo.* Neque enim adhuc Chriſtus erat ad cæleſtem apud Patrem majeſtatem evectus.

Petite. Nempe in illa die verſ. 26.

Et accipietis. Ego enim omnium rerum in cælo & in terra habiturus ſum à Patre poteſtatem.

Ut gaudium veſtrum ſit impletum. Id eſt, ne quidquam vobis deſit ad ſpirituale gaudium, ad ſpirituale, inquam, non ad carnale. Ita enim hæc omnia debent intelligi, ne excludantur afflictiones propter Chriſtum, quibus hoc ſpirituale gaudium maxime excitatur Rom. v. 3.

Verſ. 25. *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis.* Significat ſe iis non clare, non aperte dicere ſe mox in crucem actum iri, & tertio poſt die ex morte reſurrecturum, ad Regnum ſuum ſibi à Patre deſtinatum capeſſendum. Videbat eos & jam expertus erat clari & hac de re aperti ſermonis haud eſſe tum capaces Matth. XVI. 22. Luc. xxiv. 25.

Sed venit hora. Id eſt, veniet brevi, per enallagen, *hora* pro tempore verſ. 2, 21.

Quando non amplius in proverbiis loquar, ſed aperte de Patre. Id eſt, de Patris voluntate & myſteriis.

Annunciabo vobis. Partim per me poſt reſurrectionem meam, partim per Spiritum Sanctum poſt mei glorificationem.

Verſ. 26. *In illo die.* Nempe cum in Regnum meum exaltatus fuero, & vobis Spiritum Sanctum mittam, qui vobis majeſtatem meam apud Patrem aperiet.

In nomine meo, id eſt, per nomen meum, *petetis.* Non erit opus ut ad id incitemini.

Et non dico vobis quod ego rogabo Patrem pro vobis. Ut ſcilicet vobis det quæ petitis. Hoc addit ne putarent Dominum Jeſum ſibi dicere, quod pro ſe rogaturus eſſet Patrem. Negat ſe iis hoc dicere, & cauſam adfert:

Verſ. 27. *Ipſe enim Pater diligit vos.* Quaſi dicat, ut nihil neceſſe futurum ſit ut pro vobis rogem; tam Pater vos diligit quam ego. Loquitur Dominus Jeſus, ut cœpit, de illa die qua ipſe rerum omnium poteſtatem erat habiturus à Patre. Nam ante hunc diem ſæpe rogavit pro diſcipulis, ut ſupra dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis* cap. XIV. 16, & capite ſequente deſcribitur ejus oratio ad Patrem, quæ fere tota pro diſcipulis eſt. Licet enim etiam tum Pater diligeret diſcipulos Chriſti, tamen Chriſtum decuit, cum adhuc in hac mortali vita verſaretur, & præcipue cum jamjam moriturus eſſet, Patri ſicut pro ſe, quamvis maxime diligeretur ab ipſo, ſic & pro diſcipulis ſupplicem fieri. Nam ſi quis dicat Chriſtum etiam in cælos evectum pro diſcipulis orare, & tanquam ſummum Sacerdotem pro iis interpellare, tanquam Paracletum cauſam eorum apud Patrem agere, metaphoram in eo neceſſe eſt ut agnoſcat, quatenus nimirum Dei Filius ad mandatum Patris mortem, eamque crucis pro omnibus ſubire non dubitavit. Hæc enim tanta Filii obedientia perpetuo eſt incitamento & obligationi Patri, ut diſcipulis Chriſti in omnibus ſeſe faventem & propitium exhibeat, nec iis quidquam deneget. Et quia Deus princeps eſt ſalutis noſtræ cauſa, & quidquid Chriſtus facit, poteſtate à Deo accepta facit, ideo ut hæc Patris indicetur prærogativa, iſte loquendi modus de Chriſto uſurpatur.

Quia vos me dilexiſtis. Id eſt, diligitis, per enallagen Hebræam præteriti pro præſenti. Cauſam exponit dilectionis Paternæ erga ipſos, quid enim gratius eſt Patri, quam ſi quis Filium ejus dilectiſſimum diligat?

Et credidiſtis. Id eſt, creditis, eadem enallage.

Quod ego à Deo exivi. Exiverat ab eo, nempe ab eo miſſus & ablegatus. Vox παρὰ cum genitivo perſonæ non ſemper ſignificat locum, ut cap. xvij. 7, niſi cum ſignificatur motus, ut hic. Cauſam exprimit ob quam diſcipuli ſe diligant, quis enim non diligat eum quem à Deo exiviſſe credat, præſertim ſi nobis à Deo vere Euangelium, vere nuntium bonum ac deſideratum adſerat? ô quam jucundi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona! Rom. x. 15.

Verſ. 28. *Exivi à Patre.* Aſſerit rem ſic ſe habere ſicut crediderint, proinde eos verum crediſſe & credere: quaſi dicat, ita ſe res habet ſicut credidiſtis.

Παρὰ τοῦ πατρὸς. A Patre, & ex loco in quo Pater habitat.

Et veni in mundum. Id eſt, ad homines, in hoc convexum, tanquam Legatus Dei, poſtquam nimirum natus eſſem. Legati enim prius naſcuntur quam ablegantur.

Rurſus. Id eſt, repetita retro via, ut cap. xviij. 33.

Relinquo mundum. Non homines tantum, ſed etiam totum hoc convexum.

Et proficiſcor ad Patrem. Id eſt, in cælum, à quo & unde miſſus ſum, Legatus ad ablegantem legatione peracta proficiſcor. Vis oppoſitionis ipſa requirit ut Chriſtus ex cælo in hoc inferius convexum veniſſe dicatur, quandoquidem ex hoc inferiori convexo profectus eſt ad Patrem in cælum, aſcenderat enim ad Patrem in cælum, à quo deinde deſcendit ad homines in mundum cap. iij. 13.

Verſ. 29. *Dicunt ei diſcipuli ejus; Ecce nunc aperte loqueris, & proverbium nullum dicis!* Interim tamen non intelligebant mortem prius oppetendam eſſe Chriſto.

Digitized by Google

Verſ. 30. *Nunc ſcimus.* Nempe plene & perfecte. Vide cap. 2. 11.

Quod ſcias omnia. Quia nimirum illis dixerat quæ de re inter ſe quærerent & ſe vellent interrogare verſ. 19. Sunt qui hinc colligant Chriſtum etiam diem judicii ſciviſſe: quos vellem monitos ne Chriſti honorem ita augeant, ut cum id ipſe negaret mentitum fuiſſe arguant. Neque enim in ejuſmodi locutionibus omnia protinus in univerſum, & ſine ulla exceptione accipere neceſſe eſt, cum in iis plerumque conſueta ſit ſynecdoche totius. Vide inter plurima ſupra cap. IV. 29. 1 Joan. 2. 20, 27. Apoc. xxj. 5, 7. 1 Cor. 2. 15 &c.

Et non opus habes ut quis te interroget. Nempe ad id ut ei reſpondeas, cum antequam interroget jam ejus cogitationes & quid interrogare velit ſcias. Vide cap. 2. 24, 25.

In hoc. Id eſt, per hoc,

Credimus. Nempe modò, ut patet ex ſequente reſponſione Chriſti, plene ſcilicet & perfecte, jam nunc nobis ad fidem nihil deeſt, ſicut paulo ante dixerunt,

Nunc ſcimus quod à Deo exiviſti. Nempe tanquam ejus Legatus & ab eo miſſus: quaſi dicant, niſi enim à Deo miſſus eſſes & exiviſſes, nunquam hanc divinam ſapientiam haberes, quam certe Deus, qui ſolus eam dare poteſt, pſeudo-Prophetæ non daret. Vide quid Apoſtoli ex divina Chriſti ſapientia inferant, & quomodo argumententur; quod ſane totum falſum eſſet ſi Chriſtus ipſe unus ille Deus eſſet. Sic & Chriſti ipſius argumentatio falſa foret, quoties ex divinis ſuis operibus ſe miſſum à Deo concludit. Deus enim ille unus miracula facere poteſt etiamſi à nemine mittatur. Notandum eſt quod dicant ἀπὸ Θεοῦ, non παρὰ Θεοῦ, ut Chriſtus dixit, quia utrumque eandem habet ſignificationem, niſi quod ἀπὸ Θεοῦ exire latius pateat, & locum in quo Deus habitat neceſſario non includat.

Verſ. 31. *Reſpondit eis Jeſus, modo creditis.* Quaſi dicat, poſt tot divina opera mea modo creditis? mirum ſane: ſed fallimini in hoc, quod ut modo fides veſtra ad plenum & perfectum pervenerit, adeo, inquam, in hoc fallimini, quod ut modo fides quæ ante fuit, maximam ecclipſin paſſura ſit.

Verſ. 32. *Ecce venit* (ἔρχεται, in præſenti) *hora & nunc venit* (ἐλήλυθεν, in præterito) per enallagen præteriti, pro inſtanti & mox futuro. Ne putetis eam adhuc longe abeſſe, jam præ foribus eſt.

Ut diſpergamini quiſque in propria. Nempe ex deſperatione rerum, ad ſua quiſque veſtrum redibit, ſuam domum, ſuas res privatas repetet.

Et me ſolum relinquatis. Ex eadem videlicet deſperatione. Ita Chriſtus iterum ſuam divinam prodit ſapientiam futurorum prænotione & prædictione. Non tamen hæc erat diſcipulorum improbitas, ſed pro temporis illius & rerum ratione ac conſtitutione infirmitas & imperfectio. Credebant illi quidem, ut verſ. 27 Chriſtus dixit, ſed prout tum credere poterant, ita nimirum ut mors Chriſti, eaque tam dira & ignominioſa fidem eorum turbare & confundere ac morte afficere poſſet, quæ reſurrectione demum Chriſti reſtituenda ac reſuſcitanda & vivificanda & ad plenum ac perfectum perducenda erat.

Et non ſum ſolus. Alio nimirum reſpectu.

Quia Pater. Id eſt, Deus ille unus, qui me ſibi in Filium ſingulariſſimum elegit, & in Regem illum unxit ac ſanctificavit, & ad mundum miſit,

Mecum eſt. Non deſerit me unquam. Adeſt mihi ſuo ſpiritu, ſua cura & infinita potentia; proinde neutiquam res ſunt deſperatæ, etiamſi mox capiar, & crudeliter ac miſerabiliter tracter, & in crucem agar, & occidar. Suſcitabit me Pater ex mortuis, & Dominum ac Chriſtum faciet. Si Pater mecum non eſſet & me dereſeret, actum eſſet de me: ſed quomodo Pater deſerere poteſt Filium ſuum ſibi in omnibus, etiam in morte crucis ſubeunda, obſequentiſſimum? Hoc & noſtrum debet eſſe, cum ab amicis deſerimur, ab inimicis affligimur & occidimur, unicum ſolatium! Soli non ſumus, eſt nobiſcum Deus & Chriſtus Matth. xxviij. verſ. ultimo. Sic & cum Joſepho Deus erat, deſcendit cum eo & in foveam. Vides quod Chriſtus non eo ſe ſoletur, quod ſit unus ille Deus, ſed quod Pater, unus ille Deus, ſecum ſit.

Verſ. 33. *Hæc.* Nempe quæ toto hoc ſuperiore ſermone continentur,

Locutus ſum vobis, ut in me. Id eſt, per me. *In* pro *per*, ut paulo ante verſ. 30.

Pacem habeatis. Id eſt, immunitatem à divinis pœnis, animi tranquillitatem, pacem illam Dei, æternæ vitæ ſpem, & tandem ipſam vitam æternam, adhærendo ſcilicet mihi per fidem in me & mandatorum meorum obſervationem; huc enim ſpectane omnia quæ iis Chriſtus toto hoc ſermone locutus eſt.

In mundo. Id eſt, per mundum, à mundo.

Afflictionem habebitis. Non pacem. Alterutrum vobis eligendum eſt, vel pax à me & à mundo afflictio, vel pax à mundo & à me afflictio. Ita veri diſcipuli Chriſti mundum nunquam affligunt, ſed ſemper habent afflictionem à mundo.

Sed confidite. Id eſt, bonum animum habete, res vobis optime cedet, & afflictio in maximum bonum vertet.

Ego, pro quo affligemini, *vici mundum.* Factum jam dicit quod mox futurum erat. Vici per id ipſum per quod maxime ſe viciſſe mundus putavit, nempe per mortem meam, ſubſequente eam Patris qui mecum eſt beneficio, reſurrectione & gloria mea cum poteſtate in omnem carnem ſeu mundum univerſum conjuncta. Non eſt ergo dubitandum quin vos diſcipulos meos vindicaturus ſim in vitam æternam, & mundum vobis & mihi adverſantem ſim perditurus. Vincetis & vos per afflictiones & mortem mundum meo beneficio, ſicut ego vici Patris beneficio. Nihil mundus vobis faciet ſine meo permiſſu. Ego autem ſcio quid & quantum illi ſit permittendum. Quamvis etiam citra & ante reſurrectionem vincit mundum, qui ne mortis quidem ullo ſupplicio (qui ultimus mundi conatus eſt,) à veritatis divinæ confeſſione depelli poteſt. Hoc illud eſt pulcherrimum certamen à Deo propoſitum, cujus dux maximus eſt Chriſtus. In hoc certamine, ſicut ipſe vicit, ſic & nos vincere faciet; quam victoriam corona vitæ & gloriæ æternæ, ſicut in Chriſto conſecuta eſt, ſic & in omnibus qui eodem modo vicerint conſequetur.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Verſ. 1. H*Æc locutus eſt Jeſus.* Nempe ad diſcipulos.

Et ſuſtulit oculos ſuos in cælum, & dixit. Concludit ſermones ſuos ad diſcipulos oratione ad Deum, tum pro ſe tum pro diſcipulis, cum ſciret omnia ex Dei gratia pendere & proficiſci, & ſine Deo nihil quod vere bonum ſit fieri poſſe. Dum autem oraturus oculos in cælum attollit, quid aliud ſignificat quam Deum in cælo habitare, nec aliter in terra & ubi vult eſſe quam per ſpiritum ſuum, & conſequenter per infinitam ſuam ſapientiam & potentiam & providentiam? Nam & ſol per radios ſuos eſt etiam ubi ipſe non eſt. Alioquin enim, ſi Deus perſona ſua ubique eſſet, cur imperiti vulgi morem imitaretur ſapientiſſimus & rerum omnium ſcientiſſimus Dominus? Et cum apud omnes gentes in uſu ſit ut oraturi oculos & manus in cælum attollant, ipſa natura docuiſſe videtur Deum perſona ſua non alibi quam in cælo eſſe. Hinc ex ejuſdem Chriſti inſtitutione oraturi dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis.* Eſt autem Deus quoquoverſum majeſtate ſua in cælo, unde & ſapiens ille Salomon: *Cæli cælorum non capiunt*, inquit, *te Domine.* Quippe quod Deus etiam cælis cælorum, id eſt, ſupremis cælis major ſit, nec tam illis contineatur quam illos contineat: hinc eſt & infinitus ac immenſus, nihil enim eſt quod eum finiat, & quod non potius ab eo finiatur. Et lux illa inacceſſa quam inhabitare dicitur, ab ipſo prodit, & cum ipſius perſona computanda eſt, ut cum ſole lux ſolis.

Pater. Id eſt, ſumme & unice Deus, qui me ſpiritu tuo ex matre mea genuiſti, & in Filium ſingulariſſimum ſuſcepiſti, ſpiritu tuo peculiariter ſanctificaſti, & ad mundum miſiſti.

Venit hora. Ἡ ὥρα, id eſt, tempus illud à te deſtinatum ac definitum. Non peto extra tempus rei legitimum. Veniſſe jam dicit tempus, quia in propinquo erat, ut ſupra verſ. 33 *vici mundum*, inquit, quia jam in eo erat ut vinceret.

Glorifica tuum Filium. Illum ſingulariſſimum, nempe gloria quam ei ante ſecula deſtinaſti, cæleſti majeſtate verſ. 5. Non dicit *me*, ſed *Filium tuum*, efficacius *Patrem* referens ad Filium, & Filium ad Patrem.

Ut & Filius tuus glorificet te. Dum ſcilicet tibi Filii tui glorificatio maximæ erit gloriæ. Vide cap. xij. 27, 28. xiij. 31, 32. Philip. 2. 11. Neque enim Deus aliter à quoquam glorificatur quam quatenus ex ſuis erga eum operibus ac beneficiis gloriam conſequitur. Cæterum hæc oratio Chriſti ad Patrem, manifeſtum continet documentum, ſolum Patrem eſſe unum illum Deum, & Filium non minus ab uno illo Deo diſtingui quam à Patre. An enim unus ille Deus preces ad aliquem funderet? Ut homo, ajunt. At dicere aliquem ſimul eſſe unum illum Deum & hominem, eſt alterum tollere per alterum. Et qui ſimul ſit unus ille Deus & homo, quibus obſecro precibus indigeret? Non indigeret ullis ad ſuam quanto minus ad alienam perſonam!

Verſ. 2. *Sicut dediſti ei.* Quaſi dicat, glorifica eum convenienter tuo decreto.

Poteſtatem omnis carnis, id eſt, in omnem carnem, in omnem hominem mortalem, per genitivum objecti, *dediſti*, id eſt, dare conſtituiſti. Rem ponit pro rei decreto, per metonymiam, ut verſ. 22. Quaſi dicat, quam poteſtatem reipſa habere & exercere non poſſet, niſi eum glorificares, quod ex fine poteſtatis iſtius apparet. Sequitur enim:

Ut omne. Pro omni, per enallagen caſus, ob ſequens

Quod dediſti ei. Neutrum pro communi. Intelligit enim in ſe credentes, quos Deus dedit Chriſto, quatenus ipſe effecit ut in Chriſtum crederent, & ejus eſſent, tanquam Domini & Regis ſui divini. Vide cap. vj. 37, 39, 44. 65.

Det eis. Per pleonaſmum pronominis Hebraicum.

Vitam æternam. At vitam æternam omni homini mortali in ſe credenti, eique etiam mortuo, dare non poſſet, niſi à Deo glorificaretur, id eſt, niſi non ſolum ipſe naturam immortalem haberet, & vitam viveret æternam, ſed etiam virtute polleret & mortalibus & jam mortuis vitam æternam conferendi, ac cæleſti coronaretur majeſtate.

Verſ. 3. *Hæc autem eſt æterna vita.* Diſcipulorum qui audiebant cauſa exponit quæ ſit vita æterna, id eſt, vitæ æternæ adipiſcendæ medium ſeu ratio, per metonymiam effecti pro cauſa, ut ſupra in re contraria *judicium* dixit judicii cauſam cap. iij. 19.

Ut cognoſcant. Nempe homines, (intellige) *te Pater*, id eſt, ut cognoſcant perſonam & voluntatem tuam, in qua cognitione etiam conſequens ejus includendum eſt, per metonymiam ſynecdochiam, cum cauſa ponitur, ſed effectus ejus ſimul includitur. Conſequens autem & effectus cognitionis Patris unius illius Dei eſt, ut ejus obtemperemus voluntati. Ideoque qui voluntatem ejus non faciunt, nec mandata Dei ſervant, Deum cognoſcere merito negantur cap. viij. 55. 1 Johan. 2. 3, 4. Tit. j. 16.

Qui ſolus es verus Deus. Articulus enim præpoſitivus in Græco nominibus ut & pronominibus affigitur, & reſpondet poſtpoſitivo verbis affixo: quaſi dicat, ὡς εἷς μόνος ἀληθινὸς Θεός. Cæterum ſive ſolus Pater dicatur eſſe verus Deus, ſive Pater dicatur eſſe ſolus verus Deus, perinde eſt, ut ex inductione omnium ſimilium exemplorum conſtare poteſt. Sive enim vocem *ſolus* ſubjecto addas, ſive prædicato, æque excludit omnes alios, ut, ſola Maria eſt virgo quæ concepit ex Spiritu Sancto, & Maria eſt virgo quæ ſola concepit ex Spiritu Sancto, & ſic in cæteris omnibus. Deſcribit Patrem, ut cauſam indicet cur in ejus cognitione vita æterna ſit poſita, quia nimirum ille ſolus eſt verus Deus, id eſt, Deus κατ' ἐξοχὴν dictus. Sic Chriſtus dicitur lux vera, vitis vera &c: alioquin enim & Chriſtus eſt Deus verus, ut jam alibi monuimus, cum verum opponitur falſo. Ideoque hoc ſenſu epitheton iſtud veri ſemper de Chriſto debet intelligi, licet nuſquam de Chriſto reperiatur expreſſum: At ſolus Pa-

ter di

ter dicitur verus Deus, cum verum denotat id quod in ſuo genere ſummum eſt, (ſic ſolus Chriſtus eſt lux vera, vitis vera, Sacerdos verus, & ſimilia) qui idcirco etiam ſimpliciter & abſolute, vel ſubjective & per antonomaſiam Deus, vel cum articulo emphatico ὁ Θεὸς, ille Deus, vel unus Deus, vel ſummus & altiſſimus Deus dicitur. Cum igitur ſolus Pater ſit hic Deus, res ipſa docet citra cognitionem ejus vitam æternam non dari. Notetur hoc tam illuſtre Chriſti teſtimonium, quo Patrem ſuum ſolum verum Deum eſſe aſſerit, & ſe ab illo diſtinguit, ſeu ei tanquam diverſum opponit, non tantum tanquam Filium Patri, tanquam mittenti miſſum, ſed etiam ipſis Jeſu Chriſti nominibus. Addit enim, *&* (intellige, *ἀπὸ κοινοῦ*, *ut cognoſcant) quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Cognitioni Patris merito cognitionem Jeſu Chriſti adjungit, quod Pater Jeſum Chriſtum Filium ſuum miſerit, per quem nobis ſui cognitionem plene & perfecte expoſuit, id eſt, & vitam æternam nobis clariſſime promiſit, & illius conſequendæ rationem tradidit. *Deum enim nemo vidit unquam, unigenitus Filius qui erat in ſinu Patris, ille enarravit* cap. j. 18. De ſe loquitur in tertia perſona, tanquam de alio, majoris coram Deo humilitatis cauſa, & Chriſti appellationem de Jeſu id eſt, de ſe uſurpat, ut ſe Chriſtum illum Dei, perfectum divinæ voluntatis interpretem, non alium aliquem Dei legatum aut Prophetam eſſe oſtendat, & ſic, ne quis ſibi nunc extra cognitionem Jeſu Chriſti magis quam extra cognitionem Dei vitam æternam deſpondeat. In Chriſto enim vere & perfecte Deus cognoſcitur, unde & imago Dei inconſpicui Chriſtus dicitur Col. j. 15. Cur vero Chriſtus rationem vitæ æternæ conſequendæ exponens, ſolius Patris & Jeſu Chriſti cognitione eam definiat, & Spiritus Sancti non æque ac Patris, & non multo magis quam Jeſu Chriſti, (qui & hominem deſignat, & miſſus eſſe dicitur) mentionem faciat? Cur inquam de Spiritus Sancti cognitione non tantum plane taceat, ſed etiam ſolum Patrem verum Deum eſſe doceat, & Jeſu Chriſti à Deo miſi cognitionem commemoratu potiorem ducat, ſi Spiritus Sanctus, non Dei Patris virtus & afflatus proprie, ſed proprie dicta perſona ſit, quæ non minus quam Pater ſit unus ille Deus? Sed hanc Spiritus Sancti ignorationem induxit Patris & Filii ignoratio. Si enim cognoſcerent Patris vocem ita accipi ut ſolus ſignificet unum illum Deum, Filii vocem ut ſignificet hominem Jeſum Chriſtum, protinus etiam cognoſcerent Spiritum Sanctum eſſe Dei afflatum & virtutem diviniſſimam.

Verſ. 4. *Ego te glorificavi.* Expoſita velut in parentheſi diſcipulorum gratia, medio vitæ æternæ conſequendi, inſtat in petitione glorificationis, & jam loquitur de ſe in prima perſona.

Super terram. Annunciando nimirum hominibus ſermonem tuum, & eum in omnibus obſervando, & omnia divina opera quæ feci ad te referendo, te auctorem eorum & omnis meæ divinitatis aſſerendo. Maxime autem glorificavit Deum, dum ei fuit obediens ad mortem, mortem autem crucis. Nam etſi id nondum fecerat, tamen dicere potuit ſe feciſſe, quia jam in eo erat ut faceret. Sciebat enim ſe prius pati debuiſſe, & ſic intrare in gloriam ſuam Luc. xxiv.

Opus conſummavi quod dediſti. Id eſt, demandaſti *mihi*, & ad quod me inſtruxiſti ſpiritu tuo.

Ut faciam. Exponit qua ratione Patrem glorificaverit ſuper terram.

Conſummavi dicit, per enallagen temporis, quia mox conſummaturus erat. Sic & Paulus loquitur, curſum conſummavi 2 Tim. iv. 7.

Verſ. 5. *Et nunc glorifica me tu Pater.* Quaſi dicat, jam tuæ ſunt vices, & tu Pater me glorifica, *nunc*, non illo ipſo momento, ſed poſt opus à me conſummatum: quod ſicut ſe jam conſummaſſe dicit per temporis enallagen, ſic etiam per eandem temporis enallagen ſe nunc glorificari petit.

Apud teipſum. Hæc verba opponit illis *ſuper terram.* Ego te glorificavi ſuper terram, apud homines ad quos me miſiſti; tu me glorifica apud teipſum, ibi ubi tu ipſe es, ſupra omnes cælos: quaſi dicat, non peto ut me ſuper terram & apud homines glorifices Regum mundanorum gloria & ſplendore, non peto mihi Salomonis gloriam & divitias; ſed apud teipſum glorificari cupio, ubi tu es, ubi ſunt cæleſtium tuorum Angelorum myriades.

Gloriâ, quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te. Exprimit qua gloria cupiat affici & glorificari, ita ut ſimul cauſam iſtius ſuæ glorificationis & petitionis inſinuet: quaſi dicat, gloria quam mihi non à multis ſeculis, ſed antequam mundus & ſecula eſſent, dediſti. Recte enim dicimur apud eum habere bona & hæreditatem, qui eam nobis deſtinavit. Petit ergo Chriſtus, ut gloriam, quam ante mundum conditum apud Patrem habuit, nunc apud ſe, id eſt, reipſa & de facto habeat, nempe ut ſupra omnes cælos evectus divino apud Patrem ſplendore in perpetuum radiet, cujus gloriæ imago quædam in tranſfiguratione Chriſti apparuit Matth. xvij. Petit gloriam quæ ad habendam & exercendam in omnem carnem poteſtatem, eo fine ut omnibus ſibi à Patre datis vitam æternam daret, neceſſaria erat, & quam etiam ſuis daturus eſſet verſ. 22. Gloriam hanc tacite opponit ignominioſæ cruci. Qui dicunt hanc gloriam Chriſtum antequam mundus eſſet reipſa habuiſſe, neceſſe eſt ut ponant Chriſtum etiam reipſa antequam mundus eſſet fuiſſe: at hoc locus iſte non docet, aliunde probandum id foret. Nam petitio gloriæ iſtius per ſe docet Chriſtum ita gloriam hanc antequam mundus eſſet apud Patrem habuiſſe, ut eâ tum adhuc de facto & reipſa careret, quinimmo Chriſtum ante mundum conditum reipſa fuiſſe huic loco contrarium eſt. Si enim erat, gloriam hanc reipſa habebat: at non habebat, quia eam nunc petit. Non igitur & ante mundum conditum reipſa erat, ſed eo modo erat quo gloriam habebat. Habebat eam apud Patrem, id eſt, ex Patris deſtinatione, ſic etiam apud Patrem, id eſt, ex Patris deſtinatione erat. Solemus dicere, hoc vel illud peto quod pridem habui apud te, cum rem nobis ab aliquo pridem promiſſam vel deſtinatam vel debitam poſtulamus. Si Chriſtus fuit Deus ille ſummus, quomodo potuit petere eam gloriam quam habuit ante mundum conditum? annon enim eam etiam tum cum oraret habuit? an eam amiſerat? an Deus ſummus eſſe deſierat? Petit, ajunt, ut humanitati ejus detur iſta gloria. At gloria iſta erat, quod fuerit Deus ille ſummus. Hæc gloria

dari

dari humanitati non poterat. Deinde quid opus erat ut à quoquam id peteret, multo vero minus ut id acerbiſſima morte mereretur, cum id in ſua poteſtate haberet? per quod & illi refutantur, qui hic non gloriæ collationem, ſed ejus tantum manifeſtationem á Chriſto peti dicunt. Quid enim Deo illi uni opus eſt ut gloriam ſuam manifeſtari ab alia perperſona petat, idque etiam ſumma obedientia apud eam mereatur? Potuitne Deus ille unus ſine manifeſtatione gloriæ ſuæ magis eſſe quam alia ulla unius illius Dei perſona? An unionis hypoſtaticæ gloriam manifeſtari petit? Atqui & hanc ipſemet manifeſtare poterat ſi Deus ille unus erat, certe poterat non minus quam Pater. Hanc vero gloriam antequam mundus eſſet haudquaquam reipſa habuit: nam ante mundum conditum incarnatus non fuit. Cur igitur non dicamus quod planum, quod certum, quod SS. Literis apertiſſime teſtatum eſt, Chriſtum petere gloriam illam ſibi dari quæ ſibi ante mundum conditum à Patre Deo illo uno deſtinata erat, quamque ei poſt mortem exantlatam collatam eſſe videmus? Cæterum ᾗ εἶχον, pro ἣν εἶχον dicitur, propter antecedentia τῇ δόξῃ. Similis conſtructio verſ. 9.

Verſ. 6. *Manifeſtavi.* Redit ad commemorationem ſui operis, & exponit quo effectu illud peregerit.

Tuum nomen. Id eſt, te. Solet enim Dei nomen pro Deo poni, ſic nomen Chriſti pro Chriſto cap. 2. 23. Manifeſtavit autem Deum, quatenus manifeſtavit ejus voluntatem per Euangelium.

Hominibus quos mihi dediſti ex mundo. Quaſi dicat, ſi mundo non manifeſtavi propter ejus contumaciam, at hominibus iis manifeſtavi quos ex mundo mihi dediſti, id eſt, per diviniſſimam Euangelii prædicationem mei juris ac dominii feciſti, quibus ipſe auctor fuiſti ut in me tanquam in Filium & Chriſtum illum tuum crederent. Neque refert quod ipſe eos elegerit cap. xv. 16: quam quos elegit hos ei Pater dedit. Diſcipulos ſuos deſcribit, & viam ſibi parat ad orandum pro ipſis poſtquam pro ſe jam oraſſet.

Tui erant. Tanquam Dei & creatoris ſui.

Et mihi eos dediſti. Ut mei juris ac dominii eſſent. Liberum id tibi erat, feciſti cum tuo quod tibi placuit. Ego mihi eos non vindicavi, à te mihi dati ſunt. Docemur Deum nobis auctorem eſſe ut Chriſti ſimus, ut Chriſto ſerviamus, ut Chriſtum colamus, in Chriſtum credamus, & per Chriſtum in Deum.

Et ſermonem tuum. Quaſi dicat, non meum, ſed tuum, cujus tu auctor es, & quem ego à te accepi.

Cuſtodiverunt. Id eſt, cuſtodiunt, per Hebraiſmum, dum ſcilicet in me credunt.

Verſ. 7. *Nunc cognoverunt.* Commendat magis eorum probitatem: quaſi dicat, hoc tempore, & in hoc meo paupere, humili & afflicto ſecundum carnem ſtatu, non obfuit illis ad cognitionem hic meus ſtatus, qui aliis, ſeu mundo, obeſt.

Quod omnia quæ dediſti mihi. Sive verba, ſive opera.

A te ſint. Id eſt, te auctorem habeant, & à te mihi data ſint.

Verſ. 8. *Quia verba quæ dediſti mihi dedi eis, & ipſi acceperunt & cognoverunt vere quod,* &c. Argumentum addit dicti: quaſi dicat, niſi cognoviſſent omnia quæ dediſti mihi à te eſſe, quomodo verba quæ tu mihi dediſti & ego illis dedi accepiſſent, id eſt, iis aſſenſi eſſent, & cognoviſſent vere, id eſt, ſine ulla dubitatione quod à te exiverim, & credidiſſent quod tu me miſeris? Rem eandem aliter atque aliter, uberioris explicationis cauſa, effert. Nam cognoſcere vere, id eſt, ſine ulla dubitatione in iis quæ fidei ſunt objecta, eſt credere. Neque enim credi diſtincte poteſt quod non cognoſcitur quid ſit, neque ibi certa fides eſt ubi dubitatio eſt. Deinde,

A te exivi, & tu me miſiſti. Reſpondent invicem ſibi tanquam effectus & cauſa. Exivit enim à Patre quia miſſus eſt à Patre: & hic eſt παρὰ σοῦ ἐξῆλθον. Vide cap. xvj. 27, 28, 30. Reſpicit enim hic Chriſtus ad illa diſcipulorum ſuorum verba. Notandum, non fruſtra à Chriſto addi, *& ipſi acceperunt*, quia non ſatis eſt quod Chriſtus det, ſed opus etiam eſt ut homines accipiant.

Verſ. 9. *Ego pro iis rogo.* Commendatis Patri diſcipulis nunc pro iis rogare incipit, & ad finem rogat: quaſi dicat, *ego*, Filius tuus ſingulariſſimus,

Pro iis. Qui crediderunt quod à te miſſus ſum.

Rogo. Atqui ſupra dixerat: *non dico quod ego rogabo Patrem pro vobis* cap. xvj. 26, nempe in cælum evectus, & quaſi Pater eſſet vobis precibus meis conciliandus, ut vobis det quæ petitis: & nunc non tam eo fine rogat pro diſcipulis, quam ut iis orationem hanc tanquam pignus amoris ſui relinquat, & quo animo ſit erga eos affectus oſtendat. Nam & pro ſe oravit ut animi ſui demiſſionem teſtaretur coram Patre, & eum omnium ſuorum bonorum datorem & auctorem eſſe celebraret. Et Chriſtiani omnes, quamvis Deo alioquin ſint chariſſimi, hoc tamen etiam fine debent orare. Reliqua vide loco allegato, ubi cauſa quam affert, *quia ipſe Pater diligit vos*, non eſt ſolitaria ſed ſocia. Nam etiam tum cum Dominus Jeſus oraret pro diſcipulis ſuis, Pater eos diligebat. Sed tum cum mors illi ſubeunda eſſet, non alia ratione magis juvare poterat diſcipulos ſuos quam precibus ad Deum. Non exprimit hic quid oret, quia cum pro aliquo dicimur orare, eo ipſo intelligitur nos orare ut ei bene ſit. Infra tamen verſ. 11, 17, 20, 24 exprimit quid præcipue pro diſcipulis petat.

Non pro mundo rogo. Quaſi dicat, ſi pro mundo rogarem, poteras recuſare, cum mundus ſit tuus & meus adverſarius, & ſeſe indignum tua gratia reddiderit. Deus quidem adeo dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, & Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, & miſit Filium Servatorem mundi: ſed ut mundus viciſſim credat in Chriſtum, & ſic deſinat eſſe mundus. Quod ſi pervicaciter mundus maneat mundus, pars ei nulla cum Deo & Chriſto eſt. Et ita mundum hic conſiderat Chriſtus. Alioquin pro mundo rogare ut convertatur, & converſus ſervetur, bonum eſt & Deo acceptum 1 Tim. 2. 3, 4; ſed hic Chriſtus orat ea quæ diſcipulis tantum conveniebant, non mundo.

Sed pro iis quos dediſti mihi. Quos mei juris ac dominii feciſti, efficiendo ut in me credant. Περὶ ὧν, pro περὶ τῶν οὓς δέδωκάς μοι. Conſtructio ſimilis ei quæ

erat

Digitized by Google

erat verſ. 5. Articulus poſtpoſitivus imitatur caſum articuli præpoſitivi quamvis omiſſi.

Omia tui ſunt. Nempe ſicut per me credant in te, & colant te, & ſerviant tibi. Nam alioquin & mundus Dei & Chriſti eſt.

Verſ. 10. *Et mea omnia tua ſunt.* Quaſi dicat, non tantum qui credunt in me te auctore & datore tui ſunt, id eſt, in te credunt & te colunt per me, ſed etiam omnia mea, nempe & verba, & opera, tua ſunt, quatenus ea à te, non à me, habeo. *Et tua*, intellige *aini noũ*, *omnia*, *mea*. Quatenus me hæredem tuorum omnium effeciſti, nunc jure, mox poſſeſſione.

Et glorificatus ſum in eis. Id eſt, per ea, nempe tua, per tua omnem meam gloriam ſum conſecutus, quam ſive jam habeo ſive mox habiturus ſum, per enallagen præteriti pro futuro uſitatum verſ. 2, 11, 12. 13, 22: proinde omnis mea gloria in te tendit & ad te refertur. Qui hinc argumentum ducunt etiam Patris eſſentiam eſſe Filii eſſentiam, eadem opera licet arguerent etiam Patris perſonam eſſe Filii perſonam, & Filii perſonam eſſe Patris perſonam, & Patris Filium eſſe Filii Filium, & Filii Patrem Patris eſſe Patrem, & quid non? imo Filium eſſe Patrem, & Patrem eſſe Filium: quando videre nolunt ita alterius omnia alterius eſſe dici, ut tamen alter maneat alter, ſeu ut uterque ſuam habeat & retineat propriam eſſentiam.

Verſ. 11. *Et non amplius ſum in mundo.* Id eſt, ero, per enallagen præſentis pro futuro. Ne quis diceret, cur pro illis oras cum illis adſis ipſe? Ego, inquit, non amplius ſum in mundo, mox cedam ex mundo, primum per mortem, deinde reſuſcitatus per abitum ad Patrem.

Et iſti in mundo ſunt. Id eſt, ex mundo non excedunt, ſed in mundo adhuc erunt, præſens ponitur cum incluſione futuri. Manent inter homines veritati & pietati adverſos, quorum plenus eſt mundus, & penes quos eſt omnis ſecundum carnem potentia.

Et ego ad te venio. Id eſt, mox veniam, jam in itinere ſum ad te, per mortem & reſurrectionem, & ad te aſſumptionem. Oſtendit ubi futurus ſit poſtquam in mundo eſſe deſierit, nempe apud Patrem. Occupatio. Nam ſi quis dicat Chriſtum ad Patrem aſſumptum, ipſum omnem poteſtatem ſervandi ſuos habiturum fuiſſe, ut neceſſe non eſſet pro illis temporis illius reſpectu orare: verum hoc eſt, ſed quia diſcipuli tum temporis iſtud non capiebant, reliquit illis hanc orationem, æternum animi ſui pignus ac monumentum, & quia poteſtas illa Chriſto nondum in poſſeſſionem tradita erat, merito Chriſtus pro modeſtia & humilitate animi coram Patre, ad preces, ſicut pro ſe, ſic & pro diſcipulis ſuis, ſaltem pro illo tempore confugit, poſtquam hanc poteſtatem accepiſſet, ipſe id quod petebat à Patre facturus.

Pater ſancte. Qui longiſſime abes ab omni contaminatione vitiorum. Orare vult quæ ad ſanctitatem ſuorum pertinebant à Patre, ideo eum congruenter ſanctum appellat.

Serva eos. Exprimere incipit quæ ſpeciatim pro diſcipulis ſuis petat.

In nomine tuo. Id eſt, per nomen tuum. Nomen Dei iterum pro ipſo Deo ponit, & conſequenter pro ejus potentia ac majeſtate verſ. 6, 26.

Quos dediſti mihi. Id eſt, in me credentes, teipſo auctore & effectore.

Ut ſint unum. Exponit qua ratione velit eos ſervari, nempe ſic *ut ſint unum*, id eſt, ut ſint inter ſe conſentientes, concordes, amantes. Rem maxime neceſſariam petit diſcipulis ſuis.

Sicut nos. Quaſi dicat, exemplum noſtrum imitantes. Hoc igitur ad animum & facta pertinet, non ad unam numero eſſentiam. Unum enim eſſe debent qui numero & eſſentia multi ſunt, & duos vel multos unum eſſe voluntatis effectus eſt, non naturæ.

Verſ. 12. *Quamdiu eram cum eis in mundo.* Iterum ſignificat ſe non amplius eſſe cum diſcipulis ſuis in mundo, eadem temporis enallage.

Ego ſervavi eos. Nempe ut unum eſſent, ſicut ſupra verſ. 11.

In nomine tuo. Id eſt, per nomen tuum, proinde non per meam, ſed per tuam potentiam quam mihi communicaſti.

Quos dediſti mihi cuſtodivi. Aliam curæ ſuæ partem exponit: quaſi dicat, quos dediſti mihi, tanto in pretio habui, ut eos cuſtodiverim à lupis rapacibus, ab adverſariis tuæ veritatis, ne quam noxam iis afferrent, imo cuſtodivi eos ab omni noxa.

Et nemo ex iis periit. Quaſi dicat, ne morte quidem temporaria, nedum æterna cap. xviij. 9. Nam alioqnin mori naturaliter non repugnat curæ & providentiæ Chriſti, neque etiam mori pro veritate ac juſtitia, niſi ſi quis nondum tantas vires habeat ut poſſit pro veritate & juſtitia mortem ſubire. Nam ſi quis in tali ſtatu ſit, valde pertinet ad curam & providentiam Chriſti, ne in tentationem viribus ſuis imparem incidat. Et in tali ſtatu erant tum diſcipuli Chriſti, quod in Petro apparuit. Propterea etiam Chriſtus eos defendit, ne in talem tentationem inciderent. Si quis ſit pius, & tamen vires nondum habeat pares tentationi, non permittit Deus eum tentari. Atqui hinc eſt illa orationis Dominicæ pars: *Ne nos inducas in tentationem*, & illud Chriſti ad diſcipulos: *Orate ne incidatis in tentationem* Matth. xxvj. 41. Poteſt enim aliquis eſſe pius, & tamen animo adhuc eſſe debili ac imbecilli, ſeu magnis tentationibus impari. Nec ſolet Deus alio fine tentationum certamina piis proponere niſi ut vincant, & coronam vitæ æternæ conſequantur. Hinc Deus quenquam tentare negatur Jac. j. 13, quia neminem tentat ad malum. Abrahamum tentavit, ſed ad bonum. Diabolus autem ideo tentare dicitur, & tentator appellatur Matth. iv. 3. 1 Theſſ. iij. 5, quod non alio fine calamitates & mortem intentet, quam ut homines tentet, & in peccatum ac perditionem præcipitet. Cum Deus videt ſufficientes vires piorum, aut ipſe eas extra ordinem per ſpiritum ſuum iis ſuggerit, permittit ut tententur, quo ad victoriam glorioſiſſimam perveniant. *Fidelis enim eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione exitum, ut poſſitis ſuſtinere* 1 Cor. x. 13.

Niſi filius perditionis. Nempe Judas, quem filium perditionis appellat & periiſſe dicit, quia etſi nondum perierat, tale tamen facinus & jam commiſerat, & porro committebat ac perpetrabat, quod perditio

cònſecutura erat. Filius perditionis eſt perditioni devotus, Hebræa phraſi. Sic filii iræ, filii mortis, filii lucis, filii Regni & ſimilia. Devotus autem erat perditioni propter proditionis ſcelus, & alia vitia quæ tantum ad ſcelus eum adduxerunt cap. xij. 6, non ante ſecula nullo ſuo merito.

Ut Scriptura impleatur. Eventum notat potius quam cauſam finalem. Neque enim quia Scriptura prædixit hoc futurum erat, ſed contra potius, quia hoc futurum erat Scriptura prædixit. Erat autem futurum ſi mores non emendaret, ſi pœnitentiam veram non ageret. Nam & Judas vitia ſua debuit excutere, & ſi pœnitentiam egiſſet veram cum fiducia in Deum, non cum deſperatione, tam potuiſſet adipiſci veniam proditionis, quam Petrus abnegationis. Major enim eſt Dei gratia quam totius mundi peccatum, ſi tempeſtiva & efficax ſequatur pœnitentia. Nam & occiſores Chriſti, qui talem pœnitentiam egerunt, veniam conſecuti ſunt, cum Chriſtus mundi peccatum ſuſtulerit cap. j. 29. 1 Joan. j. 7, 8. ij. 1, 2. 1 Pet. j. 24. Neque ideo falleretur Scriptura aut potius Deus, ſi hac ratione non reſponderet eventus prædictioni; cum Deus ſemper malit ut homines vitia deponant & pœnitentiam agant, & ſi id faciant, prædictionem ſuam non impleri gaudeat: non ſecus ac pater, ſi filium reſipuiſſe videat, quem furem futurum & in furca moriturum prædixerit. Scriptura talia prædicit, ne homines mirentur ea evenire ſi eveniant, & ſimul ut Dei ſapientiam ac providentiam agnoſcant, qui etiam multo ante incertos & ab hominum arbitrio pendentes rerum eventus prænoſcat, nemini ut male agat illata neceſſitate. Si quis dicat non amplius in Judæ poteſtate fuiſſe ut ſeſe ad Deum converteret proditione peracta, parum refert. Sufficit ſi ab initio & cum in Chriſti reciperetur conſortium frugi fieri potuerit, imo debuerit.

Verſ. 13. *Nunc autem ad te venio.* Vide verſ. 11: quaſi dicat, nunc autem ab illis ad te venio.

Et id loquor in mundo. Quaſi dicat, non quod neſciam me ſuſcitatum iri ex mortuis, & apud te manentem multo etiam magis cum diſcipulis meis futurum per divinam quam mihi daturus es potentiam; ſed hæc diſcipulorum meorum cauſa loquor in mundo, ut de tuo & meo in ſe ſummo non dubitent amore.

Et ſic, *ut habeant gaudium meum impletum in ſeipſis.* Gaudium Chriſti erat gaudium ex certiſſima divini amoris fiducia, & conſequenter ex ſpe vitæ æternæ. Ut ergo idem ſpecie gaudium in diſcipulis impleretur, & ad ſummum perduceretur, hæc loquebatur Chriſtus in mundo, æternum diſcipulis ſuis in mundo relinquens amoris ſui monumentum ac documentum. Neque enim apud Patrem manens verbis amorem ſuum iis teſtaturus erat.

Verſ. 14. *Ego dedi eis*, intellige, *& illi acceperunt*, ut verſ. 8 exprimitur.

Sermonem tuum. Quaſi dicat, non meum, cujus ego ſim auctor, ſed tuum.

Et mundus odit eos. Quaſi dicat, hanc cauſam habet mundus ſui adverſus eos odii. Unde vides Pater quam merito tibi debeant eſſe curæ. Ex te cauſa eſt adverſum eos odii, ex te etiam ſit illorum defenſio. Ἐμίσησε, præteritum pro præſenti, Hebræa phraſi.

Quia non ſunt ex mundo. Exprimit qui fiat ut mundus eos oderit propter ſermonem Dei à Chriſto ſibi datum: quaſi dicat, quia jam aliter ſentiunt, aliter credunt, aliter loquuntur, aliter agunt quam mundus. Omnia apud eos vera, juſta, ſancta, voluntati tuæ conformia ſunt, cum apud mundum plurima ſint his contraria.

Sicut ego non ſum ex mundo. Nempe propter eundem ſermonem tuum. Ejuſdem cauſæ idem eſt, ſicut in me, ſic & in illis effectus verſ. 15.

Non rogo ut tollas eos ex mundo. Ne quis putaret orare Dominum ut eos ex hominum conſortio & ex hac vita transferret in cælum ubi eis mundus non poſſet nocere. Non illud rogo. Neceſſe eſt ut illi in mundo maneant, doctrinam tuam prædicent. Nullum alioqui præſentius eſſet remedium contra odia mundi quam ſi in cælos transferremur: noſtrum nil magis intereſt quam exire quamprimum ex ſeculo, inquit Tertullianus. Sic & Paulus cupit ex hac vita ſolvere & cum Chriſto eſſe, ſed fidelibus ſuam præſentiam magis utilem judicat Phil. j. 23, 24.

Sed ut ſerves eos ex malo. Nempe quod vere malum, id eſt, ſaluti noxium eſt: etiam vexatio malum eſt, ſi ſit ſaluti noxia. Nam ſi vexatio, ſi mors, non tantum non obſit ſed proſit fidelibus ad ſalutem, permittit eam inferri Deus. Illo autem tempore multum vexationes diſcipulis nocere potuiſſent. Non eſt igitur dubium pios ſemper defenſum iri ab omni malo quod eorum ſaluti ſit noxium. Ideo Paulus 2 Tim. iv. 18, *Eripiet me Dominus ab omni opere malo*, ne ſcilicet aliquid indignum vocatione mea faciam, *& ſervabit in regnum ſuum cæleſte*: quaſi dicat, etiamſi me non eripiat ex morte violenta pro nominis ſui gloria.

Verſ. 16. *Ex mundo non ſunt.* Quaſi dicat, ex mundo, inquam, non ſunt,

Sicut ego ex mundo non ſum. Repetit hoc ut hinc ſequentem petitionem inferat.

Verſ. 17. *Sanctifica eos.* Quaſi dicat, ego tradendo illis ſermonem tuum fundamentum jeci ſegregationis eorum à mundo, tu Pater perfice rem, *ſanctifica eos*, id eſt, ſegrega penitus tibi & tuis uſibus à profano mundo. Simpliciter fieri ſæpe dicitur quod fit plenius & perfectius cap. xvj. 30.

In veritate tua. Id eſt, per veritatem tuam, quod fiet cum eam illis plene cognoſcendam dederis, effundendo nimirum in eos Spiritum Sanctum.

Sermo tuus veritas eſt. Definit veritatem. Sermonem Dei opponit ſermonibus hominum quibus multa ſolent admiſceri mendacia; ſed ſermo Dei nil niſi veritas eſt. Proinde ſermonem intelligit à ſe traditum. Hoc procul dubio reſpondiſſet Pilato quærenti quid ſit veritas cap. xvij. 38, dixiſſet, ſermo Dei veritas eſt. Nulla enim melior veritatis de qua agebatur definitio dari poteſt.

Verſ. 18. *Sicut me miſiſti.* Rationem affert petitionis ſuæ à pari.

In mundum. Id eſt, ad homines, intellige, & propterea me ſanctificaſti per veritatem tuam cap. x. 36.

Et ego. Pro, ſic & ego, per ellipſin particulæ ſimilitudinis, Hebræis familiarem.

Miſi eos. Id eſt, legatos conſtitui ac mittere decrevi.

In mun-

In mundum. Id eſt, ad homines. Jure igitur peto ut eos ſanctifices in veritate tua. Ex hoc loco apparet, *mitti in mundum*, ut & *venire in mundum* (quod prioris conſequens eſt) ſua vi non ſignificare miſſionem & adventum ex loco qui ſit extra orbis iſtius convexum. Nec enim Apoſtoli ex tali loco miſſi ſunt, aut pſeudo-Prophetæ venerunt in mundum 1 Joan. IV. 1. Mundus in hac phraſi ſignificat homines ad quos mittuntur & miſſi veniunt, quibus dicitur à Deo ut hominibus aliquid ejus nomine annuncient.

Verſ. 19. *Et ego pro illis me ſanctifico.* Exponit quid & ipſe faciat in hunc finem, ut & diſcipuli ſui ſanctificati ſint.

Et ego, inquit, facio quod mei muneris eſſe voluiſti,

Pro illis ſanctifico meipſum. Id eſt, ſegrego me tibi tanquam victimam, & fœderis novi, & piacularem, ut remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam conſequantur: quaſi dicat, quo facto mihi eos penitus obſtringam, ut traditæ à me veritati firmiter adhæreant, & ſic in ea ſanctificati ſint.

Ut & ipſi. Quaſi dicat, non tantum ego,

Sint ſanctificati in veritate. Id eſt, per veritatem. Solebant Sacerdotes victimas ſanctificare Deo. Unde apparet Chriſtum, qui ſeipſum ſanctificavit, etiam ante mortem fuiſſe Sacerdotem, ſed qui non maneret in terris, (alioquin enim nec futurus fuiſſet Sacerdos Heb. viij. 4) quique in cælis conſummaretur, ut in ſanctis illis cæleſtibus offerret, & ſemper pro nobis appareret & intercederet Heb. vij. 26.

Verſ. 20. *Non pro iſtis autem rogo tantum*, nempe pro Apoſtolis, *ſed* intellige *etiam*, *pro crediturus per ſermonem eorum in me.* Tanquam in Chriſtum illum tuum, quem tu ex mortuis ſuſcitabis & Dominum ac Chriſtum facies. Ita & pro nobis, quique nos eadem in ſanctiſſima fide conſequentur ad mundi finem, Chriſtus oravit, & ſic nobis quoque hoc ſui erga nos amoris monumentum reliquit.

Verſ. 21. *Ut omnes.* Quamvis multi. Exprimit quid pro is oret,

Unum ſint. Id eſt, inter ſe conſentiant, concordes ſint; ament: amor enim & concordia & conſenſus multos unit, ex multis hominibus unum hominem, cor unum, animam unam facit Act. IV. 32, multi enim homines unus ſunt homo, multa corda unum cor, multæ animæ una anima, cum idem ſentiunt, idem volunt, idem loquuntur, idem agunt, non ſecus ac ſi omnes unus homo eſſent,

Sicut tu Pater in me intellige, *es & ego in te* intellige, *ſum.* Id eſt, ſicut nos conjunctiſſimi & inter nos uniti ſumus,

Ut & ipſi in nobis, id eſt, per nos ſeu nobiſcum prius unum facti, *unum ſint.* Inter ſe nimirum: quæ enim ſunt eadem uni tertio, inter ſe ſunt eadem. Ita unum inter ſe diſcipulos ſuos vult eſſe Chriſtus, ut hæc unitas in unitate ipſorum cum Deo & Chriſto fundetur, ut ſcilicet omnes divinæ veritati adhæreant, & hoc vinculo inter ſe conjungantur. Effectum iſtius orationis legimus in Actis cap. 2. 44. IV. 32 & ſeqq.

Ut mundus credat quod tu me miſiſti. Tam admirabili ſcilicet credentium in me commotus concordia Act. 2. 47. Et ſane diſſenſiones & hæreſes tum demum in eccleſiam cœperunt invehi, cum homines non depoſitis mundanis affectibus & moribus, concordia & ſanctitate Chriſtianorum victi, eccleſiæ ſeſe aggregarent. Hi Chriſtianam corruperunt veritatem ac diſciplinam, & ad mundi attemperarunt ingenium, quo factum eſt ut nomen Chriſti quidem nomen tandem ſuſciperet, ſed ſicut merebatur, puram illam quæ ab initio fuit veritatem non adipiſceretur. Qua de re vide 2 Theſſ. 2. 11, 12, 13. Cæterum ſi vel Apoſtoli vel primi Chriſtianorum inter ſe diſcordes ac diſſentientes fuiſſent, ipſi ſibi fidem inter ſe derogaſſent, & mundum à Chriſti nomine penitus avertiſſent. Concordiâ nimirum res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur. Nam & nunc diſcordia maxime nocuit & adhuc nocet eccleſiæ ex Papatu emergenti, de quo jam dudum actum eſſet, ſi omnes qui ab eo receſſerunt unum inter ſe fuiſſent, ſicut Chriſtus cum Patre unum eſt. Sed hoc factum non eſt, quod priores Prophetæ per vanam gloriam poſterioribus concedere nollent, dum ſibi quiſque Reformatæ eccleſiæ gloriam in ſolidum vindicare cupit, quæ ſoli Deo competit, qui non uni omnia, ſed omnibus omnia tribuere conſuevit, nec per unum aliquem, ſed per plures tantum opus perficere voluit, quod & ſapientiæ ejus & gloriæ conſultius erat.

Verſ. 22. *Et ego gloriam quam dediſti mihi.* Id eſt, dare mihi conſtituiſti & promiſiſti; vide verſ. 2, gloriam nimirum illam cæleſtem,

Dedi eis. Id eſt, dare conſtitui & promiſi.

Ut unum ſint, ſicut nos unum ſumus. Nam tanti boni ſpes, omnibus una, maximam vim uniendorum animorum habet Eph. IV. 4.

Verſ. 23. *Ego in eis*, intellige *ſum*, nempe per meum ſermonem, *& tu in me*, intellige *es.* Nempe per tuum ſermonem qui idem eſt cum meo. Exprimit præcipuam unitatis cauſam, quod omnes eundem Chriſti & Dei ſermonem habeant. Ideo addit cauſæ iſtius effectum,

Ut ſint conſummati in unum. Id eſt, conſummati & perfecti in id ut ſint unum, id eſt, & conſequenter,

Ut cognoſcat mundus quod tu me miſiſti. Eundem finem repetit unitatis & concordiæ quem ſupra dixit, quippe pertinentem ad Dei gloriam. Non dicit ut mundus te & me cognoſcat, id enim mundo quamdiu mundus eſt repugnat, ſed tantum ut cognoſcat quod tu me miſiſti, quod non venerim & prædicarim à me ipſo, non fuerim ſeductor, pſeudo-Propheta, pſeudo-Chriſtus; ſed verus Propheta, verus Chriſtus: quaſi dicat, ita ſalvabitur apud mundum tua in me gloria.

Et dilexiſti eos ſicut me dilexiſti. Hoc prioris eſt conſequens. Neque enim mundus cognoſcere poteſt Jeſum eſſe à Deo miſſum & à Deo dilectum, quin ſimul cognoſcat diſcipulos ejus ſimiliter eſſe Deo dilectos. *Sicut* non æqualitatem hic notat, ſed tantum dilectionis communitatem pro cujuſque ratione ac modo. Utrumque iſtorum Chriſtus obtinuit, cum apud mundum Chriſti & diſcipulorum ejus nomen in tanta ſit gloria, ut mundus Chriſtianum ſe vocet, licet Chriſti doctrinam quamdiu pura erat ſpreverit, & nunc quatenus pura eſt ſpernat & inſectetur.

Verſ. 24. *Pater quos dediſti mihi.* Id eſt, in me credentes & ſervos meos effeciſti.

Volo. Non jubentis eſt, ſed orantis. Facit enim Deus voluntatem timentium ſe.

Ut ubi ſum. Id eſt, brevi ero & manebo.

Ego. Tuus Filius ſingulariſmus, Chriſtus ille tuus, reſpicit enim ad appellationem Patris.

Et illi ſint mecum. Proinde apud te in tua domo cap. XIV. 2, 3, ſupra omnes cælos Epheſ. IV. 10. Hoc Filius vult apud Patrem pro iis quos ſibi dedit Pater. Quis ergo dubitet de voluntatis iſtius effectu.

Ut videant, ἵνα θεωρῶσι. Perpetuo ſpectent & intueantur,

Gloriam meam quam dediſti mihi. Id eſt, dare conſtituiſti & promiſiſti verſ. 2, 5, 22, & mox daturus es ipſo facto verſ. 1, 5. Quaſi dicat, ſpectatores ſunt & participes meæ contumeliæ, meæ crucis ignominioſiſſimæ, ſpectatores etiam & participes ſint meæ gloriæ quam tu mihi didiſti, quod etiam in tuam tanto majorem vertet gloriam, quanto plures illius ſpectatores & participes erunt. Videri enim illa gloria non poteſt ſine participatione ſui. Hebræa phraſis eſt, videre vitam, videre bona, qua vitæ & bonorum ſignificatur participatio. Nimirum communicatio cum Chriſto in afflictionibus & contumeliis afferet nobis cum ipſo communicationem in gloria Rom. viij. 17. 2 Timoth. 2. 11, 12. 1 Pet. IV. 13.

Quia dilexiſti me. Quaſi dicat, dilectioni tuæ id debeo Pater qua me complexus es.

Ante fundamentum mundi. Id eſt, antequam fundamentum mundi poneretur, ſimilitudine ſumpta à ſtructoribus: quaſi dicat, quid ergo mirum eſt quod apud te gloriam habuerim priuſquam mundus eſſet, cum etiam priuſquam mundi fundamentum jaceretur me dilexeris? Deus enim vocat non exiſtentia tanquam exiſtentia Rom. IV. 17. Hoc ipſum dicit Petrus de Chriſto, quod eſſet præcognitus ante fundamentum mundi 1 Pet. j. 20. In hac enim præcognitione includitur & dilectio Rom. viij. 29. xj. 2. Præcognoſci dicuntur ea quæ nondum exiſtunt. Sicut ergo Chriſtus à Deo fuit cognitus antequam exiſteret, ſic etiam fuit dilectus, idque in tantum antequam exiſteret, ut necdum etiam ipſius mundi poneretur fundamentum, cum jam Deus Chriſtum cognoſceret & diligeret, in cujus gratiam etiam ipſum mundum condidit. Sic & in Chriſtum credentes Deus ſimul præcognovit & dilexit & prædeſtinavit ad regni cæleſtis hæreditatem Eph. j, 4, 5. 2 Tim. j. 9. Matth. XXV. 34. Si vero Pater Filio gloriam dedit ex dilectione, ergo non ex æterna generatione.

Verſ. 25. *Pater juſte*. Inſtat petitioni ſuæ, & Patrem vocat juſtum, id eſt, bonum, clementem, liberalem, beneficum. Innuere vult juſtitiæ ac bonitati ejus convenientiſſimum eſſe ut ſibi credentes in ſe in communione gloriæ conjungat.

Et mundus te non cognovit. Quaſi dicat, non id ago ut mundum quamdiu mundus eſt mihi velim conjunctum verſ. 9, ſcio quantum inter mundum, & inter me ac meos ſit diſcrimen. Particula *&* Hebræo more hic redundat cap. vj. 5.

Mundus te non novit. Quia ſcilicet noſcere te non vult, quatenus non vult recipere veritatem Euangelii, & ſecundum eam vivere.

Ego autem. Tuus ſcilicet Filius, Meſſias ille. *Te novi*. Id eſt, tuam divinam veritatem quam me docuiſti, & ſecundum eam in omnibus me gero. Quam vero inepta foret hæc Chriſti cum mundo comparatio, ſi is unus ille Deus eſſet?

Et iſti cognoverunt quod tu me miſiſti. Quaſi dicat, quod primum eſt in cognitione tui, & quo caret mundus.

Verſ. 26. *Et notificavi eis nomen tuum*. Id eſt, te, ut verſ. 6, notificando eis veritatem & voluntatem tuam.

Et notificabo. Nempe ſuſcitatus ex mortuis Act. j. 3, maxime vero per Spiritum Sanctum, necdum enim portare poterant omnia cap. xvj. 12, 13.

Ut dilectio qua dilexiſti me. Ἣν ἠγάπησας in Græco, per enallagen caſus, cui ſimilem habes 1 Joan. 2. 25.

In eis ſit. Id eſt, erga eos ſit, ἐν pro εἰς 1 Joan. IV. 9, 16, id eſt, ut eos eadem dilectione qua me complectaris verſ. 23.

Et ego in eis. Intellige, *ſim*, dum ſcilicet in illis erit & ſermo meus & vita ac mores mei. Ita enim fiet ut in illis me diligas, proinde in cæleſtium bonorum poſſeſſione mihi eos conjungas. Hæc enim eſt vita æterna, ut cognoſcant te qui ſolus es verus Deus, & me quem tu miſiſti. Eandem ellipſin verbi ſubſtantivi vide verſu 21, 23.

CAPUT XVIII.

Verſ. 1. **H**Æc *poſtquam dixiſſet Jeſus exivit cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedrorum*. Scripſiſſe puto Joannem *trans torrentem Kedron*, ut in hoc quoque ſimilis eſſet Chriſtus Davidi ſuo typo 2 Samuel. XV. 23. Torrentem hunc docti Kedron dictum putant à Kedruth, Hebræa voce, nigritiam & tenebras denotante, quod flueret in valle tenebricoſa & umbroſa, eoque coloris eſſet nigricantis. Nam Cedris aliud eſt apud Hebræos nomen.

Ubi erat hortus. Nempe trans torrentem.

In quem ingreſſus eſt ipſe & diſcipuli ejus. In hoc horto in faciem procubuit, rogans ut à ſe calix ille transferretur. Matthæus xxvj. 36. & Marcus XIV. 32 vocant agrum Gethſemane ad montem olivarum. Maluit Chriſtus inter orandum capi quam inter cœnandum.

Verſ. 2. *Sciebat autem & Judas qui tradebat eum locum, quia frequenter Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis*. De induſtria occurebat Judæ. Sciebat eum ſe quæſiturum in eo loco in quem ſæpe ſolebat cum diſcipulis convenire.

Verſ. 3. *Judas igitur poſtquam accepiſſet cohortem*. Militum ſcilicet Romanorum. *Et ex*, id eſt, *à principibus Sacerdotum & Phariſæis famulos, venit illuc cum facibus & lampadibus*. Propter nocturnas tenebras.

Et armis. Si quis ſcilicet repugnaret.

Verſ. 4. *Jeſus igitur ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ipſum*. Divino ſcilicet ſpiritu & ex Dei revelatione,

Exiens dixit eis, quem quæritis? Significatur Domini conſtantia, animus imperterritus, & paratus ad facienda & patienda ea quæ à Deo erant decreta

creta. Ultro enim iis obviam procedit, extra horti ſepta exit, interrogat etiam quem quærant. Non id fecit ignarus periculi & rerum inſtantium, ſciebat quem quærerent, ſed interrogat ut ſe eum eſſe quem quærerent animo intrepido reſponderet.

Verſ. 5. *Reſponderunt ei, Jeſum Nazarenum.* Galilæum generaliori nomine appellat ancilla illa quæ Petrum arguere cœpit quod cum Jeſu fuiſſet Matth. xxvi. 69. Apparet eos Chriſti præſentia & tam fidenti interrogatione, quem tot tantaque divinitatis opera patraſſe viderant, conſternatos & conturbatos, non protinus eum cognoviſſe, vel non auſos fuiſſe reſpondere, teipſum quærimus.

Dicit eis Jeſus. Eadem nimirum animi præſtantia ac fiducia.

Ego ſum. Nempe Jeſus iſte Nazaræenus quem quæritis.

Stabat autem & Judas qui tradebat eum cum ipſis. Non abſceſſerat ab eis ſuo indicio & oſculo iis Jeſum indicans. Tradebat enim iis Jeſum, dum eos ad Jeſum capiendum duxit, & oſculo ut convenerat demonſtravit.

Verſ. 6. *Cum igitur diceret eis: Ego ſum, abiverunt retro & ceciderunt humi.* Reſponſo Chriſti ſeipſum indicantis, repulſi ac proſtrati ſunt, nempe ut viderent non defuiſſe Chriſto divinam virtutem ad repellendos ac proſternendos adverſarios. Adfuit & vuſtui divina majeſtas, & voci divina virtus.

Verſ. 7. *Rurſum igitur eos interrogavit*, poſtquam nimirum de terra ſe collegiſſent, *quem quæritis?* Jam ſe vult comprehendi, poſtquam eis divinam ſuam virtutem oſtendiſſet.

Illi autem dixerunt, Jeſum Nazarenum. Nondum poterant animum ſumere, ut dicerent, te quærimus, quamvis & Judas Dominum oſculo prodidiſſet, & ipſe Dominus ſemet indicaret.

Reſpondit Jeſus: dixi vobis quod ego ſim. Ab ipſo Domino quodammodo erigendi erant, ut ei manus auderent injicere. Ipſe ſe iis ut ingereret opus erat.

Si igitur me quæritis, ſinite hos abire. Non rogat, ſed jubet. Ita etiam tum cum caperetur imperatorem agebat.

Verſ. 9. *Ut impleretur ſermo quem dixit.* Nempe in oratione ad Patrem cap. xvij. 12.

Quod quos dediſti mihi. Eventus hic indicatur, non finis. Chriſtus enim hæc dicens de ſalute diſcipulorum cogitabat, non de verborum ſuorum impletione: quaſi dicat Joannes, quo Chriſti juſſu & imperio effectum eſt ut ſermo ille impleretur.

Non perdidi ex eis ullum. Id eſt, omnes conſervavi, omnes ſalvos & incolumes præſtiti. Itaque non factum hoc eſt incuria aliqua hoſtium, ut nullus diſcipulorum caperetur; ſed ſingulariſſima Chriſti cura & providentia, maxime cum Petrus gladium arriperet, & ſummi Sacerdotis famulo aurem amputaret. Nam & poſtea de diſcipulis Chriſtum interrogat ſummus Sacerdos verſ. 19. Habemus hic exemplum Chriſti curæ quam habuit de ſuis diſcipulis. Itaque ejus cura & providentia nos etiam ſolemur hoc periculoſo tempore. Nullus noſtrum ipſo nolente peribit. Agitur de morte temporaria. Nam æternæ morti nullus eorum qui veri diſcipuli ſunt Chriſti ſubjectus eſt.

Verſ. 10. *Simon igitur Petrus.* Nempe quia videbat hoſtes jam non ceſſaturos, ſeu quod futurum erat Luc. xxij. 49.

Habens gladium. Significat aliis gladios defuiſſe. Nam in Chriſti comitatu duo tantum erant gladii Luc. xxij. 38. Eodem cap. apud Lucam verſ. 49, ii qui circa Chriſtum erant dicuntur ex eo quæſiviſſe, an percuterent gladio? ſed hoc vel reſpectu ſolius Petri dicitur, ſicut latrones dicuntur maledixiſſe, quia unus ex illis maledixit, vel reſpectu duorum, qui duobus illis gladiis inſtructi erant, quorum unus erat Petrus.

Traxit eum. Nempe è vagina.

Et percuſſit ſummi Sacerdotis famulum. Ipſum ducem.

Et amputavit ei aurem dextram. Dextram aurem & Lucas notat xxij. 50, ne etiam hoc deeſſet ad rei fidem, præſertim quia alias dextræ manui ordinarius ictus videretur in ſiniſtram adverſarii partem. Ideo niſi ſcriptum fuiſſet dextram aurem fuiſſe amputatam, ſiniſtram putaſſemus.

Erat autem nomen ſervo Malchus. Et hoc notat, ne quid deeſſet ad rei fidem. Alia ab aliis Euangeliſtis circa hanc rem relata repetere inſuper habuit Joannes.

Verſ. 11. *Dixit igitur Jeſus Petro, mitte gladium tuum in vaginam.* Cohibet Dominus Petrum, & ſanat ſervum vulneratum, ut alii narrant Euangeliſtæ. Nimirum cum vocamur ad martyria, gladiis uti non debemus. Omnia enim ſuum tempus habent.

Poculum quod dedit mihi Pater. Nempe ad bibendum,

Non bibam illud? Quaſi dicat, abſit. Nulla nunc defenſione opus eſt. Exhauriendum eſt hoc poculum quod mihi porrexit ad bibendum Pater. Perpeſſiones ſuas & mortem crucis intelligit pro Dei gloria & humani generis ſalute. Deprecari quidem hoc poculum voluit, ſed ita ut ſuam voluntatem Patris ſubjiceret voluntati Matth. xxvi. 39, 42.

Verſ. 12. *Igitur cohors & Chiliarchus & famuli Judæorum comprehenderunt Jeſum & ligaverunt eum.* Poſtquam ſcilicet viderent Dominum nolle defenſione uti, gladium pro ſe ſtrictum inhibere, vulneratum etiam protinus ſanare, diſcipulos omnes à ſe dimittere, neminem remanere, divina ſua virtute nonniſi ad ſalutem hoſtium uti, ultro ſemet ad comprehendendum & vinciendum offerre. Chriſtus etiam cum capitur hoſtibus ſuis benefacit, ſanando vulneratum, opere & facto præſtat ipſe quod diſcipulis ſuis præcepit Matth. v. 44. Nam etiam hoc, ut omnia, ſuum rectum & convenientem modum ac tempus habet. Cæterum ne hoc quidem miraculo & beneficio permoti ſunt hoſtiles animi.

Verſ. 13. *Et abduxerunt eum ad Annam primum, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat ſummus Sacerdos anni illius.* Romani enim hanc dignitatem annuam fecerant, quæ ſecundum Legis inſtitutum durare debuit ad vitæ tempora: nimirum in Republica illa jam omnia tendebant ad finem, & regnum, & Sacerdotium adveniente Meſſia, ſpirituali & æterno Rege ac Sacerdote. Cæteri Euangeliſtæ Annæ iſtius non meminerunt, Joannes ut oculatus teſtis hæc narrat diſtinctius.

Verſ. 14. *Erat autem Caiphas qui conſuluerat Judæis.* Id eſt, Judæorum ſenioribus, per antonomaſiam,

Quod conferas unum hominem interire pro populo. Vide cap. 2. 50. *Pro populo*, id eſt, ne populus pereat, & ut populus conſervetur. Vere enim mortuus eſt Chriſtus ne populus Dei in mortem æternam incideret, ſed ut vitam æternam adipiſceretur.

Verſ. 15. *Sequebatur autem Jeſum Simon Petrus.* Nempe à longe Matth. xxvi. 58. Marc. xiv. 54. Luc. xxij. 54, ut videret tantæ rei exitum.

Et ille alius diſcipulus. Quaſi dicat, quem omnes noſtis, ſe deſignat: confer cap. xx. 2,3,4,8. Hi duo ſecuti ſunt Chriſtum, iidem etiam poſtea ſimul cucurrerunt ad ſepulchrum.

Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici. Quaſi dicat, ut mirum non ſit quod fiducia notitiæ quam cum ſummo Sacerdote habuit ſecutus ſit.

Et ingreſſus eſt cum Jeſu in aulam ſummi Sacerdotis. Eadem fiducia. Annam intelligit ob annuas in Sacerdotio vices. Vide verſ. 19,22,24. Luc. iij. 2.

Verſ. 16. *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris.* Quippe nullam notitiam ac familiaritatem cum ſummo Sacerdote & domeſticis ejus habens. Satis erat audaciæ quod ad januam ſteterit, ultra non audebat; tum quod nullam iſtic haberet notitiam, tum quod præ cæteris Chriſti diſcipulis eſſet inſignis & notabilis, & inſigniorem ſe adhuc facto ſuo in Malchum reddidiſſet.

Exivit igitur diſcipulus ille alius qui erat notus Pontifici, & dixit janitrici. Nempe ut intromitteret quem ſecum adducturus eſſet.

Et introduxit Petrum. Janitricis videlicet permiſſu. Ita Petro ſtratus eſt aditus ad implendum Chriſti vaticinium cap. xiij. 38.

Verſ. 17. *Dixit igitur ancilla illa janitrix Petro: non & tu?* Id eſt, nonne & tu

Ex diſcipulis es hominis iſtius? Quaſi dicat, ſeductoris & pſeudo-Prophetæ, quem nunc pro meritis tractari vides.

Dicit ille, non ſum. Vide cui non deerat militaris fortitudo adverſum viros, huic deeſt Chriſtiana adverſus fœminam, eamque ancillam ac janitricem.

Verſ. 18. *Stabant autem ſervi & famuli qui acervum prunarum fecerant, quia frigus erat, & calefaciebant ſe.* Omnia cum circumſtantiis narrat, quippe rei ſpectator.

Erat autem cum eis Petrus ſtans & calefaciens ſe. Acceſſit & ipſe ad ignem.

Igitur ſummus Sacerdos. Relicto tantiſper ad prunas & ignem Petro, regreditur ad Annam ſummum Sacerdotem verſ. 13, ut exponat quid interim iſtic actum ſit cum Chriſto.

Verſ. 19. *Interrogavit Jeſum de diſcipulis ejus.* Quinam ſcilicet eſſent & ubi eſſent? Miratur haud dubie nullum cum eo fuiſſe adductum.

Et de doctrina ejus. Quænam eſſet? Rei ſolent examinari cum ſiſtuntur eorum judicio. Sed iſte quærit de Chriſti doctrina, poſtquam eum tanquam falſum doctorem adduci curaſſet. En judicem ſeipſum injuſtitiæ damnantem!

Verſ. 20. *Reſpondit Jeſus, ego παῤῥησίᾳ.* Id eſt, palam, aperte, publice, cui opponitur mox ἐν κρυπτῷ.

Locutus ſum mundo. Id eſt, omnibus hominibus qui voluerunt audire, non his aut illis tantum.

Ego ſemper. Id eſt, quavis occaſione,

Docui in Synagoga. in publicis congregationibus.

Et in templo. In loco omnium celeberrimo.

Quo undique. Id eſt, ex omnibus mundi locis,

Judæi conveniunt, & in abſcondito locutus ſum nihil. Nam nec ea quæ privatim diſcipulis loquebatur in abſcondito loquebatur, neque enim quærebat latebras. Exemplum habemus veritatem divinam nullam locorum & hominum celebritatem reformidare. Vult & gaudet videri, tractari, examinari ab omnibus. Si ex locis celebribus expellitur, cedit & ſe præbet etiam viliſſimis 1 Cor. 1. 27 & ſequentibus.

Verſ. 21. *Quid*, id eſt, quare verſ. 23, *me interrogas?* Quaſi dicat, quandoquidem me doctrinæ meæ cauſa vinctum adduci curaſti.

Interroga eos qui audiverunt quid locutus ſim ipſis. Ita enim negare non potero ſi quid pravi locutus ſim. Dixit nimirum ſe Dei Filium eſſe, idque diviniſſimis demonſtravit operibus, & omnibus in ſe credentibus, & conſequenter mandata ſua omnis juſtitiæ ac ſanctitatis pleniſſima ſervantibus vitam æternam pollicitus eſt. Hæc erat ſumma doctrinæ Chriſti ob quam tam male tractatus eſt, & quia ſalutem afferebat hominibus, ab iis in crucem actus & occiſus eſt. Sed & hoc ſalutis eorum cauſa lubens & ultro perpeſſus eſt.

Ecce iſti ſciunt quæ dixi ego. Quaſi dicat, iſtorum ergo teſtimonio convincendus ſum, ſi quæ mala & & pœna digna dixi & docui.

Verſ. 22. *Hæc autem cum dixiſſet, unus famulorum adſtans dedit rhapiſma Jeſu.* En vide quæ fuerit judicii iſtius dignitas! inſpectante & præſidente ſummo Pontifice, unus, non ex aſſidentibus, ſed ex famulis adſtantibus, tantum ſibi permittit in Jeſum! Sed non mirum: noctu enim contra omnium hominum morem peragebatur hoc judicium: cui non fruſtra quæſitæ ſunt tenebræ, cum ejus puderet in luce.

Dedit rhapiſma. Rhapiſma diſtinguitur à colaphis apud Matth. xxvj. 67. Significat ergo ictum bacillo inflictum. De tali ictu loquitur & Chriſtus Matth. v. 39, ſi quis te ῥαπίσει. Quidam etiam putant ſignificare ictum crepidæ; ſed crepidis non utebantur nec percutiebant Romani milites, qui tamen infra cap. xix. 3 dicuntur Chriſto dediſſe rhapiſmata.

Dicens, ſic reſpondes ſummo Sacerdoti? Atqui non Chriſtus ſuo reſponſo, ſed tu facto tuo inſolentiſſimo ſummi Sacerdotis honorem maxime læſiſti. Sed nimirum apud judices iniquiſſimos omnia licebant in Chriſtum, imo & imputabantur.

Verſ. 23. *Reſpondit ei Jeſus.* Patienter fert ictum & indigniſſimam contumeliam; eo ſolo contentus eſt ut eam ſe haudquaquam oſtendat meruiſſe.

Si male locutus ſum teſtare de malo. Id eſt, oſtende, convince me male locutum eſſe, per metonymiam ſpeciei pro genere.

Si vero

Si vero bene quid me cædis. Id eſt, quare? Videmus ſummam Chriſti patientiam & modeſtiam. Non refert malum pro malo, non corrigit hominem verbis aſperis & minacibus; ſed tantum immerito ſe cædi oſtendit. Exemplum nobis reliquit quod imitemur in ſimilibus injuriis. Satis eſt Chriſtiano innocentiam ſuam oſtendiſſe. Nocentem ſe facit, niſi etiam patiatur injuriam.

Verſ. 24. *Miſit igitur eum Annas vinctum.* Intellige, ſic ut erat verſ. 12, non ſolvit eum vinculis.

Ad Caipham ſummum Sacerdotem. Quippe cujus anno illo vices eſſent in ſummo Sacerdotii munere peragendo.

Verſ. 25. *Erat autem Simon Petrus*, intellige, ut dicere cœpi, *ſtans & calefaciens ſe* verſ. 18. Redit ad Petrum, qui, dum Chriſtus coram Anna tenetur, negat Chriſtum.

Dixerunt igitur ei. Nempe ſervi & famuli cum quibus ad prunas ſtabat.

Non & tu. Id eſt, nonne & tu, *ex diſcipulis ejus es?*

Negavit ille & dixit: non ſum. Inter hos adſtantes fuit ancilla de qua Matth. xxvi. 7. Matthæus & Marcus ancillæ ſpeciatim meminerunt, ut oſtenderent Petri puſillanimitatem. Qui in vires antea gladio irruerat, nunc paret ad ancillæ vocem!

Verſ. 26. *Dicit unus ex ſervis ſummi Sacerdotis, cognatus ejus cujus abſcidit Petrus auriculam: non ego*, id eſt, nonne ego, *te vidi in horto cum ipſo?* Hic maxime poterat notaſſe Petrum ob vulnus cognato ſuo inflictum.

Verſ. 27. *Rurſum igitur negavit Petrus*, tertio nempe, *& ſtatim gallus cecinit.* Omnia evenerunt ſecundum prædictionem Domini cap. xiij. 38, qui ſua prædictione neutiquam effecit ut hæc evenirent, ſed quia eventura ſuis ex cauſis erant, ideo ea Chriſtus divino ſpiritu prædixit. Lucas narrat Chriſtum converſum reſpexiſſe in Petrum cap. xxij. 6, quia nimirum Chriſtus adhuc in eadem erat ſummi Sacerdotis aula, ut videre Petrum poſſet.

Verſ. 28. *Ducunt igitur Jeſum à Caipha.* Quaſi dicat: ſicut ante dicere cœpi, quod eum Annas miſerit ad Caipham verſ. 24: quaſi dicant, igitur re apud Caipham peracta,

Ducunt. Nempe milites Romani. Non refert Joannes quæ apud Caipham & in Synedrio geſta ſunt, quippe ante ſe ab aliis Euangeliſtis narrata. Properat ad ea quæ coram Pilato ſunt geſta.

In prætorium. Ubi Pilatus habitabat & jus dicebat, qui tum Judæam nomine Cæſaris procurabat.

Erat autem matutina, intellige hora, *& ipſi*, nempe Judæi, *non ingreſſi ſunt in prætorium ut non polluerentur.* Nempe impuri alicujus ſecundum Legem contactû.

Sed ut ederent Paſcha. Quod pollutis edere fas non erat. Tales hypocritæ multi ſunt, qui in rebus externis & ritibus religionem exercent, à qua in factis & moribus abſunt longiſſime. Aliis temporibus ingrediebantur in prætorium, ſed tunc imminebat feſtum Paſchatis, cujus propinquitas purificationes excludebat. Jeſum tanquam jam eorum judicio impurum ac damnatum in prætorium duci curaverunt.

Verſ. 29. *Exivit igitur Pilatus ad eos foras.* Obſecutus eſt hac in re Pilatus eorum religioni, nolebat conſcientiis eorum dominari. Exemplum hoc in homine profano obſervandum eſt, quod utinam imitarentur Principes Chriſtiani! Magnum hoc erat in homine Romano, qui perſonam Imperatoris referret, exire ad Judæos Romanorum ſervos.

Et dixit, quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc? Audire prius vult Pilatus accuſationem & defenſionem rei quam damnare. Et in eo præbuit Pilatus exemplum Principibus imitandum, ne damnent inauditos, præſertim in religionis cauſa.

Verſ. 30. *Reſponderunt & dixerunt ei; ſi non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Nolunt ut inquirat de ejus crimine, ſed tantum ut exequatur illorum ſententiam: quaſi dicant, nos eum jam judicavimus & damnavimus tanquam ſceleſtum, tu amplius inquirere noli, alioqui eum tibi non tradidiſſemus niſi eſſet maleficus. Volunt Pilatum ex judice facere carnificem, ſicut & hodierno tempore faciunt Romanæ Eccleſiæ antiſtites. Nam quos hæreſeos damnarunt, eos magiſtratui tradunt ſine ulla ulteriori cognitione necandos, qua in re dum Chriſtianus magiſtratus iis obſequitur, longè prudentia & æquitate ſuperatur à Pilato.

Verſ. 31. *Dicit igitur eis Pilatus: accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum.* Quaſi dicat: Quandoquidem jam pro malefico eum judicaſtis, accipite vos illum, & ſecundum legem veſtram judicate, id eſt, punite: jam enim ante judicaverant. Punite ſecundum legem veſtram, ſi ſecundum legem veſtram eſt maleficus. Vos eum judicaſtis, vos pœna afficite, quam lex veſtra in ejuſmodi crimine conſtituit. Nolite à me requirere ut ego eum puniam, cum nolitis ut ego de crimine ejus judicem.

Dixerunt igitur Judæi: nobis non licet interficere quenquam. Id eſt, capitali pœna afficere, quandoquidem ſub Cæſaris & tua poteſtate ſumus; at hic pœnam capitis eſt commeritus. Adulantur & ſubmittunt ſe Pilato ut viciſſim eum ſibi reddant obſequentem & obnoxium. Atqui jam licebat permittente Pilato! Cur vero & Stephanum poſtea occiderunt inconſulto Præſide, & Jeſum ipſum aliquoties lapidare voluerunt? Neque videtur fuiſſe veriſimile Cæſarem & ejus Procuratores impediviſſe ipſorum capitalia judicia, etiamſi poſſent cum vellent intercedere.

Verſ. 32. *Ut ſermo Jeſu impleretur.* Quaſi dicat, quod dum prætendebant Judæi, Chriſtum crucis ſupplicio volebant affici. Nam ipſi ſecundum Legem non poterant eum in crucem agere, quandoquidem eum pro blaſphemo judicaſſent: blaſphemos enim Lex lapidibus obruere jubebat. Neque etiam in crucem agere Judæis uſitatum erat: Romanorum erat hæc pœna in ſervos: unde etiam ſervile ſupplicium appellatum eſt. Judæos vero Romani pro ſervis habebant, & mortem meritos ex iis in crucem tollebant, ſicut & Syros & alios Orientales, inter quos Judæi extrema pars ſervientium erant, notante Tacito.

Ut ſermo Jeſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Particula *ut* hoc loco eventum notat non finem: neque enim Judæi quidquam de impletione ſermonis Chriſti cogitabant. Dixerat autem Dominus ſe moriturum eſſe crucis ſupplicio.

Dixerat

Dixerat id & aperte apud alios Euangeliſtas, & obſcurius Joan. iij. 14. xij. 32, quo potiſſimum hic Joannes digitum intendit.

Verſ. 33. *Ingreſſus eſt igitur in prætorium rurſus Pilatus.* Audita ſcilicet hac eorum prætenſione & ſubmiſſione, ingreſſus eſt rurſus, id eſt, regreſſus eſt, ut cap. xvi. 28, & vocavit Jeſum jam in prætorium deductum, ut ſcilicet cauſam ejus cognoſceret. Noluit inauditum damnare. Hoc utinam obſervarent magiſtratus Chriſtiani, in cauſis eorum qui iis à Sacerdotibus hæræſeos damnati traduntur puniendi.

Et dixit ei; tu es, id eſt, tune es, *ille rex Judæorum?* Nnn interrogavit an ille ſe ferat & gerat pro Rege Meſſia, ſed ſimpliciter an ſit ille quem Judæi expectant Meſſias? Hoc enim non poterat ignotum eſſe Pilato, Judæos Regem Meſſiam expectaſſe. Videtur Dominus in magna fuiſſe apud Pilatum auctoritate, quam ſibi comparavit miraculis divinis: quaſi dicat, ſi tu es Rex ille Judæorum certe hoc non negabis: & ſi id non negabis credendum tibi erit, non enim affirmares quod verum non eſſet.

Verſ. 34. *Reſpondit ei Jeſus, à teipſo tu hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Quaſi dicat: non dicis tu hoc à teipſo, ſed alii tibi dixerunt de me. Nec enim ego ullam tibi cauſam & occaſionem dedi ut putares me regnum Judæorum affectare, quiete me geſſi, & nihil contra te & Imperatorem commiſſi.

Verſ. 35. *Reſpondit Pilatus: nunquid ego Judæus ſum?* Intellige, ut de Meſſia ſeu Rege quem Judæi expectant ſolicitus ſim?

Gens tua & ſummi Sacerdotes, Annas ſcilicet & Caiphas, *tradiderunt te mihi.* Quaſi dicat, iſti ſunt qui te accuſant quod te pro Meſſia & Rege illo Judæorum geras. Ego te miſſum facerem. Neque enim quidquam ſeditioſum in te deprehendi, niſi tua gens propria & ſummi Sacerdotes te mihi tradidiſſent, & vinctum ad me adduxiſſent, tuumque ſupplicium expoſcerent. Credo cum Jeſus in prætorium inductus eſſet ipſos accuſationis ſuæ capita coram Pilato expoſuiſſe, de quibus Luc. xxiij. 2. Ideo etiam quærit Chriſtus, à teipſo hæc dicis, an alii tibi dixerunt de me?

Quid feciſti? Quaſi dicat, dic igitur mihi, quid feciſti? an te pro Rege Judæorum geſſiſti? Nam illis ſimpliciter accuſantibus te nolo credere. Tui oris propriam cnnfeſſionem requiro. Volo ex teipſo ſcire an ſit verum quod Rex ille Judæorum ſis? Et hinc patet quanti Pilatus fecerit Dominum, & quam multo propior fuerit fidei in ipſum quam Judæi!

Verſ. 36. *Reſpondit Jeſus, Regnum meum non eſt ex mundo hoc.* Id eſt, non habet ex hoc mundo originem, proinde non eſt hujus generis cujus ſunt regna iſtius mundi, per metonymiam ſynecdochicam, in qua cauſa ponitur non pro effectu, ſed cum effectu intelligitur. Mundum hunc opponit mundo illi qui noſtri reſpectu futurus eſt, in quo Deus habitat & ſancti Angeli. Nam regna quæ ex hoc mundo originem habent, habent in hoc mundo ſuam ſedem, oculis hominum ſunt conſpicua, habent hujus mundi ſplendorem & pompam, habent militum & ſatellitum magna præſidia. Tale non eſt meum regnum, proinde nec Imperatori Romano quidquam contrarium.

Si ex mundo hoc eſſet Regnum meum, miniſtri mei certarent. Probat quod dixit: quaſi dicat, haberem multos miniſtros qui certarent pro me.

Ne traderer Judæis. Id eſt, ſummis Sacerdotibus & eorum aſſeclis, qui maximam & potiſſimam partem Judaicæ gentis conſtituunt. Sed talibus miniſtris ſemper fui deſtitutus, nec unquam curavi ut eos haberem. Hinc etiam factum eſt ut diſcipulos pro ſe pugnare volentes cohibuerit, & ultro ſe comprehendendum præbuerit.

Nunc vero Regnum meum non eſt hinc. Id eſt, ex mundo hoc: quaſi dicat, ideo nec quidquam eorum quæ regibus mundanis propria ſunt habeo. Particulæ *nunc vero* adhiberi ſolent in illationibus.

Verſ. 37. *Dixit igitur ei Pilatus: nonne igitur rex es tu?* Quaſi dicat, quandoquidem tibi regnum tribuis.

Reſpondit Jeſus: tu dicis. Id eſt, ſic ſe res habet, ita eſt, Hebræa phraſi.

Quod Rex ſim ego. Jam fatetur Regem ſe eſſe, poſtquam oſtendit regnum ſuum regnis mundi hujus nihil officere. Hæc eſt illa præclara confeſſio Jeſu Chriſti coram Pontio Pilato cujus meminit Apoſtolus 1 Tim. vi. 13. Nam cum Chriſtus liber eſſet, palam & publice ſe Regem eſſe non dicebat, at cum ſtaret coram Pontio Pilato vinctus, tunc demum palam & publice & diſerte Regem ſe eſſe confeſſus eſt, & confeſſionem hanc ſuam morte ſua confirmavit. Pſeudo-Chriſtus quamdiu liber & ſuæ poteſtatis eſſet, Regem ſe eſſe jactaret; at captus & coram judice conſtitutus, libenter id ſe jactaſſe & dixiſſe negaret. Hoc igitur quod Chriſtus confeſſus eſt credere & confiteri vere Chriſtianum eſt, huic fidei univerſa pietas Chriſtiana tanquam fundamento innititur. Omnis enim qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt 1 Joan. v. 1, & qui Jeſum ore confitetur Dominum, & corde credit quod eum Deus ſuſcitaverit ex mortuis, ſalvabitur Rom. x. 9.

Ego in hoc natus ſum. Cauſam addit cur ſe Regem confiteatur: quaſi dicat, in hoc me Deus naſci voluit.

Et in hoc veni in mundum. Id eſt, ad homines à Deo miſſus,

Ut teſtimonium dem. Nempe ſuo loco ac tempore, ſeu quoties opus eſt,

Veritati. Quam ſcilicet audivi à Deo, & ad quam confitendam & aſſerendam miſſus ſum & in mundum veni, qualis eſt hæc veritas, quod Rex ſim, id eſt, Meſſias ille Judæis à Deo promiſſus. Locus hic manifeſte diſtinguit inter naſci & in mundum venire, tanquam inter prius & poſterius. Prius enim naſcuntur homines quam à Deo mittuntur, ut ad homines veniant.

Omnis qui eſt ex veritate. Poterat dicere Pilatus, qui fit igitur ut tibi non credant gens tua propria & tui Sacerdotes?

Omnis, inquit, *qui eſt ex veritate.* Qui veritatis eſt filius, id eſt, veritatem amat, colit, ſectatur, ut filius matrem, qui propter pravos affectus non quærit quod veritati opponat, non quærit effugium credendi.

Audit.

Audit. Cum aſſenſu nimirum & approbatione,

Meam vocem. Id eſt, meum ſermonem, videns tot diviniſſima eorum quæ dico argumenta, ipſumque ſermonem diviniſſimum, omnis juſtitiæ & ſanctitatis pleniſſimum: quaſi dicat, quod Judæorum ſummi Sacerdotes & alii non obediant meæ voci, inde fit quod non ſint ex veritate, quod ſint homines pravi.

Verſ. 38. *Dicit ei Pilatus, quid eſt veritas?* Videtur Pilatus non tam definitionem veritatis quæſiviſſe; cur enim eam non expectaret? Et quis neſcit quid ſit veritas in genere? (nam in ſpecie ea de qua agebatur veritas quid eſſet & quæ eſſet in aperto erat) quam veritatem ſuſque deque habuiſſe, ut ſapientes hujus mundi ſolent, & Chriſtum tacite perſtrinxiſſe, quod veritatis cauſa tantis diſcriminibus ſe objiciat; ideo hoc dicto protinus abrumpit ſermonem cum Chriſto, ut ſolent qui ejuſmodi profana dicta jaciunt. Si tamen definitionem veritatis quærebat, & reſponſum exſpectaſſet, credo audiviſſet à Chriſto ſermonem Dei veritatem eſſe cap. xvij. 17.

Et hoc dicto rurſus exivit ad Judæos. Si definitionem veritatis quærebat, verebatur credo ne ei Jeſus doctrinam ſuam exponeret. Ideo reſponſum non exſpectat. Hinc videmus quam Principibus hujus ſeculi curæ ſit ut divinam veritatem cognoſcant. Si contingat ut quærant quid ſit veritas, reſponſum non expectant.

Et dicit eis, ego nullam cauſam, nempe pœnæ, *invenio in ipſo.* Quaſi dicat, fatetur quidem ille ſe Regem eſſe, ſed non ex hoc mundo, nihil hoc ad Cæſarem, nullas turbas dedit, nihil ſeditioſe egit, capi ſe & vinciri quiete paſſus eſt, nec ulla alia re quam divinis miraculis inclytum ſe fecit, quibus doctrinam ſuam confirmavit. Vide quanto rectius judicat homo profanus de Chriſto quam ſummi Judæorum Sacerdotes; nimirum quia illi pravi affectus non obſtabant, at his obſtabat invidia, & faſtuoſa ſuperbia, & mores à ſanctitate doctrinæ Chriſti averſi.

Verſ. 39. *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum*, nempe *ex vinctis* (facinoroſis dicere noluit, cum ſciret Jeſum eſſe inſontem) *vobis dimittam in Paſchate.* Nempe in honorem tanti apud vos feſti. Ipſe modum proponit liberandi Chriſti.

Vultis igitur vobis dimittam Regem Judæorum? Quaſi dicat, veſtrum intereſt ut vobis Regem veſtrum dimittam. Eum enim veſtrum Regem eſſe credo illum quem expectatis, ſed cujus regnum non eſt ex hoc modo, nec Cæſari quidquam noxium. Semper Pilatus Jeſum Regem Judæorum dicit, & ſupra ℣ſ. 33, & cap. XIX. 14, 15, 19, 22.

Verſ. 40. *Clamaverunt igitur rurſus.* Quia jam ante cum clamore venerant, & dixerant, *niſi hic eſſet maleficus &c* ℣ſ. 26. *Omnes.* Sacerdotes nimirum & eorum miniſtri. Vide XIX. 6. Multos enim ex aliis credendum eſt non clamaſſe Luc. xxiij. 27. Ita omnes, per Synecdochen, dicuntur pro parte maxima.

Dicentes, non hunc. Nempe Regem Judæorum, Meſſiam illum dimitti nobis volumus. Ita ipſi ſuo proprio ore nolentes ſe damnant.

Sed Barabbam: erat autem Barabas latro. Latronem vocat quem alii Euangeliſtæ homicidam appellant. Credo latro erat, & cum eſſet latro ſeditionem movit, & in ſeditione cædem fecit, rem latrone dignam. Sic odio & invidia cœci Barabbam prætulerunt Meſſiæ, latronem Servatori. Eadem ſors & diſcipulorum eſt Chriſti ut longe pejores habeantur quam latrones. Ideo & graviori ſupplicio quam latrones afficiuntur, dum vivi ex[illegible]ntur igne, Et ſæpe multoque facilius latronibus, a[illegible]que facinoroſis parcitur quam Chriſti diſcipulis, quod mihi ipſi uſu venit, qui propter Chriſtianam Catholicam confeſſionem proſcriptus, reſtitui non potui, cum in iiſdem Comitiis Regni reſtituerentur non pauci ob facinora ſua damnati. Chriſtus igitur morte ſua latronem liberavit à morte, & ſolvit vinculis, in ſignum redemptionis quam toti mundo peperit morte ſua, factus victima piacularis pro peccatis omnium.

CAPUT. XIX.

Verſ. 1. T*Unc igitur accepit Pilatus Jeſum.* Id eſt, accipi à militibus fecit, poſtquam ſcilicet vidit Judæos nolle ut dimitteretur Jeſus, & maluiſſe Barabbam latronem dimitti.

Et flagellavit. Id eſt, flagellari fecit: credo quod exiſtimaret Judæos hac pœna fore contentos. Vide Luc. xxiij. 16, 22. Sed Pilatus flagris iſtis auxit dolores Chriſti, non ſervavit, ut voluit, Chriſtum. Nimirum etiam flagra ſuſtinere debuit Dux fidei & ſalutis noſtræ, ne quid eſſet quod non experiretur Hebr. 2. 17, IV. 15.

Verſ. 2. *Et milites.* Quaſi dicat: non jam Pilatus, ſed milites, militari nimirum, ut ſolent, petulantia. *Nexa corona ex ſpinis, impoſuerunt capiti ejus, & veſte purpurea circumdederunt eum.*

Verſ. 3. *Et dicebant, ave Rex Judæorum, & dabant ei rhapiſmata.* Id eſt, percutiebant & cædebant eum bacillis. Hæc omnia in ludibrium, quod ſe Regem illum Judæorum & Meſſiam eſſet confeſſus. Ὁ βασιλεὺς, nominativus ponitur pro vocativo. Vide Marc. xv. 18. Hæc omnia ludibria Chriſtus expertus eſt nobis in exemplum, ne ullis propter veritatis divinæ & Filii hominis confeſſionem moveamur ludibriis & contumeliis. Cum Huſſo corona imponeretur papyracea, dixit, ô Domine Jeſu, tu pro me ſpineam coronam geſſiſti in capite tuo, ego pro te cur non geram papyraceam, quanto leviorem tua! Etiam Michaëli Serveto, cum ſimiliter ad ignem auctore Calvino duceretur, propter Filium hominis, corona fuit impoſita, pice ac ſulphure illita.

Verſ. 4. *Exivit igitur rurſus foras Pilatus, & dicit eis: ecce adduco vobis eum foras.* Id eſt, duci facio, eum vobis reddo.

Ut ſciatis quia nullam in eo cauſam, nempe pœnæ ullius, tanto vero minus capitalis, *invenio.*

Verſ. 5. *Exivit igitur Jeſus foras.* Id eſt, extra prætorium.

Ferens coronam ſpineam & pallium illud purpureum, & dicit eis, nempe Pilatus, *ecce homo, ὁ ἄνθρωπος.* Articulus vocem ἄνθρωπος ad Jeſum reſtringit: quaſi dicat. Ecce habetis hominem quem in veſtri gratiam, non quod id eſſet meritus, flagris conci-

di ac lacerari feci, ludibriis & contumeliis affici permiſi. Jam me miſſum facite, qui eum prorſus inſontem eſſe judico.

Verſ. 6. *Cum igitur viderunt.* Tantum aberat ut eſſent contenti, & Pilati teſtimonio ac judicio, & flagris illis ac ludibriis contumelioſis, ut eo viſo magis adhuc fuerint ira & [illegible]o efferati.

Summi Sacerdotes. Credo quod alii ex turba eſſent commoti; ſed iſti in furore perſtant.

Et miniſtri. Ut dominis ſuis blandiantur.

Clamaverunt dicentes, crucifige, crucifige. Ex ipſo clamore & vocis intentione apparet, quanto animi affectu deſideraverint Chriſtum crucifigi, & ex ingeminatione ipſa.

Crucifige, crucifige. Illi qui modo dicebant nobis non licet interficere quenquam, nunc clamant ut crucifigatur, quaſi non occidat qui cædis auctor eſt & impulſor. Ita & hodie quidam faciunt, dicunt non licere ſibi manus maculare ſanguine ullius etiam nocentiſſimi, & tamen contra homines innocentes, quos hæreticos ducunt, Magiſtratum inſtigant, & ſimiliter clamant crucifige, crucifige. Non alia ratione exſatiari poterant quam morte Chriſti, eaque tam acerba & infami. Videmus quantum odium ſit Sacerdotum in eos qui veritatem profitentur. Populus non adeo ſitivit & expetivit mortem Chriſti, à quo tot beneficiis erat affectus, non invidebat Chriſto, nec ejus urebatur gloria. At Sacerdotes metuebant ne ſuis honoribus, ſuis opibus ac reditibus multum decederet per Chriſtum. Quanquam etiam multi ex populo inſtigati & perſuaſi à ſenioribus, iiſque magis obnoxii, in Chriſtum inſtigarint eique illuſerint, tot ejus beneficiorum obliti. Nimirum varium & mutabile ſemper etiam vulgus eſt. Vide Matth. xxvij. 20, 25. Marc. xv. 11. Luc. xxiij. 35.

Dicit eis Pilatus, accipite ipſum vos & crucifigite. Quaſi dicat, ſi ita animo veſtro inſedit, ut non tantum morte, ſed etiam crucis morte pereat, nolite me facere miniſtrum veſtrum injuſtitiæ.

Ego enim non invenio in illo cauſam. Id eſt, innocentem eum judico. Ergo eum liberare debebas Pilate, non libidini Sacerdotum permittere.

Verſ. 7. *Reſponderunt ipſi Judæi, nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia ſeipſum Filium Dei fecit.* Verbis nimirum id de ſe aſſerendo. Judæi oſtendunt ſe merito eum pro ſonte agnoſcere. Nam nos habemus legem, quam quia tu ignoras, non mirum eſt quod eum inſontem judices. Nos autem Judæi habemus legem, cui & ille ſubjacet, eſt enim & ille Judæus. Secundum noſtram legem debet mori. Lex noſtra illum condemnat. Quare? quia ſeipſum Filium Dei fecit. Quaſi dicant: lex noſtra blaſphemos jubet morte affici, at iſte blaſphemus eſt, quia ſeipſum Filium Dei fecit, nempe ſingulari & ſpeciali ratione, abſolute ſe Filium Dei dicendo, quod blaſphemum eſt. Atqui blaſphemum id non fuiſſe Chriſtus evicit cap. x. 34, 35, 36. Intelligebant ipſi haud dubie, Chriſti & Filii Dei titulum æquipollere, quod vel ex Pſalm LXXXIJ. 6 didicerant. Nam ſi quilibet Dei unctus, Dei filius ab ipſo Deo dicitur, non minus etiam ſingularis ille Dei unctus, jure ac merito ſingulariter & excellenter Dei Filius dicitur. Sciebant Judæi verba illa Dei, *Filius meus es tu, hodie genui te*, in figura Davidis, & illa alia, *Ego illi ero Pater, & ille mihi erit filius*, in perſona Salomonis ſpiritu prophetico de Meſſia dicta eſſe, in illo longe perfectiore ſenſu implenda. Nam ſi Filii Dei nomen ſic interpretabantur, quaſi Jeſus diceret ſe perſonam eſſe ex Dei eſſentia ante ſecula genitam, non recedebant ab ingenio ſuo calumniandi verba Chriſti, non magis quam cum appellationem Regis in Jeſu, de mundano Rege interpretabantur, ſed qui Chriſti & Regis nomine Jeſu nocere non poterant apud Pilatum, ex Filii Dei titulo crimen ſtruunt apud hominem phraſium Hebraicarum ignarum & imperitum.

Verſ. 8. *Cum igitur audivit Pilatus hunc ſermonem, magis timuit.* Nempe ſibi, ne Chriſtum damnando & injuria afficiendo, tanto magis Dei iram in ſe converteret. Videbat hunc titulum cum Chriſti miraculis egregie convenire. Ita neque hac criminatione quidquam proficere poterant Judæi, quinimo profuerunt Chriſto.

Verſ. 9. *Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit Jeſu*, nempe in prætorium reducto: *unde es tu?* Diſtinctius vult cognoſcere natales & originem Chriſti. Nec de veracitate Chriſti quidquam dubitabat: quaſi dicat, ubi tu mihi tuam originem ediſſerueris, ego te dimittam. Credo cogitabat Jeſum eſſe heroëm aliquem, ex Deorum ſemine cretum. Et revera Chriſtus erat ex Spiritu Sancto & virtute Dei conceptus, proinde haudquaquam vulgaris homo: nec ſane dubitandum eſt Chriſtum in tituli iſtius Filii Dei uſurpatione huc quoque ſemper reſpexiſſe, licet hæc cauſa nondum eſſet evulgata. Vide Angeli verba Luc. 1. 35.

Jeſus vero reſponſum non dedit ipſi. Videbat Pilatum jam inclinare ad ſe dimittendum, & ſe dimiſſurum fuiſſe rem edoctum, ideo Chriſtus tacet: nam ſi reſpondere voluiſſet, non poterat aliter quam ut diceret id quod erat. Maluit ergo ſilere, non ex contumacia & contemptu Pilati, ſed ut Patris voluntati in morte crucis ſubeunda obtemperaret.

Verſ. 10. *Dicit igitur ei Pilatus, mihi non loqueris? neſcis quod poteſtatem habeam crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Videtur hoc Pilatus in ſui contemptum accepiſſe quod ei non reſponderet. Sed dum dicit ſe habere poteſtatem crucifigendi & dimittendi Chriſti, contra ſemetipſum teſtimonium dicit, & ſeipſum accuſat, quod innocentiam ejus videns, tamen eum occidi paſſus ſit. Cum etiam videmus nihil nos defenſione noſtra proficere, optimum eſt conſtantis animi conſilium ſilere, & ad patientiam omnium quæ Deus permiſerit ſeſe componere.

Verſ. 11. *Reſpondit Jeſus: non haberes poteſtatem ullam contra me.* Hic jam reſpondet Chriſtus: quaſi dicat, verum quidem eſt te habere poteſtatem me crucifigendi; ſed non haberes ullam, nedum tantam poteſtatem,

Niſi tibi datum eſſet ſuperne. Id eſt, à Deo, permittendo ſcilicet ut me crucifigas. Hoc ipſo ſignificat ſe Deo chariſſimum ejuſque Filium eſſe, & nihil ſecum fieri ſine ſingulari Dei providentia. Eadem cura etiam eſt Deo de omnibus in Chriſtum credentibus, ut nihil mali iis à quoquam inferri poſſit, niſi Deo permittente.

Propter

Propter hoc qui tradit me tibi majus peccatum habet. Non protinus apparet quo pacto conſequatur ut majus peccatum habeat is qui Chriſtum tradat, id eſt, Judæi. Nam nec illi Chriſtum potuiſſent tradere niſi Deus id illis permiſiſſet. Apparet igitur aliquid eſſe intelligendum in verbis Chriſti: quaſi dicat, cæterum tu mihi mortem non moliris, non es in eo ut me perdas; ſi per te ſolum ſtaret tu me plane miſſum faceres, imo operam das ut me dimittas. Hoc intellecto, jam recte conſequitur; *Propter hoc qui me tibi tradit majus peccatum habet.* Nam Judæi id unice quærebant ut Chriſtum perderent: ideoque longe majus peccatum habebant quam Pilatus. Adde quod Judæi majorem Dei notitiam haberent aut habere deberent quam Pilatus, & ſe habere profiterentur. Non negat, imo aſſerit, Pilatum etiam habere peccatum, ſed dicit Judæos majus habere peccatum. Eo ipſo innuit ſe innocentem eſſe, & omnes graviter peccare qui ſibi ullo modo nocerent. Illos quidem magis qui mortem ſuam quærerent, ſed & Pilatum, qui ſe malitiæ eorum miniſtrum, etſi quodammodo invitus & reluctans, præberet. Patet hinc non omnia peccata eſſe æqualia. Majus enim Judæorum fuit peccatum quam Pilati. Unde jure colligitur & pœnam non æqualem fore.

Verſ. 12. *Ex hoc quærebat Pilatus, ut dimitteret ipſum. Ex hoc*, intellige tempore, vel etiam ex hoc reſponſo. Etſi Chriſtus minuebat peccatum Pilati, tamen Pilatus quærit, id eſt, rationem apud ſe init ut Chriſtum dimittat, haud dubie credens rem ſibi eſſe cum Dei Filio, qui etiam iſtius rei fiducia mortem, eamque crucis non deprecetur nec reformidet. Antea etiam quærebat; ſed abſolute quærere dicitur, quia multo magis quærebat. Quærebat autem, quia volebat ut Chriſti dimiſſio cum Judæorum fieret venia, & ſine eorum offenſione. Nam alioquin ſi Judæos hac in parte nil curaſſet, poterat Chriſtum ſimpliciter dimittere. Erat politicus, nolebat Jeſum ita ſervare ut principes Sacerdotum offenderet.

Judæi vero clamabant dicentes. Quaſi dicat, hæc agitabat Pilatus, Judæi autem id quod erat veriti, clamabant ita ut voces eorum in prætorio exaudirentur.

Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris. Solent miniſtri honoratiores Regum amici dici, quod amico ſint & eſſe debeant in Reges ſuos animo, idque profiteantur. Loquuntur per μείωσιν: quaſi dicant, inimicus es Cæſaris. Minus loquuntur, plus intelligunt. Pilatus autem magis curabat amicitiam Cæſaris quam Dei: malebat Deum offendere, quam Cæſarem, qui tum Tiberius erat, homo valde ſuſpicax & crudelis.

Omnis qui regem ſe facit. Nempe dicendo ſe Regem eſſe. Vide verſ. 7. Loquuntur autem de Rege Judæorum.

Contradicit Cæſari. Ergo factionem intelligunt quæ fiebat dictione. Contra Cæſarem loquitur, & conſequenter facit. Cæſar autem immediate ad ſuam poteſtatem Judæos revocaverat. Quaſi dicant: Proinde qui tali homini favet eumque dimittit, amicus Cæſaris non eſt. Hæc Judæorum ratio in Chriſto non valebat, quia ille ſe non faciebat Regem terrenum: idque Pilatus jam didicerat à Chriſto, ſed tamen verebatur ne criminationibus & calumniis Judæorum apud Cæſarem periclitaretur.

Verſ. 13. *Igitur Pilatus audito hoc ſermone eduxit Jeſum.* Nempe ex prætorio, omiſſa intra prætorium cogitatione de Jeſu dimittendo. Magis nimirum timebat Tiberium quam Deum ℣ſ. 8.

Et ſedit ſuper tribunal. Judicaturus nimirum Jeſum, *in loco* εἰς τόπον, pro ἐν τόπῳ.

Qui dicitur Lithoſtroton, Hebraice autem Gabbatha. Notat locum in quo tribunal erat poſitum. Hebraice Gabbatha pavimentum elatum ſignificat.

Verſ. 14. *Erat autem Paraſceve Paſchatis.* Id eſt, dies ille quo agnus Paſchatis mactabatur, & Judæi ſeſe præparabant ad eum edendum, inſtante ſcilicet ipſo Paſchatis feſto. Hoc ipſo nimirum die mactari decuit verum illud Paſcha, agno Paſchali adumbratum, ut tanto magis reſponderet figura ſuo figurato.

Hora vero quaſi ſexta. Notat & horam diei, non plane ſextam, ſed quaſi ſextam. Marcus Euangeliſta cap. xv. 25 dicit fuiſſe horam tertiam cum crucifigerent Jeſum, propterea quod jam ſignum datum fuiſſet horæ tertiæ, Joannes vero dicit quaſi ſextam, quod nondum eſſet ſignum datum horæ ſextæ. Itaque collatis inter ſe Euangeliſtis Marco & Joanne, apparet Dominum Jeſum inter tertiam & ſextam horam fuiſſe damnatum, propius tamen ſextæ. Non enim ſingularum horarum ſignum dabatur, ſed ſecundum vigilias ſingulis ternis horis ſignum tuba dabatur. Sic Petrus hora ſexta aſcendit ſupra tectum ad orandum Actor. v. 9. Sic idem cum Joanne hora precationis nona aſcendunt in templum Actor. iij. 1.

Et dicit Judæis: Ecce Rex veſter. Tentat adhuc Judæorum animos, an poſſit eos ad dimiſſionem Chriſti flectere: quaſi dicat, dicite quidquid libeat, hic eſt Rex ille veſter quem expectatis.

Verſ. 15. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Etiam modum præſcribunt quo eum tollat, nempe per crucis ſupplicium, maxime durum & infame: quaſi dicant, ſic par eſt tolli viliſſimum iſtud Cæſaris mancipium, quod ſe Regem Judæorum & quidem Meſſiam illum audet facere.

Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Quaſi dicant, nonne hæc erit veſtra maxima contumelia, veſtrum ſummum dedecus? Omne hoc in maximum veſtrum vertet detrimentum. Cogitate etiam atque etiam quid poſtuletis, vos videritis!

Summi Sacerdotes reſponderunt, non habemus Regem niſi Cæſarem. Quaſi dicant, ſolus Cæſar noſter eſt Rex: non dicunt hoc Cæſaris amore, ſed odio Chriſti. Viliſſima iſta mancipia, ut Meſſiam & Regem ſuum perdant, adulantur Cæſari, cujus in ſe regnum maxime oderant. Ideo poſtea Cæſari rebellarunt, & quia nolebant vero Chriſto adhærere, per quem in veram vindicarentur libertatem, juſto Dei judicio pſeudo-Chriſtis adhæſerunt, per quos ad rebellandum Romanis, & in meritas pœnas præcipitati ſunt.

Verſ. 16. *Tunc igitur.* Poſtquam nimirum vidit ſe nihil proficere, & Cæſaris majeſtatem mordicus obtendi.

Tradidit eum ipſis ut crucifigatur. Nempe decreto ſuo tradidit eum ipſorum libidini.

Acceperunt autem Jeſum. Nempe milites Romani verſ. 23.

Et abduxerunt. Ad crucis ſupplicium ſcilicet duxerunt

runt extra urbem in locum ſupplicii. Dominus Jeſus enim ut ſanctificaret, id eſt, expiaret populum, paſſus eſt extra portam Hebr. xiij. 12. Cujus rei typum fuiſſe dicit idem auctor in animalibus quorum ſanguis in Sancta inferebatur per ſummum Sacerdotem pro peccatis populi, eorum corpora cremabantur extra caſtra. Ubi monet idem, ut exemplo Chriſti exeamus & nos quoties opus eſt cum ipſo extra caſtra, opprobrium ejus portantes. Beati crucis & opprobrii Chriſti participes: non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram quærimus.

Verſ. 17. *Et portans crucem ſuam.* Solebat enim ad crucem damnatis ſua cuique crux imponi quam portaret ad locum ſupplicii, viciſſim portandus à cruce. Hinc intelligitur quid ſibi velit Chriſtus, cum præcipit, ut & nos crucem portemus quotidie, & ſe ſequamur, nimirum ut quotidie parati ſimus ad crucem duci, impoſita nobis cruce, aut aliam quamlibet mortem pro Chriſto & ejus veritate. Narrant autem alii Euangeliſtæ cum Chriſtus onere crucis premeretur, oblatum ipſis in exitu ex civitate Simonem Cyrenæum, coactum fuiſſe ad portandum onus crucis.

Exivit in dictum Cranii locum, qui dicitur Hebraïce Golgotha. Extra portam videlicet. Chriſtus totius mundi erat κάθαρμα ſeu piaculum, ideoque mirum non eſt quod extra portam fuerit abductus & occiſus, quaſi urbis Hieroſolymorum everriculum. Quanquam alioqui Judæorum mos erat ut extra urbem ſupplicio afficerentur damnati quia cenſebantur impuri. Locus hic erat ſuppliciis capitalibus deſtinatus, & hinc occiſorum craniis & oſſibus albus.

Verſ. 18. *Ubi eum crucifixerunt.* Omnino decuit ut princeps fidei dux, & ſimul ejuſdem conſummator, mortem ſubiret, quandoquidem ad fidei experimentum Deus mori vult pios: & ſi mors ei ſubeunda erat, decuit ut violenta; & ſi violenta, decuit ut omnium diriſſima & maxime infamis, qualis erat mors crucis, ab ipſo ſubiretur, ne quiſquam piorum fidei ſuæ teſtandæ cauſa ullam mortem reformidaret Hebr. 2. 10 & ſeqq.

Et cum eo alios duos hinc & hinc. Id eſt, inter duos, latrones nimirum (ut ex aliis Euangeliſtis conſtat) medium, tanquam pejorem latronibus. Non tantum volebant eſſe Jeſum ſocium latronum, ſed principem. Ipſo comitatu volebant oſtendere Dominum Jeſum eſſe hominem maxime nefarium: nam inter tres medius eſt primus. Ita nihil ad contumeliam in ſupplicio Chriſti defuit.

Verſ. 19. *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem.* Eo nimirum fine ut indicaret cauſam Chriſti. Alii Euangeliſtæ deſcribentes titulum, non curarunt ipſa verba, ſed rem tantum.

Erat vero ſcriptum: JESUS NAZARÆNUS REX ILLE JUDÆORUM. Ὁ βασιλεὺς, ad denotandum Regem illum inſignem, Meſſiam ſcilicet à Judæis expectatum Marc. xv. 32. Luc. xxiij. 35, 37. Hoc titulo Pilatus & teſtimonium Chriſto dare voluit, & ſimul Cæſari ſatiſfacere. Et ſine dubio Deus hoc ita direxit, ut omnibus conſtaret Jeſum morte tam infami obſignare ſe Regem illum Judæorum ſeu Meſſiam illum eſſe. Appellationem Filii Dei patet quod Pilatus crimini non duxerit Chriſto.

Verſ. 20. *Hunc igitur titulum multi Judæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebraice, Græce & Latine.* Tot ſimul linguis voluit publicare Pilatus cauſam Chriſti, ut qui Hebraice neſciret Græce legeret, qui Græce neſciret Latine legeret & vice verſa. Nimirum hoc omen & indicium erat, fore brevi ut omnium gentium linguis prædicaretur Jeſus eſſe Rex ille Judæorum à Deo promiſſus, mundi Servator.

Verſ. 21. *Dixerunt igitur Pilato ſummi Sacerdotes: Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Judæorum.* Offendit eos veritas. Nolebant videri auctores fuiſſe necis ſui Regis Meſſiæ.

Verſ. 22. *Reſpondit Pilatus: quod ſcripſi, ſcripſi.* Non mutabo ſcriptum: quaſi dicat, ſcio quid & quare ſcripſerim. Veſtri cauſa aliter non ſcribam, ſufficiat vobis quod veſtri cauſa Regem illum veſtrum, hominem innocentiſſimum & ſanctiſſimum, & vere Dei Filium in crucem dederim. Satiſfactum & Cæſari quod tantopere prætendebatis, & veritati: ego credo Jeſum vera dixiſſe, & vos ob ſolam invidiam ei mortem tam diram ſtruxiſſe.

Verſ. 23. *Igitur milites cum crucifixiſſent Jeſum.* Et conſequenter veſtibus prius nudaſſent. Milites, Romano more, ſuppliciorum erant miniſtri.

Acceperunt veſtimenta ejus. Operæ ſuæ pretium.

Et fecerunt quatuor partes, cuique militi partem. Diviſerunt ea inter ſe. Hinc apparet quatuor fuiſſe milites in hoc infelici miniſterio.

Et tunicam. Nempe quæ præter alia veſtimenta reſtabat.

Erat autem hæc tunica inſutilis à ſummo, ἐκ τῶν ἄνωθεν, ſcilicet μερῶν, *texta per totum.* Hoc addit, ut cauſam indicet ob quam non diviſerint tunicam, ut ſequitur.

Verſ. 24. *Dixerunt igitur inter ſeſe.* Ex communi conſenſu:

Ne dividamus eam. Cum non ſit ex partibus conſuta.

Sed ſortes jaciamus de ea. Quaſi dicant, cui noſtrum ſors faverit, totam habeat.

Ut Scriptura impleretur. Quaſi dicat, qua ratione, nempe & diviſione veſtimentorum, & ſortium de tunica jactione, evenit ut Scriptura impleretur. *Ut* hic non finem ſed eventum notat: neque enim milites de implenda Scriptura cogitarunt. Vide ſapientiam Dei, qui futura, eaque contingentia, tot ante ſeculis prænoverit & prædixerit, quamvis ita, ut nemini ad ea peragenda vim afferret.

Quæ dixit: Diviſerunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem Pſalm xxij. 19. Cum igitur hæc in Jeſu ſint impleta, argumento debent eſſe Jeſum eſſe Meſſiam illum.

Igitur milites quidem iſta fecerunt. Quaſi dicat, ut ad ſequentia progrediar.

Verſ. 25. *Stabant autem apud crucem Jeſu, mater ejus & ſoror matris ejus, Maria Cleopæ.* Sive filia, ut Arabs habet, ſive uxor, ut illa dicitur Uriæ Matth. 1. 6.

Et Maria Magdalena. Viri ſe abdiderant metu periculi, mater duabus fidiſſimis mulieribus comitata non deſerit filium, nec abſcedit à cruce, quo tempore maxime impletum eſt quod ei eventurum prædixerat Simeon Luc. 2. 35.

Verſ.

Verſ. 26. *Jeſus igitur videns matrem & diſcipulum adſtantem quem diligebat.* Se deſignat Joannes, in quo amor vicerat timorem, credo etiam fiducia notitiæ, quæ ei cum ſummo Sacerdote intercedebat, audaciorem eum cæteris effecerat. Apparet Petrum & Chriſti caſu & ſuo lapſu perculſum abiviſſe, Joannes ſolus perduravit ad finem uſque.

Dicit matri ſuæ, mulier. Quia pro ſe alium ei aſſignat filium, ideo non dicit mater, ſed mulier. Filium tamen agit, dum ejus curam habet ut matris,

Ecce filius tuus. Quaſi dicat, qui tui curam habebit, & tibi omnia quæ filium deceant exhibebit officia. Ego enim nunc morior, & poſtea ſuſcitatus ex mortuis, ad Patrem proficiſcar in cælum, & non Filium tuum, ſed Dominum tuum ac ſervatorem agam. Interim tu habebis hunc pro filio. Videtur Chriſtus quavis occaſione de induſtria voluiſſe hanc opinionem deſtruere, in quam poſtea devenit Chriſtianus orbis, exiſtimans apud Chriſtum maximi ponderis eſſe, quod Maria fuerit ejus mater ſecundum carnem. In re ſalutis æternæ nihil apud Chriſtum valet niſi fides per charitatem efficax, niſi nova creatura & obſervatio mandatorum Dei. Ideo & alibi dicit: *quæ eſt mater mea?* Matth. xij. 48: & mulieri illi exclamanti: *Beatus venter qui te tulit, & ubera quæ ſuxiſti*, reſpondet: *imo vero beati ſunt qui ſermonem Dei audiunt & ſervant* Luc. xj. 28.

Verſ. 27. *Deinde dicit diſcipulo illi, ecce mater tua.* Non ſatis enim erat prius illud dicere matri, niſi hoc etiam diceret diſcipulo. Mandat ei ut Mariæ curam habeat, eamque honoret non ſecus ac matrem ſuam.

Ab illa hora accepit eam diſcipulus ille in propria. Executus eſt protinus Chriſti mandatum, non poſt reſurrectionem demum Chriſti, ſed tempore maxime duro & triſti. Nempe amicus certus in re incerta cernitur. Credilile eſt Mariam perpetuo manſiſſe in domo Joannis, & uſam eſſe uti matrem ejus facultatibus, ipſo interim iis in locis quo Chriſtus eum vocaret Euangelium prædicante. Habuerunt ergo & Apoſtoli ſua propria, quamvis iis ob muneris ſui adminiſtrationem affixi non eſſent.

Verſ. 28. *Poſt hoc ſciens Jeſus*, nempe ſpiritu divino, *quod omnia jam conſummata eſſent.* Nempe omnia alia quæ ſibi ſcilicet patienda erant ex Dei permiſſione, à Prophetis prædicta; hoc unum reſtabat ut aceto potaretur.

Ut conſummaretur Scriptura. Id eſt, id adhuc perficeretur quod Scriptura prædixit, fore nimirum ut Chriſtus aceto potaretur Pſal. LXIX. 22. Chriſtus ſitire ſe dicit quia ſitiebat, ut fit in tormentis.

Dicit, ſitio. Dum vero hoc dicit, evenit ut perficeretur quod Scriptura illa prædixit. Itaque & hic particula *ut* eventum magis quam finem ſignificat; etiamſi & prædictionis iſtius Chriſtus haud dubie meminiſſet.

Verſ. 29. *Vas igitur poſitum erat aceti plenum.* Credo ex conſuetudine, quod in crucem acti ſolerent aceto refici: habet enim acetum vim reficiendi, & ex Matthæo & Marco patet eos refectionis cauſa, ut interim viderent an Elias veniret, acetum hoc Chriſto porrexiſſe.

Illi vero. Nempe milites ſupplicii iſtius executores & miniſtri.

Impleta ſpongia aceto & hyſſopo circumpoſita obtulerunt ejus ori. Virga erat ex hyſſopo, qui illis in oris excreſcit in magnitudinem virgarum. Virgæ hyſſopi circumpoſuerunt ſpongiam aceti plenam. Matthæus & Marcus arundinem ponunt pro hyſſopo, per metaphoram.

Verſ. 30. *Cum igitur accepiſſet acetum Jeſus.* Non enim eſt ingratum animo delinquentibus. Hinc apparet acetum hoc non fuiſſe illud cum felle mixtum, ſeu myrrhatum vinum quod Chriſto dabant, cum eum in locum ſupplicii adduxiſſent, & jam vellent crucifigere: hoc enim cum guſtaſſet, noluit accipere Matth. xxvij. 34, 48. Marc. xv. 23, 36. Credo quod vim haberet alienandæ mentis, ad levandos dolorum ſenſus, miſeris præberi ſolitum.

Dixit, conſummatum eſt. Nempe id omne quod Scriptura de meis perpeſſionibus prædixit, ſola mors reſtat.

Et inclinato capite. Quippe protinus, Deo volente & id efficiente, deficiens,

Tradidit ſpiritum. Nempe Deo Patri ſuo Luc. xxiij. 46. Unde patet in ſolius Patris poteſtate fuiſſe à mortuis eum ſuſcitare. Alii Euangeliſtæ ſimpliciter dicunt *exſpiravit*, id eſt, mortuus eſt, mors enim eſt ſeparatio ſpiritus à corpore. Ita acetum illud, non ut ſperaverant, Chriſto vitam & vires ad diutius tolerandos cruciatus ſuffecit, ſed eum & vita & doloribus ſimul divina procuratione exſolvit. Argumentum futurum omnibus piis, neminem eorum ultra paſſurum quam quatenns unicuique à Deo benigniſſimo Patre definitum eſt. Inclinavit Dominus Jeſus caput, viribus jam & vita deficientibus. Toto corpore ad terram procumbere non poterat, manibus & pedibus clavis affixis, ſed ſolo capite inclinato labebatur ad terram, & ſimul tradebat ſpiritum ſuum ac moriebatur, qnod etiam Patrem rogaverat illis verbis: *Deus mi! Deus mi! quare me dereliquiſti?* Matth. xxvij. 40.

Verſ. 31. *Judæi igitur ut non manerent ſuper crucem corpora in ſabbato.* Religio erat Judæis relinquere corpora in cruce per ſabbati diem; ſed occidere innocentem, & ipſum Dei Filium in crucem agere, nulla illis erat religio.

Siquidem Paraſceve erat. Id eſt, dies quo ſe parabant Judæi ad celebrandum feſtum: quaſi dicat, ſi Paraſceve non fuiſſet, ſed alius ante Paraſceven dies, potuiſſent adhuc corpora manere ſuper crucem, intercedente adhuc alio aliquo ante ſabbatum die, quo tolli poſſent crucifixorum corpora.

Erat enim magnus dies ille ſabbati. Nempe qui proxime ſequebatur. Cauſam adfert cur Paraſceve fuerit, quia nimirum dies ille ſabbati qui proxime ſequebatur, erat magnus, ob incidens videlicet in eum Paſchatis feſtum. Itaque tanto minus putabant decere, ut per magnum ſabbatum corpora crucifixorum manerent in cruce.

Rogarunt Pilatum ut frangerentur eorum, nempe crucifixorum, *crura.* Partem ponunt pro toto, ſimul enim eos necari petunt, ſed quia dnitius cruciari poterant, & occidi illis erat pro beneficio, ideo hoc beneficium crurum fractione rependere prius miſeri cogebantur.

Et tollerentur. Nempe tanquam mortui de cruce ad ſepulturam.

Verſ. 32. *Venerunt igitur milites.* Nempe juſſu Pilati, qui precibus Judæorum id conceſſerat.

Et primi quidem fregerunt crura, & alterius qui cum eo crucifixus erat. Utrique latronum crura fregerunt, & ſimul uttumque necarunt.

Verſ. 33. *Ad Jeſum autem venientes.* Sive primo, ſive ſecundo, ſive tertio, non notat Apoſtolus,

Cum viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Cur enim mortuo id ſacerent?

Verſ. 34. *Sed unus lancea latus ejus fodit.* Id eſt, perfodit, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi; nempe ut rimaretur animam, & exploraret an adhuc vitæ aliquid in eo reſiduum eſſet. Forte & alii crucifixi poſt crurum fractionem eodem modo necabantur. Nam in ipſa per ſe crurium fractione mori non poterant, dolore illo retinente vel etiam excitante ſpiritum. Itaque à crurum fractione Deus exemit Chriſtum, à tranſfixione non exemit, ne ulla de morte ejus eſſet dubitatio. Quod oſſa Chriſti manſerint integra & illæſa, ſymbolum erat fore ut Chriſtus maneret integer & à mortuis mox reſuſcitaretur. Homo enim ſi oſſa non frangantur erectus manet, nec corruit. Ideo & Pſalm. xxxiv. 21, cum divina providentia celebratur circa homines juſtos, dicitur Deus eorum oſſa ſervare integra, id eſt, non permittere ut, licet affligantur, in afflictione ſua corruant.

Et ſtatim exivit ſanguis & aqua. Quaſi dicat, quo ſigno haud dubie conſtitit eum eſſe mortuum. Sunt qui dicant tunicam quæ circa cor eſt fuiſſe lancea ruptam, & ipſum cor Domini Jeſu fuiſſe perfoſſum, ideo effluxiſſe ſanguinem ex venis ruptis, & aquam, quod in tunica illa ſit aqua natutaliter ad cordis refrigerium, ſed hoc viderint anatomici. Probabilius videtur hoc ideo accidiſſe, quod ſanguis in Domino Jeſu tanquam in homine mortuo, jam eirca cor coagulatus fuerit. Solet ehim ſanguis in mortuis circa præcordia primum coagulari, ſicut in phlebotomia videmus. In ſanguine eſt vita, quo coagulato, & in ſua reſoluto principia, & vitam interire neceſſe eſt. Cætetum etiamſi adhuc vitæ aliquid ſuperfuiſſet in Chriſto, hoc tanto & tam lethali vulnere penitus effuſum fuiſſet. Non dicitur an dextrum an ſiniſtrum latus fuerit perfoſſum; ſed ſive hoc ſive illud perfoſſum fuerit, ideo perfoſſum fuit, ut Chriſtus penitus conficeretur, aut eum confectum eſſe appareret. Nam & in dextro latere tale vulnus eſt lethale, non tantum in ſiniſtro.

Verſ. 35. *Et qui vidit teſtatus eſt.* Nempe omnia ita ſe habere, & oſſa Domini Jeſu non fuiſſe fracta, & latus ejus fuiſſe lancea confoſſum, & ex hoc vulnere ſanguinem & aquam effluxiſſe.

Qui vidit teſtatus eſt. Se intelligit oculatum teſtem. Hoc nullus alius Apoſtolorum de ſe poterat dicere. Omnes eum alii fuga ſe occuluerant. *Teſtatus eſt.* Id eſt, teſtatur, præteritum pro præſenti, Hebræa phraſi. Nam etiam tum teſtabatur.

Et verum ejus eſt teſtimonium. Conſequens prioris, quippe teſtis oculati.

Et ille ſcit quod vera dicat. Non mentitur, non loquitur contra conſcientiam. Veri teſtes ſciunt quod vera loquantur, ſicut & falſi ſciunt quod loquantur falſa. Vide inſta cap. xxj. 24.

Ut vos. Nempe qui iſta non vidiſtis,

Credatis. Hæc omnia ita acta eſſe, credatis, inquam, ob tam certum teſtimonium, quod vobis loco ſenſuum veſtrorum debet eſſe.

Verſ. 36. *Hæc enim facta ſunt ut Scriptura impleretur.* Confirmat rem per prolepſin: quaſi dicat, non debetis mirari hæc ita eveniſſe. Hæc enim facta ſunt ut Scriptura impleretur. Prædixit hæc Scriptura, quid ergo mitum hæc eveniſſe? Particula *ut* etiam eventum notat, non finem. Neque enim milites à quibus hæc facta ſunt finem hunc intendebant, etſi non aberat divina directio.

Verſ. 37. *Os non confringetur ejus.* Recitat Scripturæ verba de agno Paſchali, qui typus erat Chriſti. Eſt ergo in antytipo impletum quod figurabatur in typo Pſal. xxxiv. 21. Metaphora eſt: at hic de proprie dicta oſſium agitur fractione.

Et rurſum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem tranſfixerunt. Ad perfoſſionem lateris allegat aliam Scripturam. *In quem*, ex idiotiſmo Hebraico, pro *quem*, ut habetur Apoc. j. 7. Verba ſunt Dei apud Zachariam cap. xij. 10: *Videbunt me*, nempe in Chriſto meo, cum veniet ad judicium Apoc. j. 7: Joannes enim ſenſum ſectatur myſticum, *quem transfixerunt*, itidem in Chriſto meo. Per latus enim Chriſti ipſe Deus petitus eſt. Simili ratione apud eundem Zachariam dicit Deus, *qui vos tangit, pupillam tangit ocul: mei* cap. ij. 8. Tanto magis qui tangit, imo qui tranſfixit Chriſtum, tranſfixit ipſum Deum. Sic & Chriſtus ad Saulum, *Saule Saule cur me perſequeris?* Et ſimilia multa. Non fruſtra vero Joannes omittit pronomen *me* in verbis Dei, nimirum ut ſignificaret hæc ad Chriſtum proprie pertinere, quod & ſequentia apud Prophetam verba docent; quibus non in prima perſona Deus de ſe, ut cœperat, ſed in tertia de Chriſto ſuo loquitur, *& plangent eum, & dolebunt ſuper eum*, nempe Chriſtum meum quem confixerunt Apoc. j. 7.

Verſ. 38. *Poſthac rogavit Pilatum Joſeph.* Deſcribit quo pacto res ad ſepulturam Chriſti devenerit, nam & ſepeliri eum oportuit, ut conſtaret eum vere fuiſſe mortuum.

Arimathenſis. Ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, phraſi Græca. Viderat Pilatum faviſſe innocentiæ Chriſti, hinc fiduciam ſumit petendi & impetrandi à Pilatô, cujus in poteſtate corpora illa peremptorum erant. Hic Joſephus ab aliis Euangeliſtis dicitur ſenator, vir gravis, dives, bonus & juſtus.

Cum eſſet diſcipulus Jeſu. Nimirum talem virum decuit, ut Jeſu diſcipulus eſſet. Sui igitur officii putavit eſſe, ut magiſtri corpus indigna morte perempti honeſte ſepeliret.

Abſconditus autem. Non palam ſe pro Chriſti geſſet diſcipulo,

Propter metum Judæorum. Quod Judæos, id eſt, Judæorum principes, Sacerdotes, Seniores, per antonomaſiam, metueret. Vide quid faciat occultus Chriſti diſcipulus. Metuebat nimirum ne ſenatu moveretur & ex Synagoga ejiceretur, ne perſecutionem irritaret & pateretur. Solent divites & in dignitate poſiti, etſi veritati eredant, latere, ne ſe invidiæ & perſecutionibus objiciant; ſed Chriſto

mortuo,

mortuo, exiſtimavit ſe ſine periculo poſſe corpus ejus ſepelire, credens odium & invidiam una cum ipſo fuiſſe extinctam.

Ut tolleret corpus Jeſu. Ut illud ſibi liceret accipere & honeſtè ſepulturæ mandare.

Et permiſit Pilatus. Quippe cum ſciret innocentiam Jeſu, nolebat etiam ultra mortem in eum ſævire.

Venit igitur. Re à Præſide impetrata.

Et tulit. Id eſt, abſtulit, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi.

Corpus Jeſu. Demptum nimirum de cruce & loco ſupplicii: quo illud detulerit, infra indicatur verſ. 41, 42.

Verſ. 39. *Venit autem & Nicodemus.* Nempe in locum in quem delatum erat corpus Chriſti.

Qui venerat ad Jeſum noctu primò. Id eſt, antehac. Vide cap. iij. 1, 2. Similis ſimili ſeſe aſſociat, occultus Chriſti diſcipulus occulto ſimiliter Chriſti diſcipulo, dives diviti, honoratus honorato.

Ferens mixturæ myrrhæ & aloës quaſi libras centum. Ad condiendum nimirum & pollinciendum affatim corpus Chriſti. Hic, quamvis corpus Chriſti non ſuſtuliſſet, fortaſſis non habens tantum animi quantum Joſeph, tamen attulit mixturam myrrhæ & aloës, id eſt, unguentum ex myrrha & aloë confectum in magna quantitate. Non dubitarunt iſti Jeſum fuiſſe virum divinum & Prophetam à Deo miſſum, etiamſi ſub crimine blaſphemiæ & pſeudo-Chriſti, Judæorum opera actus eſſet in crucem. Meminerant & Prophetas omnes ante ipſum à majoribus occiſos fuiſſe.

Verſ. 40. *Acceperunt igitur corpus Jeſu.* Joſephus nimirum & Nicodemus admoverunt manus corpori jam delato.

Et vinxerunt illud linteis cum aromatibus. Id eſt, adjunctis aromatibus affatim ex illis centum libris.

Sicut mos eſt Judæis. Nempe honoratioribus,

Funerare. Id eſt, ſicut Judæi honoratiores ſolent corpora ad ſepulchrum componere, ut nimirum corpora condiant aromatibus, quod tamen Chriſti corpori factum non eſt, quia feſto imminente tantum non ſuppetebat temporis, cum aromatis ſolummodo fuit in ſepulchrum illatum. Evenit nimirum quod Chriſtus prædixerat ſupra cap. xij, unctionem illam à Maria factam fuiſſe ad ſe funerandum, ſeu ut habet Marcus, Mariam præoccupaſſe ungere corpus ſuum in ſepulturam, eventu nimirum, non intentione Mariæ.

Verſ. 41. *Erat autem in loco*, id eſt, prope locum, *in quo crucifixus erat, hortus, & in horto illo monumentum*, id eſt, ſepulchrum *novum*. Quod Joſephus exſcindi fecerat ex petra Matth. xxvij. 80.

In quod nemo unquam poſitus fuit. Docet quam fuerit novum, ita nimirum ut primus eſſet Chriſtus qui in eo poneretur. Hortus erat Joſephi & monumentum illud, ut patet ex aliis Euangeliſtis: neque enim in alieno horto & monumento id facere auſus fuiſſet. Extra urbem ſepeliebantur mortui intactis ea ſuperſtitione Judæorum animis, quæ Chriſtianos infecit, exiſtimantes corporibus mortuorum ad ſalutem profutura cœmeteria & ſepulchra in templis, vel prope templa, quæ mortuorum quidem ſaluti nil proſunt, at vivorum ſanitati plurimum obſunt, ſuperſtitio interim hæc multis magno eſt quæſtui.

Verſ. 42. *Ibi igitur propter Paraſceven Judæorum.* Quæ inſtans parum temporis ſepulturæ dabat:

Quia prope erat monumentum. Ut mox & ſine temporis mora corpus in eo recondi poſſet,

Poſuerunt Jeſum. In alio fortaſſis honoratiore nec tam propinquo Golgothæ loco, ſi tempus ſuppetiiſſet, eum poſituri.

CAPUT XX.

Verſ. 1. U*Na vero.* Id eſt, prima, per Hebraiſmum,

Sabbatorum. Id eſt, dierum in hebdomade. Sabbati enim nomen manavit etiam ad alios dies, quod numerarentur à ſabbato, ſicut & nomen feriarum. Diem intelligit primum à ſabbato, qui Chriſtianis dominicus dicitur, tertium à die quò Chriſtus mortuus eſt, & reſurrectione Chriſti ſacrum. Sabbato enim Chriſtus quietem egit in ſepulchro, die poſt ſabbatum primo reſurrexit, qui etiam idcirco congregationibus ſacris à Chriſtianis dicatus eſt. Illud autem falſum eſt, feſtivitatem ſabbati in diem dominicum ab Apoſtolis eſſe tranſlatum; uti & illud, fas non eſſe operari etiam die dominico ſi ſit opus. Nam libertas Chriſtiana permittit operari etiam die ſabbati, à mundo condito ſacra, multo magis die dominico. Illam enim Deus ſacraverat, hanc homines.

Maria Magdalena. Alii Euangeliſtæ plures adjungunt mulieres, quod & res ipſa docet. Maria enim ſola ire non fuiſſet auſa. Joannes principem fœminarum illarum nominare ſatis habuit, poſt alios ſcribens.

Venit. Id eſt, it, ut verſ. 3. & cap. xxj. 3.

Mane cum tenebræ adhuc eſſent. Id eſt, valde mane.

Ad monumentum. Marcus habet ſimiliter, valde mane, & tamen addit, *exorto ſole*: quia antequam venirent ſol erat exortus. Exoriente enim ſole, Chriſtus, verus mundi ſol, etiam exortus eſt ex morte.

Et videt. Nempe poſtquam venit ad monumentum,

Lapidem ſublatum ex monumento. Nempe quo monumentum erat clauſum & obſtructum. Vide Matth. xxvij. 60. Marc. xiv. 4. Ablatus aut ſummotus erat lapis ab Angelo. Angeli enim miniſtrarunt Deo in reſurrectione Chriſti? nam & in noſtra reſurrectione miniſtrabunt.

Verſ. 2. *Currit igitur.* Vide Marc. xvj. 8. Currit ut quam celerrime deferret rem à ſe viſam,

Et venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem diligebat Jeſus. Se deſignat Joannes. Luctus ex morte Chriſti omnes in unum locum compulerat Marc. xvj. 10. Luc. xxiv. 9. Apparet tamen his duobus ſeorſim Mariam dixiſſe.

Et dicit eis, tulerunt. Id eſt, abſtulerunt, ſimplex pro compoſito, Hebræa phraſi,

Dominum ex ſepulchro. Non ſolum enim lapidem amotum viderant, ſed etiam ſepulchrum ingreſſæ fuerant Marc. xvj. 5. *Dominum* dicit ex priori conſuetudine: ſic & verſ. 13,

Domi-

Et neſcimus quorſum poſuerint eum. Putabant credo à Joſepho, & iis qui Chriſtum in illud monumentum condiderant, ablatum & alio tranſlatum fuiſſe, aut etiam à Judæis Chriſti adverſariis, ſeu eorum cura, à militibus. Cæterum quia Maria Magdalena in plurali numero loquitur, *neſcimus*, ſignificat & alias mulieres ſibi adfuiſſe Marc. xvj. 1. Luc. xxj. 10: ſed Joannes ſolam Mariam Magdalenam nominat, ut diximus verſ. 1, tanquam inſigniorem, ob Chriſti in eam ſingulare beneficium Marc.xvj.9, & ejus viciſſim in Chriſtum ſingularem affectum. Etiamſi vero ab Angelis audiverint Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe Marc. xvj. 5, tamen hoc tum erat ſupra earum captum. Totæ in eo erant ut poſſent Chriſti corpus condire aromatis. Joannes inſuper habet referre de Angelis in ſepulchro viſis, quippe rem ab aliis narratam Marc. xvj. 5.

Verſ. 3. *Exivit igitur Petrus, & ille alius diſcipulus.* Viſuri quid rei eſſet,

Et ibant ad monumentum. Ἤρχοντο εἰς τὸ μνημεῖον. Hic iterum ἤρχοντο pro ibant: nondum enim venerant, ut patet ex ſeqq.

Verſ. 4. *Currebant vero iſti duo ſimul.* Curſu certabant cupiditate videndæ rei.

Et ille alius diſcipulus præcurrit celerius Petro. Docet à ſe Petrum curſu victum, credo quod junior eſſet.

Et venit primus. Id eſt, prior, poſitivus pro comparativo, (ſic verſ. 8) *ad monumentum.*

Verſ. 5. *Et inclinans ſe vidit jacentia lintea.* Corpore ſcilicet amoto,

Non tamen ingreſſus eſt. Auſus eſt introſpicere, ſed non auſus eſt intrare.

Verſ. 6. *Venit igitur Simon Petrus, ſequens eum, & intravit in monumentum.* Audacior eſt, etſi tardior.

Et videt lintea jacentia. Videt idem quod Joannes.

Verſ. 7. *Et ſudarium quod erat ſuper capite ejus, non cum linteis jacens, ſed ſeparatim convolutum in unum locum.* Quaſi dicat, non neglectim poſitum, nec cum linteis credo. Chriſtus ex morte ſuſcitatus & vivus factus, amotis primum linteis quibus obvinctus & obvolutus erat, ſudarium deinde capiti ſuo demſit, & illud ſeorſim in unum locum convolvit, non trepidus, non feſtinus. Deſcriptione iſta compoſitionis linteorum & ſudarii Johonnes removet ſuſpicionem furti. Fures enim ſolent feſtinare, & lintea potius accepiſſent quam corpus.

Verſ. 8. *Tunc igitur introivit & ille diſcipulus qui venerat primus ad monumentum.* Nimirum & exemplo & comitatu Petri factus audacior.

Et vidit. Nempe id quod erat, *& credidit*, nempe Chriſti corpus in monumento non eſſe. Hic credere catachreſtice ſumitur: proprie enim non credimus quæ videmus. Fides eſt credere quæ non vides. Ergo hic credere ſignificat plane certum eſſe. Vide infra 29.

Verſ. 9. *Nondum enim ſciebant Scripturam, quia opertebat eum à mortuis reſurgere.* Cauſam adfert ob quam re demum viſa crediderint corpus Chriſti non eſſe in ſepulchro, quia nimirum nondum ſciebant, nempe diſcipuli Chriſti, Scripturam, quod oporteret eum ex mortuis reſurgere: quaſi dicat, ſi enim Scripturam hanc ſciviſſent, nihil de corpore ejus ex ſepulchro amoto, re audita, dubitaſſent. Ideo Chriſtus ex mortuis ſuſcitatus, antequam ſe iis cognoſcendum exhiberet, neceſſe habuit Scripturam hanc illis exponere, & animos eorum ad credendum, ſe conſpecto & agnito, præparare Luc. xxiv. 17, 44, 45. Mirum tamen eſt eos ita tardos fuiſſe ad credendum, cum id & ſæpe iis Chriſtus prædiceret, & reſurrectionis exemplum haberent in Lazaro, & aliis ante Chriſti mortem. Poterant cogitare eundem Deum qui Lazarum per Chriſtum ſuſcitaverit, potuiſſe etiam Chriſtum ſuſcitare: ſed fieri potuit ut putarint in aliis omnibus, etiam in ipſo Lazaro, animam adhuc latuiſſe in corpore. Solet enim id fieri in ecſtaticis, quæ opinio de Chriſto nullum habuit locum, quem Deus in conſpectu omnium voluit mori, & latus mortui lancea perfodi. Inde etiam nemo unquam dubitavit Chriſtum fuiſſe vere mortuum. Huic tantæ veritati vim faciunt, qui Chriſtum ſeſe ex mortuis ſuſcitaſſe, vel ſuſcitare potuiſſe dicunt. Excitatum vero ex mortuis eſſe, tum demum diſcipuli crediderunt, cum oculis & ſenſibus ſuis, & Scripturarum id prædicentium interpretatione & intellectu convicti ſunt.

Verſ. 10. *Abiverunt igitur rurſum ad ſeipſos*, id eſt, unde venerant, *illi diſcipuli.* Meditabundi videlicet ac mirabundi quid factum eſſet, & cum corpus ablatum eſſet, cur non ſimul ablata eſſent & lintea, quæ magis uſui poterant eſſe quam corpus? Luc. xxiv. 12.

Verſ. 11. *Maria autem ſtabat ad monumentum.* Ergo ad monumentum, diſcipulos illos ſecuta, redierat. Non abit protinus cum diſcipulis illis, ſed manet adhuc apud monumentum,

Plorans. Ob Dominum occiſum, & inſuper adhuc corpus ejus ablatum,

Extra. Non audebat ingredi in monumentum priore ingreſſu ob conſpectum Angelorum exterrita Marc. xvj. 5; & forte quod tum ſola ſecundo adveniſſet Marc. xvj. 9.

Cum igitur ploraſſet. Nempe abunde,

Incurvavit ſe in monumentum. Vult tamen adhuc inſpicere in monumentum, antequam abeat.

Verſ. 12. *Et videt duos angelos in albis.* Intellige veſtibus. Pro corpore Chriſti videt duos Angelos,

Sedentes; unum ad caput, & unum ad pedes ubi jacuerat corpus Jeſu. Id eſt, unum in ea parte ubi jacuerat caput Jeſu, alterum in ea parte ubi jacuerunt pedes. Pietate ſua meruit ut Angelos iterum videret iiſque colloqueretur, & mox videret Dominum ipſum.

Verſ. 13. *Et dicunt ei illi: mulier quid ploras?* Priores alloquuntur, ut ei animum addant ſecum colloquendi.

Dicit eis, quia tulerunt. Id eſt, abſtulerunt, ut ſupra verſ. 2,

Dominum meum. Id eſt, corpus Domini mei, per ſynecdochen totius pro parte, ejus qui erat Dominus meus.

Et neſcio quorſum poſuerunt eum. Quaſi dicat, ſi ſaltem hoc ſcirem, aliquod haberem in tanto luctu ſolatium, dum corpus ejus ungo, & extremum ei præſto miniſterium.

Verſ. 14. *Et poſtquam hæc dixiſſet, converſa retrorſum.* Forte territa, nec ſuſtinens Angelorum conſpectum, avertit ſe. Haud dubio enim ſpecies eorum

humana

humana auguſtior, & veſtes ultra communem modum albæ apparebant.

Et videt Jeſum ſtantem, & neſciebat quod Jeſus eſſet. Forte quia in alia ſpecie apparebat, ut & poſthac duobus illis diſcipulis apparuit Marc. xvj. 12. Luc. xxiv. 16.

Verſ. 15. *Dicit ei Jeſus, mulier quid ploras?* Eodem modo eam prævenit quo Angeli. Ita ſenſim ad videndum Jeſum redivivum deducitur, primo vidit ſepulchrum apertum, & in ſepulchro lintea tantum, mortui corporis Chriſti exuvias, deinde videt Angelum in ſepulchro teſtantem de reſurrectione ejus, tertio videt iterum Angelos in ſepulchro, quarto videt ipſum Jeſum ſtantem, ſed in ignota ſibi forma. Nimirum infirmitati ejus conſultum ibat Dominus, & animum ejus ſenſim præparabat, ut ſe conſpecto protinus crederet, quod & factum eſt verſ. 16.

Quem quæris? Oſtendit ſe ſcire quod aliquem quærat.

Illa exiſtimans quod hortulanus eſſet. Id eſt, horti illius cuſtos & curator à Joſepho conſtitutus,

Dicit ei, Domine! Benevolentiam hortulani, ut putabat, Domini titulo emereri conabatur.

Si tu tuliſti eum. Id eſt, abſtuliſti eum, Hebræo more, qui compoſita verba non habent. Non dicit quem quærat, forte quod crederet illum per ſe intelligere quem iſtic quæreret, ad rem ipſam protinus accedit.

Si tu tuliſti eum. Quaſi dicat, cum ſis horti iſtius curator & cuſtos, forte quod eum hoc ſepulchro cenſeres indignum, aut Domini juſſu.

Dic mihi ubi eum poſuiſti, & ego eum tollam. Id eſt, tolli curabo, ſola enim non tuliſſet. Hinc apparet quanta Mariæ pietas fuerit erga Chriſtum. Non erat cum Chriſto mortuus affectus erga Chriſtum. Cæterum Maria necdum ſuſpicari poterat Chriſtum ex mortuis revixiſſe. Adeo tardi erant ad id credendum etiam amiciſſimorum Chriſto animi. Nam neque ſuis ſenſibus protinus credebant Luc. xxiv. 37. An ergo Jeſum ex mortuis reſurrexiſſe credidiſſent, & de eo omnibus modis teſtati fuiſſent, niſi fidem hanc illis ipſi ſenſus, & alia invicta veritatis documenta expreſſiſſent?

Verſ. 16. *Dicit Jeſus, Maria!* Jam ſe dat cognoſcendendum.

Converſa illa. Apparet eam ſe illis à ſe dictis avertiſſe, non minus quam ſe averterat ab Angelis verſ. 14, muliebri pavore & pudore, quod non ſatis ſciret quicum loqueretur. Sed ubi audivit vocem Domini, & ſuum nomen voce Domini prolatum, ſtatim ſe convertit, ſimulque haud dubie Dominum in ſua vera ſpecie ſeſe exhibentem videns.

Dicit ei Rabboni, quod dicitur, nempe Græce, *Magiſter.* Quia Chriſtum protinus agnoverat, protinus etiam illi conſueto Magiſtri titulo reſpondet. Primæ mulieres venerunt ad monumentum, primæ etiam Dominum vident ex morte reſuſcitatum.

Verſ. 17. *Dicit ei Jeſus, ne me tange.* Apparet Mariam ſeſe ſimul ad pedes Domini & Magiſtri ſui abjeciſſe, & totam in eorum amplexatione & oſculatione hærere voluiſſe, quod his verbis prohibet Chriſtus, credo & manu & corporis aliquo regreſſu, ut ſolet fieri. Nam illa haut dubie diu morata fuiſſet, nec ſe facile à Chriſti pedibus abſtrahi paſſa fuiſſet.

Nondum enim aſcendi (quaſi dicat, ut vides) *ad Patrem meum.* Adhuc ſum in terris, proinde erit aliud tempus ut in pedum meorum amplexatione hæreas.

Vade autem ad fratres meos. Quaſi dicat, hoc potius nunc age, hoc nunc multo magis neceſſarium eſt, ut ſine mora vadas,

Ad fratres meos. Et nunc nuncium illis quo exhilarentur & afflicti erigantur feras. Diſcipulos ſuos fratres ſuos appellare non dedignatur, quod licet ipſe longe excellentior, ac ſingulariſſima ratione ſit Dei Filius, & ex Deo genitus, tamen & illi ſint à Deo geniti, & ſicut ipſe à Deo electus & in Filium ſuſceptus eſt Heb. j. 4, ſic & illi à Deo in filios ſint adoptati, & ſic cum ipſo communem habeant Patrem, Deum. Hoc cogitat Chriſtus, quamvis jam mortem ſuperaſſet, & plenum jus omnis in cælo & in terra poteſtatis adeptus eſſet, & quos ſervos ſuos dicere poterat, fratres appellat. Vide bonitatem Chriſti Domini noſtri! quam & auctor ad Hebreos celebrat cap. ij. 2.

Et dic eis. Verbis nimirum meis:

Aſcendo ad Patrem meum. Id eſt, Deum illum unum,

Et Patrem veſtrum. Suos enim fratres eos appellaverat: quaſi dicat, quandoquidem mortem ſuperavi, & ex ea reſuſcitatus ſum à Patre meo, jam aſcendo, id eſt brevi aſcendam, ſicut vobis prædixi, ad Patrem meum, ſupra omnes cælos, & Patrem veſtrum. Hinc quam bene vobis futurum ſit facile poteſtis colligere.

Et Deum meum, & Deum veſtrum. Quaſi dicat, qui ita eſt Pater meus & Pater veſter, ut ſimul ſit & Deus meus, & Deus veſter; hoc in honorem addit Patris. Aperte Chriſtus negat ſe unum illum Deum eſſe, qui nec Patrem nec Deum habet ullum. Fruſtra ad diſtinctionem humanitatis & divinitatis hic confugiunt. Perſona enim Chriſti hoc loquitur, quæ ſi etiam unus ille Deus erat, hactenus falſum locuta eſſet. Multa ſunt & alia Scripturæ dicta quæ æquipollent iſti negationi, Chriſtus non eſt unus ille Deus, quale inter cætera eſt illud: *Filius neſcit diem judicii, niſi Pater meus ſolus* Matth. xxiv. 36. Marc. xiij. 32. Ut omittam manifeſtam in eo eſſe contradictionem, aliquem dici Deum illum unum & hominem. Nam qui Deus ille unus dicitur, eo ipſo homo eſſe negatur, & contra, cum Deus ille unus & homo contradictorie opponantur, tanquam Deus ille unus & non Deus ille unus, homo & non homo. Eadem contradictio eſt dicere unum illum Deum eſſe alicujus Filium, aut unum illum Deum non eſſe unam perſonam ſed duas, quarum una ſit Pater, altera Filius.

Verſ. 18. *Venit Maria Magdalena, annuntians diſcipulis quod viderit Dominum & hæc dixerit ei.* Nempe ſuperiora omnia, & inprimis quod eis dici mandaverat. Unde cognoſcere poterant, Mariam Magdalenam nec ſpectro aliquo vano deluſam fuiſſe, nec mulierem alioqui probam & ſimplicem hæc tam multa ac varia fingere ſibi potuiſſe. Hic eſt alter adventus Mariæ ad diſcipulos, nunciantis jam de Domino à ſe viſo Marc. xvj. 10. Matthæus omnia in unum conjunxit compendii cauſa cap. xxviij. 8, 9, 10 quod ipſum etiam

 in ap-

in apparitionibus Domini poſt reſurrectionem fecit verſ. 16. 17, non multum in eo ſitum eſſe putans ut omnia diſtinctè narrarentur in reſurrectione Chriſti, re omnibus diſcipulis notiſſima & teſtatiſſima. Quomodo hunc nuncium acceperint, Joannes non narrat, ſed apparet animo perplexos fuiſſe & dubios, nec ſciviſſe quid ſtatuere deberent, propiores tamen multo ut tantam rem non crederent Marc: xvj. 11, 14. Luc. xxiv. 10, 11, 20, 36, 37 & ſeqq. Non ergo credulitas eorum effecit ut crederent, ſed nimia veritatis evidentia fidem illis extorſit, quam deinde vita etiam & ſanguine ſuo propugnare non dubitarunt.

Verſ. 19. *Cum ergo ſero eſſet die illo uno ſabbatorum.* Non reſpicit hic ad Hebræorum conſuetudinem, qui veſpere ab occaſu ſolis inchoabant novum diem, ſed ad vulgi morem: quaſi dicat, finita die prima ſabbatorum, veſperi.

Et januis clauſis. Id eſt, cum clauſæ eſſent januæ,

Ubi erant diſcipuli congregati. Id eſt, ibi ubi erant diſcipuli congregati. Non omittunt diſcipuli congregationem,

Propter metum Judæorum. Clauſæ erant januæ, non tantum quod jam ſero eſſet, ſed etiam quod diſcipuli congregati metuerent Judæos, ne ſuæ congregationi ſupervenirent, & iram quam in Magiſtrum effuderant in ſe verterent. Non omittunt, inquam, diſcipuli congregationem. Cæterum prudenter agunt, dant hominum odiis & periculis quantum poſſunt, noctu conveniunt & januas claudunt. Ita & Act. xij. 12. Et Plinius ſcribit nocturnos conventus à Chriſtianis in perſecutione haberi ſolitos, in quibus Chriſto carmen dicebant ut Deo, & mutuo ſeſe ad juſtitiam & bona opera obligabant. Congregationes propter metum hominum non ſunt negligendæ, ſed caute celebrandæ, ne in periculum incidamus.

Venit Jeſus. Scilicet ad diſcipulos congregatos. Januæ clauſæ illum non prohibebant neque obſtabant illius adventui, cum illas divina ſua virtute facile potuerit reſerare & aperire, quod & fecit, & iterum occluſit. Non eſt opus dimenſionum & corporum ſolidorum penetrationes hic fingere. Vide Act. v. 19, 23. xij. 10.

Et ſtetit in medio. Scilicet diſcipulorum, εἰς τὸ μέσον, εἰς pro ἐν, ex improviſo, ſeu non ante viſus nec obſervatus quam in eorum medio ſtetiſſet, hoc ipſo divinam ſuam declarans virtutem.

Et dicit eis, pax vobis. Salutat illos ſolita formula. Pacem illis precatur, qua maxime tum indigebant inter infeſtiſſimos hoſtes. Erat autem hæc ſalutatio haud dubie efficaciſſima, non verbis tantum pacem precando, ſed etiam reipſa præſtando. Vide cap. xiv. 27: quaſi dicat, en me ipſum vobis redivivum exhibeo, quandoquidem eorum qui me viderunt & mecum locuti ſunt teſtimonio non creditis, oculis ergo veſtris credite.

Verſ. 20. *Et hoc cum dixiſſet, monſtravit ipſis manus & latus ſuum.* Poterant Dominum cognoſcere ex conſpectu, voce, ſalutatione, ſed ut magis certi redderentur ſe eſſe redivivum & à Deo ſuſcitatum, monſtravit ipſis manus, in quibus erant veſtigia clavorum, monſtravit & latus, in quo erat veſtigium lanceæ. Apparet vulnera iſta non fuiſſe clauſa, nec cicatrice jam obducta; ſed ad majorem fidem aperta, utpote recentia; alioqui, quomodo dixiſſet Thomæ, *mitte digitum tuum huc, & vide manus meas, & fer manum tuam, & mitte in latus meum* verſ. 27. Haud dubie abſque ullo doloris ſenſu, & ſine ulla noxa Chriſtus iſta vulnera habuit aperta, habuit tamen ad faciendam ſuæ reſurrectioni fidem.

Gaviſi igitur ſunt diſcipuli cum vidiſſent Dominum. Sublata nimirum omni dubitatione, eum ex mortuis ſuſcitatum eſſe, & vivere, proinde regnaturum, & ſe maxima felicitate beaturum eſſe. Ita impletum eſt quod eis eventurum prædixit cap. xvj. 20.

Verſ. 21. *Dixit igitur eis Jeſus rurſum, pax vobis.* Repitit ſuam ſalutationem, poſtquam iis fidem fecit ſe eſſe, & addit mandata ſua,

Sicut miſit me Pater, & ego, pro *ſic & ego mitto vos.* Ut nimirum annuncietis mundo, me eſſe Chriſtum illum, Dei Filium illum, & omnem qui in me credat, habiturum per me vitam æternam. Miſſi ſunt Apoſtoli jam pridem nati. Miſſus igitur eſt & Dei Filius, non ut naſceretur, ſed jam ante pridem natus ex virgine. Cæterum etſi mittebantur, nondum tamen abire debebant antequam Chriſtus intraret in gloriam ſuam, & illi Spiritu Sancto longe uberius & copioſius implerentur Luc. xxiv. 40.

Verſ. 22. *Et cum hoc dixiſſet inſufflavit*, ἐνεφύσησε, id eſt, immiſit halitum, nempe in diſcipulos, ut ſcilicet eos ad legationem pro temporis illius ratione & uſu præpararet, longe abundantius idem poſt ſuam glorificationem facturus, & rem plane perfecturus. Adami corpus animatum eſt inſpiratione divina, & Apoſtolorum animus inſpiratione Chriſti animatus eſt. Illa inſpiratio attulit animam corpori, hæc Spiritum Sanctum animo.

Et dicit eis, accipite Spiritum Sanctum. Verbis declarat quid reipſa fecerit, Spiritum nimirum Sanctum dare ſe illis dicit. Erat enim afflatus ille afflatus ſanctus, quia erat à Chriſti divina virtute eadem virtute imbutus. Nihil autem Chriſto deceſſit cum daret Spiritum Sanctum. Sic & Moſi nil deceſſerat cum ex ejus ſpiritu inter 70 Spiritus Sanctus divideretur. Soli nihil decedit per radios & per lucem quam communicat Orbi. Imprimit enim lucem aliis corporibus ex ſua luce, lucis ſuæ veluti ectypum & effectum. Sic corpus imprimit umbram alteri corpori, ſic ſpeciem ſuam ſpeculo. Non eſt dubitandum reipſa Spiritum Sanctum à Chriſto datum eſſe Apoſtolis. Nam nec halitus & afflatus iſte fuit inanis, & cum diceret, *accipite Spiritum Sanctum*, neceſſe eſt ut acceperint eum, ut ſi quis diceret, accipe centum aureos, reipſa daret, niſi falſum diceret, & opus omnino fuit ut Chriſtus aliquam Spiritus Sancti portionem eis daret, ad dicta illius & ſacræ Scripturæ teſtimonia tanto melius intelligenda, & in Petro inſigniter apparuit eum accepiſſe Spiritum Sanctum ex illa oratione quam habuit in medio diſcipulorum, de qua legimus Act. j. 16 & ſeqq. Ante mortem ſuam illis non dedit Spiritum Sanctum, quia ſemper cum illis erat: at poſt reſurrectionem dedit, quia eos ſubinde relinquebat, & ſenſim aſſuefaciebat abſentiæ ſuæ. Agebat dies 40 cum diſcipulis, ſed non continuos, medium ſe quodammodo gerens inter abſentem & præſentem, ne ſubita mutatione,

tatione ab uno extremo ad aliud obruerentur diſci-puli. Objicies, *nemo niſi in Spiritu Sancto Jeſum dicit Dominum.* Reſpondeo, nemo qui per ſpiritum & afflatum aliquem loquitur, dicit Jeſum Dominum niſi in Spiritu Sancto & afflatu ſancto. Neque obſtat quod ſupra dixit Joannes: *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum erat glorificatus* cap.vij. 39: principium enim glorificationis Jeſu erat ejus reſurrectio. Itaque in principio glorificationis principium etiam facit dationis Spiritus Sancti, glorificatione perfecta & comſummata perfecit etiam & conſummavit dationem. Adde, quod exiguum, comparatione magnæ copiæ & abundantiæ, attendi non ſoleat: quaſi dicat Chriſtus, accipite Spiritum Sanctum, poſthac eum multo uberius & copioſius accepturi. Specimen hoc fuit dationis illius Spiritus Sancti copioſiſſimæ, ſicut transfiguratio cæleſtis gloriæ Chriſti, & reſurrectio Chriſti reſurrectionis noſtræ. Patet hinc Spiritum Sanctum, qui tum à Chriſto datus fuit, ſpiritum & afflatum fuiſſe Chriſti, divina virtute imbutum. Unde colligere licet Spiritum Sanctum qui de cælo venit ſimilitudinem cum ſpiritu & afflatu proprie dicto habere, & ideo Spiritum ac afflatum dici. Hinc & deſcendit cum ſonitu, tanquam ruentis flatus violenti, & implet totam domum, & conſpicitur in ſpecie viſibili, & conſidet ſuper unumquemque quibus datur, & ſic in partes ac portiones diſtribuitur, & quilibet illo impletur, & quia divina virtute à Deo & Chriſto imbuitur, varios divinitatis effectus in hominibus producit, vocaturque Dei virtus, per metonymiam adjuncti. Qui Spiritum Sanctum perſonam proprie dictam, imo Deum ipſum eſſe dicunt, hoc ſancto Chriſti afflatu & halitu manifeſte refutantur. Cæterum Thomas, quia non aderat, non accepit Spiritum Sanctum, nam nec credebat. Poſtquam credidit, credibile eſt datum & illi fuiſſe Spiritum Sanctum, quamvis Joannes nihil de eo habeat, non judicans id neceſſarium fuiſſe dictu.

Verſ. 23. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt.* Docet quid legationem ſuam obeuntes præſtituri eſſent: hoc nimirum, ut quibus dixerint remiſſa tibi ſunt peccata, eis remittantur, à Deo videlicet, & quibus dixerint retenta tibi ſunt peccata, retenta ſint. Dictum eorum protinus conſequetur effectus. Illi dicent, Deus faciet. Nam quia remiſſionis ac retentionis, quæ fieret ab Apoſtolis, conſecuturus eſſe dicitur apud Deum effectus, neceſſe erat ut hæc remiſſio ac retentio intra decretum tantum ac pronunciationem Apoſtolorum conſiſteret. Remittebant autem peccata iis omnibus qui credebant in Jeſum Chriſtum, & ex hac fide vitam inſtituebant: eorum autem peccata retinebant qui credere nolebant, vel à Chriſto deficiebant, vel ſecundum hanc fidem mores ſuos non componebant. Aliter enim ſi peccata remiſiſſent vel retinuiſſent, hoc in cælo ratum non fuiſſet. Ut ſi quis Rex alicui judici diceret, quem tu abſolves à me abſolvetur, quem condemnabis à me condemnabitur: tamdiu ejus ſententia rata apud Regem eſſet, quamdiu ſecundum jus & fas judicaret. Alias non tantum pro rato hoc non haberet Rex, ſed etiam improbum aut inſipientem judicem ſede ſua deturbaret & poteſtate privaret. Perperam igitur hoc jus & privilegium ad ſe trahunt, qui non ſecundum normam ab Apoſtolis uſurpatam & traditam judicant. Proinde nec abſolutiones, nec damnationes eorum quidquam curandæ ſunt. Eccleſia idem facit Matth. xviij. 18; ſed ab Apoſtolis edocta. Ideo ſi vel minimum recedat ab Apoſtolorum doctrina, nullius valoris eſt illius vel abſolutio vel condemnatio. In eo igitur inter Apoſtolos & eccleſiam hic eſt differentia, quod Apoſtoli eſſent [illegible], eccleſia vero reſpicere ſemper debeat ad regulum doctrinæ Apoſtolicæ, & ſecundum eam judicare. Habet quidem & eccleſia Spiritum Sanctum, ſed ad cognoſcenda & facienda ea quæ ſunt ab Apoſtolis tradita; quo quamdiu ſe regi ſinit, tamdiu non errat. Expreſſit autem his verbis Chriſtus, quo fine Spiritum Sanctum potiſſimum dederit Apoſtolis, eo nimirum ut peccata poſſent remittere & retinere cum effectu, quod facere non poterant, niſi Spiritu Sancto inſtructi fuiſſent, per quem divinæ voluntatis fierent gnari. Quia vero à Spiritu Sancto edocti peccata remiſſuri & retenturi erant, ideo mirum non eſt quod eorum pronuntiatio & decretum in terris, approbaretur & ratum eſſet in cælis. Hoc ipſum ſunt claves Regni cælorum, id eſt, facultas aperiendi & claudendi regni cælorum, quam Chriſtus ipſe declarat per ligare & ſolvere: quem enim Apoſtoli ligabánt vel ſolvebant in terris, hic ligatus vel ſolutus erat in cælis. Non eſt autem quod dicas, Deum etiam citra talem remiſſionem & retentionem peccatorum, quæ verbis Apoſtolorum fieret, credentes in Chriſtum ſervare, non credentes autem damnare. Id enim Deus ut faceret, verbo hoc ſuo, cujus Apoſtolos præcones fecit, ſemet obſtrinxit, quod niſi prædicatum eſſet, nec ſcire id quiſquam, nec in Chriſtum credere, proinde nec remiſſionem peccatorum per fidem in Chriſtum conſequi, nec, quia in Chriſtum credere nolit, damnari poſſet. Solvebant quidem Apoſtoli ſæpe temporariis pœnis, & iiſdem etiam afficiebant, ſpiritu & virtute divina quam à Chriſto acceperunt, ſed hic maxime de vitæ æternæ adeptione & mortis æternæ pœna agitur, quarum illam facto ipſo conferre, hanc vero irrogare, nemo niſi Deus & Chriſtus poteſt. Remittebant vero & retinebant peccata Apoſtoli dupliciter, & in genere, & in ſingulari. In genere ſimpliciter remittebant omnibus in Chriſtum vera & efficaci fide credentibus. Retinebant itidem ſimpliciter peccata omnium qui in Chriſtum nollent credere. In ſingulari remittebant peccata, per *ſi*, ſeu cum adjectione conditionis, ſi profiteretur quiſpiam veram fidem, & quæ eam conſequitur pietatem haberet: cum vera fides & pietas hominum oculis non ita pateat ut falli non poſſint. Retinebant vero peccata, per *quia* vel *quandoquidem*, ſeu cum adjectione cauſæ: quandoquidem aliquis in Chriſtum credere nolit, vel ſecundum hanc fidem non vivat, ideo peccata ejus ſeſe retinere, eum ligare. Nam [illegible] & vitioſi mores etiam hominum oculis patent. Ajunt quidam, hac ratione & mulierculam aliquam poſſe remittere peccata & retinere. Hoc quidem & muliercula quævis ab Apoſtolis edocta, dicere & repetere

poteſt ac debet: ſed remiſſio & retentio peccatorum ex vi dictionis ejus non conſequitur; at ex vi dictionis & prædicationis Apoſtolicæ omnino conſequitur.

Verſ. 24. *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicebatur Didymus,* (Græce nimirum) *non erat cum eis quando venit Jeſus.* Qua de cauſa Thomas abſuerit non additur ab Euangeliſta: fortaſſe quia jam deſperaverat de rebus Jeſu. Ideo nec aliis diſcipulis reſurrectionem ejus nunciantibus credere voluit, niſi ipſe propriis ſenſibus eſſet convictus. Vide quam negligendæ non ſint ſanctorum congregationes, ad quas venire & quibus intereſſe ſolet Dominus.

Verſ. 25. *Dixerunt ei alii diſcipuli: vidimus Dominum.* Nempe poſt mortem redivivum; quem Thomas non vidit, quia congregationi eorum non interſuit.

Ille vero dixit eis, niſi videro in manibus ejus typum clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus. Non ſatis illi erat ut videret Domini faciem & perſonam, etiam typum clavorum in manibus ejus videre vult; nec hoc ſufficiebat, etiam digitos in clavorum typos, & totam manum in latus lancea patefactum vult immittere. Ita nec oculis ſuis vult credere niſi manibus etiam idipſum palpet.

Non credam. Atqui jam non creditur quod videtur & palpatur.

Verſ. 26. *Et poſt dies octo iterum erant intus*, id eſt, in eadem domo, *diſcipuli ejus.* Nimirum poſt peractum Paſchatis feſtum, cujus cauſa necdum in Galilæam abiverant.

Et Thomas cum eis. Jam non negligit congregationem, rei veritatem explorare cupiens.

Venit Jeſus januis clauſis. Idem tempus obſervat, vide verſ. 19, proinde jam ſero, & octavo die jam exacto. Octavum tamen diem ſacris conventibus dedicarunt Chriſtiani, & appellaverunt Dominicum. *Et ſtetit in medio & dixit: pax vobis*, vide verſ. 19.

Verſ. 27. *Deinde dicit Thomæ: fer digitum tuum huc.* Nempe in typum clavorum,

Et vide. Oſtendit ſeſe gnarum eorum quæ dixerat Thomas, immo ipſarum cogitationum & ἀπιστίας Thomæ. Ideo ad ipſius verba & cogitationes ſermonem ſuum refert, & hoc eum facere jubet, quod niſi faceret ſeſe crediturum eſſe negavit. Dubium eſt an Thomas conſpecto Chriſto nihilominus digitum ſuum veſtigiis clavorum, & manum ſuam lateri ejus immiſerit. Sed quominus id faceret per Chriſtum non ſtetit. Probabile eſt eum viſo Chriſto & audita hac ejus voce acquieviſſe & non tetigiſſe.

Et ne ſis ἄπιστος, fidem non præbens. In hac nimirum re tam certa ac minime dubia. Hoc enim eſſet hominis non ſatis ſani & ſobrii, aut improbi & contumacis.

Sed fidelis, πιστός. Docet Chriſtus nos, ſicut credulos eſſe non debere, ſic adverſus veritatem & rei evidentiam non debere eſſe contumaces.

Verſ. 28. *Et reſpondit Thomas.* *Et* redundat ex Hebræorum idiotiſmo,

Et dixit ei; Dominus meus & Deus meus. Sunt qui hæc Thomæ verba tanquam admirantis, & ad hoc inuſitatum inſperatumque ſpectaculum attoniti interpretentur. Nam nominativum hic poni pro vocativo dubium non eſt. Sic illa Chriſti verba apud Matthæum: *Deus mi, Deus mi* cap. xxvij. 46, Marcus per nominativos effert, *Deus meus, Deus meus* cap. xv. 34. Sed quominus hæc verba mirantis eſſe credamus facit primo, quod Thomas hæc verba Chriſto dixerit, id eſt, his verbis ipſum Chriſtum compellaverit. Ait enim Joannes, *& dixit ei*, nempe Chriſto, non ſimpliciter dixit, quod admirantis erat. Deinde, ex ipſa admiratione non pateret Thomæ fides, quam tamen illi Chriſtus mox tribuit; cum etiam ſpeciem apparentem rei alicujus quæ nobis incredibilis videatur, tanto magis admirari poſſimus, quanto minus rem ipſam vere fieri credamus. Non dubium igitur eſt quin Thomas rei veritate convictus, ſicut a Chriſto fuit admonitus, ab infidelitate deſtiterit, & fidelem ſe præbuerit. Ideoque Chriſtum appellat Dominum ſuum & Deum ſuum: quaſi dicat, ô Domine mi, & Deus mi! Agnoſco te Dominum meum, & Deum meum eſſe, quia nimirum eum agnoſcebat Meſſiam illum eſſe, cui titulus Domini tribuitur Pſal. cx. 1: *Dixit Dominus* (nomine tetragrammato) *Domino meo*, Meſſiam Regem intelligens. Hinc & Petrus: *Certo cognoſcat univerſa domus Iſraël, quod Jeſum quem vos crucifixiſtis, Deus fecit Dominum & Chriſtum.* Eidem Meſſiæ tribuitur & titulus *Dei, Elohim* Pſal. xlv. 7, 8, qui titulus etiam apud Hebræos conſuete tribuitur ſummis judicibus. Ideo quoties Jeſus dicitur eſſe factus à Deo Chriſtus & Judex omnium, toties etiam dicitur factus à Deo Deus. Itaque Chriſtus vere Deus eſt, ſed ab uno illo Deo factus, cujus proinde Deus ille unus Deus eſt verſ. 17. 1 Cor. xj. 3. Vere, inquam, & verus Deus eſt. Neque enim unus ille Deus falſos Deos facit, homines hoc faciunt. Non ſatis habuit Thomas Jeſum appellare Dominum ſuum, quod titulus iſte ſit communior; ſed eum, tanto miraculo motus, primus omnium Apoſtolorum appellat & Deum ſuum, ut exprimat qualem Dominum ſuum intelligat, nempe Chriſtum illum. Qui in his Thomæ verbis unum illum Deum intelligi putant, Chriſti videntur obliti, cui tituli iſti quatenus Chriſtus eſt recte conveniunt. Thomas nimirum id credidit quod Jeſus de ſe docuit, & quod ex reſurrectione Jeſu verum eſſe patuit. Vide infra verſ. 31. Articulus ὁ, non emphaſeos cauſa hic additur: neque enim ſimpliciter dicitur ὁ κύριος, ὁ Θεὸς, ſed additur pronomen μοῦ, & nominativus pro vocativo ponitur. Idipſum fit Pſal. xlv. 7, 8 in Græca verſione, ὁ θρόνος σοῦ, ὁ Θεὸς &c, & iterum ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου. ubi ὁ Θεὸς, ſicut in priore, ſic & in poſteriore membro pro vocativo ponitur. Articulus igitur non habet hic vim denotandi altiſſimum Deum, cum quiſque Hebræorum Regem & judicem ſuum ſupremum, non tantum Dominum ſuum, ſed etiam Elohim, id eſt, Deum ſuum ex uſu linguæ appellare poſſet, nedum ut Thomas, Chriſtum illum, Regem omnium Regum & Judicem appellare non potuerit? Videmus Thomam rebus ipſis ad fidem fuiſſe compulſum, quamvis ad credendum difficilem, ut hinc argumentum capiamus, veriſſime Jeſum à mortuis eſſe reſuſcitatum, & Chriſtum factum, ſiquidem & illi qui ad credendum huic rei valde ſeſe præbebant difficiles, & ab hac fide alieni erant, ad credendum ſint coacti rei evidentiâ. Ita nobis plurimum profuit Thomæ ad credendum difficultas.

Verſ. 29.

Verſ. 29. *Dicit ei Jeſus: quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Quaſi dicat, non adeo rem magnam præſtitiſti quod credideris me à mortuis reſuſcitatum eſſe, & Dominum & Deum tuum eſſe. Ipſis enim oculis & ſenſibus tuis convictus es, nec ſi velles aliter facere poſſes, niſi plane ſis obſtinatus & amens.

Beati qui non viderunt & crediderunt. Quaſi dicat, hi enim demum vere credunt, cum fides ſit credere quod non vides, quamvis fides etiam non ſit credere quod falſum eſſe vides & evidenter intelligis, niſi ſtulta & inſana. Tempus præteritum uſurpat, ſed rem futuram reſpiciens. Beatos dicit, quia hæc fides illis imputatur ad juſtitiam, & ſic vitæ æternæ fiunt hæredes verſ. 31. Non negat Thomam & alios Apoſtolos eſſe beatos; ſed fidei reſpectu beatiores ſignificat eos qui non viderunt & crediderunt. Simpliciter beatos dicit, quia magis beati ſunt. In priori membro, cum de Thoma agitur, vox credendi per catachreſin quandam à Chriſto uſurpatur, in poſteriori vero proprie. Fides enim eſt argumentum eorum quæ non videntur, & hypoſtaſis eorum quæ ſperantur, id eſt, quæ nondum reipſa ſunt Hebr. xi. 1. Merito igitur & nobis gratulari debemus, nec inferiores illis diſcipulis qui Chriſtum viderunt nos eſſe exiſtimare, immo hactenus ſuperiores ac beatiores, quod, ſicut Petrus loquitur, Chriſtum, quamvis eum non viderimus, diligamus, & credamus in eum quem nunc non conſpiciamus 1 Petr. 1. 8. Ob hanc enim fidem exultamus gaudio ineffabili & glorioſo, reportantes finem fidei noſtræ ſalutem animarum verſ. 9.

Verſ. 30. *Igitur*, quaſi dicat, ut tandem concludam, *multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum.* Valde congrue hac Thomæ confeſſione, & hoc Domini Jeſu ſermone hiſtoriam ſuam terminat Joannes, cum ſcopus iſtius hiſtoriæ ſcribendæ non alius fuerit, quam quod mox verſ. 31 ipſe dicit, ut credamus Jeſum eſſe Chriſtum illum, Dei Filium illum, id eſt, hoc ipſum quod Thomas de Jeſu, quamvis aliis verbis confeſſus eſt. Fatetur Joannes, multa quidem etiam alia ſigna eſſe à Jeſu facta coram diſcipulis ſuis, tanquam perpetuis ſpectatoribus & teſtibus,

Quæ ſcripta non ſunt in libro hoc. Quippe quod illis deſcribendis aut memoria comprehendendis nemo ſufficiat. Vide xxi. 25.

Verſ. 31. *Hæc autem*, intellige quæ ſcripta ſunt, *ſcripta ſunt ut credatis quod Jeſus ſit ille Chriſtus, ille Filius Dei.* Quaſi dicat, quippe quod hæc fidei iſtius ſtabiliendæ ſatis ſuperque ſint. Finem ſcriptionis ſeu libri iſtius ſui exponit. Huc nimirum pertinet & libri iſtius exordium, quo Jeſum cum Joanne Baptiſta componit, & eos qui hunc Jeſu tanquam Magiſtrum diſcipulo præferrent refutat, ut hac ratione ſimul ſui temporis Anti-Chriſtos, qui Jeſum negabant eſſe Chriſtum illum Dei, quos & in ſuis petit epiſtolis, refutaret.

Ut credatis, inquit. Si Chriſtianos alloquitur, vult ut conſtanter & firmiter credere pergant; ſi lectores libri in genere, vult, ut ſi non credant, fidem hanc amplectantur.

Quod Jeſus ſit ille Chriſtus. Ὁ χριστὸς. Ille unctus, cum articulo emphatico, ille nimirum eximius & ſingularis, à Moſe & Prophetis prædictus cap. 1. 42, 46. Rex ille Iſraëlis inſignis & maxime eximius. Solebant enim Reges ungi, & Jeſus etiam ut iſte Rex eſſet, ſpiritu & virtute à Deo unctus eſt Actor. x. 38. Rom. 1. 4. Quia vero Jeſus eſt Chriſtus, ſeu unctus ille eximius, ideo etiam Chriſtus ſeu unctus abſolute & ſimpliciter ſeu ſubjective, per antonomaſiam, dicitur.

Ille Filius Dei, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Alium apponit titulum, ad ſignificandam eandem majeſtatem. Solebant enim Reges & ſummi Judices filii Dei appellari Pſal. lxxxij. 6, quod eos Deus majeſtate ſibi ſimiles effecerit. De iſto vero Rege, ſenſu myſtico peculiariter prædictum erat; *Filius meus es tu, ego hodie genui te* Pſal. 2, &, *Ego illi ero in Patrem, & ille mihi erit in Filium* Hebr. 1. 5. Eſt enim Rex maxime inſignis & eximius, & hac de cauſa etiam ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ad indicandam excellentiam, vel ſimpliciter & abſolute ſeu ſubjective Filius Dei, per antonomaſiam, appellatur. Dicit ergo Joannes, *ille Filius Dei*, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, cum articulo emphatico, ille nimirum qui in mundum erat venturus cap. xi. 27. Ille Rex Iſraëlis cap. 1. 50, quem Iſraël omnibus votis exoptabat. Unde patet talem Filium Dei intelligi qui Iſraëli univerſo notus eſſet, qui certe non erat ſecunda aliqua unius illius Dei perſona, quæ non tantum Iſraëli nunquam nota, nunquam cogitata fuit, ſed ne quidem nunc à quoquam ſine contradictionis implicatione poteſt cogitari. Manifeſtum igitur eſt, ſicut Chriſti, ſic etiam Filii Dei nomine Regem illum à Deo per Prophetas promiſſum deſignari. Hinc tituli iſti vel inter ſe permutantur, ut inter alia Luc. xxij. 70, collato cum ℣. 67, & cap. xxiij. 2, 35, 37. 1 Joh. v. 1, 5, vel alter omittitur, ut in ſynonymis fieri ſolet; confer Matth. xvj. 16, cum Marc. viij. 29. Luc. ix. 19, vel uterque ſine copula, quod itidem ſynonymorum eſt, per appoſitionem conjungitur, ut fit hoc etiam loco. Hinc Jeſus Dei Filius definitus à Deo ex reſurrectione à mortuis dicitur, id eſt, Rex ille Iſraëlis conſtitutus Rom. 1. 4. Hinc nomen hoc *Filius Dei* παρ' αὐτῶν fortitus aſſeritur, & inde Angelis multo præſtantior eſſe factus arguitur Hebr. 1. 4, 5, & hæc filiatio tanquam olim demum futura à Prophetis prænunciatur 2 Sam. vij. 14. Hinc titulo Filii Dei titulus Regis Iſraël per exegeſin additur ſupra cap. 1. 50. Tanto vero convenientius Chriſti & Filii Dei titulus pro ſynonymis uſurpantur, (licet ille ab unctione, hic à generatione & cum Deo ſimilitudine ſumatur) quod Jeſus Spiritu Sancto unctus ſit in Regem, & ſic ſecundum ſpiritum ſanctitatis, ut Paulus loquitur, Filius Dei, id eſt, Rex, ſit definitus, dicto ad Romanos loco. Sunt quidem & aliæ iſtius in Chriſto tituli cauſæ, ut, quod ſit ex Spiritu Sancto conceptus, & ſic à Deo genitus ex virgine, quod ſit in Filium, eumque ſingulariſſimum à Deo electus, quod ſit ſanctificatus & in mundum miſſus, ad promittendam & dandam omnibus in ipſum credentibus vitam æternam; quod ſit ex mortuis à Deo reſuſcitatus; ſed eas hoc loco repetere & explicare non attinet, cum omnes in eo quod Jeſus ſit Rex ille Iſraëlis à Deo promiſſus contineantur. Ex his Apoſtoli verbis videmus quid de Jeſu credendum ſit; nempe non id ut credamus eum eſſe unum illum Deum, ſed rem iſti fidei con-

tradictorie oppoſitam, nempe Jeſum eſſe Dei illius unius Chriſtum & Filium, id eſt, Regem illum Iſraëlis, per Prophetas promiſſum.

Et ut credentes. Nempe Jeſum eſſe illum Chriſtum, illum Dei Filium,

Vitam habeatis. Nempe æternam, quæ per antonomaſiam & abſolute vita dicitur, cujus reſpectu mortalis vita umbra verius eſt vitæ quam vita. Hæc igitur ſalutaris eſt fides, hanc qui habet ex Deo genitus eſt 1 Joh. v. 1, & mundum vicit verſ. 5. Huic fidei Joannes tribuit vitam æternam, per metonymiam ſynecdochicam; quia hæc fides ſecum trahit fidem ſeu fiduciam in Jeſum, tanquam in Chriſtum illum, ac Dei Filium illum: hæc vero includit in ſe ambulationem ſecundum ſpititum & ſpiritus fructus Gal. v. 22. Similem locutionem vide apud Paulum Rom. x. 9,13 & paſſim alibi. Nam qui unum in catena orbem trahit, totam trahit catenam.

In nomine ejus. In pro *per*, Hebraiſmo conſueto, Per nomen autem Chriſti intelligit vel ipſum Chriſtum, vel majeſtatem ac poteſtatem ejus, hoc ipſo illius Chriſti, & illius Filii Dei nomine ſignificatam. Nomen rei pro re ipſa cap. xvij. 6,11. Per Chriſtum credimns in Deum, & per Chriſtum etiam à Deo vitam æternam conſequimur. Chriſtus eſt unus ille Dominus per quem omnia, & nos per ipſum: Pater Chriſti eſt unus ille Deus, ex quo omnia & nos in illum 1 Cor. viij. 6.

CAPUT XXI.

Verſ. 1. **P***Oſt hæc manifeſtavit ſeipſum rurſus Jeſus diſcipulis.* Caput hoc quidam adjectum ab aliis putant hiſtoriæ Joannis. Sed non video cur id putemus ullam cauſam. Nam quod ſuperiori capite videatur finiviſſe hiſtoriam; id nihil impedit quo minus hoc appendicis loco addat. Solent enim quædam poſt abſolutum ſcriptum in mentem venire, quæ peculialiter digna ſint ut addantur. Nam quod infra de Joanne in tertia perſona fiat ſermo verſ. 24, hoc ipſum eſt quod Joannem redolet. Vide cap. xix. 26,27. xx. 2,3, & hoc cap. verſ. 29, immo & verſ. 2, cum unus eſſet ex filiis Zebedæi. Cæterum hæc hiſtoria & Joanne digna eſt, & ſtylum habet Johannis; immo Joannes ipſe auctorem ſe facit etiam hujus capitis verſ. 24.

Ad mare Tiberiadis. Id eſt, quod Tiberiadem urbem alluit. Fortaſſis hæc manifeſtatio accidit tum cum Jeſus tenderet in Galilæam, in quam tendebant diſcipuli à Domino præmoniti; ideoque urbe egreſſi, & ex Judæa profecti erant.

Manifeſtavit autem ſic. Ut ſcilicet in ſequentibus deſcribitur.

Verſ. 2. *Erant ſimul Simon Petrus & Thomas, qui dicebatur Didymus.* Ille nimirum qui tam difficilis erat ad credendum.

Et Nathanaël qui erat à Cana Galilaa. Cujus cap. 1 fit mentio. *Et Zebedai*, intellige, *filii*, Jacobus & Joannes.

Et alii ex diſcipulis ejus duo. Joannes hos non nominat. Credo quod non eſſent adeo noti, ut eos nominare referret. Cauſa quod ſic conſociati eſſent haud dubie erat communis in Chriſtum fides, illiuſque videndi ſpes & exſpectatio, quæ nec eos fefellit.

Verſ. 3. *Dicit eis Simon Petrus, vado piſcari.* Erat enim credo in ſua domo, & apud ſuam navim ac retia, nec enim omnia ita reliquerant Matth. xix. 27, ut etiam de jure in ea protinus ceſſerint. Id autem dicit hoſpitibus, ut ſcirent quo iret, & cujus rei cauſa, & ſi placeret & illis ſecum ire; haud dubie ſubſidium rei domeſticæ quæſiturus.

Dicunt ei: imus & nos tecum. Ἐρχόμεθα, *venimus* ponitur pro *imus*.

Exiverunt & aſcenderunt in navim ſtatim. Nulla ſcilicet interpoſita mora, ne temporis quidquam ad piſcationem idonei perderent.

Et in illa nocte ceperunt nihil. Quamvis nihil eſſent morati, & totam illam noctem in piſcatione tranſegerint. Aberat nimirum Dominus, ideo nihil ceperant. Sine Chriſto nihil poſſumus. Quamvis & noctu, nihil tamen ceperunt. Nocturnum enim tempus commodiſſimum eſt ad occultanda retia & capiendos piſces.

Verſ. 4. *Mane vero jam facto ſtetit Jeſus in littore.* Id eſt, ad littus accedens in littore conſtitit.

Non tamen ſciebant diſcipuli quod Jeſus eſſet. Oculi eorum ſuerunt detenti, ut Lucas loquitur de duobus illis diſcipulis cap. xxiv. 16. Quo pacto autem ſuerint detenti explicat Marcus, de eadem re loquens, quod ſcilicet Chriſtus in alia μορφῇ apparuerit cap. xvj. 12. Detinuit eorum oculos Chriſtus, ut prius ex miraculo divino ſe cognoſcerent, quam ex proprio vultu.

Verſ. 5. *Pueri.* Blando nomine eos compellat, ut ſolent qui ad piſcantes piſcem aliquem petituri accedunt.

Num quid obſonium habetis? Προσφάγιον eſt id omne quod cum pane editur, hic autem Chriſtus piſcem in ſpecie deſignat, per ſynecdochen generis. Appellebant autem credo ad littus diſcipuli, nec forte illo die amplius piſcaturi, cum noctu nihil potuiſſent capere. Quare interrogat, cum ſciret eos non habere? quia loquitur tanquam alius homo aliquis, cum ſeſe cognoſcendum non daret: deinde ut id quod erat reſponderent, & ſic Chriſtus occaſionem haberet divinam ſuam potentiam declarandi. *Reſponderunt ei, non.*

Verſ. 6. *Ille autem dixit eis; mittite in dextras partes navis rete, & invenietis.* Fit hoc, ut accedens aliquis ad piſcatores, jubeat eos ſuo auſpicio jacere rete & fortunam experiri; ſed hic Chriſtus & in quam partem rete mittere debeant definit, & pollicetur fore ut inveniant & capiant piſces; ſua enim poteſtate fecerat ut in illam partem congregarentur, & ſic ibi invenirentur ac caperentur piſces. Omnia famulantur voci Filii Dei. Sic Petrus ad eandem Chriſti

vocem

vocem piſcem cepit , in cujus ore Staterem invenit.

Miſerunt ergo. Fortunam tentaturi. Neque enim adhuc ſciebant Dominum eſſe qui hoc diceret.

Et non amplius illud trahere poterant , nempe in navim ex aqua, *à multitudine piſcium.* Præſtitit abunde Dominus quod futurum pollicitus eſt. Credo piſcaturam hanc fuiſſe typum & figuram piſcaturæ ſpiritualis : fore nimirum ut magnam hominum multitudinem eſſent ad fidem perducturi, quod ſine Chriſti ope nullo modo poſſent facere, immo ne unum quidem hominem ad fidem in Chriſtum convertere; hoc & ipſe affirmavit, cum diceret; *Sine me nihil poteſtis facere* cap.xv. 5. Nam nec Chriſtus ipſe ſine Patre id facere potuit cap.vj. 44,65. Cur in dextras navis partes rete juſſerit mitti , cauſa eſt quod in his partibus maximam piſcium multitudinem eſſe ſciret, immo eam congregaſſet; niſi quis ſignificatum putet dextre jaciendum eſſe Euangelii rete , & in dextras, non ſiniſtras mentes. Similis captura piſcium deſcribitur Luc.v. 1, niſi quod tum rumperetur rete præ multitudine piſcium , & duæ naves replerentur piſcibus ut pene mergerentur.

Verſ. 7. *Dicit igitur diſcipulus ille quem diligebat Jeſus Petro.* Se ſignificat, eo quo ſolet modo.

Dominus eſt. Ex tanto miraculo conjecit Dominum eſſe. Apparet ſummiſſiore primum voce dixiſſe.

Simon igitur Petrus cum audiſſet , quia Dominus eſt. Monitus à Joanne, ſtatim & ipſe rem ita ſe habere agnovit.

Induſium præcinxit. Veſtes non induit, ſed cingulum tamen arripuit, & induſium præcinxit.

Erat enim nudus. Nudus dicitur, quod ſolo induſio tectus eſſet, veſtibus ad piſcaturam depoſitis; ſolent enim nudi vocari etiam illi qui ſuperiori veſte carent; multo vero magis qui ſolo induſio ſunt veſtiti. Sic de Saulo 1 Sam.xix. 24. Eſai.xx. 2,3. Nudus dicitur, qui depoſito ſacco induſio erat indutus. Paulus etiam ſæpe dicit nudum ſe egiſſe, quod ſufficientem non haberet veſtitum. Unde & ii qui ad baptiſmum accedebant , nudi dicuntur acceſſiſſe, quod ſimplici amiculo induti baptizarentur , ut aqua penetraret facilius, & undique ablueret corpus. Induſium igitur præcinxit Petrus, ne ſibi eſſet ad nandum impedimento. Nam & ventus non tantum aqua impedit motum, niſi quis laxius amiculum præcingat. Ideo nec veſtem induit , hoc enim obſtitiſſet ad natandum. Nataſſe autem res ipſa loquitur.

Et projecit ſe in mare. Relictis ſcilicet & piſcibus & navi , & impedimentis omnibus, ut quamprimum perveniret ad Dominum.

Verſ. 8. *Alii autem diſcipuli navigio venerunt.* Quaſi dicat : Petrus natatu, alii navigio venerunt. Itaque Petrus amore erga Dominum ſuperare eos videbatur, quæ res occaſionem dediſſe poterat ut Chriſtus eum interrogaret an ſe magis amaret quam reliqui? verſ. 15.

Non enim longe erant à terra , ſed quaſi à cubitis ducentis. Præmittit rationem cur ita navigio venirent , ut rete piſcium traherent, nec protinus rete cum piſcibus reliquerint, quia nimirum non longe aberant à littore, ita piſcationem promovente Domino , ut non opus eſſet longe in altum provehi. Etiam prope littus uberrimus eſſe poteſt piſcationis proventus. Neque apparuiſſet miraculum , ſi piſces iſti non fuiſſent in littus extracti, viſi & numerati. Neque conveniebat aut conſultum erat ut in mari relinquerentur, cum tam prope littus eſſent.

Trahentes rete piſcium. Per genitivum contenti, trahentes nimirum ad littus. Nam in navim non poterant verſ. 6.

Verſ. 9. *Cum igitur exſcenderunt in terram.* Nempe ut ſalutarent Dominum , relicto interea reti cum piſcibus in aqua verſ. 11.

Vident prunas poſitas & piſcem ſuper poſitum. 'Οψάριον hoc loco pro piſce, per ſynecdochen generis pro ſpecie, ut ſupra προσφάγιον, verſ. 5.

Et panem. Cum quo nimirum piſcis ille comederetur. Hoc Angelorum miniſterio fieri poterat Matth.iv. 11. 2 Regum xix. Nam ſi Angeli miniſtrabant Prophetis cibandis, quanto magis Filio Dei? Voluit oſtendere ſe diſcipulorum miniſterio non indiguiſſe ad veſcendum , neque ſui cauſa , ſed potius illorum cauſa juſſiſſe rete in mare ad capiendos piſces projicere, ut ſuam potentiam & ſapientiam viderent, & ut eorum neceſſitatibus interim proſpiceret , donec munus ſuum aggrederentur. Sicut & in Cana Galilææ , mutatione aquæ in vinum proſpexerat iis à quibus erat invitatus.

Verſ. 10. *Dicit eis Jeſus : Afferte ex opſariis.* Id eſt, piſcibus : ὧν pro ἃ , enallage caſus propter antecedentem genitivum , ὀψαρίων. Nimirum ut viderent miraculum. Nam piſcis ille prunis impoſitus ſatis erat Chriſto ad eos cibandos.

Quos cepiſtis nunc. Quaſi dicat , neque enim antea quicquam cepiſtis.

Verſ. 11. *Aſcendit Simon Petrus.* Nempe in navim , quippe illius & piſcium captorum dominus verſ.3, & in navi erant funes quibus traheretur rete.

Et traxit rete in terram. Petrum haud dubie juvabant & alii.

Plenum piſcium magnorum centum quinquaginta trium. Accurate notat magnitudinem & numerum piſcium.

Et cum tot tantique eſſent , non eſt ſciſſum rete. Et hoc notat tanquam appendicem miraculi. Nam etiamſi plane fuiſſet rete novum ; ruptum tamen fuiſſet citra divinam potentiam, præ tanta piſcium , & quidem prægrandium , copia. Jam ante diximus Chriſtum hac ratione proſpicere voluiſſe neceſſitati diſcipulorum , ut haberent unde viverent uſque ad acceptionem Spiritus Sancti , nec opus haberent redire ad piſcaturam , & manibus victum quærere; ſed potius, ut una verſarentur, de rebus divinis colloquerentur inter ſe, ſemper intenti & parati ad excipiendum Dominum , quoties illis appareret , & cum illis converſari vellet. Nam ex piſcium iſtorum quæſtu facile toto illo tempore poterant ſuſtentari. Si quis allegoriam quærat in hac hiſtoria, dici poteſt , Chriſtum ſignificare voluiſſe Apoſtolos piſcatores animarum, non tantum magnam vulgarium hominum multitudinem ; ſed etiam multos ex magnatibus ad fidem converſuros eſſe , & diſciplinam Euangelii,

quamvis

Digitized by Google

quamvis nulla carnali poteſtate ſuffultam, maximam tamen hominum multitudinem & magnos ac potentes, ſola religione in officio poſſe continere. Talis fuit Sergius Paulus Proconſul Aſiæ, & Theophilus vir eximius & inter Magnates, cui Euangelium & Acta Lucas inſcripſit.

Verſ. 12. *Dicit eis Jeſus: venite, prandete.* Ipſe eos poſt laborem ad prandium jam paratum vocat, ut ſe Dominum eſſe oſtendat. Juſſerat quidem adferri de captis piſcibus, ſed ut exſpectarent donec pararentur nihil opus erat. Cum antea duobus piſciculis & quinque panibus, quinque hominum millia ad ſatietatem paviſſet cap. vj.

Nemo autem audebat diſcipulorum interrogare ipſum; tu quis es? Apparet adhuc fuiſſe detentos eorum oculos, neque Dominum ſeſe in ſua propria forma conſpiciendum præbuiſſe: Nam quid alioquin opus eſſet interrogare quis eſſet?

Scientes quod Dominus eſſet. Nimirum ex tanto miraculo. Cur igitur auderent interrogare quis eſſet? Expectabant nimirum donec ipſe ſe in ſua propria forma conſpiciendum præberet, non irrumpentes in ejus arcana conſilia.

Verſ. 13. *Venit igitur Jeſus & accepit panem & dat eis, ſimiliter & piſcem illum.* De quo verſ. 9, ſuum illis cibum & panem præbet, non eorum labore quæſitum.

Venit igitur Jeſus. Nempe ad prandium, ad quod & ipſos vocaverat.

Et accepit panem. Tanquam Pater-familias, & ſuo more haud dubie gratias prius agens & benedicens.

Et dat eis. Tanquam ſuis famulis: idem facit & in piſce. Non addit Joannes, Dominum ſeſe tum in ſua propria forma conſpiciendum præbuiſſe: ſed tamen hoc vult intelligi. Nam & diſcipulis illis Emmauntem euntibus, ad menſam & in benedictione ac fractione ſimili panis videndum ſeſe præbuit in ſua propria forma: *Ipſorum vero oculi aperti ſunt, & cognoverunt ipſum* inquit Lucas cap. xxiv. 31. Propria tunc forma ejus apparuit, ut faciem ejus propriam viderent. Ideo & Joannes addit:

Verſ. 14. *Hoc jam tertium manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, ſuſcitatus ex mortuis.* Duas quæ præceſſerunt manifeſtationes ſupra deſcripſit cap. xx. 19, 26. Intelligit autem manifeſtationes pluribus ſimul factas diſcipulis, quarum hæc tertia eſt, ſed nequaquam ultima: ſecuta enim eſt illa maxime inſignis in Galilæa loco à Chriſto deſignato, de qua Matth. xxviij. 16, cui videntur interfuiſſe quingenti circiter fratres illi, de quibus 1 Cor. xv. 6. Secutæ deinde ſunt & complures aliæ, ut patet ex Actor. 1. 3, 4, quas ſingulas deſcribere, in re ſatis ſuperque teſtata, neceſſarium non duxerunt Sancti auctores verſ. 25. Non addit Joannes quod Chriſtus ipſe comederit; ſed meminit Lucas cap. xxiv. 43. Idem teſtatur Petrus Actor. x. 41. Exinde patet Chriſti corpus nondum fuiſſe ſpirituale; quia vere comedere non potuiſſet. Nam eum vere comediſſe, vere carnem & oſſa habuiſſe, & illum ipſum qui ante mortem erat vere fuiſſe, non ſpectrum aliquod, aut Spiritum, qui mortui hominis corpus induerit, illudque loqui (ut olim in Paradiſo Serpentem) & obambulare fecerit, nec ullam aliam impoſturam hic fuiſſe, conſtans tot dierum cum tot diſcipulis converſatio manifeſtum facit, hunc ipſum in finem à Deo adhibita, ne ulla eſſe poſſet impoſturæ alicujus ſuſpicio. Ut omittam omnia alia ad amuſſim rei veritati reſpondiſſe. Nam & Angelorum acceſſit teſtimonium, & idem docendi fuit Spiritus, idem ſermo, miracula etiam complura, afflatus Spiritus Sancti, in cælum adſcenſus Apoſtolis ſpectantibus, & Spiritus Sancti ex cælis in eoſdem effuſio, qua ſe vere reſurrexiſſe, & poſt mortem vivere & regnare in cælis locupletiſſime teſtatus eſt, & denique, quod hæc omnia ipſe ſic poſt mortem ſuam eventura eſſe, ſicut viſa & ſpectata ſunt à tot teſtibus, ante mortem ſuam diſertis verbis prædixerit, ut profecto de reſurrectione ejus nemo magis dubitare queat quam de morte & tota ante mortem vita. Si quis tamen ne his quidem contentus ſit, meminerit hæc ad fidem aliunde ſufficere, & nos hic de fide agere. Et à quo foret hæc tanta impoſtura? Non à Deo, nam Deus impoſtorem non agit. Non à diabolo, nam is regnum ſuum non evertit, quod per fidem reſurrectionis Jeſu everſum eſt. Cæterum Chriſtus etiam ſine cibo divina virtute vivere potuit: Nam & ante mortem totidem diebus ſine cibo eadem virtute vixit, ut & Moſes & Elias. Cibo uſus eſt, ut omnem ſuſpicionem ſpectri alicujus tanto magis tolleret; quod ſi tamen cibo indiguiſſet, haud illi defuiſſet Angelorum miniſterium, ut in Elia & aliis Prophetis, immo in hoc ipſo Chriſto ante mortem vidimus Matth. iv. 11. Iis vero temporum intervallis, quibus ſolus & ſine diſcipulis fuit; haud dubie in montibus & locis deſertis cum Deo converſatus, orationibus vacando. Nam & ante mortem totas ſolebat noctes in oratione Dei, idque in monte, conſumere.

Verſ. 15. *Cum igitur pranſi eſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Jona!* Intellige, fili! dicitur enim alibi Bar-Jona, id eſt filius Jonæ.

Diligis me. Patet ergo Dominum jam oculos eorum ſolviſſe, ut ſe in proprio ſuo viderent vultu, non in ἑτέρᾳ μορφῇ Marc. xvi. 12. Nec tantum hoc fecit, ſed etiam cum iis pranſus eſt, & poſt prandium collocutus eſt, ſecus quam evenerat illis Emmauntem euntibus Luc. xxiv. 31.

Plus iſtis. Quaſi dicat: nam & navi, & reti, & piſcibus, & omnibus iſtis relictis, ſolus nando ad me perveniſti, obſervavi hoc tuum factum.

Dicit ei; ita Domine, tu ſcis quod amem te. Non audet ſibi majorem præ iſtis erga Chriſtum amorem tribuere; ſed amorem ſibi tribuit, & ipſius Chriſti conſcientiam hac in parte appellat. Itaque cum Petrus Dicit:

Ita Domine. Non hoc vult dicere, quod magis quam cæteri Dominum Jeſum amet; (id enim ſcire ipſe non poterat) ſed tantum quod amet: quaſi dicat, negaveram quidem te; (tangere enim haud dubie volebat conſcientiam ejus Chriſtus, citra ullam tamen abnegationis exprobationem) ſed hoc ex ſumma infirmitate tum feci; & ſcis quantopere hoc mihi doluerit & doleat, quamque paratus ſim omnibus amoris erga te mei officiis hoc indigniſſimum factum penſare. Supplex peto ne mihi hæc abnegatio tui quicquam apud te noceat, quo minus exiſtimes me tui amore cæteris parem eſſe.

Dicit

Digitized by Google

Paſce agnos meos. Hac dilectionis audita confeſſione, ſimul ſciens ita ſe rem habere, demandat illi munus Apoſtolicum, quo videri poterat propter illam abnegationem indignum ſeſe reddidiſſe. Credentes inſe, vocat agnos ſuos, ſimilitudinem ſumens à grege agnorum, quod credentes in ipſum ſimiles ſint & eſſe debeant agnis. Ideo & paſcendi voce utitur, munus Apoſtolorum deſcribens, ſimilitudine ſumta à paſtoribus, quorum eſt gregem paſcere,. & operam dare, ne quid gregi deſit quod ad illius conſervationem pertineat, & gregem regere. Sic Apoſtolorum erat providere, ne quidquam ad ſalutem neceſſarium Chriſti fidelibus deeſſet, & eccleſiam regere ex Chriſti præſcripto. Non dominum ovium conſtituit Petrum, ſed paſtorem ſuarum ovium, non Petri propriarum, talem, inquam, paſtorem, qui Dominum habeat cujus oves ſint propriæ, & qui Domino rationem ſui miniſterii redditurus ſit, & mercedem ab ipſo accepturus. Qui conſtituitur Apoſtolus, illi dicitur, *paſce agnos meos.* Huic de novo dicendum id erat, quia nova hujus rei ſuberat cauſa, nimirum illius abnegatio, ſed & aliis ſenioribus dicitur, *paſcite gregem Domini* Actor. xx. 28. 1 Petr. v, quo in loco Petrus ipſe, non ſe, ſed Chriſtum appellat paſtorum Principem. Nam & Petrus alio reſpectu ſimul erat ex ovibus & agnis Chriſti, ut ſi aberraret alicubi, regeretur ab aliis, & rectus eſt à Paulo Gal. 2. 14. Hinc dicit ipſe; *juniores ſubjecti eſtote ſenioribus, omnes autem alii aliis invicem ſubjicimini,* etiam ſeniores junioribus, quoties opus eſt.

Verſ. 16. *Dicit ei rurſus ſecundo, Simon Jonæ, diligis me?* Non dubitabat de ejus erga ſe amore, ſed iterum interrogat, ut iteratam amoris confeſſionem eliciat, & iterum illi munus Apoſtolicum demandandi occaſionem habeat. Non quærit autem amplius, an ſe plus quam iſti diligat, quia jam Petrus modeſte hanc comparationem declinaverat.

Dicit ei; ita Domine, tu ſcis quia amo te. Petrus ad eandem interrogationem eo modo reſpondet, quo prius.

Dicit ei: paſce oves meas. Dominus licet aliis vocibus, tamen idem munus ei demandat. Ibi erat βόσκε, hic ποίμαινε, ibi τὰ ἀρνία, hic τὰ πρόβατα. ſicut & vocibus φιλῶ & ἀγαπᾷν idem ſignificatur, ut ex dictorum inter ſe collatione patet verſ. 15, 16, 17.

Verſ. 17. *Dicit ei tertio, Simon Jonæ, amas me?* Nimirum tertia amoris erga Chriſtum confeſſione, tertiam etiam abnegationem abolere debebat, & vice tertia in Apoſtolico munere confirmari.

Contriſtatus eſt Petrus, quod dixerit ei tertio, amas me? Traxit enim hoc Petrus in argumentum, quaſi Dominus de ejus in ſe amore dubitaret, ternæ ſuæ abnegationis haud immemor.

Et dicit ei: Domine, tu omnia ſcis, tu noſti quod te amem. Non poterat melius ſeſe tueri Petrus, quam ut Chriſti ipſius conſcientiam ad extremum appellaret: quaſi dicat, Domine, cum tu noris omnia, etiam abditas hominum cogitationes, & mentium intima, etiam futura, quamvis contingentia, quod ego miſer in me ipſo expertus ſum, nullo modo ignorare potes quod te amem. Omnia ſcire dicuntur, per uſitatam ſynecdochen, qui multa ſciunt: quanto magis id de Chriſto dici poterat, cui etiam occulta mentium humanarum & futura contingentia nota erant?

Dicit ei Jeſus: paſce oves meas. Quaſi dicat: non ideo tertium quæro, quod tuum in me amorem neſciam, ſed quod te ter abnegaſſe me ſciam: quia igitur tu ter me negaſti, volui etiam ut ter tuum erga me amorem confitereris, & ut ego terna repetitione in munere Apoſtolico te confirmarem. Unde & Spiritu Sancto te non minus quam cæteros afflavi cap. xx. 22. Qui hinc, quod ſoli Petro Chriſtus dixerit, paſce oves meas, idque ter, colligunt Petrum eſſe univerſalem Eccleſiæ Paſtorem magis quam alios Apoſtolos, & ſupra ipſos Apoſtolos conſtitutum, ii non tantum Apoſtolici muneris ignorantiam oſtendunt, ſed etiam terniæ abnegationis Petri obliti eſſe videntur. Ex verbis etiam ipſis id nullo modo colligitur, quæ ita ſunt comparata, ut cuilibet Epiſcopo recte dicantur & dicta ſint, vide verſ. 15.

Verſ. 18. *Amen amen dico tibi: quando eras junior cingebas teipſum, & ambulabas quo volebas, cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis.* Quaſi dicat, ſcio, ſcio quod me ames; id enim exitu vitæ tuæ teſtaberis, & abnegationem mei abunde confeſſione mei compenſabis. Prædicit ei qualem habiturus eſſet exitum vitæ, & ſe ſimul vere omnia ſcire oſtendit.

Amen amen dico tibi. Eadem aſſeveratione prædicit Petro mortem violentam pro ſuo nomine, qua illi prædixerat abnegationem, hanc prædixit certo propter Petri infirmitatem, illam propter hominum malitiam.

Quando eras junior cingebas teipſum. Hoc dicit etiam reſpectu futuri temporis ad ſenectutem uſque: am adhuc erat in vegeta ætate.

Et ambulabas quo volebas. Quippe liber ac tui juris, tuarum & manuum & pedum potens.

Cum autem ſenueris, extendes manus tuas. Violenter nimirum ab aliis diſtractas, & clavis ad crucem fixas, (nec enim cum tantum ligantur & vinciuntur manus, extendi dicuntur) ita ut iis te amplius cingere non poſſis.

Et alius te cinget. Vinculis nimirum ad robur ac ſtipitem te alligans, vel etiam catenis in carcere.

Et ducet quo non vis. In carcerem nimirum, vel ex carcere extractum ad ſupplicium, quo nemo vult ire niſi vel cogatur, vel ut majus malum, nempe abnegationem Chriſti, & injuſtitiam evitet. Ὕστερος πρότερος hic dici nihil refert, cum ſolius oppoſitionis habeatur ratio, non ordinis rei geſtæ. Οἴσει, *tollet*, in ſublime videlicet, cruci ſuffixum: quaſi dicat Chriſtus, ſenectutem tuam, Petre, cum jam alioquin & mors naturali curſu erit in proximo, decorabo corona Martyrii. Quamdiu eris viribus integris, aptus ad obeundum munus Apoſtolicum, non tradam te alienæ poteſtati, ſic ut tibi vitam adimat. Sed poſtquam ætate & laboribus fueris perfunctus, hoc tibi adjiciam, ut pro meo nomine violentem ac ſimilem meæ oppetas mortem, nempe crucis. Et ſane, ſi à Romano Magiſtratu necatus eſt, haud dubie ſervili ſupplicio, id eſt, cruce fuit affectus, Judæi enim apud Romanos extrema pars ſervientium erant. Ideo idem Petrus, cum jam videret ſe ſenuiſſe, ſcribit poſteriori ſua epiſtola cap. 1 ℣. 14, ſcire ſe brevi ſecuturam depoſitionem tabernaculi ſui, quemadmodum &

Dominus noſter Jeſus Chriſtus manifeſtavit mihi. Idem & Paulo evenit, qui non ante martyrium ſubiit quam ſenuiſſet Philem. verſ. 9. Jacobi ab Herode occiſi mortem credo utiliorem duxit Dominus promovendæ veritati quam vitam. Traditur Petrus petiiſſe, ut capite in terram obverſo, pedibus in ſublimi extenſis crucifigeretur; ſed hoc prædictioni Chriſti non reſponderet, qui manus ejus, non pedes extenſum iri prænunciat; nec veriſimile eſt, Petrum graviſſimum Apoſtolum, ineptire voluiſſe, idque in maxime ſerio & ultimo vitæ actu. Romæ etiam hoc factum eſſe credibile non eſt, cum Paulus Romam ſcribens non ſalutet Petrum, qui, ut traditio habet, ibi jam erat, & cum Romam veniret Paulus, nulla mentio fiat ibi tum agentis Petri: quin & Roma ſcribens plures epiſtolas, non meminerit Petri, cum tamen meminerit plurium proborum & improborum. Nec nos Petrum crucifixum eſſe propter traditionem credimus, ſed propter verba Chriſti, ex quibus hæc traditio orta eſt. Non contenderim tamen, non alia morte violenta Petrum affectum fuiſſe, nec alii morti violentæ Chriſti verba etiam accommodari poſſe, quamvis non ita proprie. Sicut autem neſcimus certo in quo loco cæteri Apoſtoli vitæ exitum habuerint, ita & de Petro ubi finierit nihil habemus certi, vel quod harum rerum monumenta nulla prodita fuerint, vel quod perierint, nulla tum extante Typographa. Quod adeo mirum non eſt, ut etiam ubi Publius ille Scipio Africanus major mortuus & ſepultus ſit, inter ſcriptores non conſtet. *Multa alia*, inquit Livius, *in Scipionis exitu maxime vitæ, morte, funere, ſepulchro in diverſum trahunt, ut cui famæ, quibus ſcriptis aſſentiar, non habeam; non de anno quo mortuus ſit, non ubi mortuus aut elatus ſit, alii Romæ, alii Literni & mortuum & ſepultum; utrobique monumenta oſtenduntur & ſtatuæ.* Et aliquando poſt; *Hæc de tanto viro quanquam & opinionibus & monumentis literarum variarent, proponenda erant.* Et miremur de Petri & aliorum Apoſtolorum, qui tum in maximo contemtu mundi erant, exitu vitæ nihil certi proditum eſſe?

Verſ. 19. *Hoc vero dixit, ſignificans quali morte glorificabit Deum.* Quaſi dicat, quali morte ex violentis mortibus, morte nimirum crucis. Ut tanto ſpecialior, proinde divinior eſſet Chriſti prædictio, non tantum in genere violentam prædicentis mortem, ſed etiam in ſpecie mortem crucis. Violentis mortibus pro divina veritate & juſtitia, proprie glorificatur Deus, cum homines fiducia in Deum futuræ reſurrectionis ac vitæ æternæ occidi malunt quam Deum offendere. Ad ſocietatem crucis admittit Chriſtus Petrum, ſingularem illi gratiam ſuam hac in re exhibens. Nam quem ad ſocietatem crucis admittit, eundem etiam ad ſocietatem gloriæ admittit. Non dicit Joannes, quali morte afficietur, ſed quali morte glorificabit Deum, ut oſtendat Deum ex morte martyrum ſingularem conſequi gloriam, quam viciſſim Deus gloria repenſurus ſit maxima, cum vita æterna conjuncta. Notetur autem Chriſti ſapientia divina, qua Petro ſignificavit quali morte glorificaturus eſſet Deum in ſua ſenectute. Quam Chriſti prædictionem jam etiam tum impletam fuiſſe credo cum hæc ſcriberet Joannes.

Et poſtquam hoc dixiſſet, dicit ei, ſequere me. Nempe ut diſcipulus Magiſtrum, ſervus Dominum. Apparet Chriſtum his poſt prandium dictis ſurrexiſſe, & itineri ſe dediſſe. Nam vocem ἀκολούθει proprie accipiendam eſſe docet Joannis Exemplum ℣ſ. 20. Uterque ergo ſequebatur abeuntem Chriſtum. Petrus imperio Chriſti, Joannes amoris fiducia, qua pollebat apud Chriſtum. Cæteri puto, (quorum etiam alii non erant ex numero duodecim) curandæ navi & reti & piſcibus erant relicti. Neque enim aut tantum Chriſti munus ſpernendum, aut navis cum reti vacua poſſeſſore deſerenda erat.

Verſ. 20. *Converſus autem Petrus.* Inter eundem videlicet, dum juſſus ſequitur Chriſtum.

Videt diſcipulum illum quem diligebat Jeſus ſequentem, qui etiam recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit, Domine quis eſt qui tradet te? Deſcribere ſe ſuo more mavult Joannes, quam nominare. Vide cap. xiij. 23. Modeſtiæ cauſa de ſe in tertia perſona loquitur. Imitatur hac in re Dominum & Magiſtrum ſuum, qui etiam hoc modo eandem ob cauſam de ſe ſolebat loqui.

Verſ. 21. *Hunc.* Quaſi dicat: tam charum Chriſto, quæ cauſa etiam erat ut ſe hoc modo deſcriberet.

Cum vidiſſet Petrus, dicit Jeſu: Domine hic autem quid? Hæſit Petro mors violenta ſibi à Chriſto prædicta, ideo de tam dilecto diſcipulo interrogat, quid huic futurum ſit? Oratio elliptica: quaſi dicat, num & hic tibi tam charus violentam oppetet mortem?

Dicit ei Jeſus: ſi eum volo manere. Id eſt, non tantum violentæ, ſed etiam naturalis mortis exſortem eſſe,

Donec veniam. Ubi jam nullus erit morti in meis diſcipulis locus.

Quid ad te? Intellige, hoc pertinet, per ellipſin: quaſi dicat, noli interrogare de iis quæ nihil ad te pertinent. Non debemus eſſe curioſi in rebus ad nos minime pertinentibus, neque debemus velle, ut Dominus uno eodemque modo nobiſcum agat. Liberum illi eſt, aliis breviorem, aliis longiorem vitam concedere, alium martyrio coronare, alium martyrio ſubducere, & ſimilia, quiſque ſua ſorte contentus eſto. Terminum præfigit iſtius manſionis adventum ſuum, quod minime dubium eſſet, Joannem, ut & alios diſcipulos Chriſti, in æternum manſuros eſſe, poſt Chriſti adventum; at ante Chriſti adventum ea de re dubitari & quæri poterat. Sic David non cognovit Michol uſque ad diem mortis ejus, quia poſt diem mortis non erat dubium eam non eſſe cognitam; ſed ante mortem Michol dubitari de hoc poterat. Sic & alibi Chriſtus; *Et ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Nam eum poſt ſeculi conſummationem nobiſcum futurum eſſe nullum erat dubium.

Tu ſequere me. Tu hoc age quod te facere juſſi, & curioſas iſtas quæſtiones relinque. Quamdiu & quouſque tum Petrus ſecutus ſit Chriſtum, Joannes non narrat. Credibile eſt ſecutum eſſe uſque in montem illum Galilææ deſignatum à Chriſto, in quo ſe diſcipulis ſuis omnibus qui eo convenirent videndum exhibiturus erat Matth. xxviij. 10, 16. 1 Cor. xv. 6.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 23. *Exivit igitur ſermo hic ad fratres, quod diſcipulus ille non moritur.* Non ſermo Chriſti ad fratres exivit, ſed hic ſermo, quod diſcipulus ille non moritur; qui, ut ſtatim ſubjicit Joannes, Chriſti ſermo non fuit.

Ad fratres. Id eſt, ad Chriſti diſcipulos: quos fides communis in Chriſtum, ſicut Dei filios, ſic & fratres inter ſe facit, & fraterno conſociat amore.

Et non dixit ei, id eſt Petro, *Jeſus, quod non moriatur, ſed. ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quaſi dicat, aliud eſt abſolute dicere, volo eum manere donec veniam; (quo ſane dicto ſignificaretur eum non mori. Nam poſt Chriſti adventum nullus erit morti locus in ejus diſcipulis, ut ſupra diximus) aliud vero eſt dicere cum conditione,

Si eum volo manere donec veniam. Hoc non protinus infert voluntatem & voluntatis effectum. Ita videmus multa poſſe tradi & accipi pro Chriſti ſermone quæ Chriſti ſermo non ſint, ſed ex Chriſti ſermone prava collectio & illatio. Unde patet quam non facile fidendum ſit traditionibus, cum ſæpe ex errore, aut male intellectis, nec bene perpenſis verbis oriantur, ut hic factum eſt. Cæterum hic ſermo, qui tam conſtanti traditione manavit ad fratres, quod ſcilicet Joannes non moriatur; quia nullam aliam occaſionem habere potuit, quam illum Chriſti ſermonem, manifeſtum continet argumentum reſurrectionis Chriſti.

Verſ. 24. *Hic eſt diſcipulus qui teſtatur de iſtis & ſcripſit iſta.* Proinde etiam hoc caput. Joannes nimirum, qui ſuo more in tertia de ſe perſona loquitur.

Et ſcimus quod verum ſit teſtimonium ejus. Dicere poterat, ut ſupra cap. xix. 35, & ſcit quod verum ſit teſtimonium ejus, tertiam perſonam retinens, ſed ut ſe proderet, primam uſurpat in plurativo, & tanquam etiam de aliis: ſingularem modeſtiam, ob quam etiam Chriſto tam charus fuit, ubique obſervans. Nam unum eſſe qui loquitur, ſequens docet comma: *Neque ipſe arbitror mundus caperet &c.* Neque enim alii de teſtimonio ejus teſtari potuerunt, cum alii teſtimonio ejus innitantur, & propter illud credant.

Verſ. 25. *Sunt vero & alia multa quæ fecit Jeſus.* Repetit quod antea dixerat cap. xx. 30, & ſuperiorem concluſionem poſt hanc inſertam narrationem reſumit. Ad hæc alia multa pertinent & aliæ multæ manifeſtationes Chriſti poſt reſurrectionem ejus ex mortuis.

Quæ ſi ſcribantur ſingula, καθ' ἓν. Id eſt, non in genere, ſed in ſingulari, nullo omiſſo.

Neque ipſe arbitror mundus caperet. Uſitata hyperbole, qua rerum magnitudinem & multitudinem, amplitudine mundi deſignamus. Vide Jacob. iij. 6. Hyperbolen eſſe etiam ipſe ſignificat, dum hoc non ſimpliciter aſſerit, ſed mollius, ut in talibus loquendi modis fieri ſolet, arbitrari tantum ſe dicit.

Qui ſcriberentur libros. Non qui ſcripti ſint, ſed qui ſcriberentur; quomodo enim mundus non caperet libros qui jam in mundo ſcripti eſſent? Falluntur autem, qui ex hoc loco traditiones & verbum Dei non ſcriptum aſſerunt. Neque enim ſequitur, non omnia ad ſalutem neceſſaria ſacris in literis ſcripta eſſe, quia non omnia ſcripta ſint minus ad eam neceſſaria.

Amen. Uſitata vocula veritatem ſignificante, ab Hebræis in alias linguas per Chriſtianos traducta, finit Librum ſuum, qua omnia quæ in eo ſcripta ſunt, vera eſſe conteſtatur. Amen.

PARAPHRASIS
initii
EUANGELII
SECUNDUM
S. JOHANNEM.

TEXTUS.
Verſ. 1. *In principio erat ſermo.*

Marc. 1. 1. Confer cap. 6. 63 wiij. 25, 44. xv. 27. 1 Joh. 1. 1, 3.

QUi ante me Euangelium ſcripſere, rem à principio, quod Joannis Baptiſtæ prædicatio eſt, executi ſunt. Nam me principium intelligere rei de qua agitur, id eſt, Euangelii, quiſque videt. Dicam ego rem aliis non dictam: Verbum ſeu ſermonem Dei (quo titulo Jeſum deſigno, tanquam primum & præcipuum perfectæ voluntatis Dei interpretem & executorem) in principio fuiſſe, id eſt, Jeſum verbi ſeu ſermonis Dei munus jam tum ſibi à Deo demandatum habuiſſe, cum Joannes Baptiſta Euangelium de regni cælorum ſeu regni Dei (quod regnum Meſſiæ eſt) appropinquatione, Jeſu adhuc tacente, annunciaret. Quod monendum duxi propter eos qui Joannem Baptiſtam Jeſu præferunt, & conſequenter negant Jeſum eſſe promiſſum illum Meſſiam Dei factum: ideo quod Joanne Baptiſta Euangelium annuntiante, Jeſus nondum uſquam cum prædicatione Euangelii compareret. Si quis autem quærat ubi tunc Jeſus fuerit, & quid rerum

Et ſermo erat apud Deum.

egerit, is ſciat Jeſum tum temporis apud Deum fuiſſe, ſicut Dei Verbo & tanto ejus ad homines legato conveniebat. Tanta autem Verbi iſtius erat

Et Deus erat ſermo.

dignitas & præſtantia, ut & ipſum Deus eſſet, divina virtute & ſapientia à Deo inſtructum.

Verſ. 2. *Hic erat in principio apud Deum.*

Hoc igitur Verbum ſeu ſermo Dei erat in principio Euangelii apud Deum: nam Joannis prædicatione & munere ad finem decurrente, venit Verbum à Deo ad homines, & inter eos munere ſuo fungi cœpit.

Verſ. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt?*

Gen. 1. Pſ. 33. 6. 9. Confer Job. 5. 20. xiv. 12. 1 Cor. vj. 12. x. 23.

Merito autem Jeſu Verbi, ſeu ſermonis Dei, & quidem plane ſingularis ac eximii titulum tribuo. Nam ſicut olim in Veteri Creatione omnia per verbum ſeu ſermonem Dei facta ſunt (ad dictum enim & juſſum Dei cuncta protinus extiterunt) ſic in hac, quam videmus, nova rerum omnium creatione, omnia per Jeſum facta ſunt, & ſine Jeſu factum eſt nihil, addo quod factum eſt, non inani ſuperfluitate; (quis enim neſciat factum non eſſe quod factum non ſit?) ſed ut quiſque me de nova rerum creatione ſub Euangelio facta loqui intelligat. Iſtorum enim verborum additione ſignifico me non loqui de creatione, in qua omnes in univerſum res à Deo factæ ſunt, id eſt, de veteri, ſed de nova, in qua omnia per Jeſum facta ſunt, quæ ſcilicet facta ſunt, excluſis iis quæ facta & renovata non ſunt, quod ad rerum creationem ac renovationem minime pertinerent.

Verſ. 4. *In ipſo erat vita:*

Ad novam creationem imprimis pertinet plena & perfecta lux hominum: ſicut & in vetere creatione primum omnium lux per Dei verbum ſeu ſermonem facta eſt: in vetere quidem corporalis, in nova autem ſpiritualis: quæ per Jeſum, ut omni ex parte conſtet me eum convenientiſſime Dei verbum ſeu ſermonem appellare, facta eſt. In ipſo enim, (non in Prophetarum ante ipſum ullo, non in eo qui ipſi à quibuſdam præfertur, quod prior Euangelium prædicare cœperit) vita erat; vita, inquam, quæ

Et vita erat lux hominum.

vere vita eſt, id eſt, æterna. Jeſus eſt qui vitæ æternæ clariſſimum nuntium hominibus attulit: nuntium inquam tale, ut ipſe ſeſe vitam æternam Dei nomine daturum omnibus ipſi credentibus diſertiſſimis verbis promitteret: quæ vitæ æternæ tam clara & aperta promiſſio lux hominum vera & perfecta erat, ſine qua triſtes tenebræ hominum mentes occupabant.

Verſ. 5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Porro lux hæc, id eſt, vitæ æternæ per fidem in Jeſum obtinendæ clariſſimus nuntius ac promiſſio, quamvis undique tenebris ignorantiæ prematur, tamen mediis in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt ut eam eliderent.

Verſ. 6. *Erat homo miſſus à Deo, cui nomen Joannes.*

Quod ad principium Euangelii attinet, ut eo revertar unde ſum exorſus; erat homo miſſus à Deo, Joannes nomine.

Verſ. 7. *Hic venit in teſtimonium ut teſtaretur de luce, Ut omnes crederent per ipſum.*

Hic venit teſtimonii cauſa, nempe ut teſtaretur lucem hominum veram & perfectam poſt ſe venire & brevi adfore, ut ſcilicet ea adveniente omnes teſtimonii illius authoritate adducti, crederent Jeſum eſſe veram & perfectam mundi ſeu hominum lucem, & conſequenter promiſſum illum Meſſiam.

Verſ. 8. *Non erat ille lux, Sed ut teſtaretur de luce.*

Valde errabant qui Joannem Baptiſtam lucem hanc eſſe credebant: non erat ille mundi iſta lux, ſed venit ut teſtaretur de hac luce, eique advenienti viam in hominum animis præpararet.

Verſ. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum.*

Erat alius, nempe Jeſus, lux vera & perfecta, quæ omnem hominem illuminat veniens ad homines, id eſt, quæ propter magnitudinem & perfectionem ſuam, non ad unam aliquam gentem pertineat, ſeu certis in locis & brevi tempore luceat, lychno ſimilis, qualis lux Joannes erat; ſed quæ poſt ſuum ad homines adventum ſolis exorientis inſtar in omnes homines clariſſimam ſuam lucem effundat, nec quamdiu hominum genus duret radiare deſinat.

Verſ. 10. *In mundo erat, & mundus per eum factus eſt; Et mundus eum non cognovit.*

Hæc lux, quæ Verbum ſeu ſermo Dei eſt, veniens ad homines, inter homines erat ac verſabatur, & homines per hoc Dei verbum ſeu ſermonem facti ſunt, dum ſcilicet per eum renovati ſunt, ſeu novæ creaturæ effecti: & tamen alii homines, eorumque longe maxima ac potiſſima pars, tantæ erant cœcitatis & contumaciæ, ut ſermonem iſtum Dei non cognoſcerent, proinde eum rejicerent ac repudiarent.

Confer. Johan. x. 36. xiv. 17. Confer. Pſal. lj. 12. Eſa. lxv. 17. Mal. 2. 10.

Verſ. 11. *In propria venit, & proprii eum non receperunt.*

Quodque magis mireris, ad propriæ ſuæ gentis homines, id eſt ad Judæos venit, quibus erat à Deo promiſſus, & à quibus ſollicite expectabatur, & proprii ipſum non receperunt.

Verſ. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem ut filii Dei fierent, credentibus in nomen ejus.*

Quotquot vero acceperunt ipſum, dedit eis poteſtatem & ejus, ut filii Dei, id eſt, Deo naturæ immortalitate ſimiles fiant, credentibus inquam in nomen ejus.

Verſ. 13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

Quippe qui fidei iſtius & ſanctitatis ac juſtitiæ, quæ fidem hanc conſequitur reſpectu, non ex ſanguinibus parentum & majorum ſuorum, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, quæ carnalis generatio eſt, ſed ex Deo ipſo nati ſunt.

Verſ. 14. *Et ſermo caro factus (natus) erat, & habitavit in nobis. & ſpectavimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre, plenus gratia & veritatis.*

Nec eſt ut dicas eos nihilominus naturæ ſuæ reſpectu carnem ſeu homines mortales natos & factos eſſe, proinde Dei filios, id eſt, naturæ immortalitate Deo ſimiles fieri non poſſe: nam & Verbum ſeu Sermo, qui Dei Filius eſt, & Deo naturæ immortalitate ſimilis evaſit, caro, id eſt, mortalis homo natus & factus fuit, & habitavit inter nos, mortalis inter mortales: & quamvis mortalis eſſet, tamen dum inter nos habitaret, ſpectavimus gloriam ejus, gloriam quam à Patre acceperat talem, qualem dari Filio unico, id eſt, Chriſto illi conveniebat. Qui ſermo ſicut erat plenus gloriæ diviniſſimæ, ſic erat plenus gratiæ veriſſimæ & ſolidiſſimæ, quam & annunciabat omnibus & conferebat in ſe credentibus.

FINIS.

COM-

JONÆ SLICHTINGII à BUKOWIEK

Equitis Poloni

COMMENTARIUS

In

Epiſtolam Apoſtoli Pauli

Ad

R O M A N O S.

Digitized by Google

COMMENTARIUS
IN
EPISTOLAM
PAULI APOSTOLI
AD
ROMANOS.

CAPUT I.

Verſ. 1. PAulus ſervus Jeſu Chriſti &c. Servum Jeſu Chriſti ſe vocat communi nomine: nam omnes Chriſtiani ſervi ſunt Jeſu Chriſti: unde apparet non tantum Deo, ſed etiam Jeſu Chriſto ſerviendum eſſe, & ſic per Chriſtum Deo: proinde Chriſtum eſſe conſcium omnium actitionum noſtrarum, & cuique noſtrum ſecundum ejus actiones & opera retribuere, cum ſervire alicui ſit ſecundum ejus voluntatem & nutum actitiones ſuas moderari. Hinc porro ſequitur adoratio & invocatio Chriſti. Servorum enim officium eſt Dominum, præſertim talem qualis Chriſtus eſt, nempe cæleſtem, adorare & in neceſſitatibus ſuis operam illius implorare.

Vocatus Apoſtolus. Titulum addit magis ſpecialem. Apoſtolum ſe vocat, id eſt, nuncium, nempe Dei & Chriſti, dicit enim ſe vocatum eſſe Apoſtolum, nempe à Deo & Chriſto, ne quis exiſtimet quod ſeſe in munus Apoſtolicum ingeſſerit; nec enim deerant qui id Paulo objicerent.

Segregatus ad Euangelium Dei. Euangelii vox ſignificat bonum nuncium, quem *Dei* dicit eſſe Apoſtolus, quod Deus illum curaret aſſeri & publicari, ſeu quod autore Deo adſerretur & ad notitiam hominum deduceretur.

Segregatus. Ab ipſo matris utero, nempe per Dei decretum & conſtitutionem, ut in Epiſtola ad Gal. j. 15, 16 ipſe aſſerit. *Segregatus ad Euangelium.*

Verſ. 2. *Quod ante promiſit per Prophetas ſuos in Scripturis ſacris.* Auctoritatem Euangelio Dei majorem conciliat. *Quod ante promiſit*, id eſt, jam olim à multis retro ſeculis, *promiſit*, ſe miſſurum ſeu afferri curaturum hominibus.

Per Prophetas ſuos. Videlicet Abrahamum, Moſen, Davidem, & alios omnes qui de adventu Meſſiæ ſunt vaticinati. Exprimit eos per quos Euangelium iſtud jam olim promiſerit.

In Scripturis ſanctis. Oſtendit ubi promiſſio iſta contineatur, nempe in ſacris Scripturis à Prophetis iſtis editis. Non nova res erat Euangelium reſpectu conſilii & decreti ac promiſſionis divinæ, licet noviter ab Apoſtolis afferretur.

Verſ. 3. *De Filio ejus.* Rectius hæc verba conjunguntur cum remotioribus *in Euangelium Dei*, quam cum proximè dictis, quæ in parentheſi legi debent. Apud Prophetas enim nulla expreſſa mentio Jeſu. Filii Dei appellatio accipitur *κατ' ἐξοχὴν* & per antonomaſiam pro Chriſto illo à Deo promiſſo, qui ſingulariſſimus & excellentiſſimus eſt Dei Filius. Docet Apoſtolus qua de re Euangelium, id eſt, bonum iſtud nuncium, agat; nempe de Filio Dei. Quis autem ſit iſte Filius Dei, exprimit paulo poſt, eum eſſe Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hoc nimirum continet Euangelium, Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, ſeu id qui eſſe dicitur, nempe Chriſtum illum Dei, Dominum noſtrum.

Interjicit Apoſtolus deſcriptionem iſtius Filii Dei, Jeſu Chriſti, dum ait: *Nato ex ſemine Davidis ſecundum carnem, definito Filio Dei in potentia ſecundum ſpiritum ſanctitatis, ex reſurrectione mortuorum.* Quâ deſcriptione docet primum Apoſtolus Jeſum Chriſtum habuiſſe id requiſitum quod neceſſarium erat in Chriſto illo à Deo promiſſo, nempe ut naſceretur ex ſemine Davidis: id enim divina oracula & promiſſiones Davidi ſactæ continebant, de quibus alibi idem Apoſtolus memoriæ Timothei id infigit, Jeſum Chriſtum excitatum à mortuis ex ſemine Davidis eſſe, ut hinc certiſſimo argumento colligeret eum vere Chriſtum illum Dei eſſe 2 Tim. ij. 8.

Semen Davidis. Sunt Davidis poſteri, ex quibus Jeſus Chriſtus natus eſt, ut ex Genealogiis ejus à Matthæo & Luca deſcriptis conſtat. Nec refert quod Jeſus Chriſtus ex Joſepho Davidis Filio, qui proximus Chriſti pater nuncupatur, eo modo natus non ſit quo cæteri omnes ex Davide ſunt prognati, nempe naturali modo, ſed ex ſolo Spiritu Sancto in utero Mariæ, uxoris Joſepho deſponſatæ, conceptus. Mariæ enim niſi Joſepho Davidis filio in uxorem fuiſſet deſponſata, Jeſum Chriſtum ex Spiritu Sancto non

con-

Digitized by Google

concepiſſet. Ita nihilominus Joſephus, vicem ejus obeunte Spiritu Sancto & virtute altiſſimi, pater Chriſti ſecundum carnem fuit, & per eum Chriſtus merito genus ſuum ad Davidem refert, quamvis ex carne & ſanguine Joſephi non prodierit.

Secundum carnem. Id eſt, quatenus Jeſus Chriſtus caro ſeu homo mortalis fuit, ſecluſo omni reſpectu ad Spiritum Sanctum, hactenus ad Davidem genus ſuum refert, alioquin enim quatenus ex Spiritu Sancto & virtute altiſſimi conceptus eſt, etiam hactenus Dei Filius eſt, & quidem meliori jure quam Adamus, qui quod à Deo ex terra formatus & creatus eſſet, Dei Filius dicitur Luc. iii. 38: at Jeſus Chriſtus, Dei ſpiritu & virtute ex muliere genitus eſt, & ſic Patrem habuit Deum, matrem ſanctiſſimam & caſtiſſimam virginem. Ita ſimul omnia quæ debebant, in Chriſto concurrerunt: nam & homo erat, quippe ex muliere natus, & Davidis filius, quippe ex poſteris ejus eo modo quo dictum eſt progenitus, & Dei ipſius Filius, quippe ex ejus virtute & ſpiritu conceptus. Prælufit huic rei & Adami creatio, & Iſaaci miraculoſa conceptio. Nimirum quia dignum erat ut ultimus ille Adam, & ſecundus ille homo Chriſtus, novam & cæleſtem originem haberet, quia novum & cæleſte genus hominum per ipſum oriturum erat. Et Chriſtiani omnes ex Spiritu Sancto, & ex virgine, quæ veritas eſt Euangelii, ducunt originem. Secundo loco docet his verbis Apoſtolus, quo pacto Filius iſte Dei divinam ſuam majeſtatem ſit adeptus.

Verſ. 4. *Definitus eſt*, inquit, *Dei Filius.* Definitus, id eſt, conſtitutus, per metonymiam cauſę pro effecto. Nam per definitionem ſeu deſignationem conſtituebantur magiſtratus. Sic accipitur eadem vox de eodem Chriſto Act. x. 42, & xvij. 31. Nam & David dicitur conſtitutus Rex ſuper Sion, ad quem locum hic reſpexit Apoſtolus.

Dei Filius. Id eſt, Rex & Dominus propuli Dei. Reges enim & ſummi judices à Deo conſtituti, Dii & filii Dei vocabantur. Et Apoſtolus inquam reſpicit ad verba Pſal. 2, ubi Deus ipſe de conſtitutione Regis ſui, id eſt Meſſiæ agens, conſtitutionem iſtam ſuam & hac de re decretum his verbis exprimit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Meſſiam vocans Filium ſuum, quod eum Regem fecerit populi ſui, & conſtituerit ſuper ſanctum montem ſuum, quem & ideo genuiſſe ſe dicit illo ipſo die, quo eum plene Regem fecit, quanquam generatio iſta, ſenſu myſtico & ad Jeſum Chriſtum relato, (nam alioquin literali ſenſu verba hæc referebantur ad Davidem Chriſti typum & figuram) pleniorem ſignificationem habeat, ut mox videbimus:

In potentia. Id eſt, per potentiam, nempe Dei proxime nominati; qua de potentia idem Apoſtolus agit inter alia Epheſ. j. 19, 20 & ſeqq. Convenientius enim videtur Dei potentiam hic diſerte celebrari, quam voces *in potentia* ad Dei Filium referri, qui eo ipſo potentiſſimus dicitur, quod Dei Filius, id eſt Rex & Dominus cæleſtis conſtitutus ſit. Docemur his Apoſtoli verbis Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei à Deo conſtitutum, per ejus virtutem ac potentiam, (voce Filii Dei in excellenti ſignificatione accepta) non ex ipſius eſſentia ab æterno genitum. Lucem enim defugiunt, qui vocem ὁρισθέντος hoc loco pro nuda manifeſtatione accipiunt, cum hæc vox ſignificationem iſtam nuſquam habeat.

Secundum ſpiritum ſanctitatis. Nempe quo in Regum à Deo unctus erat. Spiritus ſanctitatis ſignificat Spiritum Sanctum, duobus ſubſtantivis pro ſubſtantivo cum adjectivo. Sic nomen ſanctitatis pro nomine ſancto Dei Pſalm. xxxiij. 21, thronus ſanctitatis Pſal. xLvij. 9, mons ſanctitatis Pſal. xLviij. 2, ſpiritus ſanctitatis Pſal. Lj. 13, oleum ſanctitatis Pſal. Lxxxix. 21, ſpiritus ſervitutis apud eundem Paulum, ſpiritus filiationis pro ſpiritu ſervili filiali Rom. viij. 15. Docet Apoſtolus Jeſum Chriſtum non tantum carnem & hominem mortalem fuiſſe, ſed etiam Spiritu Sancto fuiſſe unctum & peculiariter ſanctificatum, quin & ex ipſo conceptum, & haud dubie ab ipſa conceptione eo repletum. Hujus igitur Spiritus Sancti reſpectu, quo Jeſus ad tantum munus ſanctificatus & idoneus redditus fuit, conſtitutus eſt Rex & Dominus populi divini: nam & Propheta à Deo conſtitutus eſt, ſecundum eundem ſpiritum, ſeu quod Spiritu Sancto muneri ejus Prophetico convenienti unctus & inſtructus eſſet Actor. x. 38. Sic & David Chriſti typus, rex populi Dei conſtitutus eſt, quatenus erat juſſu Dei unctus oleo illo ſancto, cui oleum cæleſte, nempe Spiritus Sanctus, reſpondet. Sic & alii Reges Iſraëlitici eodem oleo ungebantur cum Reges conſtituerentur. Manifeſte autem Apoſtolus ſpiritum iſtum opponit carni, ſeu verba

Secundum ſpiritum, opponit verbis, *ſecundum carnem.* Quæ oppoſitio inter carnem & ſpiritum (quamquam ſpiritus voce non ſemper Spiritum Sanctum ſignificante) & alibi reperitur: ut fruſtra ſint qui in Chriſto, carni naturam qua fuerit ipſe Deus altiſſimus, opponi putant, cum carni in Chriſto opponitur Spiritus Sanctus, quo nomine natura iſta quam illi in Chriſto cogitant nuſquam in ſacris literis appellatur. Etſi dubiom non videtur veteres Chriſtianos non aliam divinam in Chriſto naturam agnoviſſe, quam hunc ipſum Spiritum Sanctum; poſteriores vero, ut fieri ſolet, in devia prolapſos eſſe. Docemur igitur ab Apoſtolo, in Jeſu Chriſto nihil aliud agnoſcere, quam quod eſſet homo; deinde quod eſſet Spiritu Sancto unctus, & ex illo conceptus; tertio, quod ſit á Deo Filius Dei, id eſt, Rex & Dominus & ſummus Sacerdos conſtitutus. Nam auctor ad Hebræos, etiam ad ſacerdotium Chriſti verba illa Pſal. 2 refert Heb. v. 5. Inepti ſunt qui ob plures filiationis in Chriſto cauſas, plures inferri Filios ſtatuunt: neque enim in Chriſto locum habet filiatio phyſica. Quæ de Chriſti filiatione ex Deo dicuntur, metaphoram continent: cujus quanto plures ſunt cauſæ, tanto plenior & convenientior ac decentior eſt.

Ex reſurrectione mortuorum. His verbis occurrit Apoſtolus objectioni. Poterat aliquis dicere, atqui Jeſus fuit in crucem actus & morte affectus, quomodo igitur Rex populi Dei eſt conſtitutus? Eſt, inquit Paulus, *ex reſurrectione mortuorum*, id eſt, ex quo eum Deus à mortuis reſuſcitavit; nam & in hoc ipſum eſt à Deo à mortuis reſuſcitatus cap. xiv. 9. Quæ Chriſti reſuſcitatio etiam ad potentiæ ſeu virtutis Dei effecta pertinet, & ſimul modum ac rationem quandam ſpecialem continet, qua Filius iſte Dei à Deo fuit genitus. Dum enim eum à mortuis reſuſcitat, eo

ipſo

ipſo eum generat; unde & *primogenitus* (nempe à Deo) *ex mortuis* appellatur, & hic ipſe Apoſtolus verba Dei *ego hodie genui te*, de Chriſti reſuſcitatione ex mortuis interpretatur Act. xiij. 32, 33, 34, eamque iis confirmat; & Apoſtoli ipſi cum vellent docere Jeſum eſſe Dei Filium, ſeu Regem illum populi Dei cæleſtem effectum, neceſſe habuerunt primum docere & confirmare eum eſſe à Deo ex mortuis reſuſcitatum, unde & teſtes reſurrectionis Chriſti nominantur. Reſurrectione enim Jeſu evicta, protinus conſequitur eum eſſe Chriſtum illum Dei, ſiquidem eum ſeſe eſſe conſtanter affirmavit, & non ſolum miraculis & operibus divinis ac Chriſto illo plane dignis confirmavit, ſed etiam morte ſua obſignavit. Recte autem Apoſtolus Jeſum Chriſtum Dei Filium conſtitutum eſſe aſſerit ex reſurrectione mortuorum, ſeu ex quo reſuſcitatus eſt ex mortuis. Nam tum demum jure pleno regiam ſuam poteſtatem eſt adeptus, ex quo omnes ſuos hoſtes, præſertim vero ultimum ac teterrimum hoſtem, nimirum mortem, in ſeipſo devicit. Sic David, Chriſti ſecundum carnem pater & typus, poſt devictum Abſolonem, revertens in regnum: *hodie*, inquit, *factus ſum Rex Iſraëlis* 2 Sam. xix. 22. Sed & ipſe Chriſtus à mortuis reſuſcitatus, datam ſibi omnem ait in cælo & in terra poteſtatem Matth. xxviij. 18. Chriſtus dicitur reſurrexiſſe, non quod ſua virtute id fecerit, ſed quod Dei virtute effectum ſit ut reſurgeret: nam & nos reſurrecturi dicimur, quod Dei virtute at potentia ſimus reſuſcitandi; ideo & Chriſtus non tantum ipſe reſurrexiſſe, ſed etiam reſuſcitatus eſſe à Deo & à Patre pluries aſſeritur. Pn rro reſurrectio mortuorum per ellipſin particulæ *ex* ponitur ab Apoſtolo, pro reſurrectione *ἐκ νεκρῶν, ex mortuis.*

Jeſu Chriſto Domino noſtro. Voces Jeſu Chriſti referuntur ad ſuperiora verba *de Filio ejus*, ita ut interjacentia in parentheſi legenda ſint: vox Chriſti voci Jeſu adjecta non habet hic vim prædicati de Jeſu, ſed vim appellationis Jeſu, ſeu Jeſu uſitatum cognomen continet: quaſi dicat, Jeſus qui dicitur Chriſtus, quod tamen recte adjecit Apoſtolus, ut oſtenderet Jeſum hunc ipſum eſſe qui dicitur, nempe Chriſtum illum Dei, nec falſo vel otioſe cognomen hoc gerere: qua de re jam ſupra monuimus.

Domino noſtro. His vocibus exprimit Apoſtolus Jeſu Chriſti majeſtatem, illam ipſam quæ vocibus Dei Filii ſignificatur, niſi quod Filius Dei dicatur Jeſus reſpectu Dei, Dominus vero reſpectu noſtri.

Verſ. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum in obedientiam fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus.* Addit hoc Apoſtolus ut exprimat effectum Regiæ poteſtatis Chriſti, nempe quod per ipſum, à Deo ſcilicet, acceperit munus ſuum Apoſtolicum, præſertim cum ab initio, auctore non expreſſo, vocatum tantum ſeſe dixerit Apoſtolum. Hic auctorem exprimit, ſimulque muneri ſuo auctoritatem conciliat. Deus nimirum Jeſu Chriſti Pater eſt, ex quo omnia, & nos in illum, tanquam finem & ſcopum ultimum. Jeſus Chriſtus autem Dominus noſter, eſt is per quem omnia in nos à Deo manant, & nos viciſſim per illum tanquam ſcopum & finem intermedium referimur in Deum 1 Cor. viij. 6.

Gratiam. Id eſt, beneficium, per metonymiam cauſæ pro effecto.

Et Apoſtolatum. Exprimit iſtud beneficium, nempe munus ſuum Apoſtolicum, quod ſane ingens erat beneficium, idque nullo Pauli merito, ſed ex ſola Dei Chriſtique gratia ipſi collatum.

In obedientiam fidei. Docet quo fine munus hoc collatum ſibi ſit: *in* ſive *ad obedientiam*, inquit, hoc eſt, ad efficiendam obedientiam. Obedientia ponitur pro effectione obedientiæ, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto. *Fidei.* Docet quam obedientiam intelligat, per genitivum differentia ſeu ſpeciei, nempe obedientiam quæ conſiſtit in fide, ut ſcilicet credatur Euangelio, non ut Lex Moſis recipiatur, quod avebant Judæi, ſed ut ſuſcipiatur fides Chriſti.

In omnibus gentibus. Id eſt, inter omnes gentes, *in* pro *inter*, uſitato Hebraiſmo, ut & infra verſ. 13. Docet inter quos obedientia iſta effici debeat, nempe non in una aliqua gente, verbi cauſa, Judaica, ſed in omnibus gentibus. Unde & gentium Apoſtolum & Doctorem Paulus ſeſe appellat. Nimirum per Paulum Deus aperuit omnibus gentibus oſtium fidei in Chriſtum, eaſque ſicut ad fidem, ſic & ad ſalutem æternam vocavit.

Pro nomine ejus. Exprimit finem & muneris ſui & obedientiæ iſtius ac fidei ad ipſum Chriſtum pertinentem, nempe gloriam nominis ejus. Nomen pro nominis gloria, per metonymiam ſubjecti, quod & alibi fieri ſolet. Magnam enim Chriſti nomen gloriam conſequebatur, cum tot gentes ac nationes fidem in ipſum ſuſciperent, & nomen ejus invocarent. Quæ tamen Chriſti gloria tota refertur ad Dei, cujus Filius ac Chriſtus eſt, gloriam.

Verſ. 6. *In quibus eſtis & vos, vocati Jeſu Chriſti. In quibus*, nempe gentibus, *in* iterum pro *inter*, *eſtis & vos*, ſcilicet Romani, quibus æque ut cæteris gentibus omnibus jus fidei in Chriſtum datum eſt, ſeu ad fidem in Chriſtum acceſſus.

Vocati Jeſu Chriſti. Id eſt, à Jeſu Chriſto, per genitivum cauſæ. *Vocati*, nempe ad fidem, & quæ fidem conſequitur, ſalutem: quaſi dicat, non ipſi vos ingeſſiſtis in fidem, ſed ab ipſo Jeſu Chriſto per miniſtros ejus vocati eſtis, proinde de fructu fidei veſtræ nolite dubitare. Uterque verſiculus 5 & 6 in parentheſi legi debet.

Verſ. 7. *Omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis.* Hæc verba, quæ nomen continent eorum quibus epiſtola hæc inſcribitur, cum ſuperioribus, quibus auctor epiſtolæ nomen ſuum exprimit, conjungi debent.

Omnibus qui ſunt Romæ. Nempe non omnibus abſolute qui Romæ ſint;

. Sed, ut addit, *dilectis Dei.* Omnibus qui Romæ ſunt Dei dilectis, *dilectis* nimirum ob fidem in Chriſtum, ſeu obedientiam Deo præſtitam, quæ fide iſta continetur. Deus enim eos diligit qui ſibi obediunt.

Addit adhuc, *vocatis ſanctis*, ut oſtendat ſe ſcribere omnibus qui Romæ eſſent ſanctis, non profanis; ſanctis nimirum propter eandem fidem & obedientiam. Per hanc ſiquidem homines ſanctificantur, ſeu ſancti redduntur, id eſt, à profanis & impuris hominibus ſegregantur ad ſerviendum Deo. Non ſimpliciter autem ſanctos appellat, ſed iterum addit *vocatis*, ut Deum ipſum & Chriſtum ſanctitatis iſtius auctorem eſſe oſtendat. *Vocati ſancti*, id eſt, tales ſancti qui à Deo

& Chriſto ad id ut ſancti eſſent vocati ſunt. Sic verſ. 1 vocatum Apoſtolum ſeſe dicit Paulus, ut iſtic videmus.

Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Salutatio eſt Apoſtoli.

Gratia vobis. Scilicet ſit, per ellipſin nominis ſubſtantivi. Precatur eis *gratiam*, id eſt favorem, *& pacem*, id eſt felicitatem, favoris & gratiæ effectum.

A Deo Patre noſtro. Oſtendit à quo gratiam & pacem precetur; primum à *Deo Patre noſtro*, id eſt ab illo unico & altiſſimo Deo, qui Pater eſt noſtrum omnium, in Filium ejus credentium; quem Patris noſtri titulo deſcribit, ut ſpem nobis haud dubiam faciat, gratiæ iſtius & pacis ab ipſo conſequendæ. Deinde gratiam iſtam & pacem precatur à *Domino Jeſu Chriſto*, quippe quod Jeſus Chriſtus noſter ſit Dominus, ideoque & Dominum eum vocat, per quem ſcilicet Deus & gratiam ſuam paternam nobis exhibet & pacem largitur. Notandum autem eſt in hac ſalutatione, quod & in aliis fit, ſolum Patrem Deum illum unum eſſe dici, & Jeſum Chriſtum ab eo diſtingui, non tanquam ſecundam aliquam unius ejuſdemque Dei cum Patre perſonam, ſed tanquam Dominum ab uno illo Deo effectum ac conſtitutum. Spiritus vero Sancti nullam fieri mentionem, qui ſi ab Apoſtolo credebatur eſſe unius illius Dei perſona non minus quam Pater; nulla ratione debebat omitti: quem tamen in omnibus Apoſtolorum ſalutationibus omiſſum videmus, & ſicubi in voto ſeu precatione Apoſtolica ponitur, quod ſemel fit 2 Cor. xiij. 13, ponitur non tanquam is cujus gratia vel dilectio voveatur, ſed cujus voveatur communicatio, quæ eum haudquaquam perſonam eſſe evincit: ſiquidem Spiritus Sancti communicatio in eo conſiſtit, ut quiſque partem aliquam, ſeu portionem Spiritus Sancti adipiſcatur, quod & auctor ad Hebræos expreſſit cap. 2, 4. & ipſa datio Spiritus Sancti in ſacris litteris deſcripta docet. Ideoque & ab alio, id eſt à Deo & Chriſto communicari intelligitur. Nam quod attinet ad votum illud in Apoc. j. 4, quo gratiam & pacem Joannes à VII ſpiritibus precatur, hoc magis adhuc evincit, Spiritus Sancti perſonam, præſertim quæ Deus ille unus ſit, nullam eſſe. Cur enim Apocalypſeos iſtius auctor à VII ſpiritibus potius precaretur pacem, quam à Spiritu Sancto? Nam eum per VII iſtos ſpiritus, ſeptem Angelos intelligere, non tantum numerus plurium, ſed etiam hæc ipſa quam addit deſcriptio docet. Addit enim, *qui ſunt coram throno Dei*, id eſt, qui coram Deo apparent & illi miniſtrant. Idem patet ex cap. iij. 1. iv. 5, v. 6. Qua de re pluribus agendi nunc locus non eſt. Spiritus certe Sancti unicam perſonam, ſeptem ſpiritus appellare propter dona (quę tamen multo ſunt plura 1 Cor. xij. 8, 9, 10) nulla ratio patitur, idque in precatione gratiæ & pacis, quam nemo à donis precatur. Hoc tantum monendum videtur, ex apprecatione iſta gratiæ & pacis à ſpiritibus iſtis VII, invocationem & conſequenter adorationem Angelorum colligendam non eſſe. Etſi enim ab iis Joannes vovet & optat gratiam & pacem eccleſiis, tanquam ab iis per quos Deus & Chriſtus eccleſiam ſuam gubernet & protegat; tamen votum hoc ad ipſum Deum & Chriſtum, non ad Angelos dirigitur ac refertur: à Deo, inquam, ac Chriſto optat & vovet, ut gratia & pax ab Angelis iſtis proficiſcatur & derivetur in eccleſias: qua ratione & Jacobus Patriarcha à Deo vovet, Deumque precatur ut ille idem Angelus, cujus opera ipſum Jacobum eripuerat ex omnibus malis, benedicat filiis Joſephi, nepotibus ejus Geneſ. XLVIIj. 15, 16. Nam Angelos præſentes adeſſe & injuſſos facere quidquam poſſe, præſumi non debet.

Verſ. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo &c.* Incipit Epiſtolam, ut par erat, à gratiis agendis Deo. Ideo ait, *primum quidem:* quaſi dicat, ante omnia. Particula *quidem* redundare videtur, niſi quis eam addi dicat aliarum rerum reſpectu, de quibus Apoſtolo ſcribere animus erat; ſed hoc eſſe primum omnium, non ſolum & unicum; cujus locutionis exemplum habebimus cap. iij. 2.

Gratias ago Deo meo. Id eſt, uni illi & altiſſimo Deo, hic enim erat Deus Apoſtoli: quem ſuum vocat Deum, affectus ſui erga Deum, & cultus quem ei deferebat teſtandi cauſa. Alias, cum Deus, alicujus ſe Deum dicit, ipſe affectum ſuum & gratiam erga hominem declarat.

Per Jeſum Chriſtum. Id eſt, ita ut omnia Dei beneficia in nos per Jeſum Chriſtum proficiſci agnoſcam, tanquam unicum Dominum nobis à Deo datum: proinde Deo gratias agendo nomen Jeſu Chriſti ſimul commemorem ac præferam; adeo ut gratiarum iſta actio per Chriſtum referatur ad Deum. Huc pertinent verba Apoſtoli Epheſ. v. 20, & Coloſſ. iij. 17, *Gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Quanquam etiam ſæpe ad ipſum Chriſtum gratiarum actio dirigitur, quæ & ipſa in Chriſto non conſiſtit, ſed redundat in Deum, tanquam Chriſti Patrem & auctorem. Notandum eſt Jeſum Chriſtum aperte hic diſtingui ab uno illo Deo, ſeu Deo Apoſtoli: unde conſequitur ſolum Patrem ab Apoſtolo pro uno illo Deo agnitum & cultum fuiſſe; Jeſum Chriſtum autem pro Domino & Chriſto ab ipſo effecto, cujus cultus referretur ad Dei Patris gloriam: quæ obſervatio fere ubique occurrit, & ſupra verſ. 1, collato cum verſ. 3 & 4. verſ. 7, verſ. 9, &c.

Pro omnibus vobis. Id eſt, pro beneficio omnibus vobis collato, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto. Sic pro omnibus hominibus gratias agere jubemur 1 Tim. 2. 1, id eſt pro beneficiis quæ Deus in omnes homines confert.

Quod fides veſtra annuncietur in toto mundo. Exprimit iſtud Dei benificium, ſeu potius illius conſequens, beneficium iſtud erat fides ipſorum, fides nimirum in Chriſtum, quæ Dei donum eſt, ut alibi Apoſtolus ait Epheſ. 2. 8. Fides enim eſt ex auditu, auditus per verbum Dei Rom. x. 17. Itaque iis Deus donaverat fidem, quatenus iis miſerat verbum & Euangelium ſuum ad perſuadendos hominum animos efficaciſſimum: ſed Apoſtolus maluit ponere conſequens pro antecedente; non enim ſimpliciter gratias agit Deo pro ipſorum fide; ſed pro eo quod fides illorum annunciaretur in toto mundo: id fiebat propter Romanorum in toto mundo celebritatem. Nam quia Romani per totum orbem terrarum fama differebantur; fieri aliter non poterat, quin & fides eorum ſeu ad Chriſti nomen converſio famâ & nuncíis ubique celebraretur: quæ res quia pertinebat ad Dei & Chriſti gloriam, merito pro ea gratias agit Apoſtolus Deo per Jeſum Chriſtum.

Verſ. 9.

Verſ. 9. *Teſtis enim meus eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Euangelio Filii ejus.* Confirmat ſe gratias agere pro Romanis, eorumque fide.

Quam indeſinenter mentionem veſtri facio. Quaſi dicat, ut hinc colligatis quantopere Deo gratias agam pro vobis. *Mentionem* nimirum coram Deo, *in precibus*, ut mox addit. Nam qui pro aliquo aſſidue preces fundit, ut Deus beneficia ſua in eum effundat, fieri non poteſt quin pro effuſis & collatis in eum beneficiis Deo gratias agat. Quia vero Apoſtolus de ſe rem aſſerit quæ à Romanis credita, plurimum eis prodeſſe poterat ad Apoſtolum amandum, ideo non ſimpliciter id aſſerit, ſed cum juramento Deum teſtem invocans. Nolebat videri Apoſtolus hæc ſeſe de ſe, more aliis hominibus ſolito, non tam veritatis quam blandimenti cauſa aſſerere. Exemplum hic habemus jurare ſanctis licere, ſeu Deum teſtem invocare, ſi ex vero fit uſu, & imprimis ſi id Dei gloriæ & hominum ſaluti conducat, quod hoc loco factum videmus.

Cui ſervio in ſpiritu meo, in Euangelio Filii ejus. Addit hoc Apoſtolus ut oſtendat ſeſe non temere ſed magna religione jurare, & Deum teſtem invocare; poterat enim aliquis Judæorum dicere, quæ tua eſt in juramento religio? tu Dei cultum deſeruiſti, templum ejus ſanctum vix unquam adis, cærimonias in Lege Dei præceptas & ſacrificia negligis! Reſpondet Paulus, ſe Deo ſervire in ſpiritu ſuo, id eſt intus, in animo ſuo, ſpiritum & animum ſuum Dei templum eſſe, in quo Deus habitet, id eſt ſeſe Deo confidere, Deum timere, venerari, in omnibus ſuis actionibus ad Deum perpetuo reſpicere, & unice operam dare ne qua in re ipſum offendat, ſed ut omnibus in rebus ipſi complaceat. Hoc enim eſt in ſpiritu Deo ſervire. Poteſt & particula *in* redundare ex Hebraiſmo, in ſpiritu meo, pro ſpiritu, id eſt animo meo.

In Euangelio Filii ejus. *In* poſitum pro *per*, vel *ſecundum:* quaſi dicat, etſi Deo non ſervio per Legem Moſaicam, id eſt ex Legis Moſaicæ præſcripto, per cærimonias illas & ritus, tamen ſervio Deo per Euangelium Filii ejus, id eſt, ex Euangelii præſcripto. Servio, inquam, in ſpiritu & veritate, quod ipſe Dei Filius veros cultores facturos docuit, quod ſervitium ſeu ratio ſerviendi Deo longe perfectior eſt, & Deo qui ſpiritus eſt dignior, quam ſervitium illud quod Deo præſtabatur ſecundum Legem. Ad hoc ipſum ſpirituale & Euangelio conſorme ſervitium Apoſtolus hortatur & Romanos cap. xij. s, tacite illud cultui ac ſervitio Legali opponens. Idem Apoſtolus Philipenſ. cap. iij. 3 de Chriſtianis ait, *quod ſpiritu Deo ſerviant*, & ad Galatas, quod ſpiritus per fidem ſpem juſtitiæ expectent, ubi etiam ſpiritum circumciſioni & ritibus Legis opponit cap. v. 5. Euangelio porro auctoritatem conciliat Apoſtolus, cum illud *Euangelium Filii Dei*, id eſt Chriſti illius, appellat, qui ſicut Moſe longe eſt præſtantior, ſic & Euangelium ab ipſo allatum longe præſtat Legi. Vox Euangelii per ſynecdochen partis pro toto Filii Dei ſermone accipitur, quod ejus præcipua pars ſit bonum nuncium.

Quam indeſinenter mentionem veſtri facio. Indeſinenter ſeſe mentionem Romanorum facere ſcribit Apoſtolus, quod id faceret creberrime, & quavis occaſione oblata, ſuo tempore ſemper; nam quæ ſic facimus, indeſinenter facere dicimur. Sic & nos indeſinenter orare jubemur, id eſt, quoties orandi tempus eſt & occaſio; nullum tempus, nullam occaſionem orandi prætermittere. Addit autem Apoſtolus particulam *ὡς, quam*, ut aſſiduitatis iſtius perfectionem denotet. Mentionem autem eorum faciebat, quatenus Deum orabat ac precabatur ut eos in fide confirmaret & augeret, & efficeret ut in fructus uberrimos & conſequenter in eorum ſalutem hæc eorum fides exundaret. Magna hæc profecto fuit Pauli erga Romanos dilectio, tam aſſidue pro iis vota fundere. Hæc enim faciebat, ut tædium ac moleſtiam ea in re, quamvis alioquin per ſe laborioſa, vel non ſentiret, vel libenter devoraret.

Verſ. 10. *Semper in precibus meis rogans, ſi quomodo tandem proſperum iter mihi detur.* Dicit Apoſtolus quid inter alia rogaverit Deum, mentionem Romanorum coram Deo faciens, *ſemper*, inquit, *in precibus meis*, non abſolute ſemper, ſed quoties preces faceret, ſemper. *Ἐπὶ*, pro *in*,

Rogans. Nempe Deum per Chriſtum.

Si quomodo tandem aliquando proſpero itinere utar. Quaſi dicat, ad hoc enim uſque tempus id habere non potui.

In voluntate Dei. Id eſt, per voluntatem Dei, *in* pro *per*. Exprimit proſperi itineris cauſam, nempe Dei voluntatem.

Venienti ad vos. Id eſt, ut veniam ad vos: terminum itineris iſtius ſignificat. Hic exemplum habemus Deum non ſemper nobis concedere ea quæ cupimus, quamvis aſſidue rogemus, nempe ſi ea divinæ voluntati non reſpondeant, ſeu ſi Deus aliud velit; ideo voluntati Dei in talibus nos ſubjicere debemus, quod hic Paulum facere videmus. Nota enim ſunt Deo conſilia ſua, quę etiam ſanctiſſimis viris poſſunt eſſe ignota, & in hoc Pauli negotio eventus docuit, voluiſſe quidem Deum ut Paulus Romam adiret, ſed ita ut prius captivus fieret propter Chriſti Euangelium, & captivus eo abduceretur; quo prædicatio ejus majorem haberet auctoritatem & fidem, apud probos, & vilior ac contemptibilior redderetur apud improbos. Apparet etiam hinc, Deum ſervorum ſuorum, præſertim miniſtrorum Euangelii ſicut omnes actiones quæ ad eorum munus ſpectant; ſic & itinera propter gloriam ejus ſuſcepta vel ſuſcipienda dirigere, ut non ſemper eo proficiſci poſſint quo velint, & ſæpe eo proficiſcantur quo iis proficiſci animus non erat. Cracoviam certe ut ſub præſidia Suecorum veniremus, & hic commentarios iſtos conficeremus, ne per ſomnium quidem unquam cogitavimus.

Verſ. 11. *Deſidero enim videre vos.* Cauſam reddit propter quam hoc quod dixit ſemper à Deo petat; deſiderium nimirum videndi Romanos: non ex curioſitate aliqua & carnali cauſa profectum; ſed ut addit:

Ut aliquod impertiar donum vobis ſpirituale. Vel donum Spiritus Sancti, qui per manus Apoſtolicas dabatur intelligit, vel etiam dogma aliquod ad majorem Chriſti cognitionem ſpectans; nemo enim myſteriorum Dei tam gnarus eſſe poterat quam Apoſtoli, præſertim Paulus. Locus hic argumento eſt

Apoſtolum Petrum Romæ tunc non fuiſſe, neque enim opus fuiſſet Pauli adventu ad impertiendum Romanis aliquod ſpirituale donum, ſi Petrum, tantum Apoſtolum, iſtic habuiſſent; præſertim hoc ſine, qui ſtatim additur, *ad confirmandos vos*. An enim Petrus Apoſtolus non ſatis ſuperque eos in Chriſti fide confirmare potuiſſet? Igitur apparet ad illud uſque tempus nullum Apoſtolum Romanos adiiſſe, ſed ſolos Euangeliſtas, qui Apoſtolis in circumferendo Euangelio miniſtrabant, & ſæpe ea loca adibant quæ Apoſtoli alio avocati adire non poterant, ſic Philippus ante Apoſtolorum adventum Samariam ad Chriſtum converterat. Jam vero ſi Petrus Romæ tum nondum erat, tota id affirmantium collabitur Chronologia, & conſequenter fundamentum Sedis Romanæ, quam volunt.

Ad confirmari vos. Græca locutione, id eſt, ad confirmandos vos, nempe in fide Chriſti. Nam per Spiritus Sancti dona miniſteria Apoſtolorum credentibus collata, & per uberiorem myſteriorum Dei notitiam, magnopere confirmantur credentes.

Verſ. 12. *Hoc vero eſt, ſimul conſolari in vobis.* Conſequens & effectum confirmationis iſtius exprimit. *Hoc vero eſt*: quaſi dicat, hujus vero rei, nempe confirmationis veſtræ, conſequens & effectum eſt. Solent enim cauſæ nuncupari nomine effectus, & effectus nomine cauſæ, per metonymiam. Ex confirmatione Romanorum in fide hoc oriturum dicit, ut ſimul conſolaretur, ſeu mutuam conſolationem caperet cum illis Apoſtolus, *in vobis*, pro *vobiſcum*, *in*, pro *cum*, uſitata Hebræis loquutione.

Per mutuam fidem veſtram & meam. Paulo magnum ſolatium allatura erat fides Romanorum confirmata & ſtabilita, Romanis quoque non minori ſolatio futura erat Pauli fides in Chriſtum firmiſſima; quæ per ſua effecta, nempe Spiritus Sanctus dationem imprimis, & profundam myſteriorum Dei notitiam ſeſe exerebat ac noſcebatur. Æquat ſeſe quodammodo cum iis Apoſtolus, ſummæ modeſtiæ cauſa, ne in eo quod ſuperius dixerat, aliquid ſibi præſumpſiſſe videretur.

Verſ. 13. *Nolo autem vos ignorare fratres, quod ſæpe propoſui venire ad vos.* Addit hoc Paulus, ne quis exiſtimaret Paulum non ſæpe conatum eſſe ut veniret ad Romanos. Non vult eos neſcire quod ſæpe propoſuerit venire ad ipſos. Hoc enim pertinet ad confirmandum id quod dixerat, ſe deſiderio teneri videndi Romanos. Nam alioquin dicere poterant, ſi tantopere deſiderares nos videre, jam pridem ad nos venire potuiſſes.

Sæpe, inquit, *propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.* Ne quis diceret, cur ergo non veniſti? Ideo non veni, quia prohibitus ad hoc uſque tempus fui. Particula *&* videtur poni pro *ſed*, per Hebraiſmum. Prohibitus credo Dei ſeu Spiritus Sancti monitu & inſtinctu: cujus rei exemplum habemus Actor. xvj, 6, 7. Nam Satanas impedire Dei permiſſu Pauli propoſitum poterat, quemadmodum & feciſſe legitur 1 Theſſ. 2. 18: ſed ne Paulus aliquid faceret, prohibere eum non poterat. Prohibere enim ſuperiorum eſt, & poteſtatem in aliquem habentium. Verba hæc in parentheſi legi debent. Sequitur enim, *ut fructum aliquem habeam & in vobis.* Quibus verbis cauſam explicat, cur toties propoſitum hoc habuerit. Commodum ſuum in cauſa fuiſſe ait, ut tanto facilius fidem inveniat, commodis enim ſuis maxime reguntur homines: tale tamen Pauli commodum hoc erat, ut non minus & ipſorum Romanorum eſſet.

Ut fructum aliquem habeam & in vobis, ſicut & &c. Fructum intelligit laboris & operæ ſuæ, quæ in eo erat, ut quamplurimos ad Chriſti fidem converteret, vel ad fidem converſos in fide confirmaret, & efficeret ut fides eorum in omnes pietatis fructus exuberaret.

Et in vobis. Id eſt, & inter vos. Quod exemplo illuſtrat.

Sicut & in reliquis gentibus. Id eſt, inter reliquas gentes, notans ſimul & cauſam: quaſi dicat, cum inter reliquas gentes fructum habeam per Dei gratiam non exiguum, cuperem etiam inter vos fructum aliquem habere.

Verſ. 14. *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Cauſam affert Apoſtolus cur inter omnes gentes circumferat Euangelium, *quia*, inquit, *debitor ſum* omnibus gentibus, non ſolis Judæis. Diſtinguit autem gentes profanas in Græcos & Barbaros. Barbari Græcis dicti ſunt omnes alii populi, quanquam Barbari dici non viderentur, inter quos Græca lingua & conſequenter Græcæ diſciplinæ communes erant, ut inter Italos & inprimis Romanos, qui hac ratione barbariem exuerant. Haud dubie etiam Apoſtolus inter Barbaros non ponit Judæos, quorum hic nullam facit mentionem, quod per ſe manifeſtum eſſet, illum Judæis obligatum fuiſſe ad prædicandum Euangelium.

Sapientibus & inſipientibus. Id eſt, doctis & indoctis, literatis & illiteratis, qui in omnibus Gentibus eſſe poſſunt & ſolent. Nam docti ſapientes abſolute vocari poſſunt, quia indoctis ſapientiores ſunt, & indocti ſeu literarum rudes inſipientes, quia cum doctis comparati minus ſapiant, & minus mentis habere videantur. Ἀνοήτους dicit Paulus, quaſi mente & cognitione carentes, nempe, ut diximus, comparati cum doctis & diſciplinis excultis. Neque enim Apoſtolus eos intelligit qui plane amentes erant & intellectu carebant. Cur enim talibus prædicaret Euangelium? Hoc perinde foret atque ſi quis brutis animalibus prædiceret. Ut mirari ſubeat eos qui rationem & intellectum humanum in rebus fidei excluſum eunt, & credi volunt ea quibus omnis humana ratio reclamat! Porro ſi indoctis & rudibus debitor erat Apoſtolus ut iis Euangelium prædicaret, certe non minus rudes & indocti Euangelii capaces erant quam docti & ſapientes. At ſi capaces erant ut audirent, cur negemus eos capaces eſſe ut legant?

Debitor ſum. Videlicet ex munere & officio meo Apoſtolico, mihi à Deo & Chriſto impoſito, *debitor* ad prædicandum iis Euangelium.

Verſ. 15. *Sic*, nempe ſicut dixi, *quod ad me attinet.* Græcè, τὸ κατ' ἐμὲ, intellige ὄν, *promptum*, πρόθυμον, intellige *eſt*. Quaſi dicat, dommodo Deus velit & mihi permittat, in me nulla eſt mora, & *vobis qui in Roma*, intellige *eſtis*, eadem ellipſi,

Euangelium prædicare. Quaſi dicat Apoſtolus, quamvis Romæ habitetis, in urbe toto orbe celeberrima

rima, & gentium aliarum domina : in qua viros doctiſſimos & cultiſſimos eſſe neceſſe eſt.

Verſ. 16. *Non enim me pudet Euangelii Chriſti.* Cauſam dicti ſuperioris affert, per prolepſin. Poterat aliquis dicere ; non tam tibi promptum eſt Paule Romanis Euangelium prædicare quam aliis gentibus ; puderet te in conſpectum Romanæ urbis prodire, in tantam hominum lucem, ubi ſedes eſt imperii, ubi confluxus omnis doctrinæ & ſapientiæ. Reſpondet Apoſtolus, ſalluntur vehementer qui ſic exiſtiment. *Nam me non pudet Euangelii Chriſti.* Non pudet ullo in loco, ullo tempore, ullis hominibus coram : non pudenda res eſt Chriſti Euangelium : quidquid ei contradicant, & quocunque loco illud habeant adverſarii, quos ipſos vel maxime pudere deberet quod Euangelio adverſentur. *Euangelii Chriſti.* Id eſt, de Chriſto illo, intellige Dei, per genitivum objecti. Voci *Chriſti* additus eſt articulus, excellentiæ nota ; Chriſtum illum Dei ſingularem & maxime eximium deſignans. In Euangelio autem de Chriſto includit Apoſtolus omnia quæ ad Chriſti iſtius, & conſequenter Dei in Chriſto cognitionem pertinent.

Potentia enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. Cauſam affert Apoſtolus cur ipſum Euangelii Chriſti nulla ratione pudeat nec pudere debeat, quia, inquit, Euangelium illud, *eſt Dei potentia*, id eſt, de Dei potentia. Res ponitur pro rei nuncio, uſitata loquendi ratione ac metonymia, ut ſi quis bonum aliquem nuncium Cracoviam, hoc periculoſo & ancipiti in quo nunc verſamur tempore, allatum eſſe audiens, quærat quis ſit iſte bonus nuncius ? recte alter reſponderet, pacem eſſe in Polonia compoſitam, id eſt, nuncium eſſe de pace compoſita. Porro potentiæ Dei voce, itidem per metonymiam, ſignificat Apoſtolus Dei potentiæ effectum ſeu factum & opus, in quo immenſa Dei potentia ſeſe exeruit & apparuit, hoc vero eſt quod Jeſum in Regem ab ipſo Spiritu Sancto & virtute unctum, & ad Judæos ſecundum promiſſiones ſuas miſſum, ab iis vero, Dei permiſſu & ſapientiſſimo conſilio ; ſupplicio crucis affectum & occiſum, ex mortuis tertio die reſuſcitaverit, & in cælos evectum à dextris ſuis collocaverit, longe ſupra omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem & omne nomen quod nominatur, non tantum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia pedibus ejus ſubjecerit, Regem & Dominum & Judicem omnium fecerit, non vivorum tantum, ſed etiam mortuorum, & caput eccleſiæ ſuper omnia conſtituerit, tradita illi univerſa in cælis & in terris poteſtate, hujus tantæ Dei potentiæ nuncius eſt Euangelium, quam potentiam idem Apoſtolus alibi vocat efficaciam roboris virium Dei quam operatus eſt in Chriſto Epheſ. 1. 19, 20, & ſupra, eadem de re loquens, Chriſtum definitum ſeu conſtitutum eſſe Dei Filium dixit *in potentia*. Quare igitur, dicit Apoſtolus, pudere me debeat iſtius nuncii ; præſertim cum huic nuncio adeſſet ſimiliter Dei potentia, Dei virtus, quæ ſeſe exerebat in ſignis & prodigis, & virtutibus variis, & Spiritus Sancti diſtributionibus, quæ omnia per manus eorum, qui cum nuncio iſto miſſi à Deo & Chriſto erant, efficiebantur, ut hac quoque ex parte Euangelium merito Dei potentia appellari potuerit, quod non tantum potentiſſimi facti Dei nuncius eſſet, ſed etiam aſſiſtentem ſibi Dei potentiam habuerit.

In ſalutem omni credenti. Poterat aliquis dicere, cui vero bono nuncius iſte affertur ? continet quidem maximam Dei gloriam ; ſed nobis hominibus quid inde manat commodi ? Maximum commodum inde manat, reſpondet Paulus, & quo nullum majus cogitari poſſit. Affertur hic nuncius *in ſalutem*, ſive *ad ſalutem*, id eſt, ad conſequendam ſalutem, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto. Salus hæc eſt ſalus omnium maxima, quæ continet liberationem ab æterno exitio, & vitæ æternæ adeptionem, quam Petrus Apoſtolus ſalutem animarum appellat 1 Petr. 1. 9.

Omni credenti. Docet cui per hunc nuncium ſalus iſta contingat, *credenti* inquit, ſufficit huic nuncio credere, ut ſalutem tantam conſequaris : unde & infra idem Apoſtolus : *Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo quod eum Deus reſuſcitaverit a mortuis, ſalvaberis* Rom. x. 9. O ingentem Dei gratiam ! Sed an omni credenti Paule ? *Omni*, reſpondet Paulus, & ideo etiam omnibus hunc nuncium afferebat, ut omnes crederent, & credendo ſalutem tantam adipiſcerentur.

Judæo primum & Græco. Specialius dicit quod dixerat generalius. Omnes omnium gentium homines diſtinguit in Judæos & in Græcos : in Græcis hoc loco includens & Barbaros, per ſynecdochen partis pro toto. Dicit igitur omnem, & Judæum & Græcum ſalvatum iri qui huic nuncio credat : ne tamen videretur Græcos Judæis prorſus æquare, nec ullam juris hac in parte prærogativam iſtis relinquere, dicit : *Judæo primum* : quaſi dicat, etſi & Judæo & Græco, tamen Judæo primum, propterea quod Judæis hæc gratia jam olim promiſſa eſſet, & ex hac promiſſione jus illius haberent præ Græcis & aliis gentibus. Ideo infra Apoſtolus ait ; *Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis* cap. xv. 8, 9, id eſt, circumciſorum, *pro veritate Dei, ut firmaret promiſſiones patrum : Gentes vero pro miſericordia glorificarent Deum.* Judæis promiſſus erat Meſſias & ſalus per ipſum : de Gentibus prædictio tantum iſtius ſalutis facta erat, ſed nulla Gentibus promiſſio.

Verſ. 17. *Juſtitia enim Dei in ipſo revelatur, ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt : juſtus ex fide vivet.* Dixerat Apoſtolus nuncium iſtum afferri ad ſalutem omni credenti, poterat aliquis dicere : atqui huic nuncio credere potuerunt & homines impii & maximi peccatores ; an ergo & iſti ſalutem conſequentur ? Conſequentur, inquit Apoſtolus, dummodo nuncio iſti ex animo credant. Nam per hunc ipſum nuncium revelatur ſimul Dei juſtitia ex fide. *In ipſo.* Id eſt, per ipſum, nempe Euangelium. Per juſtitiam Dei intelligit Apoſtolus juſtitiam quam Deus ex gratia imputat homini ; hanc Dei appellat, ut eam hominis juſtitiæ opponat, tum quod iſta juſtitia Dei perfecta ſit, & omnibus numeris abſoluta ; quæ tamen quia ex gratia imputatur, peccatorum remiſſionem non tollit, ſed ponit : hominis autem juſtitia multis partibus ſit defecta, & imperfecta : tum quod juſtitia hominis opus ſit hominis, juſtitia autem Dei ſit donum Dei. Eadem de re Apoſtolus agens Philip. iij. 9, *ut Chriſtum*, inquit, *lucrer, & inveniar in ipſo,*

non habens meam juſtitiam quæ eſt ex Lege, ſed quæ eſt per fidem Chriſti, illam quæ ex Deo eſt juſtitiam. Juſtitiam pro juſtificatione accipere eſt à proprietate vocis ſine cauſa recedere. Juſtitia enim non eſt ipſa juſtificatio, ſed juſtificationis cauſa, & juſtificatio eſt juſtitiæ effectus. Ideo enim homo juſtificatur, ſeu juſtus pronunciatur, quod juſtitiam habeat ſeu juſtus ſit. Si homo per ſua opera juſtitiam haberet omnibus numeris abſolutam, ſeu perfecte juſtus eſſet, juſtitia ei ſuo jure ac merito imputaretur, iſque juſtificaretur; ſed quia hanc juſtitiam homo non habet, Deus ex gratia ſua fidem hominis pro perfecta & abſoluta ducit juſtitia, & ſic homini juſtitiam iſtam ex gratia adſcribit & imputat; quam adſcribendo & imputando hominem juſtificat. Hominis juſtitia juſtificationem coram Deo non aſſequitur, proinde nec vitæ æternæ præmium, quod Deus ex liberalitate ſua juſtitiæ conſtituit. At Dei juſtitia, quam diximus, juſtificationem coram Deo ſecum affert, & quod juſtificationis eſt conſequens, vitam æternam. Juſtitia igitur Dei eſt, quam Deus homini ex gratia ſua, in ſuis, ut ita dicam, cum homine rationibus imputat, adſcribit & acceptum fert: juſtificatio autem ex juſtitiæ iſtius imputatione, adſcriptione & acceptilatione, proxime proficiſcitur. Dicat aliquis juſtitiam hanc quæ omnis peccati vacuitate continetur, nullum in peccatore locum habere. Sed notandum eſt, juſtitiam hanc à Deo peccatori imputari dici, quatenus illi jus ad eam à Deo tribuitur. Ut etiamſi juſtitiam hanc non habeat, nihilominus ejus uſu ac fructu gaudeat, non ſecus ac ſi eam haberet. Sic, verbi cauſa, jus trium liberorum apud Romanos dabatur nonnullis ex gratia qui tres liberos non ſuſtuliſſent, & multa alia huic ſimilia. Ideo Deus juſtitiam imputare dicitur, cum hominem pro juſto ducit & declarat, & ut juſtum tractare conſtituit, ac porro tractat. Juſtitia ergo hic propriam ſignificationem retinet: ſed juſtitiæ imputatio juſtificationis vim habet.

Revelatur. Significat Apoſtolus Deum & antehac ſemper ſolitum fuiſſe juſtitiam imputare; ſed id non fuiſſe revelatum, nempe publico & univerſali nuncio ac fœdere; reſervatum hoc fuiſſe ad Chriſti adventum, cum quo venire debuit & venit fides, quæ omnium digniſſima eſt ut ad juſtitiam imputetur.

Ex fide. Voces hæ referendæ ſunt ad juſtitiam Dei, non ad verbum *revelatur.* Docet Apoſtolus juſtitiam iſtam Dei hominibus obvenire ex fide, id eſt propter ſeu per fidem, quæ poſt Chriſti adventum & allatum de hac Dei juſtitia Euangelium, non alia eſt quam fides in Chriſtum, ſeu per Chriſtum in Deum. Continet vero hæc fides, primum, ut credamus Jeſum eſſe Chriſtum illum, Dei Filium: deinde, ut ei tanquam Chriſto & Domino noſtro confidamus; fore ut nobis vitam æternam quam promiſit largiatur: & quia non aliter promiſit quam ſi peccatis valedicamus & juſtitiæ nos dedamus, conſequens iſtius fiduciæ eſt, ut id reipſa præſtemus, & à peccatis averſi juſtitiam toto pectore conſectemur: qui effectus niſi ſequatur, fiducia iſta non vera fiducia eſt; ſed vana quædam & inanis opinio. Igitur Deus, quamptimum homo Euangelio credit, & conſequenter fiduciam in Chriſto collocat; protinus illi juſtitiam imputat: quam idem homo conſervat ac retinet, fiduciæ illius fructibus & effectis: quæ ſi abſit & fidem non conſequatur, juſtitiam illam Dei amittit. Porro quia ex fide Deus juſtitiam imputat, ideo quod eam homo nihil delinquendo adipiſci nequeat, res ipſa docet, in fide non requiri ut quiſpiam omni delicto vacet; ſed ſufficere ſi ſeſe totum Deo & Chriſto tradat, & in eo ſit ne eum ulla in re offendat, ullumve peccatum committat: hinc enim ad minimum conſequitur ut ultro & dedita opera, proinde graviter & enormiter non peccet, nec in ullo vitio hæreat.

In fidem. Id eſt, ad efficiendam in omnibus fidem, ſeu eo fine ut omnes homines amplectantur, fidem, fidem, inquam, in Chriſtum Jeſum, proinde ne quiſquam in Lege & operibus Legis ullum ſalutis collocet præſidium: ſimilem locutionem habuimus ℣ſ. 5, *in obedientiam fidei*, & ℣ſ. 16 *in ſalutem omni credenti.* Nam ſi Deus juſtitiam homini imputat ex fide ſeu propter fidem; quiſque habet cauſam urgentiſſimam ut fidem amplectatur, & ſic juſtitiam à Deo conſequatur.

Sicut ſcriptum eſt, juſtus ex fide vivet. Confirmat Apoſtolus Prophetæ dicto Deum juſtitiam imputare ex fide. Nam etſi juſtitia hæc publico & univerſali nuncio ante Euangelium prædicata non erat; à Prophetis tamen variis teſtimoniis & dictis ſignificata fuit; quibus veluti præludebant Euangelio, qua de re idem Apoſtolus infra cap. iij. 21.

Dicit igitur Propheta, ſeu potius Deus apud Prophetam, juſtum ex fide victurum. Verba iſta *ex fide*, ſi conjungantur cum verbo *vivet*, ſenſum hunc efficient, juſtum victurum eſſe, id eſt ab exitio conſervatum iri, non ex operibus, ſeu non ex eo quod nihil unquam deliquerit, quamvis juſtus ſit; (nam & ille juſtus dicitur qui juſtitiæ deditus eſt, quamvis ex humana imperfectione interdum delinquat) ſed ex eo quod Deo confidat, & ex fiducia iſta juſtitiam totis viribus ſectetur: ſi vero conjungantur cum nomine *juſtus*, ſenſus erit, eum qui ex fide ſit juſtus, id eſt, cui Deus propter fidem juſtitiam imputavit, victurum eſſe. Prior ſenſus planior eſt, & ex verbis ipſis non ex eorum interpretatione elucet, quæ arbitraria videri poſſit, quia non minus ad Pauli ſcopum accommodatus eſt. Nam ſi etiam juſti homines, delictis coram Deo non vacant, proinde non ex operibus ſuis, nec ex eo quod nihil unquam peccaverint, ſed ex eo quod Deo aliquid promittenti credant ac confidant, vitam & ſalutem adipiſcuntur; quanto magis ſi injuſti ac peccatores à Deo ſalvandi ſint, non alia ratione quam per fidem ſalvari poſſunt! quæ cauſa eſt ut ad fidem, in verbis iſtis Prophetæ, Deus omnes hortetur, & inprimis injuſtos, quippe quæ eos ex injuſtis juſtos factura ſit, non tantum illis vitam ac ſalutem allatura. Nam ut hic juſtum intelligamus, qui juſtus ſit non ex ſolo reſpectu Legum, ſeu quod ſic deceat; (quam juſtitiam Philoſophi docebant) ſed ex remunerationis in Deum fiducia, ad ſcopum Apoſtoli non pertinet, qui non eſt ut diſcrimen aliquod oſtendat in hominum juſtitia, ex diverſa illius cauſa profectum: ſed ut oſtendat Deum imputare hominibus fidem ad juſtitiam, quamvis antehac injuſti, imo & impii eſſent, dummodo poſt fidem in Deum, & fidei iſtius virtute ſi vita ſuperſit, juſti fiant, id eſt juſtitiæ ſeſe totos dedant. Ita hoc Prophetæ dictum, admirabili

bili trium vocum compendio, univerſam ſalutis noſtræ rationem exponit. Nam primum, non alium victurum eſſe dicit niſi juſtum (paucisſimis exceptis, quibus vita poſt fidem defuit, ut latroni illi in cruce. Deinde docet, juſtum non ideo victurum eſſe, quod ſine omni culpa & crimine ſit, ſeu quod juſtitia ſua vere ac proprie juſtus pronuntiari & abſolvi mereatur, ſed quod fidem habeat in Deum, quam illi Deus ea gratia & clementia ſua, contectis omnibus juſtitiæ ejus defectibus, imputaturus eſt ad juſtitiam, quod in hoc argumento præcipuum, illo ſenſu non exprimitur, quo is qui non ea ſolo honeſti amore, ſed ex fide juſtus ſit, victurus eſſe dicatur; cum nilominus juſtitia poſſet intelligi, cui citra omnem Dei gratiam & remiſſionem peccatorum ſuo jure ac merito deberetur juſtificatio, qualem juſtitiam in hominibus dari negat Apoſtolus & ipſa veritas. Porro apud Apoſtolum conjuncta ſunt juſtitiam alicui à Deo imputari, & vivere. Unum enim ex alterutro neceſſario conſequitur. Et in verbis Prophetæ per vivere, ſenſu literali, vita intelligitur temporaria, à Dei pœnis erepta ac vindicata, & pace ac bonis terrenis ſimul affluens: myſtico autem & perfectiore ſenſu, quem Apoſtolus conſectatur, intelligitur liberatio ab æterno exitio & vitæ æternæ collatio.

Verſ. 18. *Revelatur enim ira Dei ex cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum.* Dixit Apoſtolus Euangelium afferri ad ſalutem omni credenti, & in Euangelio juſtitiam Dei revelari ex fide, & Prophetæ verba commemoravit, quibus juſto ex fide vita promittitur: nunc cauſam affert cur de ſalute & vita loquatur, illiuſque conſequendæ medium oſtendat. *Quia* inquit, *ira Dei revelatur ex cælo:* quaſi dicat, ex hac igitur ira ut ſervemur & vitam adipiſcamur æternam unicum eſt remedium, ut credamus Euangelio, & cum ipſi ſimus injuſti ac peccatores, juſtitiam Dei conſequamur, quam ſe ex fide daturum revelat in Euangelio. *Revelatur*, id eſt, revelabitur, præſens pro futuro, per enallagen temporis conſuetam, nempe in adventu Chriſti.

Ira Dei. Id eſt, pœna à Deo infligenda, eaque graviſſima, per metonymiam cauſæ.

Ex cælo. Quia ex cælo à Deo adveniet; ſicut & olim in Sodomam ex cælo venerat; quod idem Paulus explicat 2 Theſſ. 1, cum ait *Dominum Jeſum revelatum iri ex cælo cum Angelis potentibus ſuis in flamma ignis, dantem vindictam iis qui non cognoverunt Deum, & non obediverunt Euangelio ejus, qui vindictam ferent exitium æternum &c* verſ. 7,8,9. Ex hac igitur pœna ſervatum iri dicit Apoſtolus omnem credentem, & ut verba Prophetæ habent, victurum eſſe, id eſt exitio iſto non periturum; ſed loco exitii æterni vitam æternam habiturum. Hoc nimirum eſt quod idem Apoſtolus 1 Theſſ. 1. 10 ſcribit, *nos exſpectare Filium Dei ex cælis, Jeſum, qui liberat nos ab ira veniente*, ubi ſimiliter præſens pro futuro ponitur, de eadem ira, id eſt, ab ira ventura: utrobique enim Apoſtolus de eadem ira haud dubie loquitur: neque ulla alia eſt & eſſe poteſt ex qua magis liberationem cupere & optare debeamus: quippe quæ non ſolum extendetur in vivos, ſed etiam in mortuos, & liberatio ab illa conjuncta erit cum felicitate maxima, nempe vita æterna. De hac ira utitur Apoſtolus *revelandi* verbo, ut oſtendat eam decreto & conſtitutione Dei jam paratam eſſe; quæ ſuo tempore revelabitur, & omnium oculis exponetur: nempe ut infra loquitur eadem de ira, *in die iræ & revelationis juſti judicii Dei* cap. 2. 5.

Super omnem impietatem & injuſtitiam hominum. Id eſt, ad puniendum & ulciſcendum omnem impietatem & injuſtitiam &c. Utitur voce *ſuper* Apoſtolus, quod pœna iſta ventura ſit deſuper, nempe ex cælo.

Per impietatem. Ἀσέβειαν, intelligit omne peccatum ſeu crimen adverſus Dei cultum & religionem commiſſum, id enim vox Græca declarat. Merito igitur ex cælo veniet pœna criminum, quæ contra cælum, id eſt, Deum in cælo habitantem perpetrantur.

Et injuſtitiam. Quam injuſtitiam hic intelligat Apoſtolus, ipſe mox explicat, nempe injuſtitiam ſimiliter erga Deum ipſum.

Hominum qui veritatem in injuſtitia detinent. Exprimit Apoſtolus quorum hominum & quam impietatem ac injuſtitiam intelligat, *eorum*, inquit, *hominum qui veritatem in injuſtitia detinent.* Non addit Apoſtolus de cujus rei veritate loquatur; ſed ex materia ſubjecta intelligitur ſignificari veritatem de Deo, ſeu ut ipſe infra expreſſe loquitur, *veritatem Dei* verſ. 25, per genitivum objecti: de Deo enim hic res eſt, de juſtitia Dei, de ira Dei, idipſum exigunt & ſequentia, in quibus quæ ſit iſta veritas exprimitur, nempe verſ. 19,20,21: & iſtius veritatis contrarium, mendacium ſeu error deſcribitur ꝟ. 21,22,23,24,25. Hæc igitur veritas, quam hoc loco denotat Apoſtolus, in eo inprimis conſiſtit, Deum non eſſe ſimulacris ullis, hominum manibus factis, repræſentandum, ut in iis colatur: nullam creaturam, citra & præter Dei creatoris voluntatem; ſed ſolum Deum creatorem tantum, religioſe colendum eſſe. Intelligit igitur homines qui hanc veritatem *detinebant*, id eſt, non permittebant ut ad omnium hominum notitiam perveniret & ab omnibus reciperetur; dum ei contradicerent, & omnibus modis tum veritatem ipſam, tum ejus profeſſores premerent & inſectarentur; quo mendacia & errores huic veritati oppoſitos quam maxime ſtabilirent. Homines autem iſti erant gentes profanæ, quæ populo Dei, qui veritatem hanc profitebatur & propugnabat, adverſabantur. Iſtorum idololatriam, graviſſimum peccatum, hic tangit Apoſtolus. Dicit vero eos *in injuſtitia* veritatem hanc detinere, exprimens injuſtitiam illam paulo ante memoratam, *in injuſtitia*, id eſt, ſumma cum injuſtitia, *in* pro *cum*, ſeu alio Hebraiſmo, pro *injuſte*: nimirum quia id faciebant quod nullo modo facere debebant; & hoc facto non tam homines quam ipſum Deum graviſſima afficiebant injuriâ.

Verſ. 19. *Propterea quod cognoſcibile Dei manifeſtum ſit in ipſis.* Rationem reddit cur dixerit eos injuſte id facere. Poterat enim aliquis dicere hoc eos facere ex mera ignorantia. Non faciunt id ex ignorantia, reſpondet Apoſtolus, neque poſſunt graviſſimæ ſuæ culpæ ignorantiam ullam prætexere.

Propterea quod cognoſcibile Dei. Id eſt, id quod de Deo ab hominibus cognoſci poteſt ac debet, ſeu quod

quod homini de Deo cognoſcere datum eſt.

Manifeſtum eſt in ipſis. Particula *in* redundat hoc loco, ut ſæpe alibi, ex uſu Hebræn, pro manifeſtum eſt ipſis, niſi quis dicat Apoſtolum ſic loqui, ut dicere velit manifeſtum id eſſe in ipſorum animis. Alias *in ipſis*, phraſi Hebræa, ſignificare poſſet *inter ipſos*. Sed Apoſtolus hic omnes ferit. Significat vero Apoſtolus multa eſſe in Deo, ſeu ad Deum ſpectantia, quæ hominibus cognoſcere conceſſum non ſit, quæ etiam ut cognoſcant, Deus ab hominibus non requirit; ſed multa etiam cognoſci omnino debent, & niſi cognoſcantur, hominem pœnæ divinæ reddunt obnoxium. Inter quæ eſt, ut cognoſcamus eſſe Deum, id eſt, creatorem rerum & Dominum ſupremum eſſe unum, proinde omnium rerum creatorem & Dominum ſupremum eſſe æternæ potentiæ ac divinitatis, ut mox Apoſtolus docet, eſſe ab hominibus colendum, eique gratias agendas, ſimulacra nulla ei facienda eſſe ab hominibus ut in iis colatur: ſolum Deum religioſo cultu afficiendum eſſe, non ullam ejus creaturam citra & præter ejus voluntatem. Nam quod ad Chriſtum attinet, hunc quia Deus ipſe religioſe coli vult: iden cum Chriſtus colitur, in Chriſto Deus ipſe colitur, aſt hominum arbitrio ac voluntate creaturam ullam religioſo cultu afficere nefas eſt, & gravi ſupplicio piandum.

Deus enim ipſis manifeſtavit. Rationem annectit ſuperioris dicti. Poterat aliquis dicere, Deum videri à nemine poſſe, proinde difficile eſſe quidquam de eo cognoſcere. Non eſt difficile, inquit Apoſtolus, verum eſt id quod dixi, nam Deus ipſis manifeſtavit: quaſi dicat, ſi Deus non manifeſtaſſet, difficile erat, *ſed Deus manifeſtavit ipſis.*

Verſ. 20. *Nam inviſibilia ipſius à creatione mundi, operibus intellecta conſpiciuntur.* Rationem affert cur dixerit Deum ipſis manifeſtaſſe, nec ullum hominem debere ſeſe excuſare eo, quod ſicut Deus, ſic omnia quæ ad Deum ejuſque naturam (ſi modo hac voce de Deo uti fas eſt) pertineant, inconſpicua ſint.

Nam, inquit, *inconſpicua ipſius conſpiciuntur*, idque ſtatim, *ab ipſa mundi creatione.* Ut omnium temporum & ſeculorum homines, & ab eo tempore à quo homines eſſe cœperunt. Dei inconſpicua poſſent conſpicere.

Quo vero modo conſpiciantur exprimit, *operibus intellecta:* quaſi dicat, etſi oculis corporis conſpici non poſſunt Dei inconſpicua, conſpici tamen poſſunt oculis mentis; intelligi, inquam, poſſunt ex Dei operibus, quæ ante oculos omnium hominum verſantur. Quis exempli cauſa ſellam aliquam aut menſam videns, non protinus intelligit artificem? Quis videns hominem pictum, aut fictum, aut mundum imagine vel ſimulacro aliquo expreſſum, non protinus videt & agnoſcit artificis & opificis manum? Quanto magis qui verum ac vivum videt hominem, verum mundum & omnia quæ ſunt in mundo, cogitare & agnoſcere protinus debet eorum auctorem & effectorem? qui nullus alius eſt aut eſſe poteſt, quam Deus. Nam cum videmus opus aliquod, in quo evidentiſſima ſunt rationis & ſapientiæ veſtigia, ipſum vero ratione & intellectu præditum non ſit, fieri aliter nequit quin ab intelligente & ſapiente conſtructum ſit, qui omnia ad certum finem & uſum maniſeſte direxerit, nec quidquam paſſus ſit eſſe fruſtraneum, omniaque eleganti ordine, pulchritudine & proportione ac commenſuratione compoſuerit, quæ evidentiſſimum eſt ac certiſſimum rationis & intellectus documentum. Qui enim dicunt ejuſmodi aliquod opus caſu, ſeu ex atomorum concurſu fieri potuiſſe & factum eſſe, perinde loquuntur atque ſi quis dicat, ex multarum literarum in aërem diſperſarum concurſu factum eſſe aliquem Virgilii verſum vel integram Æneida, aut Ciceronis ſecundam Philippicam: aut multis lapidibus in aërem jactis, factam eſſe Baſilicam aut urbem aliquam integram. Sed homo inprimis Deum creatorem ſuum exhibet, qui cum à ſe ipſo factus non ſit, neceſſe eſt ut factus ſit ab alio, nempe qui omnia illius membra formaverit & ad certum finem direxerit, ut ne minimum quidem ſit fruſtraneum, & multis membris inter ſeſe aptis & connexis unum hominem eximia commenſuratione ac ſtructura effecerit. An autem is qui homini intellectum dedit, ſeu hominem intelligentem fabricatus eſt, ipſe non intelligeret? Qui ei omnes ſenſus attribuit, ipſe non ſentiret? Qui homini facultatem contulit, ut mirabilia opera, ſuo intellectu & ſuis manibus efficere poſſit, ipſe mirabilium effector operum eſſe negetur? Qui innumera bona paravit, quibus & intellectum, & omnem ſenſum hominis, viſum puta, & auditum, & guſtum, & tactum, & olfactum, maxima delectatione afficeret. Cum vero videmus omnia hominis uſibus inſervire, negare non poſſumus illius cauſa omnia eſſe facta. An ergo homo non agnoſcet benefactorem ſuum? Quæ homo ipſe ad ſuos uſus efficere non potuit, hæc effecta & parata accepit; quæ vero ipſe ſibi ratione & manu, inſtrumento inſtrumentorum, parare potuit, eorum materiam invenit: verbi cauſa, equum homo efficere non potuit qui ipſum veheret eique inſerviret, ideo à Deo effectum accepit: at currum, vel ſellam cui inſideret, quia ipſe ſibi conſtruere potuit, materiam ex qua conſtrueret ab eodem Deo paratam invenit. Videmus marem ad fæminam referri, & fæminam ad marem, ut ex conjunctione animantium propagentur animantia, & pereuntibus individuis conſerventur ſpecies. Videmus cætera animantia ab ipſa natura veſtiri & armis ad ſui conſervationem inſtrui; at hominem nudum & inermem naſci, quippe qui ſibi varios veſtitus & arma comparare poſſit, quibus quoties velit tegi & muniri, quoties velit & commodum putet levari ſemper poſſit. Videmus matrum ubera protinus poſt fœtum editum lacte repleri, quo fœtus alatur, & quæ pluribus fecundantur fœtibus, eorum ubera pluribus meatibus fluere. Videmus cætera animantia cito adoleſcere, ut cito hominum uſibus idonea eſſe poſſint, cito pedibus inſiſtere & ingredi, cito volare, quia non habent qui ea portent, qui eorum diuturnam curam gerant: at hominem ſenſim adoleſcere, quod & parentes habeat omnium providos, & quod plurimum interſit hominem rerum omnium dominum multo labore & diuturna cura educari, & compluribus annis adoleſcere, ut tanto pretioſior illius habeatur vita. Qui omnia iſta ad naturam referunt, ſi naturam iſtam intellectu & ſapientia præditam eſſe volunt, natutam appellant quam nos Deum dicimus: ſi vero ei intellectum & ſapientiam

tiam

tiam non tribuunt, dicant quo pacto id quod intellectu & ſapientia, caret omnia ſapientiſſime & ſummo conſilio ac bonitate faciat? Dicant quo pacto ſagitta ſemper feriat ſcopum, niſi ab intelligente dirigatur? aut quo pacto horologium monſtret & numeret horas & una cum Sole decurrat, nihil iſtorum intelligens, niſi hanc vim & facultatem ab intelligente acceperit, imo ab ipſo conſtructum ſit? Igitur & natura, quæ tam ſapienter facit omnia, ſi ipſa non ſapiat, non tantum directorem ſed etiam effectorem habuit ſapientem. Quidquid enim ſapienter agit, vel ſuo intellectu agit, vel alieno. Cum ergo natura ſapienter agat, & ſuo non agat intellectu, neceſſe eſt ut agat alieno, id eſt Dei. Nam quæ ſuo intellectu agunt, nunc hoc nunc illud agunt pro arbitrio: at naturæ ſemper eadem & uniformis eſt operatio. Quis ſolem, quis aſtra, quis cælum, quis terram & elementa alia, quis rerum omnium ſemina, quis animantium uteros ac matrices, quis truncos & radices & arbores, quis lapides & metalla intellectu prædita dicat? Animalia quidem ſenſu & phantaſia & memoria prædita ſunt, homines etiam intelllectu; ſed cum hæc à ſeipſis non habeant, neceſſe eſt ut ea habeant ab illo qui iſtorum omnium efficiendorum virtute ac ſapientia polleat. Qui certe Deus eſt, contra quem diſputare, eſt intellectu, munere omnium præſtantiſſimo, contra ſuum datorem abuti. Et cum videamus omnia quæcunque naturæ ambitu continentur ad ſuum finem referri, nec ullum eorum vel minimum fruſtra eſſe, quis dubitabit finem hunc illorum eſſe cauſam? At finis nihil operatur, nec ullum inter cauſas locum habet, niſi ab efficiente cauſa intendatur; finem vero nihil intendere poteſt, niſi quod mente & intellectu præditum eſt: per quam ſolum finis percipitur & conſequenter intenditur, ac media ad conſequendum finem & inveniuntur & diſponuntur. Poſita igitur in rerum natura cauſa finali, quam certe nemo ſanus negaverit, neceſſe eſt ut ponatur earundum rerum cauſa efficiens mente & intellectu prædita, quæ Deus eſt. Merito igitur Apoſtolus aſſeruit inviſilia Dei ab ipſa mundi creatione, operibus Dei intellecta, conſpici.

Et æterna ipſius potentia & divinitas. Exprimit iſta Dei inviſibilia ſeu inconſpicua quæ ex operibus conſpiciuntur: quorum primum eſt æterna Dei potentia. Nam qui æterna opera ſeu æternum duratura, niſi ab ipſomet deſtruerentur, efficere potuit, illum ipſum æternum, eſſe & conſequenter æterna potentia præditum neceſſe eſt.

Et divinitas. Id eſt, dominatio & majeſtas, qua omnia in ſua poteſtate habet eaque regit ac gubernat. Æternam Dei potentiam commemorans reſpicit ad id quod Deus ſit rerum omnium creator & opifex: æternam vero ejuſdem divinitatem commemorans reſpicit ad id quod ſit rerum omnium ſupremus arbiter ac Dominus. Nam hæc duo inprimis Dei appellatio κατ' ἐξοχὴν ſumpta ſignificat.

Ut ſint ipſi inexcuſabiles. Conſequens & effectum notat ejus quod dixit de conſpectione inconſpicuorum Dei, nempe idololatras nullam habere excuſationem & defenſionem. *Ipſi*, id eſt idololatræ & falſorum deorum cultores, hos enim hic petit & redarguit.

Verſ. 21. *Propterea quod cognoſcentes Deum, non tanquam Deum glorificarunt aut gratias egerunt.* Docet quamobrem ſint inexcuſabiles ſeu ἀναπολόγητοι, ſeu rationem reddit conſeqnentiæ. Propterea, inquit, quod cognoſcentes Deum, hoc eſt cognoſcentes eſſe Deum, eſſe rerum omnium creatorem ac Dominum, æternæ potentiæ ac divinitatis (neque enim ulla gens eſt quæ divinitatis opinione non teneatur, ſeu Deum eſſe non credat.)

Non tanquam Deum glorificarunt. Id eſt, non exhibuerunt illi cultum & honorem Deo convenientem.. Effectum poſuit pro cauſa, per cultum enim & honorem glorificatur Deus. Si Deum eſſe non cognoviſſent, nec crediſiſſent, in tam fœdam idololatriam non fuiſſent prolapſi.

Aut gratias egerunt. Id eſt, non egerunt gratias ſuo & rerum omnium creatori ac benefactori. Utrumque iſtorum explicat Apoſtolus paulo poſt.

Sed vani facti ſunt in cogitationibus ſuis. Quaſi dicat, cum fundamentum haberent vera & ſolida de Deo ejuſque gloria cogitandi, cognito Deum eſſe, ſeu eſſe rerum omnium creatorem & Dominum ſupremum, nihilominus vanas & inanes cogitationes de Deo amplexi ſunt; quibus ſcilicet nulla veritas nulla ſoliditas ſubeſt.

In cogitationibus ſuis. Sic aliquis dicitur eſſe vanus in conſiliis, in cogitationibus ſuis, cujus conſilia & cogitationes ſunt vanæ; poterant eſſe ſolidi, ſed ſua culpa facti ſunt vani. Qua vero in re vanitas iſta conſiſtat, ex iis quæ infra ſcribit facile colligitur: nempe quod Deum ſimulacris ex materiis mortalibus factis effingerent; ut eum in iis colerent. Qua de vanitate idem Apoſtolus Actor. xvij. 29, *Genus*, inquit, *cum ſimus Dei, non debemus exiſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, divinum eſſe ſimile.* Non minor vanitas in eo erat, quod *creaturis religioſe ſervirent, præter creatorem, qui eſt benedictus in ſecula*, qua de re verſ. 25.

Et obtenebratum eſt inſipiens eorum cor. Obtenebratum eſt, id eſt, vehementer aberravit à veritate: tenebræ enim cauſa ſunt erroris, per metonymiam cauſæ.

Ipſorum cor. Id eſt, intellectus ſeu mens, quod cor ſit ſedes mentis ſeu animi intelligentis, per metonymiam continentis pro contento.

Inſipiens ipſorum cor, ſeu intellectum inſipientem dixit Apoſtolus, quod ex iis quæ nota haberent, & plane ante oculos poſita, non cognoſcerent nec viderent proxime conſequentia; nempe Deum rerum omnium creatorem ac Dominum, immenſæ majeſtatis & gloriæ, eumque etiam inconſpicuum, non eſſe in ſpecies aliquas rerum creatarum & viſibilium efformandum, creaturis præter creatorem religioſe non eſſe ſerviendum. Et hæc cordis eorum inſipientia cauſa fuit tam graviter aberrandi. Hinc & atheos inſipientes dicit Pſaltes Pſal. xiv.

Verſ. 22. *Dicentes eſſe ſapientes*, id eſt, dicentes quod eſſent ſapientes, *ſtulti facti ſunt.* Sapiens ille eſt qui ex certis principiis ſcite colligit & infert conſequentia, & quanto longius in eorum illatione progreditur, tanto ſapientior habetur. At iſti, quamvis eorum quidam Philoſophorum aut etiam Sophorum nomen ferrent, & ipſi ſe pro ſapientibus haberent & ab aliis haberentur, nihilominus hac in parte non tantum ſapientes non fuerunt; (ſapientia

enim intellectus perfectio quædam eſt) ſed plane ſtulti & amentes facti ſunt. Stultus enim ille eſt qui aliquid inſanum & rationi maniſeſte contrarium facit: qualia iſtorum idololatrica, quæ diximus, quæque Apoſtolus ipſe mox deſcribit, facta erant. Jam ſi illi inſigniter ſtulti ſunt, qui Deum non tanquam Deum colunt eique gratias agunt; quid de eorum ſtultitia dicendum eſt, qui eo dementiæ devenerunt, ut Deum, qui cuncta creaverit, eſſe; aut ſi ſit, rerum à ſe creatarum curam ullam habere negent? Iſtorum dum Apoſtolus non meminit, eo ipſo indignos duxit quos vel inter homines poneret.

Verſ. 23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* Explicare incipit Apoſtolus iſtorum hominum ſtultitiam & vanitatem: & primum id quod dixerat, eos Deum non tanquam Deum glorificaſſe.

Mutaverunt, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudine*, id eſt cum ſimilitudine, *in* pro *cum*, *imaginis corruptibilis hominis.* Senſus eſt, gloriam Dei, ſeu quæ Deo conveniret, commutarunt ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis. Gloria Dei eſt, Deum rerum omnium Creatorem ac Dominum mente ſola intelligere, ejuſque majeſtatem & gloriam omni viſibili ſpecie infinitis partibus majorem & auguſtiorem, nec ulla hominis arte imitabilem, cogitare, eumque ut talem colere. Hanc Dei gloriam iſti homines cum ſimulacris permutarunt, dum Deum variis ſimulacris effinxerunt, Deum, inquam, incorruptibilem & æternum, ſimulacris rerum corruptibilium & caducarum, & ipſis corruptibilibus & caducis, ſæpeque formis & ſimulacris rerum hominibus ipſis longe viliorum. Fuerunt qui forma hominis Deum effingerent: nam omnes illi famoſi Gentium Dii Deæque homines erant, quos hominum cœca impietas cælo intulit & Deos fecit: fuerunt qui forma volucris alicujus; fuerunt qui forma bovis cornuti & comedentis fœnum, ut in Pſal. cvj. 20 habetur, aut impuri canis, vel felis, aut alicujus alterius quadrupedis; fuerunt denique qui forma ſerpentis aut reptilis alicujus idipſum facerent: rem profecto indigniſſimam, & quæ non ad Dei gloriam, ſed ad maximam contumeliam & contemptum ſpectaret: ut minime mirum ſit idolorum iſtos cultores omnem Dei metum & religionem, quod opera eorum docent, penitus exuiſſe.

In ſimilitudine imaginis. Per genitivum differentiæ vel ſpeciei dixit, pro ſimilitudine quæ eſt imago; ſive hæc imago ſit picta, ſive ficta & ſculpta.

Non fruſtra addit Apoſtolus voci Dei epitheton *incorruptibilis*, & voci hominis epitheton *corruptibilis*, quod cæteris animantibus, quæ ſubjungit non appoſuit: quia homo eſt Dei quædam imago; ſed cum ſit corruptibilis, non debet incorruptibilis Deus hominis imagine effingi, ut in ea colatur & adoretur: cætera animantia quod attinet, quia nullam cum Deo ſimilitudinem habent, res ipſa docet nefas eſſe ut ullis eorum formis referatur Deus.

Verſ. 24. *Ideò & tradidit ipſos Deus in cupiditatibus cordis ipſorum in impuritiem &c.* Subjungit Apoſtolus quo pacto Deus hunc ſui contemptum & contumeliam ultus ſit.

Tradidit ipſos in impuritiem. Tradere dicitur Deus aliquem, cum aliquem rapi & abripi in rem malam non prohibet, quamvis poſſit. Sic & Filium ſuum tradidiſſe dicitur, quod non prohiberet illum capi & rapi ad ſupplicium: ſic & iſtos tradidit in impuritatem, quod eos in impuritatem agi & rapi non prohibuerit.

In cupiditatibus cordium ipſorum. Id eſt, per cupiditates cordium ipſorum, *in* pro *per*. Exprimit quid eos in impuritatem egerit, nempe cupiditates ipſorum. Corda ipſorum pro illis ipſis poſuit, & quod in corde fons ſit cupiditatem. Has eorum cupiditates turpes ac fœdas Deus non impedivit, nec ullo fræno cohibuit, indignatus ob tantam ſui contumeliam.

Ut contumeliis afficerent corpora ſua in ſe ipſis. Exprimit Apoſtolus quid mali ſit in iſta impuritate, ne quis putaret nullam hic eſſe pœnam: eſt, inquit, maxime pœna: hac enim impuritate contumeliis affecerunt corpora ſua. Eſt enim, inquit Apoſtolus, omne aliud peccatum extra corpus, ſed qui impurus eſt, in proprium corpus peccat, idque tanto magis quanto major eſt iſta impuritas, quæ quanta fuerit, infra explicat Apoſtolus verſ. 26, 27, 28. *In ſeipſis.* Id eſt, per ſeipſos, *in* pro *per*: vel inter ſeſe, *in* pro *inter*. Ita ipſi inter ſeſe & per ſeipſos pœnas convenientes & congruas dederunt Deo: Deum per ſua idola contumelia effecerant, Deus viciſſim illos ire permiſit, ut ipſi ſeſe & corpora ſua invicem fœdiſſimis probris & contumeliis afficerent.

Verſ. 25. *Qui commutarunt veritatem Dei in mendacio, & coluerunt & ſervierunt creaturæ, præter creatorem, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.* Pergit Apoſtolus in oſtendenda iſtorum hominum ſtultitia & vanitate, & ſimul docet quomodo non egerint gratias Deo Creatori ſuo, quod eſt ſecundum membrum propoſitionis Apoſtolicæ verſ. 21.

Qui, nempe iidem Ethnici illi idololatræ, *commutaverant veritatem Dei.* Id eſt veritatem de Deo rerum omnium creatore, nempe illum ſolum religioſe colendum, eique ſoli religioſe ſerviendum eſſe.

Hanc veritatem *commutarunt in mendacio* Id eſt, cum mendacio, eadem qua ſuperius verſ. 24 phraſi: veritatem dimiſerunt, & loco veritatis mendacium, id eſt errorem graviſſimum & pernicioſiſſimum ſunt amplexi.

Et coluerunt & ſervierunt creaturæ præter eum qui creavit. Exprimit qua in re fuerit mendacium illud ſeu error graviſſimus & pernicioſiſſimus, quod nimirum coluerint & ſervierint creaturæ præter creatorem. Vox Græca ἐσεβάσθησαν cultum ſignificat auguſtum, nempe hoc loco religioſum, ſeu talem qui ſoli rerum omnium creatori debetur, hunc iſti creaturæ deferebant, quos hoc nomine redarguit hic Apoſtolus. Cultus iſte religioſus & ſoli Deo creatori rerum omnium debitus, ita ut eum nulli alii tribuere fas ſit, niſi creatoris auctoritate, eſt aliquem tanquam cogitationum & actionum humanarum omnium, etiam occultiſſimarum, conſcium, & quamvis inconſpicuus nec ullis ſenſibus expoſitus ſit, tanquam præſentem colere, & tanquam talem, qui

quovis

quovis tempore & loco & à quovis homine, etiamſi vel ab innumeris hominibus, diverſiſſimis votis, ſimul invocatus & adoratus, nihilominus omnium vota intelligat ac percipiat; & adorari ſeſe videat, & ſingulis quam ab ipſo petunt opem uno momento ſimul ferre poſſit. Ad hunc religioſum ac divinum cultum pertinent ea honoris ſigna quæ hominum omnium conſenſu ſoli Numini exhibentur: quale eſt templum alicui extruere ac dedicare, ſimulacrum in quo colatur erigere, victimas cædere, ſuffitus facere, & alia miniſteria, quamvis abſenti, tanquam præſenti præſtare; quale hodie eſt in genua, aut etiam in faciem coram eo quem non videas nec ſentias procumbere, & ad eum tanquam cælitem manus tendere & oculos attollere, nec ullum externum honoris ſignum omittere ex iis omnibus quæ ſoli Deo exhibeantur. Ad religioſum & divinum cultum in genere hoc non pertinet, ut aliquem tanquam rerum omnium creatorem ac ſupremum ex ſe Dominum colas & adores, eique tanquam tali ſervias: cum appellatio Dei latius patere poſſit, & idololatræ multos tanquam minores & à ſupremo dependentes Deos coluerint & venerati ſint; & qui creaturam aliquam, Solem puta aut Lunam, tanquam minorem aliquem Deum & à ſupremo dependentem coleret & adoraret, nonnne religioſum cultum ei exhiberet?

Et ſervierunt creaturæ. Nempe religioſo ſervitio, quod quale ſit ex ſuperioribus quæ diximus intelligitur. Verbum *ἐσεβάσθησαν* cultum animi qui metu & reverentia continetur, *ἐλάτρευσαν* cultum qui corpore & manuum fit opera ſignificat.

Præter eum qui creavit. Hæc verba addit Apoſtolus non ut ſignificet iſtos Creatorem etiam coluiſſe: hoc enim non fecerunt; ſed ut doceat ſolum Creatorem, excluſis omnibus creaturis religioſe colendum eſſe, quem iſti adeo neglexerunt & contemptui habuerunt, ut eum qui ſolus colendus erat non colerent; ſolas autem creaturas, quæ colendæ non erant, religioſo cultu afficerent. Hæc ſcilicet gratiarum actio erat quam Creatori ſuo, & pro ſe & pro aliis quas in uſum eorum condidit creaturis, reddebant! Sic paulo poſt Apoſtolus ipſe fæminas ipſorum commutaſſe dicit naturalem uſum in eum qui eſt præter naturam: quaſi dicat, qui ſolus retinendus erat. Idem Apoſtolus Gal. 1. 8, 9, *Si quis vobis annunciet præter id quod annunciavimus vobis, aut præter id quod accepiſtis, anathema ſit*, docens hoc ſolum retinendum eſſe quod Apoſtoli annunciaverant. Nam ſi creaturas aliquas religioſe colere illiſque ſervire fas eſſet præter ſolum Creatorem, hoc tantum reprehendere debuiſſet Apoſtolus quod Creatori non ſervierint, non vero quod ſervierint creaturæ. Et res ipſa docet, ſi quis creaturam religioſo cultu afficiat, cui Deus id non dedit ut eo affici poſſit ac debeat, hunc contra Dei majeſtatem peccare, id quod ſoli creatori debetur ad creaturam ſuopte motu transferendo ſeu illi communicando. Non ſatis recte vertuntur hæc Apoſtoli verba *præterito creatore*: quaſi ſi Creatorem non præteriiſſent, nullius criminis fuiſſent rei creaturam colendo, quod falſum eſſe, quia verba, *præterito Creatore*, non exprimunt; rectior & tam rebus quam vocibus convenientior verſio eſt *præter Creatorem*, quibus ſolum Creatorem colendum eſſe docetur, & peccari ſive quis Creatorem in cultu negligat, & ſolam creaturam relicto Creatore colat, ſive Creatoris cultui cultum creaturæ religioſum adjungat; ſive, inquam, non colat Creatorem, ſive non ſolum religioſe colat. Sicut peccabant qui præter naturalem fæminæ uſum alium qui præter naturam eſt ſectabantur; ſive naturalem uſum plane negligerent, ſive naturali uſui eum qui præter naturam eſt, adjungerent. Magnum crimen erat rerum omnium Creatorem ab honore & cultu religioſo, cui ſoli omnis debetur, excludere: ſed non minus eſt ad divini cultus & honoris participationem, ſine Deo auctore, quenquam admittere. Docemur igitur ab Apoſtolo nulli creaturæ religioſum cultum ac ſervitium præſtandum eſſe: proinde nec Angelis nec hominibus, nec ulli animantium; nec Soli, nec Lunæ cæteriſque aſtris. Omnium vero ſtultiſſimi ſunt, qui mortuos & omni anima caſſos religioſe colunt & invocant, quam hominum apotheoſin irridens Veſpaſianus Cæſar, quamvis homo profanus, cum videret ſe mori: Ego, inquit, jam, ut puto, Deus fio; falſe tangens Senatus Romani conſultum, quo mortuus in Deorum numerum referendus erat. Hinc videmus etiam eos crimine idololatriæ teneri qui cultui ac ſervitio Dei adjungunt cultum ac ſervitium creaturarum, quod aliquando ab Iſraëlitis factitatum, & à Prophetis reprehenſum legimus in Scriptura. Sed hoc dolendum eſt idipſum ab iis qui Chriſti nomen profitentur fieri. Nec eſt ut dicant ſeſe eos quos colunt pro diis non habere: quid enim hoc dicendo ſibi volunt? ſeſe eos non colere religioſe? hoc dicere non poſſunt, cum id faciant & faciendum eſſe dicant. An hoc tantum quod iis Deorum nomen & appellationem non tribuant? At quid refert non tribuere nomen, ſi rem ipſam attribuas? Quare enim eos religioſe colunt & invocant? nonne quod iis divinam ſapientiam & juvandi mortales cæleſtem aliquam facultatem adſcribant, ſeu cæleſtes ſpiritus mente præditos eſſe credant? Quid vero hoc aliud eſt quam Deum quendam eſſe? Ipſam ſane Deorum appellationem Scriptura etiam de creaturis quibuſdam, ut Angelis, & inter homines ſummis judicibus ac rectoribus uſurpat. At ut ulla creaturarum religioſe colatur, nuſquam docet; ſed ubique Deum ſolum religioſe colendum eſſe teſtatur. Nec eos quidquam juvat qua uti ſolent latriæ & duliæ diſtinctio: hæc enim vocabulorum tantum in lingua Græca diſtinctio eſt, non rerum, quæ linguis in aliis locum non habet, & in ipſa Græca lingua utraque vox ſua natura & ex profano uſu idem ſignificat; qua de re videantur lexica. Auctores etiam ſacri ſæpe duliæ vocabulum eodem ſenſu quo latriæ, nempe de religioſo ſervitio accipiunt, & ipſam latriæ vocem nonnunquam de communi & profano ſervitio uſurpant; quanquam verum ſit eos cum de religioſo ſervitio loquuntur, vocem latriæ communiter uſurpare; de quo vox duliæ uſurpata, idipſum plane ſignificat, quod vox latriæ. Vide Lexicon Paſoris in voce *λάτρις mercenarius.* Objiciunt, ſi ſolus rerum omnia Creator colendus eſt; ſequitur Chriſtum, aut rerum omnium creatorem eſſe; aut religioſe colendum non eſſe. Negamus id ſequi: ſolus enim nihilominus Creator colitur, quamvis Chriſtus colatur: non quod Chriſtus ſit Creator (hoc enim manifeſtam continet contradi-

ctionem) ſed quod Chriſto creator dederit ut religioſe coli poſſit ac debeat, quo in Chriſto tanquam in vera & viva ſui imagine ipſe ſolus colatur & adoretur. Si enim non homo, ſed Deus homini hanc largiatur divinitatem, ut religioſo afficiatur cultu, (quod Deo licitum eſſe quis negaverit?) is homo ratione divini & religioſi cultus non diverſus & alius ab ipſo Deo, ſed unus idemque cum Deo reputandus eſt. Ea omnis creatura hic excludi debet, cui niſi homo ſit propitius, id eſt, niſi eam opinionibus & decretis ſuis Deum faciat, Deus non erit. Deus in Lege ſua præceperat ne ullum ſimulacrum adoraretur; & tamen excipienda erat arca illa fœderis cum ſuo operculo, quod propitiatorium vocabatur, cui impoſita erant ſimulacra Cherubinorum alis ad ſeſe invicem obverſis & expanſis, ut thronum Dei quodammodo referrent. Excipienda autem erat ideo, quod Deus ipſe, ſicut eam fieri juſſerat, ſic etiam ſingulari quadam numinis ſui præſentia conſecraverat: quanto magis cum creaturis omnibus cultus religioſus deferendus eſſe negatur, ex numero earum eximendus eſt Chriſtus, Dei Filius, vera & viva Novi Fœderis, vetere illo longe præſtantioris, Arca, verum illud propitiatorium, cui Deus ipſe donavit nomen, omni nomine quod cuique à Deo donatum ſit & donari poſſit, adeo ſublimius, ut propter hoc nomen ſeu majeſtatem Jeſu donatam, omne genu flecti debeat, cæleſtium & terreſtrium & inferorum, & omnis lingua confiteri quod Dominus ſit Jeſus Chriſtus, *in gloriam Dei Patris*, cujus dono hanc tantam majeſtatem eſt adeptus Philipp. 2. 9, 10, 11.

Mirari profecto hic ſubit humani ingenii Deo ſemper adverſantis pervicaciam: nullam in rem magis prona & proclivia ſunt ſemperque fuerunt hominum ingenia, quam ut homines vita functos, quorum eximia aliqua virtus dum viveret enituit, aut enituiſſe credita eſt, in cælis collocent; & ex iis patronos ac opitulatores cæleſtes ſibi faciant, quorum opem implorent, & ad quos magna cum religione confugiant. Hoc Deus ipſe fecit in Chriſto, hominum tanto deſiderio ac ſaluti gratificaturus. Quis Chriſto fuit virtute & ſanctitate & divinis operibus conſpectior? Hunc morte & quidem pro peccatis noſtris affectum Deus revocavit in vitam, in cælum evexit, Dominum & Servatorem noſtrum conſtituit, omnia quæ cupere & optare poſſimus, in manu ejus poſuit, hunc à nobis adiri, coli & invocari voluit: homines vero quo animo tantam Dei erga ſe gratiam, qua nulla major cogitari poterat, acceperunt? Horret animus meminiſſe! Chriſtum, niſi Creator eſſe rerum omnium credatur, idolum & Deum falſum appellant, quaſi offenſi quod non ipſi hanc divinitatem Chriſto decretis ſuis tribuerint, aut quaſi Deum ulturi, ut quia ipſe hominem Jeſum crucifixum ab illis coli velit; illi viciſſim hunc hominem, Deum ipſum faciant, ne ſibi pudori ſit hominis crucifixi cultus, cum Deum ut putant non puduerit hominem crucifixum fieri! Ergo mater Chriſti & alii Chriſti ſervi, ſive veri, ſive ab hominibus exiſtimati, idola non erunt, quos hominum ſcita & placita ad cæleſtes honores & religiones poſt mortem evexerunt; ſolus Chriſtus quem non homines ſed Deus ipſe ad cæleſtem majeſtatem eique convenientem honorem extulit, eumque hoc fine ex mortuo vivum fecit, idolum erit? Miſereatur Deus tantæ hominum cœcitatis & amentiæ, iiſque mentem ſaniorem concedat!

Vox creaturæ, in ſingulari numero intelligi debet in ſignificatione plurativa: neque enim iſti unam aliquam creaturam, ſed multas & varias divinis honoribus affecerunt: hoc ipſo quoque inſani & inſipidi, quod multos Deos uni prætulerint, & in multos cultum ac religionem ſparſerint, quæ in uno defigenda erat. Porro ſi creaturis ipſis divinus ac religioſus honos deferendus non eſt, quanto minus eorum mutis & inanibus ſimulacris, & quæ vix unquam ex vero, ſed ex pictoris vel fictoris licentia ac voluntate ſunt expreſſa? ut hac quoque ex parte Scriptura idolum recte dixerit eſſe vanitatem ac mendacium. Denique etiamſi verum eſſet homines aliquos vita mortali perfunctos in cælis vivere, & adorandos ac invocandos eſſe, ut ſane Chriſtus vivit, quippe ex morte in vitam à Deo revocatus, & in cælum tranſlatus; non tamen ullus inter cælites relatus, mortali forma & ſpecie proponi deberet in qua coleretur, nec Chriſtus ipſe proponendus eſt. Nam ſicut ſanctorum hominum animi & ſpiritus à corporibus ſeparati, nullam cum corpore mortali ſimilitudinem habent, ſic neque Chriſtus ſpiritus vivificus & incorruptibilis effectus, in ulla corruptibilis hominis ſpecie colendus & adorandus eſt, etiamſi Chriſti formam, qualem mortalis inter mortales geſſit, ad amuſſim referret. Hoc enim ſine maxima diviniſſimæ ac cæleſtiſſimæ naturæ & majeſtatis ejus injuria fieri non poſſet. Ita omni ex parte vani ſunt qui cælites in formis colunt eorum qui degunt in terris. Ne nunc de eo dicam quod ſæpe Scriptura commemorat, indignum plane eſſe ut homo operi manum ſuarum, quod Deus fieri non juſſit, nec præſentia ſui numinis conſecravit, (quod olim in arca illa Fœderis uſu venerat) ſeſe inclinet & incurvet, idque etiam Deum ſuum, aut Dei ſui formam & effigiem appellet. Vide Eſai. XLIV. 15 &c. Non male à quodam dictum eſt, ſimulacra ſi ſenſu & ratione prædita eſſent, hominem factorem & opificem ſuum adorarent: quanto igitur cum dedecore homo opus ſuum adorat!

Qui eſt benedictus in ſecula. Amen. Addit hanc deſcriptionem Creatoris Apoſtolus, ut tanto magis doceat, Deum coli debuiſſe ab omnibus. Benedictio hoc loco & ſimilibus laudes ſignificat. Itaque benedictus εὐλογητὸς eſſe dicitur, quod ſit omni laude plenus & cumulatus: proinde iis rebus quæ laudem & gloriam merentur, ſapientia puta, potentia, bonitate, majeſtate, beatitate & ſimilibus. Alibi Apoſtoli Deum vovendo benedictum dicunt, ideoque tum verbum *ſit* intelligi debet, & ſenſus eſt, laudetur ac celebetur Deus ob ſuas divinas virtutes & collata in homines beneficia, Hoc autem loco affirmando *benedictus* dicitur; ut appareat iſtorum impietas, qui à laudibus & gloria excluſerunt eum qui ſolus laudes & gloriam maxime meretur.

In ſecula. Id eſt, non ad tempus aliquod, ſed ſemper, quamdiu ſecula & homines & creaturæ mente ac intellectu præditæ erunt.

Amen. Sic ſe res habet, hoc ipſa eſt veritas.

Verſ. 26. *Propter hoc tradidit ipſos Deus in paſſiones ignominiæ.* Simili crimini eandem quam ſupra ſubjungit

jungit pœnam aliis & pluribus verbis expreſſam. De verbo *tradidit* jam egimus verſ. 24.

In paſſiones ignominiæ. Id eſt, in paſſiones ignominioſas, fœdas ac turpes: duobus ſubſtantivis rem expreſſit pro ſubſtantivo cum adjectivo, Hebræa phraſi. Senſus eſt, ut paterentur ignominioſa & dedecoris plena: nam & illi Deum dedecore affecerant.

Nam & fœminæ ipſorum commutarunt naturalem uſum in eum qui præter naturam eſt. Rem quam dixit demonſtrat primum in fæminis: *fæminæ ipſorum*, inquit, *commutarunt naturalem uſum*, intellige *ſui*, *in eum qui præter naturam eſt.* Juſtiſſima pœna: nam & ipſi commutarant veritatem Dei cum mendacio; *in eum qui præter naturam eſt.* Nam & illi præter creatorem qui ſolus religioſe colendus erat, creaturis cultum religioſum tribuebant. A fæminis incipit Apoſtolus, quia hoc malum etiam à fæminis haud dubie incepit, & eadem via ac fœditate tranſivit ad maſculos.

Verſ. 27. *Similiter & mares relinquentes naturalem uſum fæminæ, exarſerunt in appetitu ſuo alii in alios.* A feminis tranſit ad mares, eadem pœna & fœditate affectos docens. *Dimittentes naturalem uſum fæminæ.* Id eſt, dimittentes uſum fæminæ, qui ſolus naturalis, proinde & ſolus ſervandus eſt. Merito, nam & illi creatoris cultum dimiſerant, qui ſolus colendus eſt: dimiſerant autem naturalem fæminæ uſum non plane: nam & fæminis naturaliter utebantur; ſed quatenus non ſolum retinebant. Etiam creatoris cultum hactenus quiſquam dimittit, quatenus non ſolum creatorem colit.

Exarſerent in appetitu ſuo aliis in alios. Exponit quo pacto naturalem uſum fæminæ dimiſerint.

In appetitu ſuo. Id eſt, per appetitum ſuum: rem brutam & rationis non audientem.

Mares in maribus turpitudinem perficientes. Turpitudinem, id eſt rem turpiſſimam & fœdiſſimam, quam vel verbis exponere pudor vetat. Rem profecto nefandam in fæminis pariter & in maſculis, tam agentibus quam patientibus, à qua etiam brutæ beſtiæ tanquam univerſæ naturæ contraria penitus abhorrent. Quod nefandum crimen quanta ſeveritate in extremo illo & univerſali vivorum pariter ac mortuorum judicio ſit puniturus Deus, in lege ſua teſtatum fecit, in qua graviſſimum ignis ſupplicium huic ſceleſtiſſimo facto conſtituit. Neque enim peccatorum pœna in ipſa peccati turpitudine ac fœditate conſiſtit, ſicut nec virtutis præmium in ipſa virtutis pulchritudine: ſed & peccatum quanto turpius eſt ac fœdius, tanto graviorem exſpectat pœnam, & virtus quanto pulchrior ac perfectior, tanto majorem gloriam.

Et retributionem quam oportebat erroris ſui in ſeipſis recipientes. Id eſt, convenientem & plane congruam errori ſuo receperunt pœnam. Deum contumelia affecerant, contumeliam etiam receperunt.

In ſeipſis. Id eſt, in propriis ſuis corporibus.

Erroris ſui. Id eſt peccati ſui graviſſimi, dum ſcilicet creaturam religioſe colunt, Creatorem repudiant: quod peccatum errorem vocat, non minuendo illius gravitatem, ſed augendo potius: error enim iſte affectatus erat ac voluntarius, ultro ac veluti data opera rerum omnium & ſuum Creatorem ignorabant, qua de re verſ. 25 actum eſt. Solent homines per illa plecti per quæ peccant, perque ſuos errores quibus pertinaciter adhærent, pœnas á ſeipſis graviſſimas exigere. Exempli cauſa, veritati de Deo, de Chriſto, de Spiritu Sancto, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, omni conatu reſiſtunt, eamque à ſe repellunt: quid mercedis inde habent? vitia & peccata quibus mancipati ſunt, inter quæ bella crudeliſſima & cædes mutuæ, quibus inter Chriſti nomen profeſſos nullus eſt finis. Hæc omnia inter ipſos ceſſarent, ſi veritatis ejus quam diximus notitiam in animos admitterent: hæc veritas eos liberaret à peccatis & peccatorum pœnis; ſed quia errore delectantur, erroris etiam, quas oportebat, dant pœnas.

Verſ. 28. *Et ſicut non probaverunt Deum habere in cognitione, tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt.* Convenientiam peccati & pœnæ uberius exponit. *Deum habere in cognitione*, id eſt Dei habere cognitionem, vel Deum cognoſcere: ſic dicimur aliquem habere in pretio, in exiſtimatione; vel in cognitione, id eſt, cognitum, Hebræa phraſi.

Non probaverunt. Id eſt, reprobarunt Dei Creatoris cognitionem, quæ ſeſe mentibus & ſenſibus eorum undique ingerebat: tulerunt etiam pro pœna mentem reprobam, quæ ſcilicet nemini ſano probari poteſt. Mens reproba dicitur cujus cogitationes & conſilia plane ſunt reproba & omnibus ſanæ mentis abominanda.

Ut faciant ea quæ non conveniunt. Finem notat mentis reprobæ, nempe facere reproba, inconvenientia, fœda, turpia, abominanda, ea ſcilicet quæ deſcripſit in fæminis pariter & maribus: peccata quæ vulgo vocantur Sodomitica, quæ qualia fuerint fateor me non intelligere nec intelligere unquam voluiſſe.

Inconvenientia. In genere dixit, cum eorum ſpeciem maxime notabilem & enormem intelligeret, per antonomaſiam quam vocant.

Verſ. 29. *Repletos omni injuſtitia.* Docet mores iſtorum hominum etiam alioquin fuiſſe valde vitioſos & corruptos, ita omni ex parte meruerant tradi in reprobam illam mentem, ut ſuis malis moribus adderent illa tam fœda & exſecranda: ſi tamen moribus iſtis non addidiſſent reprobationem cognitionis Dei, ſi inquam in cognitione Dei & cultu Creatoris permanſiſſent, non paſſus fuiſſet eos in tam turpia & pudenda ruere: ſicut Judæis uſu venit, qui etiamſi alias moribus nihilo meliores eſſent Ethnicis, & vitia iſta omnia quæ hic enumerat Apoſtolus, ipſis cum Ethnicis eſſent communia, ut infra videbimus; quia tamen in cognitione & cultu creatoris permanebant, in peccata illa exſecranda, communiter loquendo, prolapſi non ſunt. Cæterum iſtorum enumeratione vitiorum Judæis cum gentibus communium, ſenſim ſibi viam ſternit Apoſtolus ad coarguendos peccatorum etiam Judæos, ut iis viam commonſtret eandem ad fidem Chriſti, & quærendi juſtitiam Dei, per Euangelium revelatam.

Repletos eos fuiſſe dicit vitiis quæ enumerat, ſignificans nihil illis defuiſſe ad plenitudinem quorumlibet vitiorum,

Omni injuſtitia. Injuſtitiam primo loco ponit, vi-

tium maxime commune. Injuſtitiæ effectus eſt injuria, cujus inferendæ quia multi ſunt modi, ipſaque eſt multiplex, ideo dicit, *omni injuſtitia*: quaſi dicat, nullus eſt modus inferendæ injuriæ quem non exerceant, nulla injuriæ ſpecies quam non inferant, ſi detur occaſio. Cæterum injuſtitiæ vocem ſtrictiore ſignificatione accipit Apoſtolus hoc loco, propter ſequentium vitiorum catalogum, quæ omnia vox injuſtitiæ lato ſenſu accepta complecteretur, cum tamen inter illa injuſtitia ſtricte ſumpta non numeretur, niſi hoc loco. Videtur ergo hoc loco injuſtitia referri ad ſolas injurias quæ invitis etſi non inſciis inferuntur: quanquam furtum, quod hic includi nihil prohibet, injuria eſt, quæ inſciis fit & invitis.

Scortatione. Scortatio dicitur & de ſcortis ipſis quæ corpore quæſtum merentur, unde & meretrices dictæ, & de iis qui ſcortis ac meretricibus miſcentur. Ad hoc vitium refertur omnis cum fæmina citra conjugalem thorum congreſſus, omne ſtuprum, & fæmina quæ citra conjugium uſum ſui præbeat, etſi non communem ac promiſcuum ut ſcorta, ſcortis tamen accedit. *Honoratum conjugium inter omnes*, ſcilicet *eſto*, inquit auctor ad Hebræos *& cubile impollutum; ſcortatores autem & adulteros judicabit Deus* Heb. xiij. 4.

Improbitate, Græce πονηρίᾳ. Vitium quo alteri nocetur ex mera nocendi libidine, etſi nullum ad te commodum inde redeat; quo ſenſu & diabolus πονηρὸς appellatur.

Avaritia, Græcis πλεονεξίᾳ. Id eſt, defraudatione, cujus effectus eſt injuria, non invito quidem ſed inſcio illata. Vocabulum πλεονεξία, à plus habendo dicitur, quia avarus in emtionibus, venditionibus, commutationibus, contractibus, id agit ut ab altero multo plus habeat quam is ab illo accipiat, id eſt non quum & bonum, ſed quæſtum & lucrum ſpectat. Cæterum avaritia pecuniæ aviditas eſt, de qua vide 1 Tim. vj. 6, 9, 10.

Malitia, Græce κακίᾳ. Iracundia denotari videtur, ſeu ira nullo fræno coërcita, quæ properat & ruit in vindictam, etiam ob minimam ſive ſpeciem ſive opinionem injuriæ. Cujus exempla perpetua erant inter Ethnicos.

Plenos invidiæ. Nihil illis ad plenitudinem invidiæ & cæterorum quæ eodem commate ponuntur vitiorum defuiſſe ſignificat. Invidia eſt animi tormentum ob bonum & commodum alterius quo eum carere cuperes, quod & ipſe eo careas. Invidia de ſeipſa pœnas exigit, qua, ut profanus author habet, Siculi non invenere tyranni, Majus tormentum.

Homicidii. Homicidium eſt, ut vox ipſa indicat, cædes hominis, ſed injuſta: Nam homicidam capite plectere pœna eſt juſta homicidii, & ab ipſo Deo conſtituta, non homicidium. Gentes homicidiorum plenas fuiſſe teſtantur eorum theatra & ludi gladiatorii, & magnatum funera, in quibus multa hominum paria ad mortem depugnabant. *Homo*, inquit Seneca, *res ſacra, per ludum & jocum interficitur*. Vere ſacra res eſt homo, cujus cauſa omnia quæ in univerſo mundo conſpicimus, a Deo ſunt condita, & mundus ipſe: homo autem creatoris ſui cauſa, ut eſſet qui Creatorum cognoſceret & gloria afficeret eique gratias ageret, viva & vera Creatoris ſui imago: hunc injuſte interficere ingentis criminis eſſe oportet: & tamen inter eos qui Chriſtiani audire volunt, homo viva & vera Dei imago, ab ipſo Deo efformata, propter imaginem hominis arbitrio effectam occiditur: proh nefas! Ad homicidia referri debent omnia bella injuſta, raro autem ſunt juſta, & ſi unquam juſta ſint, vix tamen unquam geruntur juſte. Recte vero invidiæ ſubjunxit Apoſtolus homicidium, φθόνου φόνου; non tantum quod utraque vox una ſolummodo litera à ſe invicem diſtet, ſed etiam quod invidus animum homicidæ gerat, & quem ſeſe videre ægre fert, eum etiam malit non vivere.

Contentionis. Pleni contentionis, id eſt contentioſſimi. Homicidio ſubjungit contentionem, quia ex contentione & litigio facile naſcitur homicidium: & ſicut homicidium fit adverſa manu, ſic contentio acerba lingua: manus cædibus, lingua verbis depugnat. Cujus pugnæ cauſa eſt vel exiſtimationis ac laudis vaniſſima cupido, vel lucri & commodi: illa prohibet ne opinione tua decedas, hæc ne decedas jure, ſive tuo, pacis & concordiæ cauſa, ſive alieno, juſtitiæ & æquitatis cauſa.

Doli. Pleni doli, id eſt doloſiſſimi homines, qui ſub amicitiæ & familiaritatis ſpecie alteri ſtruunt malum, & ipſam adeo mortem; cujus doli, inter alia innumera, exemplum habemus inſigne apud Tacitum in tribus Romanis ſenatoribus, Titio Sabino Equiti Romano perniciem machinantibus Annal. 4 circa finem.

Κακοηθείας. Hanc vocem interpretes vertunt malignitatem, & certe vitium iſtud malignitatis quædam ſpecies eſt, quod jure dolo adtexuit Apoſtolus, nam & hoc dolus eſt; vox Græca proprie malum morem ſonat, ſed illius uſus & ſignificatio ſpeciale denotat vitium, cum quis ſub laudis ſpecie laudibus alterius detrahit, & ita laudat ut potiorem laudis partem diſſimulet vel elevet quantum poteſt, & ſic laudatorem profeſſus detractorem agat.

Verſ. 30. *Suſurrones*. Quidam alterius famam & exiſtimationem arrodunt.

Obloquutores, Græce καταλάλους. Qui palam & per apertam calumniam, *Dei oſores*, qui peccatorum & ſcelerum ſibi conſcii mallent Deum in cælis non eſſe, quibus ægre eſt vel audire aliquid de Deo. Oderunt nimirum quem ob ſcelera ſua metuunt.

Contumelioſos. Qui ſicut Deum odio habent, ſic in homines contumelioſi ſunt. Deum odio proſequuntur, nam factis lædere nequeunt, homines quos poſſunt leviſſima de cauſa perſequuntur contumeliis.

Superbos. Merito ſuperbos contumelioſis adjunxit, nam contumelioſi etiam ſuperbi ſunt, imo ideo contumelioſi quia ſuperbi. Græca vox ὑπερηφάνους eos proprie ſignificat qui ſupra alios apparere & conſpici amant, inprimis in iis quæ ad vitæ cultum pertinent: ita & ipſi ſeſe quantum poſſunt ſupra alios extollunt, & ab aliis cultu & honoribus extolli volunt, impatientes vel minimi contemptus, ad alios vero contemnendos & contumelioſe tractandos promptiſſimi: quod arbitrentur aliorum depreſſione ſuam attolli dignitatem.

Glorioſos, Græce ἀλαζόνας. Etiam his jure locum aſſignavit pone ſuperbos, tanquam ſuperborum vicinis.

Super-

Superbi factis ſeſe extollunt; glorioſi ſeu ἀλαζόνες dictis & laudum ſuarum falſa & intempeſtiva prædicatione. Cujus generis homines veræ laudis & virtutis jejunos in Thraſonis perſona eleganter depinxit profanus auctor, quem idcirco jure nomino quod profanorum mores hic taxet & recenſeat Apoſtolus.

Repertores malorum. Quales erant miniſtri libidinum vel crudelitatis, qui novos libidinum ſeu crudelitatis exercendæ modos inveniebant. Hinc Phalaridis ille taurus, & apud Tiberium nova & tunc primum reperta libidinum genera & nomina. Et quæ ad gulam, ad avaritiam, ad vitæ faſtum ſpectantia ſubinde excogitantur nova, mala ſunt. Repertores malorum erant & illi qui novorum Deorum introducebant cultum, & qui hodie novorum cælicolarum, quos mortales colant & invocent: qui item novas regulas & inſtituta præter regulam & inſtituta à Chriſto tradita, aut alia dogmata falſa & pernicioſa in religionem invexerunt. Et quis enumeret omnia mala quæ & olim hominum improbitate reperta ſunt, & ſubinde reperiuntur!

Parentibus inobedientes. Inter maxima crimina & hoc unum eſt, parentibus, qui tibi vitæ auctores fuerunt, non procreatione tantum, ſed & longa & moleſta educatione, inobedientem eſſe; iis moleſtiam afferre, qui te ideo procrearunt, ideo ſuſtulerunt, ideo innumeris affecerunt beneficiis, ut ex te viciſſim omne ſolatium, omne obſequium, omnem honorem caperent. Non fruſtra Deus parentes honorantibus longævam ac beatam vitam pollicitus eſt, & hoc primum præceptum eſſe voluit cui promiſſionem ſpeciatim annecteret: nimirum ut ſignificaret quantopere ſibi curæ eſſet honor parentum, et quam ſevere vellet ulciſci parentum injurias, nec minus quam eorum honorem large remunerari. Sicut enim qui omni honore & obſeqoio colunt vitæ ſoæ auctores, digni ſunt vita & longa & beata, ſic qui auctoribus vitæ ſuæ ſunt refractarii, indigni ſunt ut vivant, & hujus vitæ bonis perfruantur: quod etiam evenire innumeris exemplis eſt comprobatum.

Verſ. 31. *Inſipientes*, ἀσυνέτους. Qui rationem non advocant in conſilium, ſic ſe gerunt, ſic agunt, ac ſi mente & intellectu carerent, cum ſcilicet bene agendum eſt, alioquin ad malum mens & intellectus iis non deeſt. Magnum haud dubie crimen! Non fruſtra enim Deus homini rationem indidit, nec ut ea abutatur ad malum, ſed ut ea utatur ad bonum. Ad inſipientes iſtos merito referendi ſunt qui dogmata fidei ad rationis examen admitti nolunt, & quamvis manifeſta ratio dogmati alicui reclamet, eam captivandam eſſe dicunt. Etiam in hoc ipſo inſipientes, quod verbis Apoſtoli abutantur, qui non ſuam rationem captivabat, ſed alienam in obſequium Euangelio 2 Cor. x. 5. Scripturam & Dei verbum rationi opponunt, quaſi Scriptura rationem & intellectum hominis excludat & non potius includat ac ſupponat: & quaſi non eundem auctorem habeat mens & intellectus quem Scriptura. Non vident nec attendunt brutis Dei verbum & Scripturam datam non eſſe; ſed ſolis hominibus. Quamobrem vero? nonne quia bruta ſunt bruta, ſoli homines ſapiunt? At ſi mens in Dei verbo percipiendo & rite intelligendo captivanda & excludenda eſt, profecto nulla cauſa ſit quin brutis quoque verbum Dei prædicetur: excluſa enim ratione quid aliud eſt homo quam brutum? Et quid non poterit Dei verbo & Scripturæ affingi, nobiſque credendum obtrudi, ſi rationi examinare & judicare non liceat, an hoc vere ſit Dei verbum, vere Scriptura, & non potius verbi Dei & Scripturæ abuſus, ad palliationem falſi & pernicioſi dogmatis? Itaque niſi inſipientiæ hoc graviſſimo crimine teneri volumus, nuſpiam magis quam in rebus fidei & ſalutis ratione & intellectu utamur, & omnia dogmata repudiemus quæ apertæ rationi repugnant, id eſt, manifeſtam contradictionem implicant: cujus conciliandæ modos quærere rationis abuſus eſt, nec inſania minor. Et illi qui rationis uſum in Scripturæ intellectione oppugnant, abuſum admittunt: non enim aliter niſi rationis abuſu rationem oppugnare & modos conciliandarum contradictionum excogitare poſſunt.

Incompoſitos. Græce ἀσυνθέτους, homines à pace & compoſitione in diſſidiis alieni. Magnum crimen eſt temere & ſine neceſſitate ab aliis diſſidere; ſed majus eſt adhuc juſtos & æquos compoſitionis modos rejicere & in diſſidio pertinacem eſſe. Nam ſicut ex pace & concordia omnia bona, ſic ex diſſidiis omnia mala oriuntur.

Ἀστόργους. Homines adverſus propinquum ſanguinem ita ſeſe gerentes, ut ſtorgas omnes, id eſt amoris innati affectus exuiſſe videantur, ipſis feris magis efferi; quæ ſuam prolem, ſuum ſanguinem agnoſcunt, & erga eum multo ſunt mitiores. Iſtius ἀστοργίας notabile exemplum præbuit Tiberius, qui Germanici filios, nepotes ſuos, una cum Agrippina eorum matre, miſerabiliter necavit; ut quidam eorum fame enecti etiam ſomentum è culcitra mandere cogerentur.

Ἀσπόνδους. Vetus interpres vertit, *abſque fœdere*, cum quibus nulla ſponſio, nullum pactum eſt, qui etiamſi vel centies ſpondeant ac paciſcantur, centies ſi id ſibi expedire putent, fidem datam ac juratam fallunt. Horum è numero ſunt qui hodie cum hæreticis, quos ajunt, paciſci non dubitant, & fas eſſe putant; mox tamen, ſi occaſio detur, quia hæreticos eos clamant, pacta cum iis reſcindunt, & niſi reſcindantur, niſi fides perjurio violetur, graviſſimum crimen in Deum committi dicunt: quo profecto vel ſolo ipſi ſunt maximi hæretici. Summam enim impietatem ſummam pietatem eſſe ſtatuunt. Nec hodie quidquam magis eſt in uſu quam fœdera inire, & ſi expediat reſcindere. Ego certe pacis æternæ, diverſis pactis ac fœderibus firmatæ finem non ſemel vidi.

Immiſericordes. Qui humanam naturam exuerunt, humanitate & miſericordia depoſita: hominibus enim à natura inditus eſt miſerationis erga miſeros & calamitoſos affectus, quo qui ita aliorum miſeria & calamitate non tanguntur nec moventur, ut iis quantum poſſunt ac licet opem ferant, eoſque calamitate exſolvant, feris quam hominibus ſunt ſimiliores.

Verſ. 32. *Qui juſtum ſtatutum Dei cognitum habentes, quod qui talia faciunt digni morte ſunt, non tantum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt iis qui faciunt.* Rem novam de peccatoribus iſtis enunciat, ad exaggerandam eorum malitiam non parum pertinentem.

Qui, inquit, nempe homines quos recenſuit,

mali

mali ac vitioſi, *non tantum faciunt iſta* quæ dixit *mala:* quod valde malum eſt; ſed etiam, quod adhuc pejus eſt, & deterioris animi indicium, conſentiunt & applaudant hæc eadem facientibus. Solent enim homines, quorum in animis vitia turpitudinem ſuam necdum plane depoſuerunt, ſibi quidem in vitiis indulgere, in aliis tamen ea reprehendere & ab iis dehortari; at qui & ipſi peccant, & ab aliis peccari volunt, nec ſuis tantum ſed & aliorum vitiis favent, eo malitiæ ac vitiorum provecti ſunt, ut provehi ulterius non poſſint, & latiſſimam portam curſumque vitiis aperiuot, omni eorum ſufflamine ſublato, & quaſi univerſali ad peccandum facta conſpiratione. Hæc Ethnicorum erat vita, hi mores. Ne vero quiſpiam eos excuſare conaretur quod ignoraverint Dei legem & ſtatutum adverſus hæc talia facientes; ideoque mirum non eſſe, quod & ſe & alios in vitia diſſolverint, quibus deſideriis & cupiditatibus ſuis indulgerent; negat hoc Apoſtolus:

Statutum, inquit, *Dei cognitum habentes.* Eo malitiæ ut dixi prolapſi ſunt. δικαίωμα voce utitur Apoſtolus, qua ſimul ſtatuti juſtitia denotatur: ſic cap. 2 verſ. 26 δικαιώματα τοῦ νόμου, juſta Legis ſtatuta. Quod vero ſit ſtatutum iſtud declarat.

Quod qui talia faciunt digni ſint morte. Non ea quæ per naturam ipſam venit, mortalitatis expleto tempore; ſed quæ per Numinls, talia ulciſcentis, iram & pœnam veniat. Hoc Dei ſtatutum ab iis probe cognitum fuiſſe aſſerit Apoſtolus. Vox ἐπιγνόντες, qua utitur, juſtam & ſufficientem notitiam denotat. Verum autem eſſe id quod aſſerit, eorum teſtabatur conſcientia, cujus irrequietos & acres morſus ob hæc ſua facta ſentiebant, etiam legibus ſoluti. Unde vero iſti proficiſci poterant niſi ex pœnæ ac ſupplicii, à Numine infligendi, metu? Hoc enim ſublato, tolleretur ſimul omne conſcientiæ tormentum, quod tamen malorum & improborum nemo evitare unquam potuit, ne maximi quidem & potentiſſimi Tyranni, quibus etſi ab hominibus nullus eſſet metus, perire ſeſe nihilominus quotidie ſentiebant & palam fatebantur: qua de re ipſius Cæſaris Tiberii verba ex epiſtola quadam ad ſenatum ſcripta recitat Tacitus Annal. IV. Ex ſtatuti iſtius divini cognitione haud dubie fluxit id, ut & ipſi multa de Tartareis pœnis prodiderint. Ita hoc Dei ſtatutum cordibus eorum ab ipſa natura alte inſculptum erat, ut deleri nulla ratione poſſet: proinde & effectum ſuum haud dubie habiturum eſt. Vera enim ut ſint oportet quæ naturam & conſequenter Deum ipſum habeant auctorem. Quin hoc ipſo Deus eſſet, haud dubie arguitur. Non dicit autem quod qui talia faciunt morituri ſint; ſed tantum quod morte digni ſint: quia Deus etiam maximos peccatores ſalvat per fidem in Chriſtum.

CAPUT II.

Verſ. 1. **P***Ropter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui judicas.* Poſtquam oſtendit Apoſtolus Gentes maximorum criminum reas, quæ Deus viodicaturus eſſet ira cælitus inmittenda, à qua ſervandus ſit omnis qui credat Euangelio; nunc Judæos aggreditur, qui propter Legem ſibi à Deo latam, & cuticulæ circumciſionem illam ſuam tumidi, gentes damnabant; ſe vero extra omnem damnationem eſſe, ideoque nec Euangelii ullius nec fidei in Jeſum, nec juſtitiæ Dei, quæ per Euangelium revelabatur, quidquam indigere putabant. Hos igitur non minus quam gentes propter ipſorum peccata damnationi ſubjectos eſſe docet, idque adeo ut Gentibus multo ſint inexcuſabiliores.

Propter quod. Id eſt, cum hoc ita ſe habeat, ut morte digni ſint qui talia faciunt, inexcuſabilis es ô homo omnis qui talia facientes judicas ac damnas: hinc enim apparet, illud Dei ſtatutum optime tibi cognitum eſſe: quaſi dicat, gentes etſi alia ex parte peſſime faciant, quod talia perpetrantibus applaudant, tamen tam ſtultæ non ſunt, ut cum eadem ipſæ faciunt alios ob illa judicent ac damnent. Ita Apoſtolus hoc ipſum quo ſeſe Judæi juſtos putabant, condemnationis eorum haud dubiam cauſam eſſe oſtendit.

Inexcuſabilis es ô homo. Convertit rationem ad hominem quiſquis propter peccata alios damnet, cum ipſe iiſdem ſit obnoxius. Ἀναπολόγητος eum ſignificat qui nullam habet apologiam ſeu defenſionem ſui in Dei judicio: quaſi dicat, omni defenſione teipſum privaſti.

O homo! Non nominat diſerte Judæum, quamvis Judæum maxime intelligat, cum & ſententia natura ſua ſit generalior, & adhuc declinari poſſet invidia.

Omnis qui judicas. Oſtendit quem hominem intelligat & alloquatur, nempe eum qui judicet, id eſt, qui peccatores & gentes propter illa eorum peccata ac flagitia, damnat & ſuppliciis æternis à Deo olim irrogandis adjudicat. Judæos, ut diximus, haud dubie taogit, qui gentes damnabant ob eorum peccata, cum gentes peccatis applauderent, & ſoli omnium optime ſcirent per Legem edocti peccatores morte dignos eſſe; unde etiam damnatio hæc oriebatur.

Addit, *omnis*, ne quiſquam eorum qui judicant exceptum ſe putet: quaſi dicat, quiſquis es, etiamſi Judæus ſis, inexcuſabilis es, & omni defenſione temet exarmaſti? Qualem vero judicantem intelligat, mox patebit, nempe talem, qui iis quos judicat & damnat, ipſe nihilo ſit juſtior; alias enim ex eccleſia judicat ac judicare debet, cum ipſa ſancta ſit & impolluta Epheſ. v. 27. 1 Cor. v. 13.

Judicas. Id eſt, damnas, per metonymiam cauſæ pro effecto. Judæos autem hic tangi & deſignari, quamvis nondum nominentur (quod infra fit verſ. 17, animis eorum ad excipiendam correptionem magis præparatis) res ipſa loquitur. Gentes enim peccatores non damnabant cum iis applanderent; ſed Judæi damnatione peccatorum & gentium, ſanctitatem ſuam approbare conabantur, quam factis & operibus non probabant.

In quo enim judicas alterum teipſum condemnas. Cauſam & rationem affert ob quam is qui judicabat eſſet inexcuſabilis & ἀναπολόγητος; quia ſcilicet is ſemetipſum condemnabat: at nemo magis eſt ἀναπολόγητος, quam is qui ipſe ſeſe condemnat: condemnabat autem ſemetipſum in quo judicabat, id eſt damnabat alterum, *in quo*, id eſt dum: nam *in quo*, id eſt facto,

facto, non tum ſic locum habet, ubi de pluribus ſortibus res eſt, ut ſequitur.

Hac enim ipſe agis. Cauſam ad dit cur alterum damnando ipſe ſeſe damnet, quia hæc eadem aut eorum ſimilia agit propter quæ alterum damnat.

Qui judicas. Non ſimpliciter quia judicas teipſum damnas; ſed quia hæc ipſa facis qui judicas; ſi non faceres, non protinus ob judicium alterius teipſum damnares; niſi forte aliud eſſet in judicio tuo vitium, ut ſi temere, ſi ſine ulla juſta cauſa, ſi non ex merito, ſed ex opinione tantum tua fiat, ſi nulla ſit judicandi ac damnandi neceſſitas, & locus ſit miſericordiæ, quo pertinent verba Chriſti, nolite judicare ne judicemini Matth. vij. 1.

Verſ. 2. *Scimus autem quod judicium Dei ſit ſecundum veritatem ſuper eos qui talia agunt.* Hæc verba addit Apoſtolus, vel ideo ne quis exiſtimet quicquid homines damnent ac judicent alios, Dei tamen judicium non venturum ſuper peccatores: vanam eſſe iſtius rei opinionem, quod profecto exiſtimare videntur ii qui maximi ſunt aliorum damnatores, cum ipſimet maxime peccatis indulgeant.

Scimus, inquit. Nempe ex ipſius Dei verbo, quod ipſa veritas eſt, & fallere neminem poteſt.

Quod judicium Dei ſit ſecundum veritatem ſuper eos qui talia agunt. Judicium Dei id eſt pœna à Deo irroganda, per genitivum, cauſæ efficientis. *Judicium*, κρῖμα pro pœna ut verſ. 3, per metonymiam cauſę.

Sit. Pro erit, per enallagen temporis uſitatam,

Secundum veritatem. Id eſt vere, non inani opinatione.

Super hos qui talia agunt. Nempe qualia ſuperius enumeravit, quos neque mors ipſa huic judicio ac pœnę eripiet. Vel ſi vocibus, ſecundum veritatem, excludi dicamus in hoc Dei judicio perſonarum omnem reſpectum, tum hęc verba ab Apoſtolo addita ſunt, ne Judęi, quamvis hęc ipſa faciant quę gentes, & gentes ob ea damnent, ſeſe tamen à Deo damnatum haud iri crederent. Nam ſi Dei judicium ſecundum veritatem eſt ſuper eos qui talia agunt, neceſſe eſt ut omnes qui talia faciunt judicio iſti ac pœnę ęqualiter ſubjiciantur: alioquin enim non ſecundum veritatem ſuper talium patratores Dei judicium hoc eſſet, id eſt, non mere & ſimpliciter hoc reſpectu quod talia patrent; ſed alio alioquo reſpectu, verbi cauſa, quod gentes quod ſint incircumciſi, & his ſimilia. Verum ergo non eſt, quod Judæi opinantur, Judæum omnem, quæcumque tandem ſint illius peccata, partem habiturum in futuro ſeculo, dummodo non deficiat à confeſſione legis: ſicut nec illorum opinio, qui in credentibus & electis, nulla poſt fidem & electionem crimina attendi putant. Non ſic Petrus 1 Pet. j. 17.

Verſ. 3. *Putas vero hoc ô homo qui judicas eos qui talia agunt & faciens ipſa, quod tu effugias illud judicium Dei?* Pergit Apoſtolus in ſua apoſtrophe, & cauſam inquirit ob quam fiat ut homo iſte, cum alios ob peccata damnet, ipſe iiſdem in peccatis hæreat. *Putas vero*, pro *an vero putas?* per ellipſin particulæ interrogativæ, quaſi dicat, quid cauſæ eſt iſtius tui facti? De judicii divini veritate dubitare non potes, ſaltem non debes, quandoquidem ipſe peccatores Dei judicio addicis. An vero putas te illud evaſurum eſſe? Erras ſi id exiſtimas.

O homo qui judicas eos qui talia agunt, & faciens ipſa. Deſcribit hunc hominem qui judicium illud Dei evaſurus non eſt, & ſic deſcribit ut ex ipſa deſcriptione appareat vanam eſſe illius ſpem & opinionem, ſi forte eam animo conceperit: quaſi dicat, ſi vel ipſe non faceres eadem quæ faciunt illi quos ob ea judicas, vel ſi facient eadem, alios ſaltem non judicares, aliquam elabendi rimam habere videri poſſes; nunc vero & judicas ſeu damnas eos qui talia faciunt, & ipſe eadem facis: an igitur fieri poteſt ut Dei judicium effugias?

Quis tu effugias. In voce *tu* emphaſis quædam eſt. *Tu* qui ſimul & ipſe peccator es, & peccatores condemnas, vel tu ſolus evadas cum alii non evadent? tu ſolus, inquam, tam beatus ac felix ſis, & ut dici ſolet, gallinæ Filius albæ?

Illud judicium Dei. Additur enim articulus voci κρίματι ad deſignandum inſigne illud Dei judicium. Nam de hoc Apoſtolum loqui & ſequentia docent verſ. 5, 6, 7, 8, 9 & res ipſa: cum alia judicia Dei multi malorum evadant. Docemur bis Apoſtoli verbis Dei illud futurum judicium, quod per Chriſtum exercebit in die ultimo, neminem poſſe effugere, ſive vivum ſive mortuum, proinde nec hunc ipſum quem hic alloquebatur Apoſtolus, ſeu potius illos omnes quos in iſtius hominis perſona compellabat. Ideo Chriſtus judex vivorum & mortuorum conſtitutus eſſe annunciatur, qui ſcilicet poteſtatem habeat, non vivos tantum, ſed etiam mortuos, vita illis ad ſubeundam pœnam reſtituta, (ſine qua nullum vere eſſet mortuorum judicium,) coram tribunali ſuo ſtatuendi, & cuique ſecundum ejus opera retribuendi: cujus rei plenum eſt Euangelium. Et qui ſolos pios reſuſcitatum iri credunt ad præmium, impios vero reſuſcitatum iri non credunt ad pœnam, dimidium tantum fidei Chriſtianæ habent, non totam & integram fidem. Vide inter alia Act. xxiv. 15. 2 Cor. v. 10, 11. Johan. v. 27, 28, 29.

Verſ. 4. *An divitias benignitatis ejus & tolerantiæ & longanimitatis contemnis?* Pergit in ſciſcitanda ex homine iſto cauſa, qui fiat ut cum alios ob peccata damnet, ipſe in peccatis maneat? Quaſi dicat, an ideo facis quod divitias benignitatis Dei & tolerantiæ & longanimitatis contemnas?

Divitias benignitatis, &c, id eſt divitem benignitatem, tolerantiam & longanimitatem *contemnis?* Id eſt Deum propter ejus divitem benignitatem &c. Sic dicere ſolemus, contemptui tibi eſt mea lenitas, mea patientia, id eſt ego tibi ſum contemptui propter meam lenitatem & patientiam. Dei maxima bonitas te malum facit, quia Deus tibi tandiu parcit, ideo exiſtimas te evaſurum eſſe & impunem abiturum?

Ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te agit. Cauſam exprimit quæ forte eum adducere poterat ad contemnendam hanc tantam Dei benignitatem &c, quod ſcilicet ignoraret ab ea ſe duci ad pœnitentiam, & Deum maximo ejus bono tanta adverſus ipſum uti bonitate.

Ad pœnitentiam te agit. Quaſi dicat, non eo ſpectat Dei erga te benignitas & longanimitas in peccatis tuis tolerandis, ut pœnam non reſipiſcens effugias, ſed ut reſipiſcas & pœnitentiam tandem ali-

quando agas. Docet Apoſtolus quo fine Deus utatur tam diuturna erga peccatores lenitate, nec judicium illud ultimum acceleret, nempe quod nolit peccatores perire, ſed velit ut peccata reliquant, & pœnitentiam agant: quod ipſum docet Apoſtolus Petrus 2 Pet. iij. 9, de hoc ipſo Dei judicio loquens: *Non tardat* (inquit) *Dominus promiſſionem illam, ſicut quidam tarditatem ducunt, ſed longanimitate utitur erga nos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam venire.* Quin paulo poſt verſ. 15 ad hæc ipſa Pauli Apoſtoli verba reſpexiſſe videtur, cum ait: *Et illam Domini noſtri longanimitatem ſalutem ducite, quemadmodum & dilectus noſter frater Paulus ſecundum ſibi datam ſapientiam ſcripſit vobis.* Non mirum eſt Deum ſumma longanimitate uti adverſus peccatores. Nam peccatorum nullus ei effugiet, ſive vivus, ſive mortuus: interim tamen dat iis ſpatium peccata relinquendi, & vitam emendandi, Nam ut ipſe de ſe teſtatur, non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur ac vivat.

Benignum Dei, χρηστὸν. Neutrum adjectivum pro ſubſtantivo χρηστότητα: ſic δυνατὸν pro δύναμιν cap. IX. 22. ἐπιεικὲς pro ἐπιείκεια Phil. IV. verſ. 5.

Ad pœnitentiam te agit. Pœnitentia hæc, μετάνοια, tria continet: primum, ut videas te male & cum pernicie tua feciſſe; ſecundum, ut te feciſſe vehementer doleas; tertium, ut ab eo quod malo & pernicioſe te feciſſe agnoſcis & doles, in poſterum penitus abſtineas. Priora duo docent eos pœnitentiam agere non poſſe, qui ſibi malefacta, & peccata ad vitæ æternæ adeptionem obſtare non poſſe putant. Cur enim me peccatis deditum fuiſſe doleam? cur non potius læter me cupiditatibus indulſiſſe, & vitam in voluptatum omni genere traduxiſſe, ſi nihilo ſecius me vitę poſt mortem æternam futurum eſſe hæredem ſciam? Tertium docet pœnitentiam tempeſtive eſſe agendam, cum ſcilicet quis malefacere & peccare adhuc poſſit ſi velit, non cum non poteſt peccate, etiamſi velit. Videre hinc poſſunt, quam bene ſuæ & aliorum ſaluti conſulant, qui omnem illius adipiſcendæ rationem in Chriſti meritorum applicatione collocant, & qui confeſſioni & uſui ſacri panis in fine vitæ tribuunt peccatorum omnium remiſſionem, quibus ille tantum damnatur cui Sacerdos præſto non eſt, aut qui inopina morte prævenitur. Hinc mortem repentinam horrent, quæ piis & ſecundum ſpiritum ambulantibus ponitur in lucro. In hac pœnitentia incluſit Apoſtolus fidem in Chriſtum: nam poſt Chriſtum exortum nulla datur vera & ſalutaris pœnitentia ſine fide in ipſum. *Te agit.* Dei patientia & longanimitas ad pœnitentiam agit, quatenus ſpatium dat ad pœnitentiam, & bonitate ſua homines ad bene agendum & Deum amandum invitat & allicit.

Verſ. 5. *Secundum vero duritiem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi ipſi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei.* Quaſi dicat, Deus te benignitate ſua ad pœnitentiam agit, & conſequenter ad ſalutem: tu vero pro pœnitentia peccata peccatis accumulas, & ſic pro ſalute majus exitium tibi ipſe paras. Deus erga te optimus eſt, tu ipſe tibi peſſimus es.

Secundum duritiem tuam. Id eſt, per duritiem, *ſecundum* pro *per*, κατὰ pro διὰ ſic ℣. 7 *ſecundum patientiam operis boni*, pro per patientiam operis boni. Intelligit animi duritiem, qui ſeſe nulla ratione emolliri & flecti ſinit ad pœnitentiam. *Duritiem* hanc ipſe exponit per *impœnitens cor*, id eſt pœnitere neſcium, & ab agenda pœnitentia prorſus alienum. Ex his Apoſtoli verbis intelligimus, Deum quidem longanimitate & patientia indurare homines, ſed ipſos jam ante duros & ſeipſos indurantes & cor impœnitens habentes.

Theſaurizas. Id eſt, colligis, coacervas, per metaphoram ab iis qui theſauros colligunt, &, quod vocabulum Græcum ſonat, in craſtinum ſemper aliquid reponunt. Sic inquit Apoſtolus, & tu tibi ipſi iram colligis, quotidie aliquid ad cumulum & acervum iræ adjicis. *Iram.* Intellige divinam: intelligit autem iræ: effectum, id eſt pœnam, ſignificans tanto majores & graviores pœnas daturum peccatorem impœnitentem, quanto majore Deus erga ipſum uſus eſt patientia: tarditatem nimirum pœnæ compenſabit gravitate.

In die iræ. Ἐν poſitum videtur pro εἰς. id eſt, in diem iræ: neque enim peccator in die iræ ſibi colligit iram, ſed longo tempore ante diem iræ collectam experitur & ſentit in die iræ: et ſi vertendum eſſet *in die iræ*, oporteret aliquid intelligere in Apoſtoli verbis, nempe irrogandam vel inferendam. Ita Apoſtoli oratio foret elliptica, non ſunt autem ellipſes inducendæ abſque neceſſitate: & præterea Apoſtolus manere videtur in metaphora. Nam & theſaurus colligitur in diem neceſſitatis: ſic & peccator iræ theſaurum colligit in diem iræ divinæ, id eſt, in diem pœnæ à Deo conſtitutum; quem diem deſcribit Apoſtolus cum addit,

Et revelationis juſti judicii Dei. Id eſt, in diem quo juſtum Dei judicium revelabibur: hic vero dies eſt dies ultimus adventui Chriſti deſtinatus; quod infra verſ. 16 aperte dicit Apoſtolus.

Verſ. 6. *Qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius.* Docet quomodo Deus ſit judicaturus; ut ſimul judicii iſtius juſtitiam quam dixit demonſtret:

Reddet, inquit, *unicuique Deus ſecundum ipſius opera.* Id eſt, prout cujuſque operibus congruum & conſentaneum eſt. Duabus in rebus oſtendit judicii iſtius juſtitiam, tum quod ſecundum opera cujuſque Deus retribuet, & ſic nemini faciet injuriam; tum quod cuique nemine excepto, tam Judæo quam Græco vel Ethnico, retribuet ſive vivo ſive mortuo. Cęterum hinc manifeſtum eſt, ſicut mala opera cuique pœnæ ſunt cauſa; ſic & bona opera cauſam unicuique eſſe præmii, poſt Dei gratiam & noſtram in Deum fidem. Ut deplorandus ſit illorum error, qui bona opera, quatenus fidei ſunt fructus, à cauſis ſalutis excludunt. Nec ulla fides bonorum operum erit ferax, ſi ſciat bonis operibus nullam ineſſe vim conficiendę ſalutis.

Verſ. 7. *Illis quidem qui ſecundum patientiam operis boni, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Cum homines à Deo judicandi duplicis ſint generis, alii boni, alii mali, ſicut & opera eorum alia ſunt bona, alia mala, per bona opera dicuntur boni, per mala mali; ideo docet Apoſtolus quid bonis in hoc judicio Deus reddet, ſimul-

que

Digitized by Google

que bonos deſcribit: quid item reddet malis, quos itidem deſcribit: & primum agit de bonis.

Illis quidem. Quia ſequetur oppoſitum *illis vera, qui ſecundum patientiam boni operis &c.* Deſcribit bonos, & duas bonitatis eorum exprimit partes, una eſt patientia operis boni, altera eſt, ut ſecundum eam, gloriam & honorem & incorruptionem quærant; utraque pars id in ſe continet ut virtutem conſtanter ſectentur, moleſtia virtutis nihil deterriti, & ut eam ſectentur præmii poſt hanc vitam conſequendi cauſa: quorum prius opera bona deſignat, poſterius fidem in Deum omnium maximam, cujus opera bona ſunt fructus. Nimirum non probat Apoſtolus Philoſophorum illorum dogma, qui virtutem ſectandam eſſe docebant propter ipſam: ſic enim & fides in Deum, virtus omnium præſtantiſſima & Deo gratiſſima, & pretium omnibus bonis operibus apud Deum factura excludebatur, & virtus in bonis & honeſtis operibus conſiſtens ex ſumma ſua opulentia ad paupertatem redigebatur, ut mirum non ſit paucos etiam virtutis ſectatores fuiſſe. Hos probat Apoſtolus qui per virtutem vera & cæleſtia præmia etiam poſt mortem capeſſenda quærunt: quæ ſententia non Judæorum tantum animis, ſed etiam gentium fuit inſita: cui plenam & perfectam lucem attulit Chriſti Euangelium 2 Tim. j. 10.

Secundum patientiam operis boni. Secundum, id eſt per, κατὰ pro διὰ.

Patientiam operis boni. Per genitivum objecti, id eſt, bonum opus conſtanter patiendo ac tolerando: omne enim opus bonum laborem ac moleſtiam ſecum conjunctam habet, & carni ingratum & grave eſt; præſertim ſi etiam illius cauſa à malis & bono operi inimicis patiendum & mors ipſa oppetenda ſit.

Operis boni. Opus bonum in genere ponitur pro omni opere bono. Sic paulo poſt verſ. 9, homo operans malum, pro omni homine quodvis malum operante: & verſ. 10 bonum pro omni bono, & verſ. 15 opus Legis, pro omni opere Legis. Videmus vitam æternam, de qua paulo poſt, non aliter quærendam eſſe, nec inveniri & acquiri, niſi per operis boni patientiam: fides quidem eſt quæ nos certos reddit, fore ut ſi in bono opere perſeveremus, vitam æternam ex Dei gratia conſequamur, proinde nos ad bona opera capeſſenda animat, excitat, & in iis conſtanter ſectandis vires ac robur addit, ut quidquid bonorum operum fiat, fidei acceptum ferri debeat; quæ res etiam facit ut ſalus fidei, nulla bonorum operum facta mentione, ſæpe tribuatur: ſed tamen ſi nuda ſit, ſi in bona opera non exeat nec exuberet, non fides eſt, niſi forte falſa, nec vera in Deum fiducia, ſed opinio quædam, in damnandis nobis multum, in juſtificandis ne minimum quidem valitura. Quid enim me juverit ægrotantem, quod credam fore ut ſi hoc vel illo medicamento utar convaleſcam, nec tamen medicamentum illud uſurpem? an propter fidem illam, medicamento non uſurpato, valetudinem recuperabo? Et valetudinem quidem aliquis ſpreverit, nec tanti ducat, ut illius cauſa medicamenti alicujus acerbitatem velit ſubire; at vitam æternam quis ſpernat? Quis non illius cauſa omnes moleſtias & labores lubens ſuſcipiat? Et ſi ſpernat, ſi eam omnes contra labores & moleſtias non longe æſtimet, certe ſanus non ſit, nec vita æterna ullo modo dignus. Nam ſi quis credat ſe vitam æternam adepturum, quamvis in omni bono opere tolerantiam non exerceat, is falſam fidem habeat, proinde ſi vel maxima ſit, quia falſa eſt, nihil apud Deum valituram.

Gloriam & honorem. Nempe à Deo & apud Deum: proinde veram gloriam, verum ac ſolidum honorem, quia à ſolo Deo proficiſcitur, ſicut & incorruptio quam ſubjicit, ab alio proficiſci non poteſt quam à ſolo Deo. Gloriam & honorem virtus non ſemper reperit apud homines, ſed neque gloria & honor, qui ab hominibus proficiſcitur, quidquam in ſe veri habet aut ſolidi: à mortalibus enim nil niſi mortale proficiſci poteſt.

Et incorruptionem. Hanc merito apponit Apoſtolus, gloria enim & honor tunc demum verus ac ſolidus eſt, ſi corruptioni ac morti penitus eximaris, ut ipſemet tua gloria & honore perpetuo frui poſſis: ſed homine corrupto & morte extincto, omnis gloria omnis honor qui ei tribuitur, res eſt variſſima. Et tamen in hujus vanitatis conſectatione toti ſunt etiam Chriſtiani! Virtus igitur nobis totis viribus ſectanda eſt; veram nobis gloriam & honorem & incorruptionem allatura: nec curanda ulla quæ nobis ab hominibus morti & corruptioni obnoxiis virtutis cauſa inferri poſſit ignominia, ac ne mors quidem ipſa.

Quærunt. In præſenti, quia hoc dictum Apoſtoli perpetuæ eſt veritatis: quanquam deſcriptio iſta bonorum, nullis melius ac verius competit quam Chriſtianis, & ſi quis Chriſtianos deſcribere velit, rectius non poſſit, quam ut dicat homines eſſe qui per patientiam operis boni gloriam & honorem & incorruptionem quærunt. Chriſtiani enim per clariſſimam Euangelii lucem ſolide ac perfecte & bona opera & bonis operibus à Deo deſtinata præmia cognoverunt.

Vitam æternam. Exprimit id quod Deus bonis reddet, nempe id ipſum quod quærunt: in vita enim æterna, & gloria, id eſt laudes & honor, & dignitas, & incorruptio, id eſt immortalitas continetur, idque ab ipſo Apoſtolo verſ. 10 dicitur. Reddet enim vitam æternam Deus, non quod ulla boni operis patientia vitam æternam per ſe & ſua dignitate mereatur; ſed quia Deo ex mera gratia ac liberalitate, & fidem in ſe noſtram, & virtutem ex fide profectam, ut virtuti pretium adderetur maximum, & omnium animi ad eam ſectandam incitarentur, tanto præmio remunerari placuit.

Verſ. 8. *Illis vero qui ex contentione, & inobedientibus quidem veritati, obedientibus vero injuſtitiæ, indignatio & ira.* Nunc deſcribit malos, & quid eis reddetur docet. *Qui ex contentione*, intellige *ſunt*, per Hebraiſmum, id eſt contentioſis, quaſi ex ipſa contentione natis, quales ſunt qui veritatem & docentibus & aſſerentibus pertinaciter & acerbe contradicunt, nec cedere unquam volunt etiamſi veritatem ſole clariorem aſſerri videant. Sic *eſſe ex veritate*, eſt eſſe veracem, veritati deditum, Hebraica phraſi. Judæos hic maxime perſtringit Apoſtolus, nulli enim magis & acerbius ac pertinacius ſeſe opponebant Euangelio, quod ipſa veritas eſt.

Et inobedientibus quidem veritati, obedientibus vero injuſtitiæ. Figurata locutio, *ἀπειθῶν* iis qui ſibi perſuaderi non ſinunt: quaſi dicat, à veritate quidem ſeſe perſuaderi oulla ratione patiuntur, ut ſcilicet ei fidem habeant, & hanc fidem factis probent; ſed ſi iojuſtitia aliquid ſuadeat, protinus aſſenſum præbent, & in iis quæ ſuadet obtemperant: Quid vero aliud injuſtitia ſuadeat quam injuſta? homines oſtendit à veritate quidem plane averſos, & quæ veritatem ſequi ſolet juſtitia; injuſtitiæ autem & peccatis plane deditos, quales Judæi erant. Porro veritatis abſoluto nomine, divina veritas hic inprimis intelligenda eſt, quæ maxime continetur ſermone Euangelico.

Indignatio & ira. Intellige, reddetur à Deo. Effectum indignationis & iræ divinæ, nempe graviſſimam pœnam, quæ eſt æterni ignis ſupplicium, ſignificat: in manus enim Dei incidere terribile eſt, qui longe gravius punire poteſt, quam ſunt ulla quæ per hominum manus fiant ſupplicia Hebr. x. 31.

Verſ. 9. *Afflictio & anguſtia ſuper omnem animam hominis operantis malum.* Exprimit hanc pœnam ſeu indignationis & iræ divinæ effectum.

Afflictio & anguſtia. Intellige, veniet vel erit & manebit ſuper omnem animam &c. Per afflictionem corporis cruciatus & dolor, pet anguſtiam animi anxietas intelligi poteſt.

Super animam hominis. Non temere ſic loqui maluit, quam ſuper hominem operantem malum, ſicut mox loquitur de operante bonum. Videtur iis occurrere, qui corporibus extinctis, neminem pœnæ veræ & ſenſibili ſupereſſe putant. Docet hoc Deo minime obſtare quod hominibus obſtat, ad ſenſibilem infligeodem pœnam. Nam corporibus morte extintis ſuperſunt animæ, in quas hominibus quidem nulla eſt poteſtas, at Deus non minus in animas quam io corpora perfectam habet poteſtatem: animabus vero poſt corpora divina potentia ſuperſtitibus, de veris & ſenſibilibus ſicut bonorum præmiis, ſic malorum pœnis nihil eſt dubitandum: quod & Chriſtus ipſe docuit Matthæi x. 28. Luc. xij. 4. Nam ſi animæ nihil pati queant ſine corporibus, quam pronum eſt Deo efficere ut corporibus induantur.

Omnem animam. Ne ullus ſeſe exceptum iri putet quiſquis ſit, ſi malum operetur, nec per veram pœnitentiam & emendationem vitæ deſiſtat.

Hominis operantis malum. Malum in genere poſuit, pro quovis malo, id eſt peccato: operari autem malum eſt malo ſeu peccato deditum eſſe, data opera peccare.

Et Judæi primum & Græci. Dixit ſuper omnem animam hominis operantis malum, nunc generi ſubjicit majoris declarationis cauſa duas hominum ſpecies, quæ tum in mundo erant: nam ad Græcos hoc loco, per ſynecdochen, referendæ ſunt omnes aliæ gentes: & de Græcis quidem ac Gentibus profanis Judæi non dubitabant eos in extremo judicio punitum ac perditum iri, ſed Judæorum multi quamvis malum operarentur, meliora ſibi pollicebantur. Huic perſuaſioni inani occurrens Apoſtolus, *& Judæi*, inquit, *& Græci*, ſive ſit Judæus, ſive Græcus, ſi malum operatur, afflictionem & anguſtiam non effugiet, neque vivus neque mortuus.

Ad nomen Judæi addit Apoſtolus *primum*, ut doceat Judæum & propiorem & magis obnoxium eſſe pœnæ divinæ quam Græcum; (nam & ſaluti propior eſt cap. 1. 16, & mox verſ. 10,) tantum abeſſe, ut Judæum malum operantem excuſare poſſit id quod Judæus ſit. Judæis enim peculiariter ſeſe Deus revelaverat, & eis Legem per Moſem dederat, & ſuos ſubinde Prophetas ad eos mittebat, & numinis ſui ſingularem præſentiam iis perſæpe teſtabatur, & admirabili liberatione ex ſervitute Ægyptiaca, ac io terram promiſſam introductione eos ſibi præ cæteris gentibus auctoraverat, & ſic longe majores cauſas habebant Judæi ab operibus malis ſeſe continendi, & omne booum opus conſectandi, quam Gentes aliæ: merito igitur & primas partes in pœna ferent qui ex illis malum ſunt operati.

Verſ. 10. *Gloria vero & honor & pax omni operanti bonum.* Oppoſitionis ratio invitabat Apoſtolum ut hęc verba ſubjiceret, quamvis jam ſupra dixerit quid bonos maneat verſ. 7. Sed juvabat rei tam bonæ immorari, de qua nihil nimium dici poteſt. Intellige autem in verbis iſtis, *dabitur* vel *reddetur*. Pro *vita æterna* hic reponit gloriam & honorem & pacem, nempe illa ipſa bona quæ à bonis quæri dixerat ℣. 7. Niſi quod hic pro iocorruptiooe ponat *pacem*; ſed quia pacis nomine beatam vitam Hebræorum more intelligit, in pace incorruptionem haud dubie incluſit. Nam qui corruptioni & morti obnoxii ſunt, magnum ſibi inimicum imminentem ſemper habent, qui eos vera pace ac beatitate perfrui noo ſioit; à quo liberati tum demum vera pace ac beatitate perfruentur. Simul enim cum morte & corruptione omnis malorum & adverſorum comitatus ac turba excedet.

Omni operanti bonum. Nemine ex operantibus bonum excepto. *Bonum* ſimiliter in genere ponitur pro omni bono opere, cujus operandi datur facultas & occaſio. Ad pœnam ſufficit uni alicui malo operi deditum eſſe, illudque patrare; ad pręmium autem vitæ æternæ conſequendum opus eſt ut omoi bono operi ſis deditus.

Et Judæo primum & Græco. Hic iterum illa duo hominum genera ſubjicit, ne Judęi Gręcos bonum operantes à pręmiis illis cęleſtibus excluſos putent, ſive ſit Judęus ſive Gręcus, ſi bonum operatur inque eo conſtanter ad extremum perſeverat, vitæ æternæ præmio non excidet. Judæis tamen prærogativam juris hac in parte concedit, propterea quod illis ſolis vitæ æternæ dator & largitor Chriſtus, cum gratia illa divina quam ſecum atttulit, promiſſus eſſet.

Verſ. 11. *Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Cauſam reddit ob quam Deus nec in pœna, nec in præmio ad Judæum vel Græcum reſpiciet, ſed tantum ad cujuſque opera, quia apud Deum, inquit, non eſt perſonarum acceptio. Hebræis perſona dicitur in judicio accipi, cum noo juris & æquitatis, ſed ſolius perſonæ ratio habetur, & judex longe aliter judicaret ſi res eadem alia cum perſona eſſet; hoc apud homines ſæpe locum habet, qui ſæpe injuſti ſunt, ſed apud Deum juſtiſſimum judicem nunquam. Homines ad favorem & gratiam & potentiam aliorum ſæpe reſpiciunt, Deus ſuper omnes eſt, nullius favore & gratia eget, nullius potentiam reformidat, omnes homines ex æquo æſtimat, nec Regem ideo quod Rex ſit pluris facit quam viliſſimum mancipium,

ideo

ideo quod mancipium ſit. Omnes enim à Deo æque creati & facti ſunt; unicum tantum probitatis & improbitatis diſcrimen apud illum eſt. Non igitur pœna afficiet, aut à præmio vitæ æternæ arcebit Græcum, quia Græcus eſt, ſed quia improbus eſt, nec Judæum vitæ æternæ præmio remunerabitur aut pœnæ eximet, quia Judæus eſt, ſed quia probus eſt. In utroque tam Judæo quam Græco, & in pœna & in præmio ſolus apud Deum ad probitatem & improbitatem reſpectus eſt, hæc ſola in judicio ejus accipitur, non perſona ulla.

Verſ. 12. *Quicunque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege etiam peribunt.* Occupat objectionem Apoſtolus: Poterat aliquis dicere, Gentes Legem non habuerunt, quomodo igitur puniri poterunt? Lex enim eſt quæ pœnam conſtituit. Poterunt, inquit Apoſtolus: nam qui ſine Lege peccarunt, ſine Lege etiam peribunt: quaſi dicat, poſſunt homines peccare etiamſi Legem ſcriptam non habeant: (ſcriptam enim Legem hic intelligit) quidquid enim fit contra honeſtum & decorum, quod humana ratio ipſa per ſe videt & agnoſcit, peccatum eſt. Ubi non eſt lex, ſive ſcripta, ſive naturalis, ibi non eſt tranſgreſſio, proinde nec peccatum nam omne peccatum eſt tranſgreſſio 1 Joan.iij. 4. Quotquot igitur ſine Lege peccarunt, id eſt peccarunt cum Legem ſcriptam non haberent, etiam ſine Lege ſcripta peribunt, id eſt, nulla habita ratione ad Legem ſcriptam, quæ peccatum ſub comminatione mortis & exitii vetat: quia peccarunt, etiam peribunt, quia ſine Lege peccarunt, ſine Lege etiam peribunt. Quomodo tamen peccatum non imputetur, cum lex non eſt, vide cap.v. 13.

Quicunque, vel *quotquot*, nemine excepto, *peccarunt*. Peccatis ſcilicet quæ Dei metum excludunt, & per emendationem vitæ ſublata non ſunt. *Peribunt*. Æterno videlicet exitio, æterni ignis ſupplicio.

Et quicunque in Lege peccarunt, per Legem judicabuntur. Hoc addit Apoſtolus, ne quis exiſtimet ſe pœnam evaſurum per hoc ſolum quod Legem à Deo acceperit.

Quicunque, inquit, nullo excepto, *in Lege*. Id eſt ſub Lege. *In* pro *ſub*, Legi videlicet quæ illis lata eſſet, obnoxii & ſubjecti.

Peccarunt. Eo nimirum modo quo ſupra dictum eſt.

Per Legem judicabuntur. Id eſt damnabuntur: ipſa Lex illis erit damnationis cauſa, ut pœnam ſubeant tranſgreſſoribus conſtitutam, nempe mortem æternam, tantum abeſt ut illis ullum in Lege ſit præſidium, ſi peccarunt & Legis tranſgreſſores fuerunt.

Verſ. 13. *Non enim auditores Legis apud Deum juſti &c.* Confirmat quod dixit, quia non auditores Legis juſti apud Deum: quaſi dicat, non enim ſufficit auditorem eſſe Legis, quod multi Judæorum olim ſibi perſuaſerant, & nunc multi Chriſtianorum ſibi perſuadent, apud homines juſti eſſe poſſunt propter externam pietatis & religionis ſpeciem: ſed non protinus apud Deum, quamvis diligenter & aſſidue & magna cum devotione Legem Dei audire videantur.

Juſti. Intellige erunt, propter ſequens *juſtificabuntur*, futuri temporis, & propter verſum 16, qui cum verſu iſto cohæret, ubi tempus exprimitur quando juſtificandi ſint Legis factores. *Juſti erunt*. Id eſt, juſti habebuntur & pronunciabuntur.

Apud Deum. Id eſt coram Deo, in Dei judicio.

Sed factores Legis juſtificabuntur. Iſti demum juſtificabantur, qui Legis verba mutant in opera.

Factores Legis. Quantum ſcilicet homini Deum vere timenti & diligenti conſequi datur.

Juſtificabuntur. Id eſt ut diximus, juſti habebuntur ac pronunciabuntur: & ſic non tantum pœnæ eximentur, ſed etiam æternæ vitæ pręmio afficientur, plene nimirum & perfecte juſtificabuntur, non ſub præſtanda adhuc fidei & obedientiæ conditione, ſed cum juſtificationis effectu, id eſt vitæ æternæ adeptione. Hic locus aperte docet *juſtificandi* & *juſtificationis* vocibus in hac epiſtola præmium & conſequens juſtitiæ deſignari, non ipſam proprie loquendo juſtitiam, contra quam nonnulli viri docti, & alioquin eximii Scripturæ interpretes putaverunt: ponitur enim tanquam præmium eorum qui Legis factores ſunt, id eſt qui juſtitiam proprie loquendo habent, ſeu juſti ſunt. Iuſtificari idipſum hoc loco ſignificat quod juſtum eſſe apud Deum, id eſt ut diximus, juſtum apud Deum haberi vel pronunciari, & reſpondet gloriæ, honori & paci de quibus ſupra loquutus eſt: agitur enim hic de eo qui illa ſit adepturus, ſeu an ad eorum adeptionem ſufficiat Legem à Deo accepiſſe, ejuſque auditorem eſſe, & non opus ſit Legis etiam factorem & exequutorem eſſe. Denique juſtificatio iſta in die ultimo demum futura eſſe dicitur verſ. 16. Porro cum auditores Legis factoribus Legis opponuntur, *auditores* ita accipiendi ſunt, ut tantum auditores ſint, alioquin enim etiam auditores Legis juſtificabuntur. In adipiſcendi ſalute primum eſt Dei verbum audire, etſi non ſufficit ſolum.

Verſ. 14. *Quando enim Gentes quæ Legem non habent, natura quæ Legis ſunt faciunt, hi Legem non habentes, ſibi ipſis ſunt Lex.* Occupat in parentheſi objectionem Apoſtolus. Diceret aliquis, ſi factores Legis ſcriptæ (de hac enim agitur) juſtificabuntur, quo pacto Gentes poterunt juſtificari, quibus Lex per Moſem non fuit data? Poterunt, inquit Apoſtolus, non minus ſine Lege juſtificari, quam ſine Lege condemnari.

Quando enim, inquit, *Gentes quæ Legem non habent &c.* Quaſi dicat, etſi enim Gentes Legem à Deo non habent ſcriptam & litteris conſignatam,

Natura tamen, id eſt per naturam rationalem, ſeu naturæ rationalis ductu, *ea quæ Legis ſunt*, id eſt ea quæ Lex præſcribit, facere poſſunt. Ratio enim naturæ hominum indita Legum ſcriptarum fons & origo eſt; nam quid aliud Lex conſignat & litteris mandat, quam id quod ratio æquum & juſtum & rectum & bonum & honeſtum & decorum & conveniens & conſentaneum eſſe judicat? *Quando* vero *Gentes*. Id eſt, quicunque ex Gentibus naturam ſuam rationalem ſecuti ea faciunt quæ Lex ſcripta continet, tum *hi Legem non habentes* ſcriptam, *ſibi ipſis ſunt Lex*. Id eſt, ſibi ipſis ſunt pro Lege, pro norma & regula vitæ, & ſic ſignata in tabulis vel membranis & chartis Lege nihil habent opus. Intelligitur enim Lex ad mores, id eſt ad juſtitiam & honeſtatem naturalem, non ad ritus ac ceremonias pertinens, quæ ex

ſolius Legiſlatoris arbitrio pendent, & uni alicui populo feruntur. At quia nihil Lege ſcripta habent opus, & ſine ea quæ illa jubet faciunt, etiam ſine Lege ſcripta juſtificari poterunt, atque adeo juſtificabuntur.

Vox *natura* non cum antecedentibus *Legem non habent* conjungenda eſt, ſed cum ſequentibus *ea quæ Legis ſunt faciunt*. Neque enim ſcriptam Legem ulli naturâ habent, omnes eam habent ex inſtitutione, quamvis aliqui ſub ea nati ſint, & ad eam ſervandam naſcendi ſorte obſtricti: at homines natura ſua rationali ea quæ Legis ſunt, id eſt quæ recta & juſta & honeſta ſunt, facere non tantum poſſunt, ſed etiam debent, & multi, ſaltem in quibuſdam, ſi non in omnibus, fecerunt. Neque hic agitur de modo habendi vel non habendi Legem divinitus ſcriptam, ſed de habendo vel non habendo ſimpliciter. Ideo nec poſterius vox *natura* repetitur, ſed tantum ſimpliciter dicitur, *hi Legem non habentes*, & additur, *ſibi ipſis ſunt lex*, quod quid aliud eſt quam naturæ inſtituto facere quæ lex ſcripta jubet. *Hi*, intellige qui ex Gentibus natura faciunt quæ Legis ſunt.

Verſ. 15. *Qui demonſtrant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Rem declarat uberius, quo pacto ſcilicet ſibi ipſis ſint lex: *qui*, nempe hi qui ex Gentibus naturâ faciunt quæ Legis ſunt,

Demonſtrant. Nempe factis ipſis & operibus.

Opus Legis. Id eſt omne opus quod Lex jubet, ad vitæ honeſtatem ſpectans: genus ponitur pro omni ſpecie.

Scriptum in cordibus ipſorum. Intellige *eſſe*: quaſi dicat, etiamſi Legem Dei non habeant ſcriptam in tabulis ac membranis, tamen omnia opera Legis ſcripta habent *in cordibus ſuis*, id eſt animis (per metonymiam continentis pro contento, cor enim animi ſedes eſt. Sic & verſ. 29.) quandoquidem ea obſervant ac faciunt. *Atteſtante ipſorum conſcientia & inter ſeſe cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus.* Probat opus Legis in cordibus ipſorum ſcriptum & ſculptum eſſe, & ſic non temere, non caſu eos opera Legis ſectari; *atteſtatur*, inquit, *ipſorum conſcientia*, nempe ſi quid recte vel prave faciant.

Et inter ſeſe. Quaſi dicat, non accito aliunde & exterius accuſatore, cogitationes accuſant, alicujus ſcilicet criminis reos, aut etiam defendunt, innocentes ſcilicet, quamvis vel ab omnibus hominibus accuſentur. Vacare culpa, inquit ille, magnum eſt ſolatium; & alter: hic murus ahæneus eſto Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Internus conſcientiæ defenſor omni accuſatore validior eſt, & contra, etiamſi omnes accuſatores quieſcant, nullus accuſator conſcientia accuſante ſimul & teſtante triſtior & crudelior eſt. Conſcientia mille accuſatores, mille teſtes, mille condemnatores, mille carnifices. Hoc conſcientiæ forum, in quo cauſam dicere neceſſe habent etiam potentiſſimi tyranni, argumento eſt haud dubie manere poſt hanc vitam pios præmia, impios ſupplicia.

Verſ. 16. *In die quando judicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Jeſum Chriſtum.* Abſoluta parentheſi redit Apoſtolus ad orationis ſuæ filum. Nam verſiculus hic cum ℣ſ. 13 cohæret potius quam cum ℣ſ. 12, ut ex ſequentibus patebit. Docet Apoſtolus quando factores Legis juſtificabuntur.

In die, inquit, *quando judicabit Deus occulta hominum.* Quaſi dicat, nunc multi externa pietatis ſpecie multis imponunt & pro factoribus Legis habentur, propterea quod occulta & clandeſtina eorum facta hominum oculos lateant, ſed veniet dies *quando Deus occulta hominum judicabit*, id eſt in lucem proferet & palam puniet, ubi nemini licebit ſeſe pro factore Legis venditare, cum non ſit. Non ſemper in tenebris patrata tenebris abdita erunt. Sub nive quod tegitur, cum nix perit omne videtur. Nix eſt quæ occulta hominum peccata tegit, exoriente illo juſtitiæ Sole, nix colliqueſcet & tenebræ diſſipabuntur, & quæ contecta erant, omnia apparebunt. Hic dies ubi venerit, veri factores Legis juſti pronunciabuntur, fucati autem & larvati & hypocritæ, ut ex contrario patet, meritas pœnas ferent. Huc pertinent ejuſdem Apoſtoli verba 1 Cor. IV. 5: *Ne ante tempus aliquid judicate, donec veniat Dominus, qui etiam illuminabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus unicuique erit à Deo. Per Jeſum Chriſtum.* Docet per quem Deus judicium iſtud ſit peracturus, nempe per Jeſum illum crucifixum, qui ſicut Chriſtus appellatur: ſic vere Chriſtus ille Dei eſt, quippe ex morte in vitam à Deo revocatus, & Chriſtus ille Dei ac Judex vivorum & mortuorum conſtitutus. Vide Act. x. 42. xvij. 31.

Secundum Euangelium meum. Id eſt quemadmodum ego annuncio. Docet unde iſtius rei veritas conſtet, ex Euangelio, inquit, meo: cujus hæc erat quædam ſumma. Merito autem ad Euangelium ſuum provocat, quia erat certiſſimis & evidentiſſimis veritatis argumentis & documentis communitum. *Euangelium meum.* Id eſt quod ego affero & ubique prædico, non Judæis autum, ſed & gentibus omnibus, cujus præco & miniſter ſum, non auctor. Sic Euangelium ſuum vocat infra cap. xvj. 25. 2 Tim. 2. 8.

Verſ. 17. *Ecce tu Judæus cognominaris, & acquieſcis in Lege, & gloriaris in Deo.* Eundem quem cœperat hominem porro alloquitur, & Judæum eſſe ex ipſius cognomine quod illi tribuitur ſignificat. Et quia dixit Deum occulta hominum die à ſe conſtituto per Jeſum Chriſtum judicaturum, & ſic larvam externæ pietatis cuique detracturum, ponit ei ob oculos ipſius hypocriſin, & oſtendit quam exterius ſpecioſus, interius autem quam turpis eſſet, proinde quam vana ſui opinione turgeat.

Ecce, inquit. Quaſi dicat, adverte oculos & aures ad id quod dicam, & tibi ob oculos ponam.

Tu Judæus. Id eſt confeſſor, nempe Dei veri & vivi, qui ſolus Deus eſt,

Cognominaris. Cognomen & appellationem geris, qua nulla poſſit eſſe pulchrior & glorioſior.

Et acquieſcis in Lege. Omnia alia dogmata rejicis ſoli divinæ legi acquieſcis, nec Euangelio ac fide in Jeſum Chriſtum tibi quidquam opus eſſe exiſtimas.

Et gloriaris in Deo. Id eſt in eo quod veri Dei ſis cultor, non idolorum, & is ſit Deus tuus, non idola.

Verſ. 18. *Et cognoſcis voluntatem.* Nempe Dei modo nominati, per ellipſin pronominis. Magnum hoc eſt, & ſalutis fundamentum, ſi voluntas Dei plene cognoſcatur.

Et probas ea quæ differunt. Nempe à Dei voluntate, cum ſpeciem habeant divinæ voluntatis: hæc tu probas & exami-

& examinas & deprehendis adulterina eſſe : probatio enim hic intelligenda eſt cum effectu. Noſti quid diſtent æra lupinis.

Inſtitutus ex Lege. Exprimit unde id habeat, ex Legis nimirum inſtitutione : quo ipſo ſignificat Apoſtolus iſti homini ad perfectam cognitionem divinæ voluntatis, & probationem eorum quæ differunt, multum defuiſſe, quod & vox ipſa κατηχούμενος indicat, iis tribui ſolita qui principia quædam cognitionis habent. Euangelium enim Chriſti plenam lucem affert Legi, & perfectos ac myſticos illius ſenſus demonſtrat, qua luce quia homo iſte deſtitutus fuit, Euangelium rejiciciens, in multis eum caligaſſe neceſſe eſt. Unde Apoſtolus ad Timotheum ſcribens, *ab infantia*, inquit 2 Tim.iij. 15, *ſacras litteras noſti*, (Legem & Prophetas intelligens) *quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu*; ſignificans tum demum aliquem per ſacras Literas Veteris Teſtamenti vere ſapientem ad ſalutem reddi poſſe, ſi accedat fides in Chriſtum; proinde Euangelii cognitio, qua tanquam lumine dirigatur in earum plena & perfecta intellectione.

Verſ. 19. *Et confiſus es te ducem eſſe cœcorum, lucem eorum qui in tenebris. Confiſus es*, pro confidis, per enallagen temporis. Cœci duce opus habent ne à via aberrent, vel impingant, vel cadant, vel in ſoveam præcipitent. Cœci ſunt homines divinæ voluntatis & Dei veri notitia deſtituti, qui propter cæcitatem hanc ſuam à via vera ſerviendi Deo aberrant, & cum maxime Deum colere volunt, maxime offendunt, quantoque magis conantut ad ſalutem pervenire, tanto magis in exitium ruunt. Horum ducem verum ſe eſſe plane ſibi homo iſte perſuaſerat. Et erat quidem dux, ſed qui ducem hunc in omnibus ſequebantur, id eis eveniebat quod Chriſtus dixit de ejuſdem generis hominibus: *Cœcus cœcum ſi ducat, uterque in foveam cadit.*

Confiſus es. Plane tibi perſuaſiſti quamvis ipſe in multis cœcutias & duce opus habeas, & ſic falſa ſit multis ex partibus iſta tua perſuaſio. Ex his & ſequentibus Apoſtoli verbis apparet, non vulgarem aliquem & ex trivio ſumtum Judæum hic introduci, ſed unum ex præcipuis Rabbinorum & Sacerdotum, ex iis, inquam, qui ſibi plurimum præſumebant.

Lucem eorum qui in tenebris. Intellige *ſunt*, qui ſunt in tenebris, etiamſi oculos habeant ſanos, & videndi inſitam facultatem; tamen nihil vident, & à cœcis hactenus non differunt. Sic qui in tenebris ſunt animi, de quibus hic agitur, id eſt falſis opinionibus & perſuaſionibus animum habent obſitum, etiamſi mens & intelligendi facultas illis non deſit, veritatem tamen divinam non vident, niſi illata verbi Dei luce. Maxime vero in tenebris iſtis erant Gentes profanæ, quæ Deum verum ejuſque cultum plane non videbant, id eſt ignorabant, etiamſi alioquin mente & intellectu ſagaces eſſent. Horum ſe lucem eſſe iſte confidebat, quæ radiis verbi divini refulgens, verum Deum verumque ejus cultum, & ſic æternam ſalutem ipſis monſtraret. Et ſane erat lux, ſed quæ & ipſa majore adhuc & perfectiore luce indigeret.

Verſ. 20. *Eruditorem inſipientium.* Inſipientes hoc loco ſunt qui mentem habent, ſed mente non utuntur, quod perinde eſt atque ſi mentem non haberent; non ſapiunt; ſed ſua culpa pueros agunt, eum poſſent ac deberent viros, & ſæpe etiam ſenes agere. Horum ſe eruditorem ſeu caſtigatorem eſſe iſte credebat qui eos corriperet & redargueret, eoſque prout merebantur reprehendendo mentem iis ex calcaneo in cerebrum revocaret.

Doctorem infantium. Id eſt, hominum ſimplicium, imperitorum & idiotarum. Nam ſicut cœci duce, in tenebris poſiti luce, inſipientes caſtigatore ſic iſti Doctore opus habent.

Habentem formam cognitionis & veritatis in Lege. Docet Apoſtolus unde homini iſti fuerit hæc fiducia & tanta ſui opinio, inde nimirum quod haberet formam cognitiunis & veritatis *in Lege*, nempe Moſaica, cujus erat diſcipulus.

Formam cognitionis & veritatis. Μόρφωσιν, id eſt, non ipſam ſolidam cognitionem & veritatem, ſed formam ſeu ſpeciem externam, & effigiem cognitionis & veritatis: *cognitionis*, nimirum Dei.

Et veritatis. Nimirum divinæ. Sic idem Apoſtolus μόρφωσιν pietatis opponit pietatis δύναμιν virtuti, id eſt veræ ac ſolidæ pietati 2 Tim.iij. 5. Ignorabat in Lege exterius ſpectata, ſicut ille eam ſpectabat, non eſſe ipſam veram ac ſolidam, ut diximus, cognitionem & veritatem Dei; ſed tantum illius formam quandam ac ſpeciem, imo umbram Hebr. x. 1. Hanc umbram ille amplectebatur pro ſolido corpore, & tantos inde ſumebat ſpiritus Euangelium Chriſti faſtidiens, in quo ſolidum cognitionis & veritatis divinæ corpus exhibetur, non illius tantum forma & effigies. Sed tamen & formam cognitionis ac veritatis habere, & Legem etiam quod ad exteriorem ſenſum cognoſcere magnum erat, antequam veniret ſol gratiæ & veritatis, Chriſtus, qui Legis illam lucem, veluti ſtellarum, magnitudine ac perfectione lucis ſuæ obrueret.

Verſ. 21. *Qui igitur doces alterum, teipſum non doces?* Quaſi dicat, cum igitur talis ſis, & talem te eſſe confidas, qui fit ut alterum docens teipſum non doceas? An tibi alter propior eſt quam tu tibi ipſi? An majorem curam habes alienæ ſalutis quam tuæ? An ignoras Doctorem magis obnoxium ſeſe reddere pœnæ, ſi ipſe non faciat quæ alios docet? Incipit nunc Apoſtolus oſtendere qualia facta ſub externa illa ſanctitatis ſpecie lateant.

Qui prædicas non furari, furaris? Id eſt quare furaris? Aut, itane fas eſt ut ipſe fureris? Apparet ſanctos iſtos & magnos viros, qui ſub perſona iſtius hominis intelliguntur, magnos fuiſſe fures, cum non deeſſet occaſio magni alicujus & notabilis furti; verbi cauſa ex munere aliquo publico, circa pecuniam publicam verſante. Unde & dici ſolet, parvos fures agi in crucem, magnos honorari.

Verſ. 22. *Qui dicis non mœchari, mœcharis?* Id eſt. Cur mœcharis? Cur ab alienis uxoribus non abſtines? Itane oportet te facere, quæ aliis vetas? Nimirum facilius eſt alios docere quam ſeipſum.

Qui abominaris idola, ſacrilegium facis? Id eſt quare es ſacrilegus? aut ſiccine te facere decet, hominem qui idola abominaris? Idola abominaris, ſed non abominaris ſacrilegia. Idola ſunt ſimulachra & formæ quæ coluntur, & Dii falſi qui communiter in ſimulachris coluntur; quorum reſpectu Apoſtolus, idolum

Digitized by Google

idolum nihil eſſe dixit in mundo. Deus enim falſus, ſeu non natura rei, ſed hominum opinione Deus, nihil eſt in mundo, quiſquis tandem is dicatur eſſe, ſive Petrus, ſive Paulus, ſive Maria, ſive Gabriël, ſive homo, ſive Angelus, ſive anima, ſive Spiritus. Non enim eſt is qui dicitur eſſe, ſed ſub ſancto nomine, excogitata quædam ab hominibus, quam religioſe colere fas ſit, divinitas: augeturque crimen cum ea ſanctus aliquis ſive homo ſive Angelus eſſe dicitur, eique ſanctum aliquod nomen imponitur. Idola igitur jure meritoque abominabantur Judæi, ſed à ſacris donariis & pecunia ſacra manus non abſtinebant. Tangit haud dubie Sacerdotes & eos quibus ſacrorum cura & cuſtodia erat. Non mirum autem eſt hæc tam audacter ab Apoſtolo aſſeri: noverat enim homines, inter ipſos enutritus & educatus. Cæterum ea tantum peccata nominat quæ ſecreto fiunt; non tamen poſſunt ſic abſcondi, quin tandem in apertum veniant Dei providentia, qui talia latere non patitur.

℣ſ. 23. *Qui in Lege gloriaris, per tranſgreſſionem Legis Deum ignominia afficis?* Siccine fas eſt? Deus te per dationem ſuæ legis maxima gloria affecit, tu Deum per tranſgreſſionem ejuſdem Legis maxima afficis ignominia, quatenus tranſgreſſionibus Legis divinæ cauſam & occaſionem præbes Gentibus profanis, Deum contumelioſis dictis inceſſendi, quaſi Deus auctor eſſet iſtorum quæ committis criminum, aut ſaltem ad ea conniveret. Præſumitur enim quiſque Deo ſuo quem colit, & religioni ac Legi quam ſectatur nihil contrarium facere. Præſtaret igitur ut *in Lege*, id eſt de Lege (*in* pro *de*) non gloriareris, nec te illius diſcipulum eſſe diceres, quam ut Legis divinæ tranſgreſſionibus in Deum ejuſque gloriam tantopere injurius eſſes.

Verſ. 24. *Nomen enim Dei propter vos blaſphematur in Gentibus, ſicut ſcriptum eſt.* Comprobat id quod dixit ſcripturæ teſtimoniis, quæ Judæis objicit, quod propter ipſos nomen Dei blaſphemetur in Gentibus. Ea eſt hominum à Deo & Lege ac veritate ejus averſorum iniquitas, ut non ipſam ejus Legem & veritatem ſpectent, qualis in ſe eſt, ſed ſpectent facta & opera eorum qui ejus ſeſe profitentur ſectatores; & quicquid ab his peccetur & perpetretur mali, id Legi & veritati divinæ, & conſequenter ipſi Deo imputent, quamvis ea Deus & Lex ac veritas ejus maxime deteſtetur, & graviſſimæ pœnæ interminatione vetet. Ideo quibus Dei gloria cordi eſt, ſanctæ ejus Legi ac veritati convenienter ſeſe gerant, id eſt ab omni opere malo abſtineant, omni autem bono & laudabili operi incumbant. Nam ſicut mala opera eorum qui Dei cultores & veritatis divinæ profeſſores audiunt, ad Dei ipſius tendunt contumeliam; ſic eorundem bona & præclara opera in Dei redundant gloriam. Semper enim talis præcipitur ac judicatur eſſe religio, & conſequenter Deus ipſe, quales illius ſectatores & cultores ſunt. Ideo Chriſtus ipſe ad ſuos diſcipulos; *Sic luceat*, inquit, *lux veſtra coram hominibus, ut videntes opera veſtra bona glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt* Matth. v. 16. Alio etiam modo, & quidem ſenſu magis conveniente ſcripturæ dictis, ad quæ Apoſtolus reſpicit, propter Judæos blaſphemabatur inter Gentes profanas, à veri Dei cultu alienas, Dei nomen, quatenus ſcilicet Deus Judæos populum ſuum Gentium poteſtati ſæpe permittebat ut eum puniret per illos ipſos propter quos & in quorum gratiam Deum offendebant. Hinc autem colligebant & credebant Gentes Deos ſuos veros eſſe Deos, qui ipſis victoriam & dominationem in Judæos darent: Judæorum vero Deum falſum, aut ſaltem Diis ipſorum longe imparem eſſe; quæ graviſſima erat Dei veri contumelia: hanc vero propter Judæos patiebatur, qui peccatis ſuis ſic à Deo puniri commerebantur. *Nomen Dei*, ponitur pro Deo ipſo.

Propter vos. Id eſt veſtra de cauſa: niſi enim vos peccaretis, & Legem Dei tranſgrederemini, ſanctum Dei nomen blaſphemiis non violaretur nec profanaretur à profanis hominibus.

Blaſphematur. Id eſt dictis impetitur famam lædentibus, quæ propria vocabuli iſtius ſignificatio eſt.

In Gentibus. Id eſt inter Gentes: *in* pro *inter*. *Sicut ſcriptum eſt.* Eſai. Lij. 5. Ezech. xxxvi. 20.

Verſ. 25. *Nam circumciſio quidem prodeſt ſi Legem facias; ſi vero tranſgreſſor ſis Legis, circumciſio tua præputium facta eſt.* Occupat objectionem Apoſtolus. Poterat Judæus iſte dicere: Quicquid ſit, ego ſum circumciſus, & ſignum corpori meo impreſſum gero populi Deo ſacri & peculiaris. Simili quadam ratione qua hodie Chriſtianorum nonnulli cogitant: ego ſum ante ſecula electus & prædeſtinatus ad ſalutem: ego ſum baptizatus, ſacro pane utor, & ſimilia. Hoc te nihil juvat, reſpondet Apoſtolus Judæo, nec tibi quidquam prodeſt.

Nam circumciſio quidem prodeſt, ſed ſi Legem facias. Id eſt ad praxin & opera deducas, nihil contra Legem ſciens prudens committas, totus in ea obſervanda ſis: ſicut nec Chriſtianorum ullum quidquam juvat quod electus & prædeſtinatus ſit, niſi conditionem ſub qua electus & prędeſtinatus eſt præſtet, id eſt fidem habeat per charitatem efficacem, & ſecundum ſpiritum ambulet non ſecundum carnem, nec quod baptizatus ſit, & ſacro pane utatur, niſi & baptiſmi ſacramentum impleat, & ſacrum panem digne manducet, id eſt purum & incontaminatum à vitiis ſeſe præſtet.

Si vero tranſgreſſor Legis ſis. Id eſt ſi ſciens & prudens extra Legis limites pedem ponas, ſi Legem violes.

Circumciſio tua præputium facta eſt. Id eſt tantundem valet quantum præputium; ejuſdem plane cum præputio eſt pretii, & pro præputio apud Deum reputatur, ſeu idem eſt præputio.

Verſ. 26. *Si igitur præputium ſtatuta Legis cuſtodiat, nonne præputium ipſius ad circumciſionem reputabitur?* Ex ſuperiore infert eandem eſſe rationem, & oppoſiti: quaſi dicat, ſi igitur ita ſe res habet in circumciſione ſic ſe etiam res habebit in præputio? Per interrogationem loquitur Apoſtolus, quæ vim habet affirmationis rei liquidæ & manifeſtæ, cui contradici non poſſit. Præputii vox primo loco ponitur pro ipſo homine præputiato ſeu incircumciſo, ſubſtantivum pro adjectivo, per Hebraiſmum, & ad hominem reſpicit pronomen ipſius.

Nonne præputium ipſius. Nempe hominis præputiati.

Statuta Legis cuſtodiat. Id eſt ita ſe erga Legis ſtatuta gerat, tanquam cuſtos eorum diligens, qui

omni

omni modo caveat., ne ea tranſgrediatur & violet.

Statuta. Græce δικαιώματα. Voce Græca ſimul ſtatutorum Legis juſtitia declaratur, ſeu ea ex ipſa juſtitia profecta eſſe, & ſic tanto magis obſervanda ſignificatur.

Præputium ipſius ad circumciſionem reputabitur. Hic præputii, ſicut & circumciſionis vox, proprie accipitur. Senſus eſt: nonne Deus in ſuis rationibus & computationibus hominis iſtius præputium ſic accipiet ac ducet, ut tantundem apud ipſum valeat quantum circumciſio? Recutitum ſcilicet & apellam eſſe pluris apud Deum erit, quam eſſe diligentem & circumſpectum Legis ejus cuſtodem & obſervatorem?

Ad circumciſionem. Id eſt pro circumciſione. Præludit hic Apoſtolus Gentium juſtificationi per fidem in Jeſum Chriſtum, quam infra exponit & propugnat. Nulli enim præputiatorum diligentius unquam caſtodierunt & cuſtodire potuerunt Legem Dei quam credentes in Jeſum Chriſtum.

Verſ. 27. *Et judicabit id quod ex natura* (ſcilicet *eſt*) *præputium Legem perficiens, te qui per literam & circumciſionem tranſgreſſor Legis* ſcilicet *es*. Quaſi dicat: Non tantum præputium hominis, ſtatuta Legis cuſtodientis in circumciſionem reputabitur, ſed etiam, quod majus eſt, judicabit præputium te circumciſum tranſgreſſorem Legis.

Judicabit. Id eſt damnabit, cauſa tibi damnationis erit.

Quod ex natura, ſcilicet *eſt, præputium.* Hic iterum præputium pro præputiato accipitur. Addit *quod ex natura eſt*, ut opponat præputiato, qui non ex natura præputiatus eſt, ſed ex actionum pravitate. Præputium naturale opponit voluntario, & carnale ſpirituali, quale erat etiam Judæorum Legem tranſgredientium. Simul quoque dum illud ex natura eſſe dicit, ſeu naturam illius eſſe cauſam, eo ipſo ſignificat nihil in illo eſſe per ſe mali: quæ enim communis naturæ lege fiunt, mala eſſe non poſſunt, cum Deum ipſum habeant auctorem.

Addit *Legem perficiens.* Non enim ſimpliciter præputiatus damnabit circumciſum, ſed præputiatus Legem perficiens, eo ſcilicet modo quo eam Dei vere timentes & amantes perficere poſſunt & ſolent.

Te, manet in ſua apoſtrophe, *qui per litteram & circumciſionem tranſgreſſor Legis*, ſcilicet *es*. Id eſt qui cum tua literali circumciſione Legis tranſgreſſor es. *Per* ponitur pro *cum. Litteram & circumciſionem.* Duo ſubſtantiva pro ſubſtantivo cum adjectivo, literalem circumciſionem, Hebræa phraſi. *Tranſgreſſor es Legis*, id eſt te voluntarie contra Legem peccantem, te inquam, qui furaris, mœcharis, ſacrilegia & alia nefanda facis. Hic quoque ſignificat Apoſtolus, non ſimpliciter circumciſum damnari, ſed circumciſum qui tranſgreſſor Legis ſit.

Verſ. 28. *Non enim qui in aperto Judæus eſt, neque quæ in aperto in carne circumciſio.* Occupat objectionem. Poterat Judæus dicere: Ego Judæus ſum, circumciſus ſum, ab homine profano & præputiato judicari non poſſum: Potes, inquit Apoſtolus, & judicaberis: *non enim qui in aperto Judæus eſt.* Negat Apoſtolus eum vere Judæum eſſe.

Vox *Judæus* ſemel poſita, ne repetitio ejus inſuavis auribus accideret, bis & per reduplicationem intelligi debet. Plena oratio eſt; non is qui in aperto Judæus, Judæus eſt, & verbum ſubſtantivum *eſt* in fine poſitum intelligi debet & in priori membro.

Qui in aperto. Intellige Judæus eſt, ut diximus, id eſt qui Judæus eſt propalam, per notam corpori impreſſam & oculis conſpicuam. *Judæus eſt*, nempe vere & ſenſu ſpirituali ac perfecto.

Neque quæ in aperto, in carne, circumciſio. Hic ſimiliter eadem eſt ellipſis in voce circumciſionis, & in verbo ſubſtantivo geminata. Plena oratio foret, neque quæ in aperto in carne circumciſio eſt, circumciſio eſt. *In carne.* Hæc verba addit per exegeſin, ut declaret quæ ſit iſta in aperto circumciſio, nempe quæ in carne eſt, quæ carnis non cordis præputium aufert, oculiſque corporeis conſpicua eſt.

Circumciſio eſt. Nempe vera & ſpiritualis ac perfecta.

Verſ. 29. *Sed qui in occulto Judæus, & circumciſio cordis, in ſpiritu, non litera, cujus laus non ex hominibus ſed ex Deo.* Docet quis vere & perfecto ſenſu Judæus ſit, ut oſtendat etiam incircumciſum vere Judæum eſſe poſſe, ſeu longe veriore & perfectiore ſenſu quam Judæum ſecundum carnem tantum; & conſequentèr ab illo Judæum ſecundum carnem judicari ac damnari poſſe. Hic quoque eadem ellipſis eſt quę in ſuperioribus Apoſtoli verbis.

Sed qui in occulto Judæus. Intellige Judæus eſt, vere ſcilicet & perfecte. *In occulto Judæus eſt* is quem Judæum eſſe corporis aliqua nota non prodit, ſed cujus tota ratio intus & in animo latet abdita.

Et circumciſio cordis. Eadem ellipſis, intellige circumciſio eſt, videlicet vera & ad ſalutis adeptionem ſola valitura. Similis ellipſis occurrit infra cap.iij. 29. *An Judæorum Deus ille tantum?* plena oratio eſt; An Deus ille Judæorum tantum eſt Deus? Nec credo erraverit, qui in Chriſti illis verbis, *Dico vobis, priuſquam Abraham fiat, ego ſum*, eandem ellipſin cogitet, ut plena oratio ſit: dico vobis, antequam Abraham Abraham fiat, ego ſum Meſſias ille, ut in me credatis dum tempus eſt, & antequam Gentes multæ Abrahami filii fiant per fidem in me.

Circumciſio cordis. Id eſt animi, cujus ſedes eſt cor, continens pro contento. Circumciſio animi eſt, ut omne vitium animi tollatur & amputetur, omnes malæ cogitationes & conſilia ac propoſita, omnes pravi affectus & cupiditates, & conſequenter omnia facta quæ ex illis proveniunt.

In ſpiritu non litera. Id eſt, quæ fit per ſpiritum; nempe Dei, cujus maximam copiam ſuppeditat Chriſti Euangelium, *non per literam*, id eſt per Legem literis conſignatam, ſeu ejus juſſu ac præſcripto: quam literam etiam alibi Apoſtolus cum eodem ſpiritu Euangelii conferens ait, *Litera occidit, ſpiritus vivificat* 2 Cor.iij. 6. Particula *in* ponitur pro *per*, & ἀπὸ κοινοῦ intelligenda eſt ante vocem literæ: quaſi dicat, in ſpiritu non in litera.

Cujus laus non ex hominibus ſed ex Deo. Commendat talem qualem deſcripſit Judæum ac circumciſum. *Cujus laus*, nempe Judæi ſpiritualis ſeu per ſpiritum Dei circumciſi; Nam pronomen *cujus* ad Judæum, non ad

non ad circumciſionem ipſam proxime nominatam referri textus docet Græcus, in quo pronomen *cujus* eſt generis maſculini, οὗ ἔπαινος, οὗ, non ἧς. Idem fecit Apoſtolus & verſ.26, videturque id feciſſe de induſtria, ut oſtenderet circumciſionem carnalem, ſi quid valeat, nonniſi in Judæis, & iis qui in Judęorum nomen cooptabantur, valere, cum & multæ aliæ Gentes, videlicet ex Iſmaële & Eſavo prognatæ, circumciſione uterentur, quas tamen ob ſolam circumciſionem nemo beatas dixerit.

Non ex hominibus, intellige *eſt* vel *erit*. Id eſt, non homines laudatores habet, vel ſuo tempore habebit; ne quis eo moveretur quod Judæi carnaliter circumciſos tanti facerent & laudibus eveherent.

Sed ex Deo. Id eſt Deum ipſum habet laudatorem & laudis ſuæ auctorem: quaſi dicat, nihil refert ſi laudem ex hominibus non habeat ſpiritualis Judæus, imo pro laude vituperium, homines ſunt homines, & Deus eſt Deus, & quanto Deus hominibus major eſt, tanto laus ex Deo proficiſcens major eſt laude quæ proficiſcitur ex hominibus, & ut Judęum talem etiam homines laudent, hoc illi minimum eſt, imo nihil eſt præ laude quam ex Deo conſequitur. Sed Apoſtolus ad futuram ex Deo laudem magis videtur reſpicere: quaſi dicat, cujus laus ſuo tempore non ex hominibus erit, evanida nimirum & ipſorum hominum ſimilis, fruſtraque immortalis appellata, ſed ex ipſo Deo, proinde vera ac ſolida vereque immortalis, quippe cum æternæ vitæ dono conjuncta.

CAPUT III.

Verſ. 1. Q*Uod igitur abundans Judæi, aut quæ utilitas circumciſionis?* Ex dictis movetur hæc quæſtio, quæ contra ſuperiora vim objectionis habet, quaſi dicat: Si Græcus & incircumciſus æque poteſt ſalvari ſicut Judæus & circumciſus, & Judęus æque poteſt à ſalute excludi ſicut & Gręcus, quid igitur habet vel habebit Judęus præ Gręco, aut quæ utilitas eſt vel erit circumciſionis? Perinde ergo erit Græcum & Judæum eſſe, circumciſum & incircumciſum. Atqui hoc abſurdum eſt, abſurdum igitur eſt & illud ex quo hoc conſequitur.

Quod abundans Judæi. Intellige eſt vel erit, id eſt quid eſt vel erit id in quo Judęus prę Gręco abundat, quo Græcum exſuperat, ubi erit præſtantia Judæi?

Aut quæ utilitas circumciſionis? Nulla igitur circumciſionis eſt vel erit utilitas?

Verſ. 2. *Multum ſecundum omnem modum &c.* Reſpondet Apoſtolus per negationem conſequentiæ, & docet quamvis ea vera ſint quæ dixerat, abundans Judæi eſſe multum ſecundum omnem modum. Nam ad τὸ περισσὸν, id eſt abundans, reſpici, docet vox πολὺ ejuſdem generis.

Multum ſecundum omnem modum. Id eſt multum omnimode, pro valde multum.

Nam primum quidem quod ipſis credita ſint eloquia Dei. Probat quod aſſeruit. Nam, inquit, primum quidem hoc eſt &c.

Primum. Id eſt præcipuum & primo loco ponendum.

Quidem. Quaſi dicat, ne alia nunc commemorem, primum quidem, ſed non ſolum.

Quod ipſis credita ſint eloquia Dei. Eloquia Dei ſunt promiſſiones Dei de mittendo Meſſia, de danda per fidem in ipſum juſtitia & ſalute. *Ipſis credita ſint*, id eſt apud ipſos ſint depoſita, & conſequenter illis ſolis promiſſiones iſtæ ſint factæ, non ulli alteri genti. Liberum erat Deo aliis Gentibus non mittere Meſſiam, nec eas vocare ad fidem in ipſum, nec ſi crederent fidem earum admittere, nec quæ fidem hanc conſequitur ſalutem illis conſerre: & quod omnia iſta contigerint Gentibus, ſoli miſericordiæ Dei & occaſioni ex Judæis acceptum ferendum eſt: at Judæis evenerunt ex jure quod illis Deus promiſſionibus ſuis fecerat. Cujus juris tanta vis eſt, ut quamvis nunc propter contumaciam ſuam ſint rejecti & indurati, iterum tamen ſint ad Meſſiam & juſtitiam ac vitam æternam à Deo vocandi, qua de re ipſe Apoſtolus agit infra cap.xi. Ob hoc jus Judæis primas partes Apoſtolus defert, quamvis alioquin Græcos ad communionem bonorum per Meſſiam allatorum una cum Judæis admittat. Prædicta quidem per Prophetas fuit Gentium vocatio & ſalus, ſed non ideo Gentibus promiſſa; cum Deo integrum eſſet mutare conſilium, & prædictionum eventum retrahere, vel non aliter gentes ſervare per Chriſtum, niſi ut prius in Iſraëlitarum ſecundum carnem nomen tranſirent.

Verſ. 3. *Quid enim ſi non crediderunt quidam?* Amolitur Apoſtolus id quod huic Judæorum juri ac prærogativæ poterat objici. *Quid enim*, intellige refert, quid in eo ſitum eſt. *Si non crediderunt quidam.* Intellige: quaſi dicat, nemo hoc inferat, Judæos qui crediderunt aut credituri ſunt jure iſto ac prærogativa excidiſſe.

Non crediderunt quidam. Nam multi etiam crediderunt, ut tanto minus jure ſuo debuerint excidere omnes, quod quidam, quamvis multo plures, non crediderint.

Num incredulitas ipſorum fidem Dei deſtruet? Cauſam adfert cur ob incredulitatem quorundam jure ſuo non exciderint omnes: quia ipſorum incredulitas fidem Dei (ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ) non deſtruet, fidem inquam Dei in ſervandis promiſſionibus, & data ſemel fide immotam Dei conſtantiam. Semper Judæorum genti jus ſuum manet, quod illis ſemel per Dei promiſſiones conceſſum eſt, dummodo in Meſſiam credant: quandoquidem non niſi hac conditione promiſſiones illis ſunt factæ.

Verſ. 4. *Ne fiat.* Id eſt abſit ut hoc fiat.

Sit vero Deus verax, omnis autem homo mendax. Contrarium aſſerit Apoſtolus ejus quod negavit & rejecit. *Sit vero Deus verax*, id eſt ſed agnoſcatur ac prædicetur Deus verax, ἔστω pro εἶναι, *ſit* pro agnoſcatur & prædicetur eſſe. Homines enim Deum veracem non faciunt proprie loquendo, ſed veracem eſſe agnoſcunt & celebrant.

Verax. In omnibus ſcilicet ſermonibus & promiſſionibus ſuis.

Omnis autem homo mendax. Intellige *ſit*, δεῖ γενοῦ. Comparatione hominis cum Deo, veracitatem Dei illuſtrat, id eſt omnis autem homo agnoſcatur & judicetur eſſe mendax.

Omnis homo. Qui ſcilicet cum Deo pactum aliquod, & ex hoc pacto diſceptationem habeat.

Mendax. Id eſt peccator, fœdi fragus, qui fidem

Deo

Deo non ſervaverit, nec ita ſe geſſerit ut juſtum ac verum eſt.

Sicut ſcriptum eſt. Rem comprobat Scripturæ teſtimonio.

Ut juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris. Verba ſunt Davidis ex Pſal. 51.6 ſumpta, qui ſeſe mendacem, id eſt peccatorem eſſe confitens, in ſummam veracitatis Dei gloriam id ceſſurum ait, ſi ipſi peccatum remittat: quaſi dicat, ego peccavi & injuſte feci.

Ut tu *juſtificeris.* Id eſt ut juſtus ac verax prædiceris.

In ſermonibus. Id eſt in promiſſionibus tuis: quippe quod etiam peccatoribus, qui jure promiſſorum exciderunt, promiſſa nihilominus præſtes, & eorum jus iis non adimas.

Et vincas. Id eſt, ut cauſam maxima cum gloria obtineas.

Cum judicaris. Nempe an promiſſis ſteteris. Grȩce *ἐν τῷ κρίνεσθαί σε, in judicari te*, id eſt, ut diximus, cum judicaris.

℣ſ. 5. *Si vero injuſtitia noſtra Dei juſtitiam commendat, quid dicemus? Num injuſtus Deus qui infert iram?* Ex dictis movet hanc quæſtiónem & objectionem Apoſtolus, ſub perſona Judȩorum non credentium.

Injuſtitia. Id eſt, *ἀδικία*, incredulitas *noſtra*, *ἡμῶν noſtrum*, id eſt Judæorum,

Dei juſtitiam. Id eſt, veracitatem in promiſſionibus & bonitatem & clementiam,

Commendat. Quatenus injuſtitia & peccatis noſtris adduci ſe non patitur ut promiſſa ſua revocet, & eorum jure nos privet, quatenuſque peccata nobis remittit.

Quid dicemus? Quid hinc inſeremus?

Num injuſtus Deus qui infert iram? Id eſt, num hinc licebit inferre Deum eſſe injuſtum, qui injuſtitiæ noſtræ iraſcatur eamque puniat? injuſtum enim videtur ut Deus illi iraſcatur eumque puniat qui Dei juſtitiam commendet, & majorem ac illuſtriorem faciat.

Qui infert. Grȩce *ἐπιφέρων* ſuper injuſtitiam ſeu injuſtos ſcilicet.

Iram. Nempe ſuam, id eſt iræ ſuæ effectum, pœnam.

Secundum hominem dico. Nempe Judæum aliquem non credentem Euangelio, hujus perſonam nunc induo & induco.

Verſ. 6. *Ne fiat: ſiquidem quomodo judicabit Deus mundum?* Inſerit hæc verba Apoſtolus, ut doceat hoc cum rei veritate non congruere. *Ne fiat*, id eſt abſit ut Deus propterea quod injuſtitiæ & incredulitati Judæorum iraſcatur eamque puniat, ſit injuſtus. *Siquidem quomodo judicabit mundum?* Rationem adfert, quæ etiam apud Judæos valebat, quia ſi Deus injuſtus eſt inferendo iram injuſtitiæ & incredulitati Judæorum, quomodo judicabit & puniet mundum? Id eſt homines univerſos, continens pro contento, cum & alii homines omnes prætendere poſſint, Dei juſtitiam & bonitatem ac clementiam vehementer commendatum iri, ſi eorum injuſtitiæ parcat eamque non puniat, ſi illis omnia peccata remittat. Nimirum non conſiderabat iſte homo, cujus in perſona hic loquitur Apoſtolus, injuſtitia hominum Dei juſtitiam commendari, non per ſe ſed per accidens, ſeu non vi ipſius injuſtitiæ hominum, ſed vi juſtitiæ Dei; ideoque non ſimpliciter & abſolute, ſed certos intra limites ac reſpectus, ultra quos non juſtitia, non veracitas, non bonitas ac clementia hæc eſſet Dei, ſed indigna Deo ſanctiſſimo & judice ſapientiſſimo relaxatio ac remiſſio. Si nimirum peccator peccata ſua agnoſcat, ſi tempeſtive pœnitentiam agat, & vitam emendet, ut in Davide evenit, ſi inſontium etiam juri derogatio aliqua fieri debeat, ut hic fieret, ſi propter Judȩos non credentes, etiam credentes aut unquam credituri jure ac privilegio genti ſuæ dato excidiſſent; ſi denique ulla ex parte Deo indignum non ſit ſed omni ex parte dignum ac glorioſum ſit impunitatem peccatoribus concedere, & jus promiſſorum illis non adimere, tum demum id locum habet ut hominum injuſtitia Dei juſtitiam vehementer commendet.

Verſ. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?* Abſoluta parentheſi perſonam, ut cœperat, hominis illius agit Apoſtolus, qui porro argumentatur & confirmare conatur injuſte ſe punitum iri, ſi puniri debeat propterea quod Euangelio non credat.

Si enim, inquit, *veritas Dei.* Id eſt Dei veracitas,

In meo mendacio. Id eſt, per meum mendacium: *in* pro *per*, per meam ſcilicet incredulitatem. Nam qui Deo aliquid nuncianti non credit, eo ipſo nuncium iſtud mendacii inſimulat; at qui Dei nuncium & ſermonem, id eſt veritatem ipſam mendacii arguit, ipſe mendax eſt.

Abundavit. Id eſt abundans facta eſt,

In gloriam ipſius. Id eſt ex qua veritatis Dei abundantia magnam gloriam Deus eſt conſequutus. *Quid*, id eſt ob quid, (per ellipſin) quare, *adhuc*, id eſt poſtquam per meum mendacium veritas Dei abundavit, & Deus gloriam tantam eſt adeptus.

Et ego. Id eſt, non minus quam alii homines, ex quorum mendacio & peccatis nulla Deo gloria proveniat.

Tanquam peccator, id eſt, ac ſi peccator eſſem, qui ſum vertitatis & gloriæ Dei amplificator, *judicor.* Id eſt judicari debeo: præſens pro futuro: judicor autem poſitum pro punior. Igitur etiamſi ego Euangelio non credam, nihilominus extra damnationem ſum.

Verſ. 8. *Et non.* Id eſt & quare non, repetita particula *quid ἀπὸ κοινοῦ*, intellige autem ex ſequentibus, faciam mala, ut èveniant bona, id eſt non credam Euangelio, ut Dei veritas abundet, & Deus majorem conſequatur glotiam.

Quemadmodum blaſphemamur. Tangit hac oblata ſibi occaſione Apoſtolus Judæos, qui Apoſtolis gratiam Dei & peccatorum omnium veniam annunciantibus objiciebant, quod docerent homines mala facere ut evenirent bona, cum ſcilicet docerent nulla peccata hominibus obſtare ad Dei gratiam conſequendam, cum Dei gratia tanto ſit major & abundantior, quanto majora & abundantiora ſunt hominum peccata. Hanc, inquam, Judæorum calumniam hic tangit & perſtringit Apoſtolus, & illius perſtringendæ cauſa maxime videtur hominem illum induxiſſe.

Sicut blaſphemamur. Id eſt diffamamur, proſcindimur, traducimur immerito. Non enim docemus male agere eos qui Dei gratiam ſunt amplexi, ſed eos qui male egerunt ad Dei gratiam amplectendam

hortamur & invitamus, idque ne inpoſterum male faciant.

Et ſicut ajunt quidam nos dicere. Quidam nempe Euangelii hoſtes & adverſarii, qui recta & vera conantur pervertere.

Ajunt. Falſo ſcilicet & per calumniam.

Nos dicere. Nos Apoſtolos ſcilicet & alios Chriſtianos.

Quod faciemus mala ut veniant bona. Exprimit quid ajant Apoſtolos & Chriſtianos dicere, *faciemus mala.* Id eſt peccabimus, peccata peccatis cumulabimus, ut tanto uberiorem & nos gratiam à Deo conſequamur, & Deus per nos conſequatur gloriam. Quam calumniam Apoſtolus cap.vj initio, quippe commodiore loco, ex profeſſò retundit.

Quorum judicium juſtum eſt. Docet longe ſe abeſſe à tali ſermone & conſequenter opinione, cum exiſtimet iſtorum hominum qui mala faciunt ut veniant bona, juſtum eſſe judicium.

Judicium juſtum eſt. Nihil profecto juſtius quam ut illi qui divinæ gratiæ fiducia peccant, divina gratia excidant: gratia divina iis qui in peccatum inciderunt perſugium eſt, non de induſtria peccantibus præſidium. Si quis antidotum habeat contra venenum, an venenum hauriet antidoti fiducia? & qui hauſerit, nihil profecto ſit juſtius, quam ut illum antidoti deſtituat efficacia. Antidotum eſt in caſum veneni, non in conſilium: ſic & Dei gratia in caſum eſt peccati, non in peccandi conſilium.

Verſ. 9. *Quid igitur?* Quaſi dicat: Cum ergo ſic ſe res habeat, & objectio de præſtantia Judæi & circumciſionis nihil nos hic morari debeat, quid dicis? quid videtur? quid ſtatuendum eſt de reliquo?

Præcellimus? Pro præcellimuſne? Græce προεχόμεθα; habemuſne aliquid (nos Judæi ſcilicet) ante Græcos & gentes alios, intellige in eo de quo nunc agitur, id eſt in imputatione juſtitiæ ſeu juſtificatione, quaſi eam magis operibus noſtris meriti quam Gentes aliæ?

Non omnino. Id eſt nihil omnino, nullo modo. Qui putant Apoſtolum dicere præcellimus quidem, ſed non omnino, contradicentem ſibi videntur inducere, ſimul enim diceret Judæos præcellere omnino verſ. 2, & præcellere non omnino. Nam in eo de quo agitur, ut diximus, Judæi nihil omnino præcellunt.

Præfati enim ſumus & Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe. Προῃτιασάμεθα, id eſt ante allatis cauſis evicimus, demonſtravimus, & Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe: de Græcis id docuit cap. 1, de Judæis cap. 2. Quia igitur non minus Judæi quam Græci omnes ſub peccato ſunt, idcirco niſi Judæi una & æque cum Græcis ad Jeſum Chriſtum confugiant, nihil præ Græcis in ſalutis adeptione habent.

Omnes. Id eſt nemine excepto, tam ex Judæis quam ex Græcis.

Sub peccato eſſe. Id eſt peccati reatu teneri: proinde æque omnes damnationi ſubjectos eſſe. Quid igitur juvat Judæum te eſſe, circumciſum eſſe, Græcum non eſſe, ſi æque ac Græcum, niſi in Jeſum Chriſtum credas, damnari & in exitium agi te oporteat.

Verſ. 10. *Sicut ſcriptum eſt, quia non eſt juſtus neque unus.* Compluribus ſcripturæ teſtimoniis Judæos convincit peccatorum, ſi forte aliqui ſeſe juſtificare velint, quod illis conſuetum ac ſolenne erat, inprimis ſacerdotibus, ſcribis ac Phariſæis.

Quod non eſt juſtus. Juſtus eſt qui juſtitiam facit, qui juſtitiæ eſt deditus.

Neque unus. Id eſt pauciſſimi juſti præ injuſtorum multitudine, per hyperbolen uſitatam, quæ eadem in ſequentibus eſt.

Verſ. 11. *Non eſt qui intelligat.* Nempe quid vere bonum, quid malum ſit, ſi enim intelligeret, vitaret peccata, ſectaretur juſtitiam.

Non eſt qui exquirat Deum. Id eſt, per metonymiam effecti pro cauſa, qui de Deo cogitet & ejus rationem habeat, quia Deum non videt Deum non curat, contra quam faciunt qui quærunt quem non vident; quia illum curant. Recte Deus quæri dicitur, quia oculis hominum obvius non eſt, ſed non ab omnibus quæritur niſi ab intelligentibus, ut merito hæc duo conjunxerit ſcriptura, non intelligere & Deum non exquirere Pſal.xiv.

Verſ. 12. *Omnes declinaverunt.* Nempe à via juſtitiæ per Legem Dei monſtrata.

Simul inutiles facti ſunt. Simul veluti conſpiratione facta *inutiles facti ſunt.* Id eſt nulli uſui & Deo ut ei obtemperent, & alii aliis ut ſe invicem multuis officiis juvent.

Non eſt faciens benignitatem. Id eſt, id quod benignitas jubet.

Non eſt ad unum. Id eſt ne unus quidem, ad unum omnes benignitatem non faciunt. Eadem hyperbole buæ ſupra. Nam vel Propheta ipſe qui hæc dequerebatur & deplorabat, excipiendus erat. Benignitas χρηστότης, beneficentia, comitate, ſuavitate, continetur.

Verſ. 13. *Sepulchrum apertum guttur eorum.* Pro benignitatis officiis alii alios devorant. *Sepulchrum apertum.* Id eſt ſimile ſepulchro aperto quod paratum eſt ad devorandum cadaver, ſic illorum guttur, quo vocem & ſermonem emittunt, ſemper eſt paratum promptumque ad homines perdendos, vita, fama, fortunis evertendos.

Linguis ſuis doloſe egerunt. Id eſt agunt, per enallagen temporis Hebræis ſuetam: dolos & fraudes linguis, id eſt ſermonibus ſuis ſerunt.

Venenum aſpidum ſub labiis ipſorum. Similes ſunt aſpidum, quæ venenum præſentiſſimum ſub labiis habent, ſic & iſti ſermonem habent pernicioſiſſimum in ore ſuo & ſub labiis ſuis, quo non minus homines perdunt quam aſpides & viperæ veneno.

Verſ. 14. *Quorum os exſecratione & amaritudine plenum eſt.* Nil aliud ex ore ipſorum perpetuo manat quam exſecratio, quam diræ, quam ſermones amariſſimi, id eſt acerba convitia, dicta contumelioſa: harum rerum inexhauſta in ore illorum eſt copia.

Verſ. 15. *Celeres pedes illorum ad effundendum ſanguinem.* Homicidæ ſunt, currunt & ruunt ad homicidia, ad cædes, ad vulnera infligenda, leviſſima de cauſa homines occidunt, cædunt, vulnerant.

Verſ. 16. *Contritio & miſeria in viis eorum.* Viæ cujuſque ſunt illius actiones conſuetæ, in quibus contritio & miſeria eſſe dicitur, quod eorum conſue-

conſuetæ actiones ſint conterere & miſeros reddere homines: quoquo ſe vertunt comitatur eos pernicies & calamitas, ſeu perniciem & calamitatem ſecum ferunt.

Verſ. 17. *Et viam pacis non noverunt.* Id eſt, viam quæ ad pacem ducit & quam pax ſuadet, actiones nimirum pacatas,

Non noverunt. Id eſt, via pacis non incedunt, per metonymiam cauſæ. viam enim rectam haud dubie non noverunt, qui ea non eunt, vel viam pacis non diligunt, eadem metonymia.

Verſ. 18. *Non eſt timor Dei ante oculos ipſorum.* Id eſt, Deum plane non timent, nec pœnas illius reformidant, tam ſeſe à Deo non videri putant quam ipſi Deum non vident. Qui Dei metu reguntur in omni vita, Dei metum, ſicut & Deum ipſum, ante oculos habere dicuntur Hebræis. Hinc & coram Deo vel cum Deo dicuntur ambulare Dei timentes. His tot tantiſq; Scripturæ teſtimoniis Judæos peccati reos agit Apoſtolus. Nec eſt ut quiſpiam excipiat, hæc dicta eſſe ἐπὶ τὸ πολὺ ſeu in commune, quod plerique, non plane omnes nemine excepto, tales eſſent: verum enim hoc eſt, ſed Apoſtolo nihil obſtat, qui etiam ἐπὶ τὸ πολὺ & Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe aſſerit; & Chriſtus ad omnes in univerſum etiam maximos peccatores ſalvandos venit, non paucorum tantum juſtorum cauſa. Adde quod etiam pauci illi juſti non fuerint tam juſti, ut & ipſi fide in Chriſtum Jeſum & imputatione juſtitiç ex gratia Dei non æque ac cæteri omnes indigerent, & ut longe juſtiores quam erant per Chriſti ſpiritum fieri non poſſent & deberent.

Verſ. 19. *Scimus vero quod quacunque Lex dicit, iis qui in Lege ſunt loquitur.* Occurit exceptioni, ne forte Judæorum aliquis diceret, hæc Scripturæ teſtimonia de gentibus profanis non de Judæis, Dei populo, intelligenda eſſe.

Scimus, inquit, *quod quacunque Lex dicit, iis qui in Lege loquitur.* Quaſi dicat, non eſt iſti exceptioni & tergiverſationi locus. *Scimus* nempe omnes, omnibus hoc conſtat, nullum eſt de eo dubium.

Quod quecunque Lex dicit. Vox Legis tam late hic ſumitur, ut etiam Pſalmos & Prophetas includat, nam quæ citantur teſtimonia, ex Pſalmis & Prophetis ſumta ſunt.

Iis qui in Lege, intellige *ſunt*. *In Lege* id eſt ſub Lege, *in* pro *ſub*, ut cap. 2.12, ex multiplici uſu particulæ *in* apud Hebræos, Judæis proinde.

Loquitur. Niſi ſcilicet ipſa ſignificet ſe profanas gentes petere, quod iſtis in locis non fit. *Iis loquitur*, quamvis eos directe non alloquatur, illis tamen loquitur, quatenus de illis & in illorum uſum. *Ut omne os obſtruatur, & obnoxius fiat omnis mundus Deo.* Effectum iſtorum Scripturę dictorum exprimit, nempe obſtructionem & obturationem omnis oris, ſi ſcilicet aliquis hominum ore ſuo ſeſe juſtificare velit, & peccati inſontem dicere.

Et obnoxius fiat omnis mundus Deo. Nempe Scripturę teſtimoniis convictus. *Obnoxius fiat*, ὑπόδικος γένηται. Id eſt, reus & pœnæ ſubjectus peragatur. *Omnis mundus.* Id eſt univerſi in mundo homines, proinde non ſolæ gentes profanæ, quod per ſe patet, nec ullo Scripturæ teſtimonio indiget, ſed etiam Judæi, quamvis peculiaris Dei populus.

Deo. Id eſt creatori ſuo, quem quiſque multis peccatis offendit, etiamſi hominibus videri poſſit aliquis juſtus & peccati expers eſſe; Deo reus eſt.

Verſ. 20. *Propterea quod ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram ipſo.* Cauſam reddit ob quam homines Deo ſint obnoxii & pœnæ divinæ ſubjecti; *quia* ſcilicet *ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram ipſo.*

Non juſtificabitur omnis caro. Hebræa loquendi ratio, pro nulla caro juſtificabitur. *Caro* eſt homo mortalis.

Non juſtificabitur. Id eſt, non agnoſcetur & pronunciabitur juſtus.

Coram ipſo. Nempe Deo, id eſt in Dei judicio & conſpectu. Coram hominibus ſcilicet: in hominum judicio id fieri poteſt, ſed non in Dei.

Ex operibus Legis. Id eſt ideo quod nulla in re contra Legem deliquerit: hoc enim requiritur ſi quis ex ipſis Legis operibus, ſecluſa Dei gratia, juſtus à Deo pronunciari velit. Nec eſt ut dicas, multos fuiſſe qui Legem exacte ſervaverint, adjunctis victimis & expiationibus in Lege conſtitutis, quibus infirmitates & ignorantiæ purgabantur. Verum hoc eſt, ſed Legem ſervarunt vulgari & populari ſenſu acceptam, ad quam bonum & juſtum eſſe, minimum eſt: quales multi Phariſæorum erant, & Paulus ipſe Philip. iij. 6 Sed ut quiſpiam coram Deo juſtus ex Legis operibus operibus pronuncietur, idque ad obtinendam vitam æternam, oportet ut omnia faciat & exſequatur quæ lex non tantum expreſſe & in ſpecie præcepit, ſed etiam quæ in generali ſenſu & implicite continet; id eſt ut omne malum vitet, & omne quod juſtum & rectum eſt perpetuo exſequatur, ſic ut omnis delicti, omnis culpæ ſit expers; quod qui præſtirit, Chriſto ſolo excepto, nullus eſt. Et quod ad expiationes & purgationes per victimas attinet, hæ pœna aliqua, idque ex Dei indulgentia & benignitate, hominem liberare poterant, at hoc præſtare non poterant, ut propter eas homo vere juſtus & omnis delicti vacuus à Deo pronunciaretur, & vitam æternam acciperet, cum nec peccata quibus pœna mortis conſtituta erat expiare poſſent. Multa præterea vitioſa erant, quibus nulla adhibebatur nec conſtituta erat expiatio; quod ea Lex aperte & ad literam non vetaret. Neque enim à ſervis, quæ Judæorum ſub Lege erat conditio, magna exigi potuit honeſtatis perfectio. Ideo hic ipſe Apoſtolus loco ad Philippenſes memorato verſ. 6, 9, quamvis ſeſe ſecundum illam quæ ſub Lege erat juſtitiam irreprehenſibilem fuiſſe dixerit, ſuam tamen hanc juſtitiam rejecit ac repudiavit, ut eam quam Deus ex gratia ſua credentibus in Jeſum Chriſtum imputat & adſcribit, conſequeretur: hoc ipſo docens ſuam illam exactam juſtitiam, ſi ad perfectum legis divinæ ſenſum exigeretur, valde fuiſſe mancam ac mutilam: & ab æternæ vitæ adeptione longiſſime diſtantem. At inquies, multos commemorari in Scriptura juſtos, inter quos Zacharias & Eliſabeth, idque coram Deo Luc. j. 6. Sic ſane eſt; ſed juſti dicuntur communi quadam ratione: quod juſtitiæ toti dediti fuerint, non vero quod omni culpa & delicto vacaverint. Ideo & juſti iſti non ex operibus, ſeu quod omni labe & peccato carerent, ſed ex fide ſua, quæ juſtitiam illorum produxit, victuri dicuntur.

Per Legem enim cognitio peccati. Cauſam addit ſuperioris aſſertionis, quia per Legem peccatum cognoſcitur: cum enim Lex aliquid vetat, peccatum & malum id eſſe oſtendit; niſi enim malum & peccatum eſſet, lex illud non vetaret: at oſtenſo peccato, cupiditas illius tanto magis accenditur, & ſic peccatum committitur, non quidem ulla Legis culpa; ſed hominum vitio. Nam ſpiritum illum adoptionis qui à peccando continet & carnem domat, Lex non habet. Quia igitur Legis occaſione homines carnales magis in peccata ruunt, hinc fit ut non ſolum ex Legis operibus nemo juſtus pronuntiari poſſit, ſed etiam quiſque per Legem condemnetur, adeo ut & illi qui ſpiritu adoptionis reguntur, nec amplius carnales ſed ſpirituales ſunt, damnationem à Lege non effugiant, neque enim & illorum tanta eſt perfectio, ut non aliquando quamvis nolentes & inviti peccent. Sed qui ſpiritu aguntur, ſub Lege non ſunt, proinde nec ſub damnatione ulla cap. viij. 1. Gal. v. 18.

Verſ. 21. *Nunc vero ſine Lege juſtitia Dei manifeſtata eſt. Nunc*, his temporibus quibus Chriſtus Dei Filius venit & Euangelium hominibus allatum eſt.

Juſtitia Dei. Id eſt juſtitia quam Deus ex ſua bonitate & gratia hominibus imputat, quæ ideo Dei dicitur, ut noſtræ juſtitiæ opponatur, quod & perfecta ſit, & non operibus noſtris parta, ſed Dei donum ſit, qua de re vide plura cap. j. 17.

Manifeſtata eſt. Semper quidem illam Deus ſibi credentibus tribuit, ſed non ſemper manifeſtata fuit, id eſt publica prædicatione hominibus annunciata & æterno fœdere ſancita; nunc demum hoc factum eſt.

Sine Lege. Id eſt Lege Moſis axcluſa & valere juſſa, non quatenus mala vetat, & præcipit bona, hoc enim per Euangelium multo etiam fit clarius, & perfectius & efficacius, ſed quatenus tranſgreſſores ſui ſimpliciter damnat, & illis ad juſtificationem coram Deo viam præcludit.

Teſtimonium habens à Lege & Prophetis. Docet in ipſa Lege & Prophetis teſtimonium extare de hac Dei juſtitia, & ſic Legem ipſam juſtitiæ iſti ultro decedere: teſtatur, inquam, Lex & Prophetæ Deum hominibus propter fidem ipſi habitam aut alia aliqua eximia facta juſtitiam imputare. In Lege ſeu libris Moſis habemus exemplum ipſius Abrahami, Phineæ & aliorum; in Prophetis dicta varia huc pertinentia, quale dictum eſt illud Habacuci: *Juſtus ex fide vivet*, quæ ſtricturæ quædam erant lucis iſtius quæ per Euangelium inſtar ſolis effulſit. Apoſtolus ipſe capite ſequente ex Davidis Pſalmo de hac juſtitia Dei teſtimonium illuſtre producit verſ. 6, 7, 8.

Verſ. 22. *Juſtitiam vero Dei per fidem Jeſu Chriſti.* Docet quomodo ſeu per quod medium juſtitia iſta Dei hominibus nunc contingat,

Per fidem, inquit, *Jeſu Chriſti.* Non per quamvis fidem, ſed in ſpecie *per fidem Jeſu Chriſti*, id eſt quam Jeſus Chriſtus tradidit, vel quæ in Jeſum Chriſtum dirigitur, per genitivum ſive cauſæ ſive objecti, qua Jeſus creditur eſſe Chriſtus, & qua in Jeſum tanquam Chriſtum illum creditur: qui hanc fidem audito Euangelio ſuſcipit, protinus juſtitiam Dei adipiſcitur, & qui hac fide regitur, in juſtitiæ iſtius poſſeſſione manet.

In omnes & ſuper omnes credentes. Docet juſtitiam hanc Dei ad omnes omnino credentes pertinere & omnibus credentibus contingere. *In omnes*, ſive ad omnes, intellige pertinens,

Et ſuper omnes. Intellige veniens & manens, dummodo credant: prius ad oblationem, poſterius ad collationem juſtitiæ pertinet.

Non enim eſt diſcrimen. Rationem affert cur dixerit in omnes & ſuper omnes credentes, quia, inquit, nullum eſt hac in parte Judæorum & Græcorum & quorumvis hominum diſcrimen.

Verſ. 23. *Omnes enim peccarunt & deſtituuntur gloria Dei.* Cauſam affert cur diſcrimen ſit nullum, quia, inquit, omnes peccarunt tam Judæi quam Græci, & quicunque alii ſint homines, ideo non eſt cauſa ut Deus aliis juſtitiam ex fide & gratia ſua imputet, aliis non imputet, ex æquo peccaverunt, ex æquo juſtitiæ hoc beneficium adipiſcuntur, ſi ex æquo in Jeſum Chriſtum credant.

Et deſtituuntur gloria Dei. Id eſt gloriam Dei non aſſequuntur, procul ab ea diſtant & manent.

Gloria Dei, eſt gloria quæ à Deo proficiſcitur, & hoc loco ſignificat eam gloriam cum Deus hominem pronunciat juſtum; hanc gloriam nemo aſſequitur operibus ſuis, neque Abrahamus ipſe aſſequutus eſt, ut capite ſequenti docetur.

Verſ. 24. *Juſtificantur gratis ipſius gratia, per redemptionem quæ in Chriſto Jeſu. Juſtificantur*, ſcilicet omnes, id eſt juſti pronunciantur, *gratis*, *δωρεὰν*, id eſt Dei dono & ſine ullo ſuo merito: Nam quæcunque cujuſquam ante fidem in Jeſum Chriſtum fuerint vel non fuerint merita, id in conferenda per Chriſti fidem juſtitia à Deo non attenditur.

Ipſius gratia. Nempe Dei, quę doni iſtius eſt cauſa.

Per redemptionem quæ in Chriſto Jeſu, intellige *eſt*, vel *facta eſt*. Docet Apoſtolus quid Deo auctore factum ſit ſeu acceſſerit ad id ut gratis & gratia Dei peccatores juſti pronunciarentur. Redemptio, inquit, in Chriſto Jeſu, id eſt per Chriſtum Jeſum acceſſit, hoc eſt, Chriſtus Jeſus Deo auctore pro peccatis omnium victima piacularis factus eſt, ſanguinem ſuum fudit, & hoc lytron ſanguinis & mortis ſuæ dedit, ut omnes in ipſum credentes à peccatorum reatu ac pœna liberaret. Deus enim hanc tantam Chriſti obedientiam, quod pro peccatis noſtris morte affici, eaque crucis, non recuſaverit, ita ſuſcepit, tantique pretii duxit, ut non ſolum ipſi Chriſto maximam gloriam donaverit, ſed etiam omnibus in ipſum credentibus peccatorum omnium veniam dare, juſtitiam gratis imputare, & vitam æternam largiri velit. Hinc apparet redemptionis iſtius, & conſequenter ſanguinis & mortis Chriſti, non eam vim eſſe ut debita noſtra proprie Deo exſolverit. Nam et ipſe Chriſtus hanc obedientiam auctori & Patri ſuo per ſe debuit, & pro ea maximum præmium tulit, & ipſe pro ſe meritis ſuis, quamtumvis maximis, mercedis ſibi pro iis datæ magnitudinem nullo modo aſſequutus eſt: quę quia prorſus incomparabilis eſt, donata ei gratis pro obedientia ab Apoſtolo dicitur Philip. ij. 9, & Chriſtus non pro debitorum ac delictorum noſtrorum exſolutione proprie loquendo, ſed pro eorum remiſſione mortuus aſſeritur; & hoc ipſo loco talis nobis per Chriſtum facta redemptio oſtenditur quæ gratuitam juſti-

ficationem

ficationem & Dei in ea conferenda gratiam, & ſic liberaliſſimam debitorum remiſſionem ac condonationem neuriquam tollat, vel ulla ex parte imminuat; quam redemtionem & alibi idem Apoſtolus remiſſionem eſſe peccatorum noſtrorum docet Eph. j. 7. Col. j. 14, & Chriſtus pro peccatis noſtris moriens victimæ piacularis rationem habuit: victimarum autem ſanguine non fiebar pro delicto ulla proprie dicta ſolutio, ſed efficiebatur, Deo ſic volente, delicti remiſſio & condonatio: & peccatorum noſtrorum reatus manet, niſi credamus in Chriſtum, & peccatis moriamur, qui haudquaquam remaneret ſi per Chriſti mortem facta eſſet debitorum noſtrorum perſolutio, non quæſita & parta, poſtquam & nos officium fecerimus, eorum remiſſio: debito enim perſoluto tollitur omnis debitoris obligatio: & Deus ipſe Chriſtum Filium ſuum proprium pro peccatis noſtris dedit, proinde ſibi ipſi de ſuo debita noſtra proprie loquendo perſolvere non potuit. Denique Deus adeo pro debitis noſtris proprie dictam perſolutionem non accepit ullam, ut longe etiam majorem pro nobis impenſam fecerit quam eſt debitorum noſtrorum omnium condonatio: majus enim eſt apud Deum Filium ſuum unicum & innocentiſſimum in mortem, eamque crucis, tradere, quam totius mundi debita condonare, & inſuper etiam vitam æternam peccatoribus conferre. An ergo Deus multo majorem impenſam faceret ut ipſe conſequeretur id quod multo minus erat? Nimirum Dei gratiam immenſam non intelligunt qui talia autumant. Deus pro ineffabili ſua gratia & miſericordia non tantum omnia nobis debita liberaliſſime condonavit, non tantum juſtitiam gratuito imputavit, & vitam æternam nobis largiri conſtituit, non tantum debita ſua non recepit, ſed inſuper etiam de ſuo proprio, id quod erat ſibi chariſſimum & pretioſiſſimum, ut ſeſe nobis penitus obſtringeret, & tantorum ſuorum beneficiorum tantæque gratiæ fidem ſufficientiſſimam faceret, & pignus certiſſimum darer, Filium ſuum proprium, eumque unicum, pro peccatis noſtris victimam fieri, & ſanguinem innocentiſſimum ſanctiſſimumque idque in cruce, fundere voluit: haud dubio argumento, peccatores & injuſtos ſi in ipſum credant, vitam juſtis decretam adepturos eſſe, poſtquam juſtus & omnis peccati inſons, mortem injuſtis & peccatoribus debitam, idque pro ipſis & hunc ipſum in finem perpeſſus eſt. Qua ſimul ratione Deus omnes peccatorum ſibi conſcios (conſcii autem debent eſſe omnes homines) ad Chriſtum traxit; & effecit ut certatim ad illum accurrerent, qui pro peccatis ipſorum victima factus eſt, ſimulque cum ipſo & Legi & peccatis morerentur, ut Deo viverent Gal. 2. 19, 20. Porro ſignificat Apoſtolus non per aliam redemptionem, quam quæ eſt in Chriſto Jeſu, ſeu quæ per Chriſtum Jeſum facta eſt, juſtificationem iſtam contingere, qua omnibus peccatoribus juſtitia imputatur, & vita æterna confertur. Excludit & removet & tollit Apoſtolus omnes redemptiones & expiationes & propitiationes Legales, quibus Judæi fruſtra fidebant. Ideoque addir de Jeſu Chriſto, ut ſequitur,

Verſ. 25. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine.* Redemptionem iſtam uberius deſcribir, *quem*, videlicet Chriſtum Jeſum, *propoſuit Deus*, id eſt, publici omnium juris fecit,

Propitiatorium. Id eſt, ut eſſet propitiatorium. Alludit & reſpicit Apoſtolus ad propitiatorum illud vereris Teſtamenti, cui Chriſtum Jeſum aſſimilat, tanquam longe verius ac perfectius propitiatorium; cujus propitiatorium illud Legale umbra quædam erat. Hoc nomine vocabatur operculum Arcę quod thronum Dei referebat, propter Cherubinos expanſis ad ſeſe invicem alis ei impoſitos, eratque maximæ ſanctitatis. Propoſitum erat ex mandato Dei in intimo ſacrario, ut coram illo, tanquam Dei throno, & ſic per illud populus Deum propitiaret. Sic Chriſtum Jeſum Deus ipſe in vero illo & cæleſti ſacrario propoſuit, ut ad illum omnes tanquam ad certum aſylum confugerent, & per illum Deum ſibi redderent propitium. Propitiabatur autem Deus non ſemper, quia ex irato reddebatur placatus; (ipſe enim propitiatorium hoc proponi fecerat) ſed quia efficiebatur ut propitius porro maneret, nec populi ſui peccatis & delictis iraſceretur, aut ſi forte jam cui iratus eſſet ob contumaciam, propitiabatur, quatenus ſe pœnitenti, fuſo victimarum ſanguine, ad dimittendam iram obſtrinxerat.

Per fidem. Modum ac rationem oſtendit Apoſtolus propitiandi Dei per Chriſtum Jeſum, ea vero eſt ur credamus in ipſum & per ipſum in Deum; fide ſcilicet viva & per charitatem efficaci.

In ipſius ſanguine. Reſpicit & alludit Apoſtolus ad victimarum Legalium ſanguinem: ſicut enim Legale illud propitiatorium in ſanguine victimarum propoſitum erat, id eſt eo modo ut ſanguis victimarum pro peccatis prius funderetur; ſic & Chriſtum Deus propoſuit propitiatorium in ſanguine ipſius, id eſt eo modo ut & ipſe prius ſanguinem ſuum pro peccatis totius mundi ſuderit. *In ſanguine*, pro cum ſanguine, ſeu accedente & interveniente ſanguine, *ipſius*, id eſt Chriſti Dei Filii. Nimirum totius mundi peccata etiam graviſſima, non alio quam ipſius Filii Dei ſanguine purganda erant, idque ſic ut maximis quoque peccatoribus per fidem in ipſum juſtitia imputaretur & vita æterna donaretur.

Ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ. Docet quo fine Deus Chriſtum Jeſum propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius propoſuerit, nempe ut demonſtraret & omnium oculis exhiberet juſtitiam illam ſuam quam propter fidem imputare ſoler, quæ adhuc latebat, nec in publico omnium conſpectu erat.

Propter tranſmiſſionem antefactorum peccatorum. Id eſt, propterea quod tranſmiſerit antefacta & commiſſa peccata.

Verſ. 26. *In tolerantia Dei.* Id eſt Deo tolerante peccatores, non ut merebantur tollente. *Ad demonſtrationem:* quaſi dicat, ad demonſtrationem, inquam, *juſtitiæ ſuæ in hoc præſenti tempore.* Repetit priorem finem, addita etiam circumſtantia præſentis temporis, Euangelii nimirum: quaſi dicat, præterita tempora tanti boni erant exſortia. Adventus Jeſu & Euangelii tantum bonum nobis attulit. Docet autem cur Deus toleraverit tanta peccata & ſcelera hominum, cur non protinus omnes impios perdiderit & exterminaverit, ut, inquit, hoc præſenti tempore juſtitiam illam ſuam demonſtraret & teſtatam omnibus faceret, maximos peccatores juſtos pronunciando. Hoc vero iterum quo fine?

Ut

Ut eſſet ipſe juſtus, & juſtificans eum qui ex fide Jeſu. Duplici fine, primum ut iſte juſtus eſſet, id eſt ut ſeſe juſtum eſſe oſtenderet. Res ponitur pro rei oſtenſione ſeu declaratione: juſtum, hoc eſt veracem & fidelem in ſervandis promiſſionibus, & benignum ac liberalem in conſerendis beneficiis. Promiſerat hanc juſtitiam ſeſe manifeſtaturum & exhibiturum, hoc igitur nunc præſtitit: & juſtitia Dei maxime in beneficentia & clementia celebratur: deinde *ut eſſet juſtificans eum qui ex fide Jeſu*, id eſt ut oſtenderet ſe juſtificantem eſſe, ſive ſeſe juſtificare. Participium enim ponitur pro verbo ex Hebraico uſu.

Eum qui eſt ex fide Jeſu. Quaſi dicat, ideo peccata tulit maxima cum patientia, ut deinde in hoc præſenti tempore per fidem in Jeſum peccatores juſtificans, oſtenderet clariſſimo documento ſe per fidem in Jeſum omnes juſtificare ac juſtificaturum eſſe, & ſic fidem hanc obtinendæ juſtificationi in perpetuum conſecraret ac dedicaret. Neque enim ulla alia fides juſtitia iſta Dei dignior eſt quam fides Jeſu, quæ objecta habet circa quæ verſarur omnium maxima & præſtantiſſima. Fides Jeſu eſt fides cujus auctor & magiſter eſt Jeſus, vel quæ refertur ac dirigitur in Jeſum & per Jeſum in Deum ipſum vide verſ. 22. *Eum qui ex fide Jeſu*, ſcilicet *eſt*. Eſſe ex fide Jeſu, eſt fidem Jeſu habere, Jeſu vel in Jeſum credere, Hebræa phraſi. Sic eſſe ex Lege, eſt Legi deditum eſſe, eſſe ex veritate, ex contentione, eſt veracem, contentioſum eſſe, & ſimilia.

Verſ. 27. *Ubi igitur gloriatio?* Hanc interrogationem ex ſuperioribus infert, poſtquam evicit neminem ex Legis operibus coram Deo juſtificari, ſed ex fide Jeſu juſtitiam à Deo gratis imputari credentibus. Interrogat Judæos re ſic ſe habente, ubi ſit eorum gloriatio, id eſt gloriatio ex operibus Legis, ex eo, inquam, quod Legis obſervatores eſſent, & hoc nomine gentes præ ſe contemnerent.

Excluſa eſt. Nullus illius locus eſt: nam ſi ex operibus Legis nemo coram Deo juſtus pronunciari poteſt, ſed fides Jeſu ad id requiritur, quis ex illis gloriationi locus eſt?

Per qualem Legem? Operum? Per operumne Legem? perLegemne quæ opera tequirit? id eſt per Legiſoe iſtius executionem iſta excluſa eſt?

Nequaquam. Intellige, per hanc gloriatio ex operibus excluſa eſt.

Sed per Legem fidei. Id eſt per Legem quæ fidem requirit, eique juſtificationem ex Dei gratia & liberalitate promittit, quæ lex eſt Euangelii: per hujus Legis exemtionem gloriatio omnis ſublata eſt.

Verſ. 28. *Arbitramur igitur fide juſtificari hominem, ſine operibus Legis.* Quaſi dicat, quandoquidem igitur Lex fidei gloriationem hominum excludit, gloriam vero Dei infert, arbitramur fide juſtificari hominem, ſive ſit Judæus, ſive Græcus, homo eſt, hoc ſatis eſt, dummodo eredat in Jeſum Chriſtum, juſtificabitur.

Arbitramur, λογιζόμεθα. Quaſi putatis & ſubductis rationibus colligimus. Sic cap. 2 verſ. 3.

Sine operibus Legis. Id eſt operibus Legis non requiſitis, non requiſito, inquam, eo ut quiſquam ſine delicto contra Legem ſit, quod nulla caro aſſecuta eſt. Multum errant qui Jacobum Paulo contrarium eſſe autumant, quod Jacobus doceat hominem ex operibus juſtificari, non ex fide tantum. Paulus enim per opera Legis, ut dictum eſt, vel etiam opera ſimpliciter, opera intelligit quæ delictum omne contra Legem, proinde & gratiam excludunt, eique opponuntur cap. xj. 6. Jacobus vero per opera intelligit fidei fructus & effectus ſimpliciter: Uterque adeo conſentit, ut Jacobus cap. iij. 2 omnes in multis delinquere aſſerat, & Paulus fidem quæ per charitatem non ſit efficax, quęquę in fructus ſpiritus non exuberet, pro nulla & inani ducat, & mox Legem quatenus bonorum operum magiſtra eſt, per fidem ſtabiliri aſfirmet verſ. 31. Deinde, *ſine operibus*, eſt non ſpectatis ullis ante fidem, ſi quæ in ullo ſint, operibus, propter eorum maximam imperfectionem, quod inprimis reſpectu fidei in Chriſtum verum eſt. Unde iterum patet alia Pauli et Jacobi conciliatio. Paulus enim agit de operibus ante fidem in Chriſtum, Jacobus agit de operibus poſt fidem & per fidem ac cum fide; Paulus agit de juſtificationis principio, Jacobus agit de juſtificationis conſummatione.

Verſ. 29. *An Judæorum Deus ille tantum nonne vero & gentium? Certe & gentium.* Dixerat in genere hominem juſtificari fide, quemvis hominem deſignans, non Judęum tantum, ſed cujuſq; gentis: id nunc confirmat.

An Judæorum Deus ille tantum? nonne vero & gentium? Quaſi dicat, ut ſoli Judæi fide juſtificari debeant, gentes vero ab hoc beneficio excludi. Eſt vero ellipſis duplex in oratione Apoſtoli, prior in voce Dei, ad vitandam ipſius repetionem. Integra oratio eſt: an Deus ille (additur enim in Græco articulus ad vocem Dei, Deum illum unum deſignans) Judæorum tantum Deus, id eſt creator & Dominus? Altera ellipſis eſt verbi ſubſtantivi *eſt*.

Verſ. 30. *Siquidem unus ille Deus.* Id eſt, Deus abſolute & κατ' ἐξοχὴν dictus, (nam & hic additus eſt articulus, qui creatorem & Dominum ſupremum ſignificat) unus eſt: alioquin enim multi ſunt Dii, hoc ipſo Apoſtolo teſtante 1 Cor. viij. 5. Hic iterum occurrit ellipſis verbi ſubſtantivi *eſt*. Quia vero unus tantum eſt creator & Dominus ſupremus, idcirco omnium eſt creator & ſuprimus Dominus, & ſic non Judæorum tantum, ſed & gentium.

Qui juſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Effectum exprimit, ſeu conſequens hujus rei, quod unus ſit omnium hominum Deus, quia enim omnium ex æquo creator eſt Dominus ſupremus, ideo ex æquo etiam juſtificabit omnes ex æquo itidem credentes.

Juſtificabit circumciſionem. Id eſt circumciſos, ſubſtantivum pro adjectivo.

Ex fide. Non ex operibus Legis, non ideo, inquam, quod nihil contra Legem peccarint, ſed ideo, quod quamvis peccaverint & peccatorum rei ſint, fidem Deo per Jeſum Chriſtum habeant, (fidem enim intelligit Apoſtolus quam prædicabat) proinde juſtificabit per imputationem juſtitiæ gratuitam: juſtificare enim latius ſua natura patet quam juſtitiam gratuito imputare: Juſtificare enim eſt, juſtum pronunciare ac declarare, à reatu & pœna abſolvere: at juſtus pronunciari & ab omni reatu ac pœna abſolvi poteſt, imo debet, etiam is qui nihil peccavit, imo huic ſoli id jure meritoque debetur. Juſtificatio inquam,

nquam, eſt effectum & conſequens juſtitiæ. Juſtitia vero duplex eſt, altera hominis propria, altera homini gratis à Deo adſcripta & imputata: illa quia eſt multis partibus imperfecta, juſtificationem merito ſuo non aſſequitur: hæc quia ab ipſo Deo adſcribitur, nonniſi perfecta eſſe poteſt, & idcirco juſtificationem neceſſariò ſecum infert, & cum juſtificatione ex Dei decreto vitam æternam.

Et præputium. Id eſt præputiatos, eadem loquendi ratione, qua ſupra circumciſionem dixit pro circumciſis.

Per fidem. Nempe eandem quam diximus. Eadem in utriſque fides idem accipiet à Deo præmium & beneficium.

Ex fide, & *per fidem* ſono differunt, ſenſu ſunt idem.

Verſ. 31. *Legem igitur deſtruimus per fidem? Ne fiat; ſed Legem ſtatuimus.* Videri poterat Lex quæ ab homine omnis peccati vacuitatem requirit, quatenus bonorum operum eſt magiſtra, per fidem iſtam deſtrui, idque etiam haud dubie à Judæis objiciebatur, quandoquidem fides imputationem juſtitiæ peccatoribus afferat. Proponit igitur quæſtionem, an ipſe & alii ſui collegę Legem, quatenus juſtitiæ & ſanctitatis magiſtra eſt, deſtruant per fidem iſtam quam prædicabant? Negat hoc ſeſe facere.

Abſit, inquit, *ſed Legem ſtatuimus.* Quaſi dicat, tantum abeſt ut hæc fides Legem tollat & deſtruat, quatenus nimirum Lex juſtitiam præcipit & ab omni peccato arcet, ut eam vel maxime conſtituat ac ſtabiliat. Longe enim fides iſta validior & efficacior eſt ad efficiendam in hominibus omnis generis juſtitiam, & ad omne peccatum penitus exſcindendum, quam Lex. Primum, quia Lex ſevere agit & homines ſerviliter tractat, nullum verum delictum impunitum ſinens; ideo ſecundum literam & ſenſum externum ſumta, nihil ultra ſervilis conditionis honeſtatem præcipit: at fides quia homines liberaliter habet, ideo longe majora & perfectiora honeſtatis opera & exempla ab iis poſtulat. Deinde, quia Lex peccatores ad deſperationem veræ coram Deo juſtificationis adigit: fides eos ingenti beneficio remiſſionis peccatorum & imputatæ ex gratia juſtitiæ Deo obligat, & ad eum omni viciſſim obſequio demerendum inſtigat. Tertio, quia Lex aperta & expreſſa vitæ æternæ & cæleſtis hæreditatis promiſſione deſtituta eſt, proinde ſpiritu illo caret, qui carnem cum affectibus & cupiditatibus domat, quibus non edomitis, acriores per Legem vires peccatum ſumit: at fides in apertas vitæ æternæ promiſſiones, in Dei gratiam, qua ſeſe vere Patrem nobis declaravit & exhibuit, tota refertur, & ſpiritum filialem omni Lege potentiorem nobis inſerit: qui non ſolum in certiſſimam cæleſtis hæreditatis ſpem nos erigit, ſed ſimul etiam dictat fore ut ea excidamus, ſi quid tanta Dei gratia & vocatione noſtra indignum faciamus. Quarto, quia Lex ritibus & ceremoniis, & rerum natura ſua ac per ſe licitarum abſtinentia, ſervilia illa ingenia in opere aſſiduo detinebat: at fides tanquam ab ingenuis & Dei Filiis, nihil aliud niſi quod honeſtas ipſa ſuadet, requirit. Nimirum Lex tribus illis quæ ſervis ac mancipiis debeberi Sapiens dixit, uſa eſt: *Servo debetur*, inquit, *opus, cibus & diſciplina* Syrac. xxxiij. 25. Opus & labor, qui contumacem animum ab otio contineat: cibus & quæ vitæ ſunt neceſſaria, ut ei vires ad laborem ſufficiant, & ne egeſtas extrema ſuadeat: diſciplina, ne impunitate fiat deterior. Hæc omnia Lex obſervavit. Nam & per ritus varios externamque puritatis & ſanctitatis omnis ſpeciem, nullum à laboribus otium dedit, & cibum ac victum per terrenas promiſſiones affatim ſuppeditavit, & diſciplinæ non pepercit, nullum gravius peccatum impunitum ſinens, & quibus veniam indulſerat, non tamen ſine victima aliqua & oblatione ac veluti mulcta dimittens; quæ venia ac remiſſio non eo ſpectabat ut vitam æternam per victimas illas & oblationes quiſquam obtineret; ſed ut pœnam aliquam delicto illi convenientem evitaret. Legem igitur ob id ipſum ſtatuebant Apoſtoli, quod nos non amplius ſub Lege ſed ſub gratia eſſe docerent, qua de re idem Apoſtolus agit cap. vj verſ. 14.

CAPUT IV.

Verſ. 1. **Q**Uid igitur dicemus Abrahamum Patrem noſtrum inveniſſe, ſecundum carnem? Inducit Apoſtolus Abrahamum, ut illius exemplo manifeſtum fieret utrum ex operibus, an ex fide juſtificemur.

Igitur. Quaſi dicat, cum oſtenderim fide juſtificari hominem, non ex operibus Legis,

Quid dicemus Abraham Patrem noſtrum inveniſſe? Sic eum appellat, ut oſtendat merito ſeſe exemplum ejus adducere tanquam patris & auctoris Judæorum, hominis Deo gratiſſimi, cui divinæ promiſſiones contigiſſent. *Quid dicemus inveniſſe?* Id eſt acquiſiviſſe, adeptum eſſe, juſtificationis nimirum reſpectu, tantæ gloriæ Patriarcham, excluſa, ut dixi cap. iij. 27, gloriatione?

Secundum carnem. Hæc verba per tranſpoſitionem locata ſunt poſt verbum *inveniſſe*, & reſpiciunt ad verba *patrem noſtrum.* Significat Apoſtolus Abrahamum eſſe quidem patrem Judæorum, ſed ſecundum carnem, quatenus carnali ratione ex illo orti ſunt; tacite innuens Abrahamum eſſe Patrem omnium credentium, longe potiori ratione, nempe ſecundum ſpiritum, quatenus ſpirituali quadam ratione, id eſt fidei ejus imitatione ex illo prodierunt, & ſic credentes omnes, quamvis multos ex iis Græcos & Ethnicos, tanto majore & perfectiore cognatione Abrahamo conjunctos eſſe, quanto ſpiritus carne, & ſpiritualis generatio carnali major eſt & perfectior.

Verſ. 2. *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriationem, ſed non apud Deum.* Rationem affert propoſitæ de Abrahamo quæſtionis: quaſi dicat, dicendum enim eſt de Abrahamo quid invenerit juſtificationis reſpectu, cum eum à Deo juſtificatum fuiſſe conſtet.

Juſtificatus eſt. Id eſt juſtificatus fuiſſe dicatur: res ponitur pro rei dictione, ut cap. iij. 26. Nam ſi res ipſa intelligenda eſſet, hoc eſt, ſi Abrahamus reipſa ex operibus juſtificatus fuiſſet, haberet

beret ſane gloriationem etiam apud Deum, quod falſum eſſe mox oſtendit Apoſtolus. *Juſtificatus*, id eſt juſtus à Deo pronuntiatus & declaratus.

Ex operibus. Id eſt ex eo quod nihil unquam deliquerit, nullum peccatum admiſerit. Non addit operibus vocem Legis, quia necdum lex per Moſen lata erat; ſed Abraham nihilominus habuit Legem recti & boni & juſti, cordi ſuo inſcriptam, quam naturæ hominis cujuſque Deus inſculpſit: qua de re Apoſtolus ipſe cap. ij verſ. 14, 15 loquutus eſt.

Habet gloriam. Id eſt cauſam & materiam gloriationis, & conſequenter poteſt gloriari, per metonymiam effecti pro cauſa.

Sed non apud Deum. Docet gloriationem illam tantum apud homines locum habere, qui Abrahamum ex operibus juſtificatum dicant, apud Deum non habere, qui id nequaquam dicat, proinde gloriationem illam fore falſam, non veram.

Apud Deum. Id eſt coram Deo, ſicut apud homines gloriari, eſt coram hominibus gloriari, vel Dei reſpectu ut cap. v. 1. Admodum caute Apoſtolus de Abrahamo loquitur, & rem ſic moderatur, ut nec Judæos offendat, nec veritati injuriam faciat, reticendo quidquam quod dicendum erat.

Verſ. 3. *Quid enim Scriptura dicit? credidit autem Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad juſtitiam.* Ad Scripturam provocat Apoſtolus, ut ſe invidia omni apud Judæos exoneret: quaſi dicat, dicat Scriptura non ego, quid res ſit: Scriptura inquam quæ ipſam veritatem continet. Scripturæ tribuit dictionem, vel per proſopopoëiam, vel ſi mavis metalepſin, cum inſtrumento vel medio tribuitur, quod proprie competit illi qui per inſtrumentum vel medium aliquod operatur: ſic dicuntur oculi videre, os loqui, & ſimilia: ſic & Scriptura dicit, quod auctor Scripturæ dicit; & per metaphoram in voce *dicit*, pro literis ſignificat: dicere enim proprie eſt vocum ſono ſignificare. Adducit autem Scripturam ad demonſtrandum id quod aſſeruit, Abrahamum gloriationem iſtam apud Deum non habere, quod ex operibus juſtificatus ſit.

Credidit autem Abraham Deo. Verba ſunt Scripturę Gen. xv. 6, ex quibus Apoſtolus rem probat. *Credidit Abraham Deo*, nempe cum Deus ipſi ferme centenario, & uxorem ſterilem ſemper, tunc vero etiam annoſam habenti, promitteret ſemen ſeu poſteritatem tam numeroſam quam ſunt ſtellæ in cælo. Particula *autem*, innuit Deum promiſiſſe, Abrahamum autem Deo credidiſſe: Dei enim eſt homini promittere, hominis autem eſt Deo credere. Fides Abrahami non innitebatur perſuaſioni aut opinioni alicui incertæ, quod ſæpe uſu venit hominibus credulis, ſed certo Dei verbo & promiſſioni.

Et imputatum eſt illi. Nempe quod Deo credidit, à Deo ſcilicet,

In juſtitiam. Id eſt in rationibus ductum & habitum illi eſt pro juſtitia, ſeu ita ut ei juſtitia ferretur accepto, utque pro juſto cenſeretur. Sic cap. ij verſ. 26, nonne præputium ipſius in circumciſionem reputabitur? Id eſt pro circumciſione reputabitur; ſeu ita ut pro circumſiſo cenſeatur?

Verſ. 4. *Operanti autem merces non reputatur ſecundum gratiam ſed ſecundum debitum.* Docet quomodo ex allegato Scripturæ teſtimonio colligatur Abrahamum non eſſe juſtificatum ex operibus: quaſi dicat, Abrahamo id quod Deo credidit putatum eſt in juſtitiam, teſte Scriptura, proinde juſtitia illi ex gratia eſt adſcripta & accepto lata; operanti autem merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.

Operanti. Nimirum ſic ut nulla gratia ad conſequendam mercedem indigeat. Mercedem autem imputari dixit, cum imputatur id quod mercedis cauſa eſt, ſeu ob quod merces debetur, opera nimirum & meritum; ſed mercedem dicere maluit, quod merces merenti & operanti reſpondeat, merces enim eſt meriti merces, et meritum eſt mercedis meritum.

Non imputatur. Id eſt in rationes accepti non fertur nec ducitur,

Secundum gratiam. Id eſt ex gratia,

Sed ſecundum debitum. Id eſt ex debito.

Verſ. 5. *Non operanti autem, credenti vero in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ipſius in juſtitiam.* Docet cui demum fides ipſius reputetur in juſtitiam: quaſi dicat, operanti opera ipſius imputantur & in rationes accepti feruntur; non operanti autem, credenti vero, fides ipſius imputatur in juſtitiam. Cur enim fides ipſius imputaretur ipſi in juſtitiam, ſi ipſam haberet juſtitiam, ipſa opera, ipſum meritum? juſtitia illi adſcriberetur ex debito; non fides ipſius illi duceretur ad juſtitiam ſeu pro juſtitia; quod fieri non poteſt ſine maxima Dei gratia.

Credenti vero. Hoc addit Apoſtolus ne quis putet non operanti ſimpliciter juſtitiam imputari, ſed ut doceat tali non operanti juſtitiam imputari qui credat: quaſi dicat, non operanti quidem; ſed tamen credenti, ſi enim non crederet ſeu fidem non haberet, fides ipſius imputari illi in juſtitiam quî poſſet?

In eum qui juſtificat impium. Docet in quem fides collocanda ſit, nempe in eum qui juſtificat impium, maluit ſic deſcribere Deum, quam ſimpliciter nominare, ne cui impietas obſtet, quominus in Deum credat, & juſtitiam ſibi imputatum iri ſperet, ſimulque ut doceat Deum juſtificare ſine operibus. Nam impius certe opera non habet, niſi mala, quæ non juſtificationem ſed damnationem merentur. Juſtificat autem Deus impium, cum Dei verbo credit & ad Deum ſeſe convertit, totumque ſe dat pietati & ſanctis operibus.

Credenti in eum &c. Fiduciam in Deum ponit pro ſimplici fide, quo Dei verbo creditur, quia ex fide qua Dei verbo ac promiſſioni creditur, fiducia in Deum naſcitur. *Super* ponitur pro *in*, *ἐπὶ* pro *ἐν*.

Juſtificat. Id eſt juſtum pronunciat,

Impium. Ἀσεβῆ, eum qui nulla religione vera, nullo veri Dei metu tenetur; ſed, ut diximus, pœnitentem & ex impio pium & religioſum factum.

Imputatur fides ipſius, nempe credentis, *in juſtitiam.* Id eſt in rationibus à Deo pro juſtitia ipſi ducitur, ſeu ita accipitur ut ei juſtitia adſcribatur: quod quia Abrahamo evenit, hinc neceſſario conſequitur eum ex operibus juſtificatum non eſſe. Nec Jacobus huic veritati adverſatur, cum Abrahamum non ex fide tantum, ſed etiam ex operibus juſtificatum

catum docet. Utrumque verum eſt, ſed alio atque alio ſenſu: Non eſt juſtificatus ex operibus, quatenus ſine peccato & delicto non fuit, quamvis alioquin vir ſanctus & pius eſſet, & hoc Paulus aſſerit: eſt vero juſtificatus ex operibus, quatenus fides ejus in Deum neutiquam fuit otioſa, ſed operum ferax, quæ acceptam per fidem juſtificationem fidei conjuncta perficiebant; cum fides niſi exeat in opera ſit mortua, nec qua mortua ullam vim perficiendæ juſtificationis habeat: Et hoc eſt quod aſſerit Jacobus. Uterque recte, uterque vere, & alter alteri plane conſentiens.

Verſ. 6. *Sicut & David dicit, beatitatem hominis cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus.* Confirmat & Davidis teſtimonio juſtitiam homini ex gratia à Deo accepto fieri, ſeu imputatione rationis cum homine tribui & adſcribi.

Sicut. Id eſt qua ratione, quo plane ſenſu & *David* vir ille eximius, qui & Rex & Propheta ſimul fuit: cujus teſtimonium merito adducit Apoſtolus, quia quam beatitatem dictis celebrat, eam in ſeipſo expertus eſt.

Dicit. Id eſt aſſerit, affirmat, loquitur, prædicat, canit.

Beatitatem hominis. Τὸν μακαρισμὸν poſuit pro beatitate ipſa, ſicut & paulo poſt verſ. 9. Niſi quis malit hæc verba, *dicit beatitatem hominis*, accipere, pro, *dicit beatum eſſe hominem.* Nam hoc plane dicit David, & μακαρισμὸς proprie ſignificat beatitatis prædicationem; quo ſenſu verba *beatitatem hominis*, per duo ſubſtantiva poſita eſſent, Hebrea phraſi, pro *beatum hominem*, per adjectivum & ſubſtantivum: Beatitas iſta veram & perfectam, quæ homini à Deo tribui poteſt, ſignificat.

Cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus. Id eſt opera quæ juſtitiæ imputationem mereantur non habenti, & ſic imputat juſtitiam non habenti juſtitiam: quod nonniſi ex gratia ſumma poteſt fieri, juſtitia enim & opera ſic hoc loco accipiuntur ut omne peccatum excludant, ſiquidem talem juſtitiam Deus homini ex gratia ſua imputat.

Verſ. 7. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum contecta ſunt peccata.* Verba ipſa Davidis recitat, quæ beatitudinem hanc quam modo dicit Apoſtolus, celebrant, ſeu hominem cui Deus juſtitiam ſine operibus imputat, beatum ferant. Quid enim aliud eſt remitti alicui à Deo iniquitates, contegi peccata, non imputare alicui peccatum, quam ei juſtitiam imputare ex gratia & ſine operibus? Opera enim non habet, qui iniquitates, qui peccata habet, habet autem, quia niſi haberet, nec remitti nec tegi, nec imputari poſſent: niſi etiam remiſſio iniquitatum & contectio peccatorum & non imputatio peccati, imputationem & acceptilationem juſtitiæ contineret & includeret, homo cui illa evenirent, vere & perfecte beatus non eſſet. Sine juſtitiæ enim imputatione non datur juſtificatio, ſine juſtificatione non datur glorificatio, ſine glorificatione vera & ſolida beatitudo. Dum vero David beatos prædicat quorum iniquitates remittuntur, peccata teguntur, nec imputantur, & in rationibus coram Deo ponuntur, eo ipſo ſignificat, neminem per opera ſeu per vacuitatem omnis peccati, ad veram beatitatem poſſe penetrare.

Beati. Quippe vitam æternam habituri.

Quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Ἀνομίας, à Lege tales diſcrepantiæ, quæ inde proveniunt quod aliquis legem non curet, quales hominem pœnæ divinæ alligant: remittuntur autem cum hoc vinculum ac ligamentum ex Dei gratia ac miſericordia ſolvitur.

Quorum contecta ſunt peccata. Nempe à Deo, ſimilitudine ab hominibus ſumta, qui contegunt quæ videri & oculis apparere nolunt: ſic Deus peccata contegere & cooperire dicitur, cum in ea non vult animadvertere.

Verſ. 8. *Beatus vir cui non imputet Dominus peccatum. Vir*, id eſt quilibet homo, Hebraica phraſi.

Cui non imputet Dominus peccatum. Intellige, quamvis peccati reus ſit, & quamvis id jure illi imputare & in rationes referre poſſit. Nam cui Deus peccatum in rationibus non putet, quod nullum admiſerit, nullus eſt. Hæc verba docent *putari* λογίζεσθαι, etiam illa proprie dici, quæ jure & ex debito alicui putantur & in rationes feruntur; cum in peccatum peccatori putatur λογίζεται, jure & merito & ex debito λογίζεται, id eſt, putatur & ſcribitur. Mens igitur Davidis eſt, non illum beatum eſſe cui quod remittat, quod tegat, quod ad pœnam non imputet Deus non habet, cum talis nemo ſit; ſed illum demum eſſe beatum, cujus peccata nec punire, nec videre, nec putare & in rationibus ponere Deus vult: cum hoc perinde ſit atque ſi omni peccato & culpa vacet.

Verſ. 9. *Beatitudo igitur iſta ſuper circumciſionem, an & ſuper præputium?* Poſtquam & Abrahami exemplo & Davidis teſtimonio evicit veram hominis beatitudinem in eo conſiſtere, ut illi juſtitia imputetur ex gratia & ſine operibus, quærit Apoſtolus docendi cauſa, beatitas iſta ad circumciſionem pertineat, an & ad præputium? Nimirum retundere vult Judæos, qui Gentes ad minimum circumcidi volebant.

Super circumciſionem. Intellige ſeſe extendit? Interrogandi ſenſu, per ellipſin particulæ interrogativæ quæ in ſequenti membro exprimitur; idem fit mox verſ. ſequenti. *Circumciſionem*, id eſt circumciſos per ſubſtantivum pro adjectivo, ex Hebræorum idiotiſmo, quibus pauca ſunt adjectiva.

An & ſuper præputium? Id eſt ſuper præputiatos, eadem phraſi. Sic & cap. 2 verſ. 26. iij. 30. Non negat beatitatem hanc ad circumciſos pertinere, ſed quærit, num etiam ad præputiatos pertineat?

Dicimus enim quod reputata eſt Abrahamo fides in juſtitiam. Quaſi dicat, quæſtio iſta, ex eo quod de Abrahamo dicimus, egregie decidi poteſt. *Dicimus enim*, &c. Ita Apoſtolus rationem reddit ejus quod intelligendum eſt. Dicimus inquit, nempe ex Scriptura, quod reputata eſt Abrahamo fides in juſtitiam, proinde quod ei juſtitia ex Dei gratia & ſine peribus ſit imputata.

Verſ. 10. *Quomodo igitur imputata eſt?* Quaſi dicat, ut ad quæſtionis propoſitæ deciſionem veniamus,

In circumciſione exiſtenti, an in præputio? Id eſt, an jam tum erat circumciſus, an adhuc erat

præputiatus cum illi fides putaretur ad juſtitiam ?

Non in circumciſione ſed in præputio. Intellige exiſtenti participio [illegible] repetito. Reſpondet quod res eſt, Abrahamum nondum fuiſſe tunc circumciſum, ſed adhuc fuiſſe præputiatum, quod ex hiſtoria patet Geneſ.xvij. 10,11, collato cum cap.xv. 6. In circumciſione, in præputio eſſe, Hebræa loquendi ratio, pro circumciſum, vel præputiatum eſſe. Abrahami igitur exemplum docet etiam præputiatis fidem putari ad juſtitiam, non circumciſis tantum.

Verſ. 11. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei quæ in præputio.* Docet quem in finem ſignum circumciſionis acceperit Abraham, ut ſimul doceat quam poſterior fuerit illius circumciſio fide, & imputata ipſi ex fide juſtitia, & ſic non juſtitiam propter circumciſionem, quod Judæi putabant, ſed circumciſionem potius propter juſtitiam contingere.

Et ſignum accepit. Nempe ex Dei præcepto.

Circumciſionis. Id eſt ſignum quod eſt circumciſio, per genitivum differentiæ vel ſpeciei.

Signaculum juſtitiæ fidei quæ in præputio. Id eſt quod eſſet vel ut eſſet ſignaculum &c. Voluit Deus hoc circumciſionis Abrahamo imperatæ ſigno, tanquam ſigillo, teſtatam facere & communire juſtitiam illam fidei quæ in præputio, id eſt juſtitiam illam quam ipſi imputavit & adſcripſit.

Fidei. Per genitivum cuſæ, id eſt ob fidem, non propter opera.

Quæ in præputio. Intellige erat, id eſt quam Abraham habuit cum adhuc præputiatus eſſet.

Ut eſſet Pater omnium credentium per præputium, ut imputetur & ipſis juſtitia. Cauſam oſtendit ob quam & Abrahamo, cum adhuc eſſet in præputio, fides ejus in juſtitiam ſit putata, & Abrahamus poſtea juſtitiæ iſtius ſignaculum acceperit circumciſionem. Primo autem reddit cauſam prioris rei. *Ut eſſet Pater omnium credentium per præputium.* Pater, qui virtutis ac fidei ſuæ exemplo præputiatos quam plurimos ſibi ſimiles gigneret, & conſequenter beatitudinem ac juſtitiam, quam ſua virtute ac fide conſecutus eſt, in illos tanquam pater in veram ſuam progeniem derivaret.

Omnium credentium. Quotquot crediderint, nempe Deo.

Per præputium. Id eſt in præputio, ſeu præputium habentes, vel præputiatorum, *per* pro *in*, vel *cum*. Sic verſu ſequente, *quæ in præputio fidei.*

Ut imputetur & ipſis juſtitia. Hoc prioris eſt conſequens: Nam qui Abrahami ſunt filii imitatione ac ſimilitudine fidei ac virtutis, etiam fiunt filii communione bonorum & felicitatis, quam per fidem ac virtutem ſuam eſt adeptus: filii enim Patris fiunt hæredes, & communitate bonorum cum patre gaudent. *Ut imputetur & ipſis juſtitia.* Nempe credentibus, quamvis præputiatis, propter ipſorum fidem, proinde ex Dei gratia.

Verſ. 12. *Et Pater circumciſionis, iis qui non ex circumciſione tantum, ſed & iis qui incedunt veſtigiis quæ in præputio fidei patris noſtri Abrahami.* Nunc reddit & poſterioris rei quam diximus cauſam.

Et pater. Id eſt & ut eſſet pater, itidem ſecundum ſpiritum.

Circumciſionis. Id eſt circumciſorum, cujus phraſeos exemplum jam ſæpe habuimus.

Iis qui non ex circumciſione tantum. Limitat dictum, ne quis ſufficere putet aliquem eſſe circumciſum, ad id ut Abraham pater ipſius ſit ſecundum ſpiritum, *iis* inquit, *circumciſis ut eſſet Pater, qui non circumciſi tantum ſunt* ſecundum carnem;

Sed etiam ſimul veſtigiis fidei Abrahami incedunt. Ex circumciſione. Id eſt circumciſi ſunt; ſic ex veritate eſſe eſt veracem eſſe, qua de phraſi & ſupra cap.2. verſ. 8 egimus.

Quæ in præputio. Intellige erat, cum adhuc eſſet præputiatus, ſeu durante adhuc ejus præputio, incedere veſtigiis iſtius fidei, eſt fidem hanc imitari.

Patris noſtri Abrahami. Patris, ut diximus, ſecundum ſpiritum. *Noſtri* ἡμῶν, id eſt credentium omnium, ſive ſint circumciſi ſive præputiati ut ℣ſ.16 expreſſe dicitur.

Verſ. 13. *Non enim per Legem promiſſio Abrahamo aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei.* Cauſam reddit, per prolepſin, cur oporteat imitari fidem Abrahami, ſi quis velit hæres promiſſionis Abrahamo, aut ſemini ejus factæ fieri. Poterat enim Judæis aliquis dicere, per legem & legis obſervationem hæreditatem Abrahami cuique contingere. Negat hoc Apoſtolus, & cauſam reddit: *Non enim per Legem promiſſio Abrahamo aut ſemini ejus. Per Legem.* Id eſt per Legis obſervationem, ſubjectum pro adjuncto, *promiſſio,* intellige facta vel data eſt.

Abrahamo. Qui multo ante Legem vixit tempore,

Aut ſemini ejus. Quaſi dicat, hoc perinde eſt ſive Abrahamo dicas, ſive ſemini ejus, idem enim bonum & Abrahamo & ſemini ejus ſimulque promiſſum eſt, & ſic una eademque eſt promiſſio. *Semini ejus,* id eſt filiis & poſteritatti Abrahami.

Ut hæres eſſet mundi. Exprimit promiſſionem iſtam, nempe quâ illi mundi promiſſa eſt hæreditas Gen.xvij.6,7 8, & 16. xviij.18. xxij.17,18. Myſticum oſtendit promiſſionis Abrahamo factæ ſenſum, nec Judæis ipſis ignoratum; ſenſum videlicet plenum & perfectum, & Deo ejuſque infinita bonitate, ſapientia & potentia dignum: qui ſcilicet ſenſus Abrahamum poſt mortem exhibet redivivum, & ſic de altera vita, & conſequenter de altero mundo agit: de mundo nimirum illo futuro, ſicut eum nominat auctor ad Hebræos cap.2. 5, eumque non Angelis ſubjectum eſſe docet, ſed filio hominis, id eſt Chriſto, per quem ſuo tempore ſubjicietur Abrahamo & ſemini ejus ſecundum hanc de qua loquitur Apoſtolus Dei promiſſionem. Niſi enim Abraham ex morte in vitam revocetur, quomodo ipſe gaudeat de bonis ſibi promiſſis? Obiit extorris, peregrinus, advena, ſine patria, ſine hæreditate; at patria & hæreditas & regnum illi promiſſum eſt: quod igitur aliud eſt, niſi futurum illud & cæleſte? quod etiam ex eadem hac promiſſione Abrahamo & ſemini ejus data evincit idem ille ad Hebræos laudatus auctor cap.xi. verſ. 14,15,16, quippe ſententiarum, quæ inter Hebræos erant, optime gnarus. Hæc fælicitas ſeu hæreditas, etiamſi in promiſſionibus Legis, myſtico ſimiliter & penitiore ſenſu acceptis, lateret, nihilominus quia nemo Legem, myſtico etiam & perfectiore

ſenſu

ſenſu (ſic enim oportet myſtica cum myſticis, perfecta cum perfectis componere) ſic ſervat, ut ſine delicto & tranſgreſſione Legis ſit, pro non promiſſa per Legem cenſeri debet.

Ut hæres eſſet mundi. Græce τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι, hæredem ipſum eſſe, id eſt fore vel futurum eſſe, per enallagen temporis præſentis pro futuro. Nam quæ Deus conſtituit ut ſuo tempore ſint, propter eventus certitudinem dicuntur jam eſſe. Sic & Chriſtus merito dicere potuit, quod antequam Abraham fieret, non tantum ſimpliciter eſſet, ſed etiam Chriſtus ille eſſet, qua de re in Commentario ad Johan. viij.

Hæres. Id eſt æternus poſſeſſor, non per poſteritatem: non enim vera; ſed potius imaginaria hæc eſt hæreditas, ſed talis poſſeſſor, ut & ipſe & mundus iſte æternum duret, & jus poſſeſſionis ipſaque poſſeſſio æterna ſit; quæ omnia cum non niſi in futuro illo mundo locum habeant, jure promiſſio Abrahamo data de illo intelligenda eſt.

Sed per juſtitiam fidei. Id eſt non propter Legem ſervatam & per opera, mundi hæreditas Abrahamo & ſemini ejus eſt promiſſa; ſed propter juſtitiam quæ illi à Deo ex gratia eſt imputata, ob fidem Deo habitam. *Per juſtitiam*, id eſt propter juſtitiam, *per* pro *propter*. *Juſtitiam fidei*, per Genitivum cauſæ, cujus imputatæ fides eſt cauſa: ſic & verſ. 11. Quia vero Abrahamo hæreditas mundi promiſſa eſt per ſeu propter juſtitiam fidei, conſequitur ut & ſemini ejus vero ac ſpirituali eadem conditione promiſſa ſit. Neque enim ulla eſt cauſa ut Abraham Pater per imputatam ex fide juſtitiam hæres mundi fieri debeat, ſemen autem & poſteritas ipſius per aliquid aliud, ſeu per Legem & opera. Eadem promiſſio eandem conditionem in Patre præſertim & filiis omnino requirit.

Verſ. 14. *Si enim qui ex Lege hæredes, inanis facta eſt fides, & abolita eſt promiſſio.* Probat ſemini Abrahami ſimiliter per juſtitiam fidei ejuſdem hæreditatis promiſſionem datam eſſe; probat autem per prolepſin. Poterat aliquis dicere eos qui ex Lege ſunt hæredes eſſe. Negat hoc Apoſtolus & rationem reddit.

Si enim, inquit, *qui ex Lege hæredes. Qui ex lege*, intellige, *ſunt*. Id eſt qui Legem ſervant ſine ullo delicto, ſine ulla tranſgreſſione: ſic enim Lex ſervari poſtulat, ſi quis per illam æternæ vitæ hæreditatem velit adipiſci infra cap. x. 5. Gal. iij. 10, 12. *Ex Lege eſſe*, eſt Legem ſervare, ſicut ex fide eſſe eſt fidem habere verſ. 16.

Hæredes. Intellige ſunt aut erunt, nempe mundi illius futuri.

Inanis facta eſt fides. Id eſt fides quatenus operibus Legis, ſeu omnis delicti vacuitati opponitur, vim ſuam omnem in concilianda homini per Dei gratiam juſtitia amiſit, nihil eſt amplius fides efficaciæ iſtius ſuæ reſpectu, præter vacuum & inane nomen. At hoc abſurdum eſt, ut fides in Abrahamo tantam vim habuerit, in ſemine illius nullam.

Fides. Qua ſcilicet Deo promittenti, & conſequenter in Deum creditur. *Et abolita eſt promiſſio.* Id eſt irrita facta eſt promiſſio, actum eſt de promiſſionis effectu: nempe reſpectu ſeminis Abrahami, non perveniet ſemen Abrahami ad hæreditatem promiſſam. Aboletur promiſſio cum illius vis & obligatio, & conſequenter effectus, tollitur.

Verſ. 15. *Lex enim iram operatur.* Probat abolitum iri promiſſionem, ſi per Legem detur aut petenda ſit hæreditas, aut ſi qui ex Lege ſunt hæredes ſint. *Lex enim iram operatur*, non hæreditatem illam cæleſtem.

Iram. Nempe Dei, id eſt pœnam, mortem videlicet æternam, proinde non vitam æternam, quæ gratiæ Dei effectus eſt, non iræ.

Ubi enim non eſt Lex, neque tranſgreſſio. Probat quod Lex iram operetur. Eſt vero in Apoſtoli argumentatione cryptis quædam. Evoluta argumentatio talis eſt: Lex operatur iram, quia operatur tranſgreſſionem, cujus effectus & conſequens eſt ira Dei & pœna: operatur autem tranſgreſſionem, quia ubi non eſt Lex ibi nec tranſgreſſio Legis locum habet ullum. Lex enim & Legis tranſgreſſio ad ſeſe invicem referuntur: at talium uno ſublato tollatur & alterum. Neque eſt ut dicas per accidens fieri ut Lex tranſgreſſionem & conſequenter iram operetur: ſufficit enim ut quocunque modo eam operetur, ad deſtruendam hæreditatis promiſſionem, ſi per Legem petenda ſit hæreditas: præſertim cum iſta quæ dicitur accidentaria operatio perpetua ſit, nec aliter hominum culpa fiat. At Dei promiſſionem in univerſum, ne per accidens quidem, deſtrui fas eſt. Fides certe in Chriſtum, quia ſpiritum adoptionis infert, obedientiam operatur, & conſequenter Dei gratiam ac, verbi cauſa, hæreditatem.

Ubi non eſt Lex. Nempe ſcriptam comminationem pœnæ ſeu mortis expreſſe adjunctam habens: hæc enim demum talem operatur tranſgreſſionem, quæ hominem iræ & pœnæ magis ac validius obſtringit. Non dicit Apoſtolus peccatum non eſſe ubi lex ſcripta non ſit, eſt enim peccatum etiam ſine ſcripta Lege cap. 2. 12, & v. 13, ſed tranſgreſſio talis qualem diximus non eſt, ubi lex ſcripta non eſt: ideo Deus credentes & qui ſpiritu aguntur Legi ſcriptæ exemit, ut eos tranſgreſſioni tali, & conſequenter iræ ac damnationi penitus eximeret. Sic idem Apoſtolus peccatum non imputari dicit non extante Lege cap. x. 13. Id eſt non imputari tam valide & pari jure, quo imputatur Lege ſcripta extante. Hæc Apoſtoli dicta comparate intelligenda ſunt, non ſimpliciter & abſolute.

Neque tranſgreſſio. Id eſt neque ibi tranſgreſſio eſt, per ellipſin.

Verſ. 16. *Propter hoc ex fide, ut ſecundum gratiam, ut eſſet firma promiſſio omni ſemini.* Docuit hæreditatem illam non obvenire ex Lege, id eſt ex Legis, quam ipſa ſuo jure exigit, obſervatione, proinde ex fide; nunc cauſam affert cur ex fide.

Propter hoc, inquit, *ex fide.* Intellige hæreditas obvenit vel datur.

Ut ſecundum gratiam. Intellige detur vel obveniat. *Secundum gratiam*, id eſt per gratiam vel ex gratia, nempe Dei, κατὰ pro διὰ vel ἐκ: quem loquendi modum & ſupra aliquoties habuimus. Cum enim ex fide datur hæreditas, ideo datur quod fides reputetur pro juſtitia: at cum fides reputatur pro juſtitia maxima in eo eſt Dei gratia. Hic locus docet, ex fide juſtificari, eſſe ſimul ex gratia juſtificari: quia vero

ex fide juſtificati, & juſtificari ex operibus opponuntur apud Apoſtolum. Patet hinc ex operibus juſtificari, eſſe juſtificari ſine gratia; proinde opera ſic accipi ab Apoſtolo, ut ſicut omnem gratiam in juſtificando excludunt, ſic & omne delictum, omnem culpam excludant.

Ut eſſet firma promiſſio omni ſemini. †Docet cur ſecundum gratiam hæreditas illa detur, *ut* inquit, *eſſet firma promiſſio*: ſignificat ſi ex hominum operibus effectus promiſſionis divinæ pependiſſet, non futuram fuiſſe firmam ac ſtabilem promiſſionem illam. Omnis enim homo mendax eſt & peccator cap. iij verſ. 4. At quia in Dei gratia fundata eſt, immota manet ac ſtabilis, Deus enim verax eſt, nec ſuam gratiam unquam murat, quibus eam ſimpliciter & abſolute addixit ac pollicitus eſt.

Omni ſemini. Semini Abrahami gratiam ſuam ſimpliciter pollicitus eſt & addixit, ideoque ſemini Abrahami manebit inconceſſa, quæ ex Dei gratia dependet promiſſio. *Semini*, intellige ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem.

Non ei quod ex Lege tantum, ſed & ei quod ex fide Abrahami, qui eſt pater omnium noſtrum. Oſtendit cur non ſimpliciter dixerit *ſemini*, ſed *omni ſemini*, ne quis putaret illis tantum qui ex Lege ſunt, ſi ſpirituale Abrahami ſemen fiant, id eſt Abrahami fidem imitentur & Euangelio credant, firmam fore hæreditatis cæleſtis promiſſionem.

Ei quod ex Lege tantum, intellige *eſt*. Id eſt cui Lex data erat, & quod ſub Legis diſciplina habitum fuit, quodque Legi adhuc adhæret & addictum eſt, proinde quod Abrahami ſecundum carnem ſemen eſt, huic enim ſoli Lex per Moſen fuit tradita.

Sed & ei quod ex fide Abrahami, intellige, *eſt*. Quaſi dicat, quamvis ex carne Abrahami non ſit, ſufficit ſi ex fide Abrahami ſit; ex fide Abrahami eſſe, eſt fidem Abrahami, id eſt ſimilem Abrahami fide habere: ea vero eſt fides in Chriſtum Jeſum: hanc quicunque habet, ſive ſit Judæus, ſive Græcus, ſive Legi fuerit deditus, ſive minus, verum ac ſpirituale Abrahami ſemen eſt, & ſpiritualium bonorum hæres: qui vero non habet, nihil illum juverit ex Lege eſſe, Legi omni conatu deditum eſſe, ex Abrahami ſanguine ſatum eſſe.

Qui eſt pater omnium noſtrum. Nempe omnium Euangelio credentium, ex qua tandem gente quiſque ſit ortus. *Pater*, nempe ſecundum ſpiritum, fidei ſuæ exemplo & hæreditatis in nos derivatione.

Verſ. 17. *Sicut ſcriptum eſt* (Geneſ. xvij. 5) *quod patrem multarum gentium poſui te.* Teſtimonio Scripturæ in parentheſi probat Abrahamum eſſe patrem omnium Euangelio credentium, ex quacunque tandem gente quiſque illorum ſit ortus. Dicit enim Scriptura, ſeu Deus per Scripturam, Abrahamum alloquens.

Quod patrem multarum gentium poſui te. Cujus dicti ac promiſſionis divinæ vera ac ſolida impletio nonniſi ſpiritualis eſſe poteſt: neque enim multarum ac diverſarum gentium quæ ex Abrahamo ſecundum carnem prognatæ non ſunt, aliter quam ſecundum ſpiritum Abrahamus pater eſſe poteſt: hoc vero nunquam verius ac melius impletum eſt implerive potuit, quam cum multæ & variæ gentes Euangelio crediderunt, & in eadem jura, quæ Abrahamus per fidem ſuam eſt adeptus, venerunt. Eſt quidem iſtius dicti divini & literalis ſenſus, ſecundum quem Abraham hæc Dei verba intellexit, ut ex verſu ſequente apparet, quatenus ſcilicet non ex Iſmaële tantum, ſed etiam ex Iſaaco multæ gentes orituræ eſſent: ſed hic ſenſus multo ſpirituali ſenſu eſt anguſtior: ſpiritualis vero ſenſus multo auguſtior. Adde quod Abraham multarum gentium ſic dicitur pater, ut ad hæreditatem ejus pertineant: quod in gentibus ex Iſmaële & Eſavo ortis locum non habet, & ſi ſpiritualis ac cæleſtis intelligatur hæreditas, non habet locum niſi in ſolis credentibus; qui ſi ex ſola Iſraëlis ſecundum carnem poſteritate petendi eſſent, unius tantum gentis, non multarum Abrahamus pater foret, & una tantum gens ad hæreditatem paternam pertineret.

Coram eo cui credidit Deo. Poſt parentheſin redit ad id quod de Abrahamo dicere cœperat,

Qui eſt pater omnium noſtrum. Idque pertexit: quaſi dicat, etiamſi coram hominibus ſive hominum opinione ac judicio (qui cum caro ſint omnia ad carnem exigunt) Abraham credentium omnium pater non ſit; tamen coram Deo, (qui ſpiritus eſt, & apud quem potiora ſunt ſpiritualia quam carnalia) pater omnium credentium eſt, id eſt à Deo pro patre illorum cenſetur, ut in illos jus hæreditatis ipſi à Deo datæ derivetur, & illi mundi hæreditatem cum ipſo tanquam filii cum patre cernant. Quoniam enim credentes ob fidei ſimilitudinem filii ejus fiunt: ideo & ipſe viciſſim ſit illorum pater. Neque enim ullius ante Abrahamum tam illuſtris fuit fides, & tot tantiſque experimentis celebrata.

Cui credidit Deo. Græce οὗ ἐπίστευσε, per enallagen caſus genitivi pro Dativο ᾧ, propter nomen Θεοῦ quod ſequitur caſus genitivi, & conſtruitur cum voce κατέναντι. Hoc addit Apoſtolus, cauſam reddens ob quam Abrahamus coram Deo pater credentium eſt, quia nimirum Deo credidit, hac ſua tam inſigni fide meritus eſt ut pater omnium credentium haberetur, ad quos ſicut fidei ſuæ exemplum, ſic juſtitiæ & hæreditatis donum ſibi propter fidem collatum propagaret, & ſimul ut occaſionem haberet de fide Abrahami diſſerendi.

Qui vivificat mortuos, & vocat quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Deſcribit Deum, ut doceat quam merito ipſi & Abraham in re admodum ardua crediderit, & nos in omnibus quanquam maxime arduis credere debeamus.

Vivificat mortuos. Mortuos reddit vivos, nempe quando vult: proinde mortuos in vitam revocandi vim virtutemque habet; cujus rei nec ſub Veteri Teſtamento exempla deerant, ſed omnium illuſtriſſimum eſt in Jeſu Chriſto, quod infra ipſe Apoſtolus commemorat verſ. 24. Chriſtum enim vere mortuum fuiſſe toti mundo conſtabat, eundem etiam in vitam reductum à Deo eſſe, idque ſic ut in æternum vivat, invictis documentis mundus convictus eſt. Hæc Dei deſcriptio valde appoſita eſt ad nos in fide noſtra Chriſtiana confirmandos, ſiquidem præcipuum illius objectum eſt nos ex morte in vitam à Deo revocatum iri.

Et vo-

Digitized by Google

Et vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt. Alterum addit in Deo deſcribendo non minus illuſtre potentiæ ejus argumentum. Magnum eſt efficere ut illi qui eſſe & vivere deſierunt iterum ſint & vivant; ſed nec minus eſt ea quæ non ſunt vocare & appellare tanquam ea quæ ſunt, proinde in manu habere & efficere poſſe, ut quæ non ſunt, reipſa ſint: cujus rei memorabile exemplum habemus in Cyro Perſarum Rege, quem Deus apud Prophetam Eſai.XLIV.28. XLV.1 & ſeqq. multis annis hoc ipſo nomine vocavit, antequam in rerum natura eſſet. Sed multo memorabilius in ipſo Chriſto, tot ſeculis antequam naſceretur nominato & prædicto. Sic & de rebus aliis multis longo poſt tempore futuris, apud Prophetas Deus loquitur tanquam de præſentibus. Hæc quoque deſcriptio Dei valde pertinet ad firmandam noſtram fidem, qua per Dei potentiam ſore credimus ea quæ nondum ſunt. Eſt enim fides noſtra eorum quæ ſperantur, proinde quæ necdum ſunt, hypoſtaſis Hebr. XI. 1. Cum igitur Deus tantæ ſit potentiæ, quid erit tam arduum, ut id non poſſit effectum dare? proinde in omnibus quæ promittit, quamvis naturæ vires longiſſime exſuperent, fides illi habenda eſt, exemplo Patris credentium Abrahami, cujus fidem ſequentibus deſcribit.

Verſ. 18. *Qui præter ſpem ſuper ſpe credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundum illud quod dictum erat, ſic erit ſemen tuum?* Deſcribere incipit fidem Abrahami, ut oſtendat quanta fuerit, & quam nobis merito ſit imitanda.

Præter ſpem. Id eſt cum nullam in viribus naturæ ſpem amplius haberet & habere poſſet; ad quam reſpectare homines ſolent, & ubi naturæ & conſiliorum humanorum vires deficere vident, ibi & fides eorum deficit.

Super ſpe. Id eſt *de ſpe* vel, *in ſpem*, ἐπὶ pro εἰς. Per *ſpem*, intelligit rem cujus illi Deus ſua promiſſione ſpem fecit: per metonymiam adjuncti pro ſubjecto. Sic eadem vox ſpei accipitur pro re quæ ſperatur Rom. viij. 24. Gal. v. 5. Tit. 2. 13. Col. 1. 5. Sic dicimur credere in reſurrectionem mortuorum, in vitam æternam &c.

Credidit. Spem illi Deus fecit filii ex Sara, promittens fore ut eum anno vertente pareret. Credidit de hac ſpe vel in hanc ſpem Deo.

Ut fieret pater multarum gentium. Id eſt, ut conſequeretur id quod ei in Abrahami nomine ſignificatum & promiſſum erat; nempe ut non tantum Iſmaëlitarum, ſed etiam ex Saræ filio oriturarum gentium pater eſſet. Credendum eſt Deo ut conſequamur id quod promittit. Rem profecto magnam credidit, cujus in naturæ viribus nulla veriſimilitudo erat. Citat hæc verba Apoſtolus eo quem Abrahamus intellexit ſenſu, nempe carnali.

Secundum id quod dictum erat. Nempe à Deo, ipſi Abrahamo, id eſt convenienter Dei dicto & promiſſo.

Sic erit ſemen tuum. Dictum & promiſſionem Dei exprimit, qui monſtrans Abrahamo, quod filium non haberet ſolicito, ſtellarum in firmamento cæli innumerabilem multitudinem, dixit ei; *Sic erit ſemen tuum. Sic erit*, nempe multitudinis reſpectu: quaſi dixerit, tam erit innumerabilis poſteritatis tuæ multitudo quam eſt ſtellarum Gen. XV. 5.

Verſ. 19. *Et non infirmatus fide, non conſideravit ſuum corpus jam mortificatum, centenarius circiter exiſtens, & mortificationem uteri Saræ.* Oſtendit Apoſtolus quam Abrahamo ad fidem non obſtiterint quæ poterant obſtare, imo eam penitus excludere: & primum removet ab illo fidei infirmitatem omnem, quæ facile in contrarium argumenta ſolet arripere.

Non infirmatus fide. Ratione fidei infirmatus fide eſt qui fidem non habet firmam, ſed vacillantem.

Non conſideravit. Si fide non fuiſſet tam firmus, haud dubie iſta conſideraſſet. Negat Apoſtolus illum iſta conſideraſſe, non quod non conſideraverit, ſed quod iis ne tantillum quidem ſit motus, quo minus Deo promittenti crederet, perinde atque ſi iſta penitus non conſideraſſet, imo atque ſi ſeſe juvenem & vegetum, & proli generandæ habilem, uxoremque ſuam Saram juvenculam & fœcundam eſſe exiſtimaſſet.

Suum corpus jam mortificatum. Id eſt tale quod etiamſi nondum vitam, tamen vigorem, & in primis virtutem communicandæ aliis vitæ, amiſiſſet.

Centenarius circiter exiſtens. Græce ἑκατονταέτης που ὑπάρχων. Cauſam reddit, quia jam centum annorum circiter erat. Non affirmat præciſe Abrahamum tunc centum annos natum fuiſſe, ſed ſi nondum eſſet non longe ab iis abſfuiſſe. At qui tanta ſunt ætate, multo propiores ſunt mortuis quam viventibus, & corpora habent jam arida & exſucca.

Et mortificationem uteri Saræ. Ad prius illud magnum fidei impedimentum accedebat alterum multo etiam majus, mortificatio uteri Saræ: mortificatum habuit uterum & fœtui prorſus inidoneum, etiam cum juvencula eſſet, propter ſterilitatem & infœcunditatem, tum vero etiam conſenuerat & anus facta erat, quo tempore etiam quæ fuerant fœcundiſſimæ, fiunt penitus effœtæ, ut Sara, fœtificationis reſpectu, nihil diſtaret à mortua. Sic deſcribit fidem Abrahami Apoſtolus, ut doceat eum crediſſe Deo promittenti illa, in quibus efficiendis omnes naturæ vires penitus deficiunt. Nimirum quia & nobis Deus ea promiſit, quæ naturæ vires longiſſime ſuperant. Sed nos fidem Abrahami imitati, Deum univerſa naturâ longe majorem & potentiorem cogitemus, ideoque de promiſſionum divinarum effectu ne minimum quidem dubitemus. Nec ſine conſilio uſus videtur Apoſtolus vocibus mortificati de Abrahamo, & mortificationis de Sara, monere videlicet nos voluit, ne fidei noſtræ mors ſit obſtaculo, quominus nos etiam poſt mortem victuros credamus.

Verſ. 20. *In promiſſionem autem Dei non diſputavit incredulitate.* Quaſi dicat: Hæc tanta fidei impedimenta habuit, & quominus crederet argumenta, ille autem in promiſſionem Dei, id eſt contra vel adverſus promiſſionem Dei non diſputavit, nulla ei argumenta objecit. *Incredulitate* modum diſputandi tacitum exprimit, ſi forte loquendo contra diſputare non liceat. Nam qui promiſſioni fidem derogat, eo ipſo contra eam, quamvis tacitus, argumentatur & diſputat. Omnem igitur & nos ſive apertam ſive tacitam

citam contra Dei promiſſiones diſputationem & dubitationem omittamus, quibus quæcunque tandem argumenta opponantur, eam vim habent quam ſtipulæ adverſus ignem.

Sed corroboratus eſt fide. Id eſt fidei reſpectu: idipſum hic affert per affirmationem, quod paulo ante ſignificavit per negationem,

Non infirmatus fide verſ. 19. Ita corroboratus eſt fidei reſpectu, ut omnia in contrarium argumenta & naturam omnem, ea quæ Deus pollicebatur denegantem, fidei ſuæ robore vinceret ac ſuperaret.

Dans gloriam Deo. Græce δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ, per participium præteriti temporis. *Dedit gloriam Deo*, quatenus ſcilicet agnovit Deum omnia poſſe, etiam quæ univerſa natura non poteſt. Nam qui hoc & alia huic ſimilia ad Dei majeſtatem ſpectantia agnoſcit, Deo gloriam tribuit, non Deo aliquid conferendo, ſed id quod habet agnoſcendo.

Verſ. 21. *Et plene perſuaſus, quia quod promiſit potens eſt & facere.* Generi ſubjicit Apoſtolus ſpeciem, quaſi dicat, & nominatim omni ex parte certus fuit,

Quia quod promiſit, potens eſt & facere. Πληροφορηθεὶς, metaphora ab iis ſumta, qui plenis velis invehuntur. Eum ſignificat cui nihil ad plenam animi certitudinem & perſuaſionem deeſt. *Quod promiſit*, nempe me ex Sara Filium habiturum, etiamſi hoc univerſæ naturæ vires excedat, ſufficit quod promiſerit.

Potens eſt & facere. Quaſi dicat, potuit promittere, potes eſt & facere, idque eadem facilitate. Deo enim ad aliquid efficiendum dixiſſe ut fiat ſatis eſt. *Verbo Domini cæli ipſi facti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum, dixit & facta ſunt omnia* Pſal. xxxiij. 6, 9. *Potens eſt & facere*, proinde & faciet haud dubie. Nam ſe velle id facere promiſſione ſua teſtatus eſt. Niſi quis de fide & veracitate, & conſequenter de juſtitia ac bonitate Dei dubitet; at in eo quem infinitæ potentiæ & ſapientiæ eſſe agnoſcas, nullus iſti dubitationi locus relinquitur: infinite enim potentem & ſapientem, infinite etiam juſtum & bonum eſſe neceſſe eſt. Neque enim ullam injuſte & male agendi cauſam habet, & omnis injuſta & mala actio ab infirmitate aliqua vel ſtultitia proficiſcitur.

Verſ. 22. *Propter quod & imputatum eſt ipſi in juſtitiam.* Id eſt propter quas fidei circumſtantias, quodque per eam maxima Deum gloria affecerit, etiam illi viciſſim *imputatum eſt*, intellige, id quod credidit Deo, *in juſtitiam*: quaſi dicat, tanta fides digna etiam erat tanto præmio, ut quamvis operibus ſuis plenam & perfectam non aſſequeretur juſtitiam, tamen ei juſtitia imputaretur.

Verſ. 23. *Non ſcriptum eſt autem propter illum ſolum, quod imputatum ſit ipſi.* Intelligit ne quis putet hoc quod Abrahamo ſit imputatum, propter illum ſolum ſcriptum eſſe. *Solum* Græcæ μόνον, *propter illum tantum* ut verſ. 12, 16.

Quod imputatum ſit ipſi. Intellige, id quod credidit Deo, *in juſtitiam*: Apoſtolus enim conciſe loquitur.

Verſ. 24. *Sed etiam propter nos*, nempe Euangelio credentes, *quibus imputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Dominum noſtrum ex mortuis.* Docet quare & propter nos hoc ſcriptum ſit, quia & nobis, inquit, imputabitur, intellige fides in juſtitiam. Reſpicit autem Apoſtolus ad plenam illam & conſumatam juſtitiæ imputationem, poſt ſervatam ad extremum fidem, & bonum certamen decertatum & curſum peractum. Ideoque dicit *imputabitur* in futuro. Nam alioquin & nunc imputatur juſtitia credentibus, ſed hæc imputatio continuatione & conſummatione fidei & obedientiæ Chriſtianæ adhuc pendet & cum illa pari paſſu procedit.

Credentibus in eum. Deſcribit Apoſtolus nos quibus imputabitur.

Credentibus, inquit, *in eum qui ſuſcitavit.* Id eſt Deum, ἐπὶ pro εἰς, ſicut & verſ. 5. Deſcribuntur igitur hic Chriſtiani à ſua fide. Maluit vero Apoſtolus dicere credentibus in Deum quam Deo. Etſi enim hæc inter ſe conexa ſunt, & unum ex alio conſequitur, tamen aliquanto plus eſt credere in Deum aliquid promittentem, quam ſimpliciter Deo promittenti credere. Deo promittenti credere, eſt promiſſioni ejus firmum aſſenſum præbere: at in Deum credere, eſt hunc aſſenſum in Deo veluti defigere & collocare, id eſt, non tantum promiſſionis divinæ veritatem & certitudinem ſimpliciter agnoſcere; ſed ſimul etiam promiſſi deſiderium ardens animo concipere, & Dei veracitati, fidei, bonitati, ſapientiæ, potentiæ innixum, illud ab ipſo quod promiſit, ſine ulla dubitatione exſpectare: quæ fides proprio nomine fiducia in Deum appellatur: cum qua proxime & individio naturæ vinculo cohæret mandatorum Dei diligens executio: niſi plane ſtulta & ſtolida ſit iſta fiducia. Res enim ipſa per ſe loquitur, ut ſi à Deo velimus conſequi promiſſa, debere nos etiam exequi illius mandata, totoſque nos dedere illius voluntati. Promiſit nobis Deus res non minus naturæ vires omnes ſupergreſſas, quam illud quod Abrahamo promiſſum audivimus: promiſit nobis mortalibus vitæ immortalitatem, eamque in cælis agendam, proinde vere ac perfecte beatam, & etiamſi interea moriamur, ex morte reſuſcitationem. Res prorſus ingentes & maximas, & Deo ter optimo & maximo digniſſimas, ideoque ingentem & maximam ſimiliter fidem & fiduciam in Deum requirentes. Iſtis igitur qui hanc in Deum fidem ſeu fiduciam habent, imputatum iri dicit Apoſtolus in juſtitiam, hoc nimirum quod ſic Deo confidant. Nec profecto mirum apud Deum benigniſſimum. Non minore enim Deum gloria per hanc ſuam fidem afficiunt, quam eum ſua fide Abraham affecerat. Nam qui tantis in rebus Deo fidem habent, & ob eam quidquid Deus jubet prompte faciunt, illi Deo infinitam potentiam, ſapientiam, bonitatem, juſtititiam tribuunt. Recte autem ac merito Apoſtolus cum de plena illa & conſummata, nec amplius ab ulteriore aliqua conditione dependente loqueretur juſtificatione, credentibus in Deum, non ſimpliciter credentibus Deo, illam obventuram eſſe dicere maluit: nimirum ut ſignificaret, juſtitiæ quidem imputationem inchoari per ſolam fidem, ſed non conſummari niſi per fidem præceptorum Dei executione exercitam, qualis & Abrahami fides fuit, quod fiduciæ in Deum nomine melius exprimitur. Porro

Deum

Deum deſcribere maluit quam ſimpliciter nominare, quia illum ſic deſcribit, ut cauſam fiduciæ iſtius noſtræ in Deum exprimat. Deſcriptiones enim ejuſmodi non ſolent eſſe otioſæ, ſed rei propoſitæ accommodatæ. Fiducia noſtra in Deum eſt, ut diximus, fore ut nos ex mortuis ſuſcitet, & vitam æternam largiatur: quid vero nos magis ad hanc fiduciam excitare, & in illa confirmare poteſt, quam quod iſtius rei exemplum & experimentum Deus dederit in Jeſu Domino noſtro? præſertim quod Jeſum non tantum ex mortuis ſuſcitaverit ad vitam ſempiternam, ſed etiam illum Dominum noſtrum fecerit: ideo enim eum ex morte ſuſcitavit ut illum Dominum noſtrum faceret; conſ. xxv. 9: quod etiam ut ſignificaret Apoſtolus, non ſimpliciter Jeſum ex mortuis ſuſcitatum dixit, ſed ei titulum Domini noſtri appoſuit. Jam ſi Deus non tantum Jeſum ex morte in vitam revocavit, ſed etiam cæleſtem noſtrum Dominum effecit, & in ejus manu vitam & immortalitatem per illum ipſum nobis promiſſam poſuit, quid obſecro nobis deeſſe poteſt ad fiduciam hanc, quam diximus, in Deo, idque per Jeſum Dominum noſtrum collocandam? Abraham nullum rei à Deo ſibi promiſſæ exemplum habuit, nullum vidit, nullum audivit; & tamen Deo promittenti credidit: quanto magis nobis credendum eſt, qui etiamſi rem magis arduam credamus quam Abraham, tamen illius exemplum illuſtriſſimum habemus in Jeſu Domino noſtro? Nam ſi quis dicat ad hoc ipſum fidem magnam requiri, verum quidem hoc eſt, ſed iſtius rei fides tot teſtibus & documentis eſt confirmata, ut qui eam in dubium vocet, pro pertinaci veritatis adverſario habendus ſit. Ille ipſe qui hæc ſcribebat Paulus, oculatus & locupletiſſimus teſtis erat viventis poſt mortem Jeſu, & in cæleſti luce agentis ac regnantis. Porro locus iſte docet Jeſum à Deo ſuſcitatum eſſe, non à ſeipſo, quod poſterius ſi verum eſſet, omnem noſtram fidem turbaret & everteret: neque enim conſequitur ſi is à mortuis reſurrexit qui ſeipſum ſuſcitare potuit, etiam nos illius exemplo reſurrecturos eſſe qui bona fide morimur, nec ullam in nobis ex morte in vitam redeundi vim & facultatem habemus, quam ne vivi quidem habemus, nedum ut eam habeamus mortui. Docet idem hic locus Deum illum unum, & eum qui Jeſum Dominum noſtrum ſuſcitavit è mortuis, eundem eſſe. Unde conſequitur Jeſum Dominum noſtrum tam unum illum Deum non eſſe, quam Jeſus non eſt is qui Jeſum Dominum noſtrum ex mortuis ſuſcitavit. Relatorum enim unum non eſt alterum.

Verſ. 25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & ſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtram.* Poterat aliquis dicere: Si Jeſus erat noſter Dominus & Chriſtus ille Dei, quare fuit traditus, nempe in manus hoſtium, qui eum morte tam truculenta afficerent? Nonne vel ipſe ſeſe poterat defendere? vel à Deo debuit omnino non tradi, ſed defendi?

Traditus eſt, inquit. Intellige ab ipſo Deo, & ſeſe tradi, ut Deo obiderct, permiſit.

Propter noſtra delicta. Ut ſcilicet pro iis victima fieret piacularis, eaque ſanguine ſuo lueret. Voluit enim Deus ejus ſanguine ſeſe ad remiſſionem eorum nobis obſtringere. Si, inquies, propter delicta noſtra eſt traditus & mortuus, cur ergo ex morte ſuſcitatus eſt?

Et ſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtri. Id eſt ut nos in ſe credentes ille ipſe juſtificaret ſeu juſtos pronunciaret, qui noſtris peccatis expiandis ſuum ſanguinem & vitam impendit. Quid vero in ſe contineat juſtificatio, in ſequentibus ſtatim ab Apoſtolo explicatur.

CAPUT. V.

Verſ. 1. J*Uſtificati igitur ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Concludens ex ſuperioribus nos ex fide juſtificatos eſſe, docet quid inde ſimus adepti.

Juſtificati. Id eſt juſti pronunciati, à peccatorum reatu ac pœnis abſoluti.

Ex fide. Id eſt propter fidem, nempe illam quam ſuperiori capite verſu 24 deſcripſit.

Pacem habemus apud Deum. Ingens ſane bonum, id eſt nihil adverſum, nihil hoſtile, nulla pœna ac damnatio nobis à Deo imminet & metuenda eſt, omnia inde ſunt pacata expectanda. Nihil igitur refert ſi nobis apud homines, quamvis Reges & Imperatores, pax non ſit, ſatis ſuperque eſt quando nobis apud Deum Regum omnium Regem & Dominum immortalem pax eſt, quæ apud ipſum nulla eſt impiis, & à fide Euangelii alienis & averſis.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Utrumque per Dominum noſtrum Jeſum Christum habemus, & juſtificationem ex fide, & quæ inde conſequitur pacem apud Deum. Nam per ipſum juſtificamur, per ipſum etiam à pœnis immunes præſtamur: qua in re pax iſta noſtra apud Deum conſiſtit. Significat autem Apoſtolus Deum primum eſſe auctorem & cauſam bonorum iſtorum omnium, Jeſum Christum intermediam: ſeu Deum eſſe ex quo omnia, Jeſum Christum per quem omnia, ut ejuſdem Apoſtoli verbis utamur 1 Cor. viij. 6. Rem ita ſe habere idipſum docet, quod Jeſus Christus noſter ſit poſt Deum Dominus nobis à Deo datus. Nobis enim eſt unus Deus Pater, & unus Dominus Jeſus Christus, ut habetur dicto ad Corinthios loco.

Verſ. 2. *Per quem etiam acceſſum habuimus fide ad gratiam iſtam in qua ſtetimus, & gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei.* Quaſi dicat, per quem, id eſt Jeſum Christum, etiam ad fidem ipſam adducti ſumus, & ſic acceſſum habuimus ad gratiam iſtam in qua conſtitimus.

Gratia in qua ſtetimus. Id eſt ad quam pervenimus, eſt juſtificatio & pax apud Deum, ſeu ab omni damnatione & pœnis divinis immunitas: quæ bona gratiam vocat, quod illorum cauſa ſit Dei gratia, per metonymiam cauſæ pro effecto. Ut hinc appareat omnia in ſalutis noſtræ negotio penitus excludi quæ cum Dei gratia nequeant conſiſtere, aut eam ulla ex parte imminuant. Adducimur autem ad fidem per Jeſum, & ſic fide in gratiam iſtam Dei deducimur, quatenus Jeſus Christus Euangelium nobis afferri curat: fides enim eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei Rom. x. 17.

Et gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei. Amplificat iſtam

gratiam in qua ſtetimus, quod non ſolum à pœnis immunes ſimus, ſed etiam ſuper ſpe gloriæ Dei glo-riemur.

Super ſpe. Id eſt de ſpe, ut cap. IV. 18. Gloria Dei opponitur gloriæ humanæ quam habent Reges hujus ſeculi, id eſt ſplendori & dignitati & beatitati Regum & Imperatorum, quorum ſi tanta gloria eſt quantam videmus, quid de gloria ipſius Dei cogitandum eſt? *Qui ſolus beatus eſt, & ſolus dynaſta, qui Rex eſt regnantium & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſam, quem vidit nemo hominum, neque videre poteſt, cui honor & robur æternum, Amen* 1 Tim. vj. 15, 16. Hujus ſolius & veri Regis gloriæ ſpem habemus, quandoquidem ipſe nos ad æternum ſuum regnum & gloriam vocare dignatus eſt. Non dicit vero Apoſtolus ſimpliciter quod ſpem habeamus gloriæ Dei, ſed id quod amplius eſt, nempe quod *glorìemur de ſpe gloriæ Dei*, quæ gloriatio certitudinem ſpei iſtius declarat: niſi enim hæc ſpes certa & indubitata eſſet, niſi immotis niteretur fundamentis, nullus de illa gloriatione apud ſanos homines locus eſſet. Spei autem iſtius certitudo fundatur ſuper Dei aperta promiſſione, ſuper Jeſu Chriſti morte & reſurre-ctione & dominatu in omnia, ſuper noſtri juſtificatione. *Quos enim juſtificavit, hos & glorificavit,* auctore Apoſtolo cap. viij verſ. 30. Iſta vero demum gloriatio inanis & vana nunquam eſt; de rebus terrenis & caducis, ac brevi momento perituris, earumve ſpe, quam & ipſam ſemper dubiam & incertam eſſe oportet, gloriari, maximæ levitatis eſt.

Verſ. 3. *Non ſolum autem, ſed etiam gloriamur in afflictionibus. Non ſolum autem*, intellige gloriamur de ſpe gloriæ Dei, ſed etiam, ut noſtræ felicitatis magnitudo & perfectio tanto magis appareat, gloriamur in ipſis afflictionibus. Occurrit tacitæ obje-ctioni. Poterat aliquis dicere, gloriamini de ſpe gloriæ Dei, interim affligimini, vexamini, dedecore & contumeliis afficimini, nihil vobis eſt vilius, nihil contemptius. Nihil refert, reſpondet Apoſtolus: in iſtis ipſis afflictionibus gloriamur, eaſque maximo nobis honori & gloriæ ducimus: afflictiones iſtæ adeo nihil de felicitate noſtra decerpunt, ut eam vel maxime augeant.

In afflictionibus. Pro de afflictionibus, *in* pro *de*. Hoc quia paradoxon eſt, Apoſtolus verum eſſe demonſtrat, cum ſubjicit,

Scientes quod afflictio patientiam operetur. Scientes. Ne quis dicat hanc de afflictionibus gloriationem vanæ alicui aut dubiæ opinioni inniti; certæ ſcientiæ innititur, ei ſcilicet:

Quod afflictio patientiam operetur. Hoc ſane certius eſt nihil, ubi enim non eſt afflictio, ubi, inquam, non eſt quod patiaris, ibi nec patientiæ ullus eſt locus. Afflictionis nomine etſi omnia intelligi poſſunt quæ nos urgent nobiſque moleſta ſunt, præcipue tamen hoc loco intelligi debent quæ nobis tanquam Chriſtianis, ſeu ideo quod Chriſtiani ſimus, & Jeſum credamus ac confiteamur eſſe Chriſtum & Dominum noſtrum cæleſtem ac divinum à Deo factum, dura & acerba eveniunt: de talibus enim afflictionibus loquitur Apoſtolus à quibus quia alii homines exempti ſunt, ideo nobis illas exprobrant.

Verſ. 4. *Patientia vero probationem, probatio vero ſpem.* Progreditur in ſui paradoxi demonſtratione ulterius, necdum enim res ideo confecta eſt, quod afflictio patientiam operetur, eſt quidem eximia virtus patientia, ſed, quicquid tandem contra Philoſophi diſputent, miſera, ſi in illa conſiſtendum ſit.

Patientia vero, inquit, *probationem.* Intellige, *δοκιμὴν* operatur. Patientia etiamſi, ut ſignificavimus, tam late ſumi poſſit, quam late afflictiones, tamen hic præcipue ad afflictiones propter Chriſtum & juſtitiam ſeu conſcientiam Dei refertur: quæ patientia in eo eſt ne ullis afflictionibus nos adduci patiamur ad quippiam homine Chriſtiano indignum faciendum, maxime vero ad Chriſti fidem abnegandam aut deſerandam. Hæc patientia operatur probationem, id eſt efficit ut aliquis ſit probatus. Probatio ponitur pro effectu probationis: niſi enim aurum probetur, non erit aurum probatum: ſic niſi nos probemur, quomodo erimus probati? Aurum maxime probatur igne, & nos maxime probamur afflictione quæ inſtar ignis urit, unde & *πύρωσις* ab Apoſtolo Petro appellatur 1 Petr. IV. 12. Probamur autem an conſtantes ſimus in fide Chriſti, cum propter eam affligimur: quantoque magis affligimur, tanto magis probamur, & ſi ſuſtinemus ac patimur, nihil decedentes de fide & ſanctitate Chriſtiana, tanto magis probati reddimur.

Probatio vero ſpem. Ex gradu in gradum ſcandit Apoſtolus, donec ad veram gloriationis in afflictionibus cauſam evehatur, ad quam nondum ſufficit probatum eſſe, ſi probatum eſſe nulli ſit uſui, aut ſaltem non tanti ut afflictionum abunde repenſet dolores & moleſtias. Ait igitur, *probatio vero ſpem*, intellige operatur: ſpem nimirum illam de qua locutus eſt gloriæ Dei, quam certe tantum eſſe bonum quiſque fatebitur, quicum nullæ afflictiones, nulla proba & ignominiæ in comparationem ullo modo venire poſſint. Quod & ipſe Apoſtolus infra teſtatur cap. viij ℣. 18. Etſi vero potuit dicere probatio operatur Dei gloriam quod alibi afflictionibus, quatenus per eas probati reddimur, tribuit 2 Cor. IV. 17, maluit tamen prius nominare tanti boni ſpem, quod & ſpes ipſa tanti boni per ſe ſit bonum, & nobis propinquius, quippe in hac vita locum habens, & futuri illius boni vices tantiſper ſuſtinens donec ipſum veniat. Ex hac enim ſpe, quæ futuri illius boni libatio quædam eſt, juge gaudium manat, omnium afflictionum triſtitiam ceu aqua frigida ignem reſtinguens. Intelligit autem Apoſtolus ſpem plenam, id eſt iis omnibus ſubnixam quæ ad illius firmitatem pertinent, ex qua plenitudo illius proficiſcitur. Nititur ſpes gloriæ Dei, primum divina promiſſione, & iis omnibus quæ ad promiſſionis iſtius confirmationem Deus eſt operatus: deinde noſtra fide, ut ſcilicet promiſſioni divinæ credamus; ſed quamdiu non accedit fidei noſtræ probatio, per quam fides noſtra probatam ſeſe oſtendat, tantiſper aliquid ad ſpei noſtræ plenitudinem ac perfectionem deeſſe. Ubi vero probatio acceſſit, & fides noſtra probatam ſeſe exhibuit; ubi, inquam, ſicut ex parte Dei omnia ſunt certa & indubitata, ſic etiam ex parte noſtra omnia redduntur probata & explorata; tum demum perfecta & conſummata ſpes in animis noſtris exoritur; qua nihil in hac

in hac vita optabilius eſſe poteſt: ad cujus ſpei templum & ſacrarium quia nos afflictiones ducunt & deducunt, jure meritoque in iis non tantum animum non deſpondemus, ſed etiam gloriamur & exſultamus, & gloriari ac exſultare debemus, quod & ipſe Servator noſter docuit Luc. vj. 23.

Verſ. 5. *Spes vero non pudefacit.* Hoc addit Apoſtolus ne forte quiſpiam eventum iſtius ſpei in dubium vocet. *Spes*, nempe iſta de qua loquitur, quod & articulus monet, in Græco ἡ δ' ἐλπὶς: nam alioquin non fruſtra dici ſolet, ſpes alit & fallit; nimirum ſpes certis & ſolidis fundamentis non innixa.

Non pudefacit. Id eſt non fallit, non decipit, per metonymiam effectus pro cauſa, qui enim ſpe ſua fruſtrantur, præſertim ſi etiam de illa glorientur, pudorem & confuſionem pro eo quod ſperabant referunt. Quia igitur ſpes iſta quam afflictiones efficiunt, nullo modo vana futura eſt & irrita, conſequitur hinc afflictiones noſtras in Dei gloriam & regnum, tanquam ultimum finem & ſcopum deſinere, proinde juſtam nobis eſſe cauſam de illis gloriandi.

Quia charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris. Docet quare tam certo ac fidenter affirmet ſpem noſtram non pudefacere; quia, inquit, charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris. Charitas Dei in cordibus hominum aliter effundi non poteſt, quam quatenus illius ſenſu & notitia corda hominum implentur; quando ſolus Deus charitatis ſibi erga homines eſt conſcius, charitas iſta cordi Dei, veluti vaſi, incluſa eſt: ſed cum ad hominum quoque conſcientiam devenit, tum in eorum cordibus quaſi effunditur. Effuſam etiam dixit, ut illius vim & copiam declararet.

In cordibus, id eſt in animis, *noſtrum*, id eſt credentium in Jeſum Chriſtum, *per Spiritum Sanctum*. Docet per quod medium notitia charitatis divinæ cordibus noſtris ſit indita. *Per Spiritum Sanctum*, id eſt divinum illum afflatum, cui etiam alibi Apoſtolus arcanorum Dei revelationem tribuit 1 Cor. 2. 10, 11, 12.

Qui datus eſt nobis. Docet quo pacto Spiritus Sancti participes facti ſimus: *datus eſt nobis*, inquit, intellige, ab ipſo Deo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Nobis. Nempe credentibus. Datur nobis Spiritus Sanctus cum eo afflamur & implemur Act. 2. 2, 3, 4. Epheſ. v. 18. Videmus hic Spiritum Sanctum non tantum à Deo diſtingui, ſed etiam tanquam medium & donum Dei conſtitui, per quod rerum divinarum, & inprimis charitatis divinæ notitia, à Deo & Chriſto imbuimur.

Verſ. 6. *Cum enim adhuc infirmi eſſemus, Chriſtus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt.* Docet quæ ſit iſta Dei charitas copioſa, in cordibus noſtris effuſa per Spiritum Sanctum: qua explicata, evincit ex illa ſpem noſtram nullo modo fore irritam, neque nos pudefacturam. *Enim* vel *nam*: quaſi dicat, nam ut charitatem iſtam Dei exponam, quam effuſam eſſe dixi in cordibus noſtris:

Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus pro impiis mortuus eſt. Ingens in eo foret Dei charitas, ſi pro nobis juſtis & Deo obtemperantibus Chriſtum in mortem tradidiſſet, nunc vero prorſus eſt immenſa & ineffabilis, quod cum adhuc eſſemus infirmi, Chriſtus pro impiis eſt mortuus.

Chriſtus. Dei Filius unicus, & plane ſingularis, ante ſecula à Deo præcognitus & dilectus:

Cum adhuc eſſemus infirmi. Id eſt peccatores, ut verſ. 8 loquitur; peccatores enim animo ſunt infirmi & ægroti: morbi animorum ſunt vitia & peccata.

Pro impiis eſt mortuus. Quaſi dicat, etiamſi multi noſtrum adeo peccatores eſſent & morbis peccatorum impliciti, ut etiam eſſent plane impii, & omni Dei metu ſoluti, tamen etiam pro illis Chriſtus mortuus eſt; ut ſcilicet impietates illorum, & peccata omnium noſtrum ſanguine ſuo expiaret, & ſic nos ab impietatibus & peccatis averteret, & ad Deum converteret, & porro ab æterna morte redimeret, & vitæ æternæ aſſereret. *Eſt mortuus*, nempe ex Dei mandato & voluntate: alioquin enim non Dei, ſed Chriſti tantum hæc eſſet charitas. Porro & Deus & Chriſtus pro impiis & peccatoribus rem fecit omnium, quas facere pro hominibus potuit, maximam, Deus unicum ſuum Filium in mortem tradendo, ipſe vero Chriſtus mortem ſubeundo.

Secundum tempus. Id eſt tempore à Deo conſtituto: ne quis diceret, qui factum ſit quod nunc demum Chriſtus pro impiis ſit mortuus, & non multis ante temporibus? Tempus, inquit, à Deo conſtitutum nondum venerat, qui temporum plenitudinem exequendis ſuis conſiliis ac decretis, & conferendis humano generi beneficiis, pro ſuo arbitratu diſpenſat, liberrimus enim eſt in agendo, neq; ulli quidquam debet, & per hoc ipſum nulli ſe quidquam debere oſtendit. Hinc idem Apoſtolus eadem de re loquens, Chriſtum ait ſemetipſum dediſſe redemptionis pretium pro omnibus, teſtimonium temporibus propriis: quaſi dicat, quæ res eſt teſtimonium immenſæ charitatis erga genus humanum, temporibus propriis nempe à Deo deſtinatis ſerviens, quæ ſunt tempora exorti Chriſti 1 Tim. 2. 6.

Verſ. 7. *Vix enim quis pro juſto moritur.* Cauſam affert cur ad Dei charitatem effuſiſſimam demonſtrandam dixerit, Chriſtum cum adhuc eſſemus infirmi pro impiis eſſe mortuum. Nam, inquit, vix pro juſto quiſquam moritur, nedum ut ullus moriatur pro injuſto & impio. *Vix.* Μόλις, difficulter.

Pro juſto, id eſt propter juſtum, juſti cauſâ, *aliquis moritur.* Nempe ſi ſit uſus: quaſi dicat, vix tanta in ullo homine erga juſtum, qui propter juſtitiam ſuam valde eſt amabilis, reperitur charitas, ut pro illo mortem oppetere non detrectet.

Nam pro bono forſitan quis etiam audeat mori. Cauſam in parentheſi adjicit cur dixerit *vix*, & non ſimpliciter negaverit quenquam pro juſto mori, quia, inquit, pro bono forte quis etiam auſit mori.

Pro bono. Bonum nunc dicit, quem dixit juſtum, juſtum enim intelligit qui idem eſt bono; qui in omnibus ſuis actionibus virtutem ſectatur, hæc enim ſola homines facit bonos, inter omnes autem virtutes maxime bonos facit beneficentia & charitas erga homines, ut mirum non ſit, ſi forte quiſpiam ita viciſſim bonum redamet, ut pro illo etiam audeat mori.

Forte quis. Quaſi dicat, ideo id præciſe non nego, dari aliquem qui pro juſto & bono moriatur, ſed ſi detur, tam hoc ſit rarum quam corvus albus. Intelligit autem Apoſtolus homines ſecundum communem eorum ſtatum conſideratos, ex quibus excipi debent homines Chriſti ſpiritu regeniti, fide & ſpe vitæ æternæ pleni, quorum tanta eſt & eſſe debet aliorum erga alios chari-

charitas, ut etiam alii pro aliis audeant mori, ſciunt enim & exploratum habent pro fratre mori, eſſe vivere, idque in æternum.

Etiam audeat mori. Quaſi dicat, poteſt aliquis multa in gratiam boni facere, multa illi officia præſtare, ſed qui etiam auſit mori pro bono, ſi forte quiſpiam ſit, rariſſimus ſit. Significat Apoſtolus mortem naturæ hominum eſſe formidabilem, & magna ac ſingulari opus eſſe audacia ad eam ultro aggrediendam, proinde & charitatem illam erga bonum magnam prorſus & ſingularem eſſe oportere, quæ mortis metum ac formidationem ſuperet & vincat.

Verſ. 8. *Commendat autem ſuam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ex oppoſito Dei charitatem demonſtrat Apoſtolus: quaſi dicat, hominum quiſquam vix pro juſto & bono homine moritur; Deus autem ſuam erga nos homines charitatem commendat per id quod *cum adhuc eſſemus peccatores*, proinde injuſti & mali, Chriſtus pro nobis eſt mortuus, traditus nimirum à Deo pro nobis in mortem. Quis ſatis effari poſſit tantam Dei erga homines charitatem? Deum opponit hominibus, Creatorem creaturis, immortalem & æternum, mortalibus miſeris, qui Dei reſpectu viliores ſunt quam minimi vermiculi reſpectu hominum. Homo hominem, quamvis juſtum & bonum, vix ita diligit ut pro eo velit mori; Deus ita homines injuſtos & malos & peccatores dilexit, ut cum ipſe mori non poſſit, pro illis Chriſtum Filium ſuum unicum voluerit mori.

Commendat. Non verbis ſed factis ingentibus: quamobem vero? an noſtra viciſſim charitate, noſtris officiis opus habet? nihil minus. Quare igitur? Quia eſt ipſa bonitas, ipſa charitas, demereri nos viliſſimos homunciones voluit, & ad ſui amorem viciſſim provocare & accendere; non quod noſtro amore ulla ex parte indigeret, ſed ne nos à ſe averſos perdere neceſſè haberet; converſos autem ad ſe, regni ſui hæredes & Chriſti Filii ſui cohæredes faceret. Videant vero quomodo opinionem ſuam cum iſtis Apoſtoli verbis conciliare poſſint, qui Chriſtum iræ divinæ adverſum nos, non ſummo amori & charitati erga nos, pro nobis impenſum putant. Huc pertinent & illa Chriſti ipſius verba; *Sic enim dilexit Deus mundum ut Filium ſuum illum unigenitum daret, ut omnis qui credat in eum non pereat; ſed habeat vitam æternam* Joan. iij. 16.

Cum adhuc eſſemus peccatores. Non poſtquam peccatores eſſe deſiiſſemus, ſed cum adhuc peccatores, id eſt Dei hoſtes & adverſarii eſſemus. Significat Apoſtolus eos qui in Chriſtum credunt non amplius peccatores eſſe, id eſt in peccatis hærere iiſque deditos eſſe. Merito, ideo enim Chriſtus pro peccatoribus mortuus eſt, ut tanta Dei & Chriſti charitate victi, peccatores eſſe deſinerent, ſeu ut & ipſi peccatis morerentur, juſtititiæ vero viverent 1 Petr. 2. 24. Nam etſi juſti ac peccatis mortui ſine imperfectione non ſunt, peccatores tamen à Deo non cenſentur ſi peccandi voluntas & conſuetudo abſit. Reliqua verſ. 6 ſunt explicata.

Verſ. 9. *Multo igitur magis juſtificati nunc in ſanguine ipſius ſervabimur per ipſum ab ira.* Poſtquam Dei charitatem tantam deſcripſit, nunc ex ea infert & evincit ſpem noſtram nullo modo fore irritam. Argumentatur autem à majore ad minus: quaſi dicat, Si Deus noſtri cauſa fecit id quod longe majus eſt, multo magis faciet id quod longe minus eſt. Si ut juſtificaremur, ſanguinem Filii ſui effundi fecit, tanquam victimæ pro peccatis noſtris, multo magis juſtificati nunc in ſanguine Filii Dei, ſervabimur per ipſum ab ira Dei: proinde; quod ſalutis iſtius eſt conſequens, hæredes fiemus gloriæ Dei.

Juſtificati. Nempe à Deo, id eſt juſti pronunciati, à peccatis abſoluti.

Nunc. Poſtquam ſcilicet credidimus in Chriſtum.

In ſanguine ipſius. Id eſt per ſanguinem ipſius, tanquam victimæ piacularis, cujus ſanguis cauſa eſt juſtificationis & abſolutionis à peccato, ſeu quod idem eſt, remiſſionis peccati: Deus enim ſanguine victimarum ſe obligatum volebat ad remittenda peccata.

Servabimur per ipſum. Nempe à Deo per Chriſtum Dei Filium: per illum ipſum, qui ut juſtificaremur, ſanguinem & vitam ſuam ex Dei mandato profudit, in cujus manu & poteſtate ſalutem noſtram Deus poſuit.

Ab ira. Nempe illa ventura, qua omnes impii & peccatores impœnitentes æterno exitio perdentur. At juſtificatis cum ira iſta quid commune eſt? Ponitur ira pro ſuo effectu, vel cum ſuo effectu intelligitur; nempe æterno exitio, & iram illam inſignem deſignat, de qua cap. 1 & 2 locutus eſt. Quæ ira ſimpliciter & abſolute, vel cum articulo inſignem illam iram denotante dicitur. Servari autem ab æterno exitio eſt vitæ æternæ & gloriæ Dei participem ſimul fieri. Nec enim aliter ſervabimur, quam quatenus ex morte erepti & immortales facti, in cælum illud novum & terram novam, ubi juſtitia habitat, in mundum illum Abrahamo & ſemini ejus promiſſum cap. IV verſ. 13 transferemur. Firmiſſima igitur eſt argumenti Apoſtolici conſequentia. Si Deus peccatoribus ut juſtificarentur impendit ſuum Filium: multo certe magis Filü ſui ſanguine juſtificatos per eundem Filium ſervabit ab ira illa ſua. Dei enim ingens illa charitas, qua Filium ſuum unicum pro mundi peccatis dedit, tandem vertitur in juſtiſſimam iram, adverſus mundum tantæ charitatis ingratum & contemptorem. Ut & hinc appareat, Chriſti ſanguinem commendandæ charitati divinæ fuſum eſſe, non iræ placandæ: neque enim Deus unquam peccatoribus iraſci poſſet. Dimittit quidem Deus iram adverſus contumaces vel defectores ſæpe conceptam propter Chriſti ſanguinem, ſi mature reſipiſcant, & in viam ſalutis redeant: ſed quia tanto charitatis pignore ad id faciendum ſeſe obſtrinxit; non quia Chriſti ſanguine placetur, quem ipſe fundi fecit ex immenſo erga mundum amore.

Verſ. 10. *Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati ſervabimur in vita ejus.* Quamvis conſequentia ſuperioris argumenti clara ſit & aperta, tamen novo adhuc argumento demonſtrat nos per Chriſtum ſervatum iri ab ira: quaſi dicat, ſi Deus ut nos inimicos ſuos ſibi reconciliaret, in mortem pro nobis dedit Filium ſuum, multo profecto magis reconciliatos ſibi & ex inimicis amicos per mortem filii ſui factos, ſervabit ab ira ſua, idque non per mortem amplius, ſed

per

Digitized by Google

per vitam Filii ſui. Nihil certe hac conſequentia clavius eſſe poteſt & nerovſius.

Cum eſſemus inimici. Per opera ſcilicet mala, ut alibi Apoſtolus loquitur Col. j. 21. Qui enim opera mala faciunt quæ Deus deteſtatur & odit, illi Deo inimica & adverſa faciunt, proinde & ipſi inimici & adverſarii Dei per illa fiunt:

Reconciliati ſumus Deo. Nempe ab ipſo Deo, qui nos ſibi reconciliavit, id eſt animo & factis ſine ulla cauſa à ſe averſos, imo innumeris beneficiis affectos, ad ſe convertit, odium ſui in animis noſtris penitus extinxit, amorem vero ſui ardentiſſimum accendit per mortem Filii ſui, dum ſcilicet illum in mortem pro peccatis noſtris tradit, dum eum qui peccatum non cognovit, peccatum pro nobis facit, ut uos qui ipſum peccatum eramus, juſtitia Dei fieremus, *in ipſo*, id eſt per fidem in ipſum. Hoc enim tanto pignore ſe nobis obſtrinxit ad imputandam nobis peccatoribus, ſi in Chriſtum credamus, juſtitiam. Quis tanta tamque ineffabili Dei charitate erga nos inimicos ſuos cognita, non protinus colliqueſceret animo, & totum ſeſe in Dei ipſiuſque Chriſti amorem, cultum, obſequium effunderet? Et hoc inprimis argumento utebantur Apoſtoli in obeundo ſuo reconciliandi Deo mundi miniſterio 2 Cor. v. 19, 20, 21. Videmus hic non Deum mundo, ſed mundum Deo fuiſſe inſenſum & inimicum cum Chriſtus moreretur, proinde per mortem Chriſti non id eſſe actum, ut Deus mundo, ſed ut mundus Deo reconciliaretur. Neque enim utrinque fit reconciliatio, ubi una pars alterius partis amicitiam omnibus modis & maximis etiam impendiis ambit. Quod Deus fecit, qui mundum ſic illo tempore diligebat, ut Filium ſuum unigenitum pro illo daret, ut omnis qui in ipſum credat non pereat ſed habeat vitam æternam Johan. iij. 16. Nec eſt ut dicas morte & ſanguine Filii obſtringi & obligari, & conſequenter moveri Deum ad remittenda mundo peccata, & ſic iram dimittendam. Obſtringitur enim & movetur, quia ipſe obſtringi & moveri voluit, nec tam movetur ut iram dimittat, qui tum non ira ſed ardentiſſimo amore flagrabat, quam ut dimittat jus iræ & pœnæ, in graviſſimam iram & pœnam haud dubie erupturum, ſi quis tanta Dei gratia contemta & ſpreta, hoſtili in Deum animo eſſe pergat eique reconciliari nolit.

Multo magis reconciliati. Tanta videlicet erga nos Dei charitate, et conſequenter non amplius inimici, ſed amici, non amplius hoſtes & rebelles, ſed fideliſſimi ſubjecti, & omni obſequio dediti,

Servabimur. Nempe à Deo, ab ira illa Dei & exitio æterno,

In vita ipſius. Id eſt per vitam Filii Dei. Vitam Filii Dei opponit ejus morti, quæ oppoſitio ut tanto evidentior eſſet, phraſin mutavit Apoſtolus, cum antea dixiſſet, *in ſanguine ipſius*, &, *per ipſum* verſ. 9: quaſi dicat, ut hoſtes reconciliaremur Deo, opus fuit morte Filii Dei, nec id negavit Deus. Ut reconciliati ſervemur, non opus eſt morte Filii Dei, ſed tantum ut ex morte ſuſcitatus, ſua vita, & conſequenter ſua divina virtute & poteſtate ad nos ſervandos utatur. Fierine igitur poteſt ut nos Deus per Filium ſuum non ſervet? Multo promptius eſt ut Deus reconciliatum ſibi ſervet, quam ut hoſtem reconciliari quærat: quanto vero promptius eſt, ut ſine ulla impenſa, imo ſua maxima cum gloria per vitam Filii reconciliatos ſibi ſervet, quam ut mortem Filii unici & chariſſimi impenderet quo hoſtes ſuos ſibi reconciliaret? Nihil igitur ſpe noſtra poteſt eſſe certius. Videmus omnem argumenti Apoſtolici vim in eo conſiſtere, quod Filius Dei pro nobis mortuus ſit, hunc vero Jeſum Chriſtum eſſe, Chriſtianorum nullus dubitat: at ſi Jeſus Chriſtus non ſecundum illam ipſam naturam Dei Filius erat ſecundum quam mortuus eſt, ſed ſecundum aliam, ſecundum quam ſemper Dei Filius fuerit, quamvis naturam ſecundum quam mortuus eſt non haberet: profecto vere & reipſa Filius Dei pro nobis haudquaquam eſt mortuus. Et ſic tota vis argumenti Apoſtolici & maximum ſpei noſtræ fulcrum collabitur. Quemque enim id quod eſt, natura ſua conſtituit. Hic iterum negat Apoſtolus nos adhuc Dei inimicos, proinde peccatores eſſe: ait nos Deo reconciliatos, proinde amicos eſſe; amicum autem verum, non ſimulatum eſſe, omne includit obſequium, omne grata & amica faciendi ſtudium; ideoque non inane ſed efficax. Ait nos reconciliatos ſervatum iri, unde conſequitur peccatis deditos, niſi vitam emendent, perditum iri.

Verſ. 11. *Non ſolum autem, ſed etiam gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Pergit Apoſtolus, & in altiſſimum beatitatis noſtræ gradum, quem per Chriſtum Jeſum adepti ſimus evehitur: quaſi dicat, magnum hoc eſt quod in ſpe gloriæ Dei, & conſequenter in afflictionibus ipſis gloriemur, quæ nobis ſpem iſtam conficiunt, ſed omnium maximum eſt, & quo nullum majus cogitari & optari poteſt, quod in ipſo Deo gloriemur. Deus enim omnia bona, & temporaria, & æterna, & præſentis, & futuri ſeculi in ſe continet & complectitur, proinde qui Deum habet, omnia cum Deo bona, omnem veram beatitatem adeptus eſt, cujus eſt Deus, illius ſunt omnia.

Gloriamur in Deo. Id eſt de Deo, quod ſcilicet Deus ipſe ſit noſter, quod Deum ipſum poſſideamus, quod Deus ſit noſtra ſors & hæreditas, ut Scriptura loquitur. Non tantum igitur ab ipſo gloriam illam cæleſtem ſperemus, ſed etiam omnia alia bona, quibus in hac præſenti vita locus eſt, & hanc ipſam vitam, quatenus ſcilicet hujus vitæ & bonorum ad eam ſpectantium uſus, æternis ac cæleſtibus bonis nullum impedimentum afferat. Eſt vero Deus noſter, quatenus & nos Dei ſumus, illius populus & hæreditas, imo ipſius Filii ſumus, & quatenus Deus noſter eſt Deus & Pater.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Docet ſicut omnia alia bona, ſic & hoc ipſum omnium maximum nos per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum adeptos eſſe: non tanquam ab auctore ex quo, & cauſa prima, quæ Deus ipſe eſt, ſed tanquam auctore per quem, & cauſa ſecunda ſeu intermedia, qua de re dictum eſt verſ. 1 & 2. Quem idcirco hoc etiam loco Dominum noſtrum appellat.

Per quem nunc reconciliationem accepimus. Cauſam indicat propter quam per Jeſum Chriſtum in Deo gloriari nos dixerit. Poterant enim Judæi dicere; Quid ais Paule, nonne Judæi vel maxime in Deo gloriantur? Nonne populus Dei ſunt peculiaris, &

Deus ipſorum eſt Deus? Negat hoc Apoſtolus: quomodo enim de Deo vere gloriari, quomodo & Deus illorum & illi Dei eſſe poſſunt qui Dei inimici ſunt, & Deo factis & operibus adverſantur? Quales eſſe neceſſe eſt omnes qui in Jeſum Chriſtum non credunt, ſiquidem nunc demum per ipſum reconciliationem accepimus, quam accipere nemo poteſt, niſi ipſum & charitatem illam Dei cognoſcat, & conſequenter in ipſum credat.

Per quem. Nempe à Deo: Deus enim nos ſibi reconciliavit per Jeſum Chriſtum; Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans hominibus delicta; Deus eſt qui Chriſtum pro nobis peccatum fecit, quo nos ſibi reconciliaret, Deus eſt qui homines ut ſibi reconcilientur rogat & invitat 2 Cor. v. 18, 19. 20, 21.

Nunc. Id eſt nunc demum, poſtquam Jeſus Chriſtus venit & Euangelium prædicare cœpit, & pro peccatis noſtris mortuus eſt, & Dominos noſter effectus eſt. Ante hoc tempus omnes in commune loquendo, inimici eramus Dei, variis peccatis & delictis eum offendentes, & qui ad Jeſum Chriſtum non accedunt, reconciliationem non accipiunt, ſed inimici Dei eſſe pergunt, imo inimicitias adverſus Deum augent.

Reconciliationem accepimus. Id eſt, reconciliati, nempe Deo, ſumus. Deus per Chriſtum omnia fecit & adhibuit, quæ ad nos ſibi reconciliandos pertinebant, & ſic nobis reconciliationem per Chriſtum veluti offert ac porrigit, quæ media cum in nobis efficacia eſſe patimur, recooociliationem hanc quaſi à Deo per Chriſti manum accipimus.

Verſ. 12. *Propter hoc, ſicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors pervaſit, eo quod omnes peccaverunt.* Ex his quæ de Chriſto dixit comparationem illius cum Adamo, etſi in re contraria, inſtituit, ad majorem rei illuſtrationem & confirmationem; idque merito; Chriſtus enim eſt veluti ſecundus Adam & ſecundus homo, oovi hominum generis Pater & auctor 1 Cor. xv. 45, 47, & cladis quam primus homo generi humano intulit, maximo cum emolumento reparator.

Propter hoc. Quaſi dicat, propter hoc quod homines per Chriſtum reconciliationem cum Deo acceperint, & gloriæ Dei, qua vita æterna continetur, ſpem certam adepti ſint, res ſimilis evenit in Jeſu Chriſto ei quæ olim evenit in Adamo

Sicut per unum hominem. Similitudinem iſtam explicat. *Per unum hominem*, id eſt Adamum. Hominem opponit homini, unum uni, hominem primum homini ſecundo, Adamum primum Adamo ultimo. Unum enim hominem ſic Apoſtolus accipit, ut ſimul primum ſignificet: niſi autem primus eſſet, ſeu cæterorum omnium parens, nihil ad illas delictum ejus pertineret. Et Hebraica phraſi unus dicitur pro primo: ſic una ſabbatorum eſt prima in hebdomade.

Peccatum in mundum intravit. Peccatum, id eſt factum divinæ voluntati contrarium. Hoc in Adamo fuit, quod ex fructu arboris ſcientiæ boni & mali comederit, id enim ne faceret, Deus ſub comminatione mortis vetaverat.

In mundum. Id eſt in orbem terræ.

Intravit. Hominum videlicet reſpectu. Nam per ſerpentem prius adhuc intravit quam per hominem, quem ſerpens ſeduxit, & ſeducendo peccavit. Sic & mors in orbem terræ intravit per hominis peccatum, hominum reſpectu. Nam aliorum animantium reſpectu per mortalem eorum naturam intravit, non per Adami delictum.

Et per peccatum mors. Nempe ſicut homini Deus interminatus fuerat, fore ut ſi ex fructu vetito comederet, morte moreretur, id eſt morte plecteretur: *ſtipendium enim peccati eſt mors* cap. vj. 23, et Jacobus: *quiſque tentatur*, inquit, *à ſua cupiditate extractus & delinitus, deinde cupiditas concipiens parit peccatum, peccatum vero perpetratum edit mortem* Jac. j. 15. Mors, id eſt vitæ privatio qualiſcumque, ſive ſit violenta, ſive à ſola mortalis naturæ conditione profecta. Omnis vero mors natura ſua æterna eſt: neque enim aliter niſi ſolius Dei potentia ſuper omnes naturæ vires mortuus in vitam redire poteſt. Deus hominem creavit natura quidem mortalem; (cibis enim & multis externis vitæ adminiculis indigebat, ne alia nunc commemorem) ſed Dei beneficio, ſi contra vetitum non feciſſet, haud unquam moriturum. Aderat enim & arbor vitæ, cujus fructu mortalis naturæ vires ſemper refici ac reparari poſſent, & peculiaris Dei cura ac providentia, quæ mortem exterius advenientem ab homine ſemper averteret; ſed poſtquam Dei præceptum tranſgreſſus eſt, tunc & arbor vitæ ei adempta fuit, ipſeque ex paradiſo pulſus, & Deus ipſum mortalis naturæ ſorti ac conditioni reliquit: unde mortem conſequi neceſſarium fuit. Non dicit igitur Apoſtolus per peccatum ingreſſam eſſe mortalitatem hominum, ſed mortem. Egregie antiquus auctor reſponſionum ad Orthodoxos, ut pleraque, quæſt. 32: *Eſt ergo verum*, inquit, *quod Deus naturam noſtram fecerit mortalem, quodque mors intrarit hominis inobedientia. Si enim ſicuti Deus fecit mortalem naturam, ſic & mortem feciſſet, non fuiſſet profecta ab inobedientia mors, & ſi Deus inobedientiam non fecit, ne mortem quidem.* Quærat aliquis, qui fiat igitur quod credentes in Chriſtum, à quibus Chriſtus omnem damnationem, omnem peccati pœnam, & inprimis mortem abſtulit, nihilominus moriantur, & ſæpe mors illis per vim à malis hominibus aliiſque caſibus variis inferatur? Reſpondeo, Chriſtus à credentibus omnem peccati pœnam abſtulit, ſi nimirum & ipſi omne ſuum officium impleant, & fide ſua omni ex parte digne vivant, alioquin mirum non eſt, ſi pœnam aliquam, & ſępe mortem ante pręfixum naturæ ſuę tempus incurrant. Deinde, poſtquam per hominis inobedientiam mors ſemel in mundum intravit, Deo ſapientiſſimo viſum non eſt, quamdiu mundus hic & hominum genus duret, etiam in iis qui ipſi maxime obedientes ſuot, quin varia morte obeant, impedire: ut & pii ſuæ fidei, & impii ſuæ contumaciæ exercendæ ac demonſtrandæ, nullum hac in parte diſcrimen inter ſe & pios videntes, latiſſimum campum haberent, & Deus in piis ex morte eripiendis, & ad cæleſtem ac immortalem vitam tranſferendis, ſuæ divinæ potentiæ ac bonitatis exſerendæ. Sed in talibus mors noo amplius habet rationem pœnæ, quippe immortalis & cæleſtis, vereque beatæ vitæ donatione abunde compenſanda. Ideo Apoſtolus alibi etiam Chriſtum cum Adamo comparans,

rans, cum dixiſſet, *quandoquidem per hominem mors,* non dicit, etiam per hominem immunitas à morte, ſed, *etiam per hominem reſurrectio mortuorum*, quæ mortem tollet, & mortalis vitæ jacturam immortalitate rependet; pergitque: *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Non dicit, omnes non morientur, ſed quamvis moriantur, tamen vivificabuntur; nempe ſic ut non tantum nunquam amplius moriantur, ſed etiam nunquam amplius mori poſſint 1 Cor. xv. 21, 22. Quando mundi finis aderit, tunc omnes in Chriſtum credentes qui reperientur vivi, quia fidei exercendæ nullus amplius erit locus, mortis plane exſortes erunt, mortalemque naturam ſine morte deponent. Adeo, inquam, mors temporia pœnæ rationem in piis & ſanctis non habet, ut neque in malis & impiis admodum habeat; quippe quod Deus, ſicut piis ſecundam & vere vitam, ſic impiis ſecundam & vere mortem paraverit. Atque hinc eſt, ut poſt Dei conſilium, quo etiam juſtos omni peccatorum reatu ſolutos mori permittit, non mortem ſimpliciter peccati pœnam eſſe dicamus, ſed mortem æternam. Nam etiam mors, cum pœnam ſignificat, ſimpliciter nominata, mortem æternam denotat, per antonomaſiam; quod mors æterna vere ſit mors, temporaria ſomnus verius & quies quam mors.

Et ſic in omnes homines mors pervaſit, vel, *ad omnes homines mors pervenit*. Hæc verba docent de primo homine & cæterorum omnium hominum parente agi: neque enim ab alio homine ad alios omnes homines mors perveniſſet. Ut fruſtra ſint Præadamitæ, qui alium humani generis parentem ante Adamum quærunt. Sed poſtquam Pater poſſeſſionem paradyſi & privilegium immunitatis à morte amiſit, etiam omnes liberi eo exciderunt. Intelliguntur autem omnes homines qui ante Legem vixerunt, aut Legem ſibi à Deo datam non habuerunt. Nam qui Legem à Deo acceperunt, ſua propria tranſgreſſione, etiam citra Adami peccatum, mortui ſunt.

Eo quod omnes peccarunt. Hoc addit Apoſtolus, ne cui iniquum eſſe videretur omnes homines morti ſubjici, quod Pater illorum peccaverit & morti ſubjectus fuerit: reſpondet, etſi hoc iniquum non eſſet, nam in liberis mors non haberet rationem pœnæ, ſed tantum effectus eſſet peccati parentis, qui ſortem & conditionem quam culpa ſua ſibi acceſſivit, ad liberos propagaſſet; tamen tanto juſtius hoc evenit, quod omnes ejus liberi & ipſi peccarint. Dices, infantes non peccaſſe, & tamen multos illorum mori. In infantibus igitur mors non habet rationem ullam pœnæ; & ſi quæ ſit, non infantum eſt pœna, ſed potius parentum; cum quibus alioquin etiam infantes, antequam adoleſcant, & ſuo uti intellectu & arbitrio incipiant, pro uno veluti homine cenſendi ſunt, & quaſi agnata quædam parentibus membra, ſurculorum inſtar, antequam & ipſi peculiares fiant arbores. Significat Apoſtolus, ſi quis ex Adami poſteris à peccato ſeſe continuiſſet, eum potuiſſe non mori; quod Enocho & Eliæ evenit, quamvis & iſti ſine peccato non eſſent. Nam ſi quis iterum hic infantes objiciat, notandum eſt infantes non peccare, quia peccare non poſſunt; at hic intelligendi forent qui non peccarunt quamvis peccare poſſent. *Eo quod* Græce ἐφ' ᾧ. Sic eædem voces accipiuntur Philip. iij. 12. iv. 10, quo poſteriore loco vulgatus interpres voces iſtas convertit *quoniam*. Qui putant dici, *in quo*, nempe homine, omnes peccaverunt, non ſolum à Græcarum vocum ἐφ' ᾧ ſignificatione recedunt, ſed etiam verba Apoſtoli inter ſe egregie apta & cohærentia diſſolvunt. Quam pulchre enim hæc cohærerent, per hominem peccatum intravit, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors tranſivit, in quo homine omnes peccaverunt? Adde quod falſum ſit, proprie loquendo, ullum alium hominem tum peccaſſe cum Adamus peccavit, nedum ut omnes peccaverint. Necdum enim cum Adamus & Eva peccareſit ullus homo præter ipſos in terris erat. Neque vero quia Adamus reus peccati fuit, proptera & liberos ſuos ejuſdem peccati reos fecit: Adamus enim peccavit, at liberi qui necdum erant, quam partem in peccato illius habere potuerunt? Neque igitur & in reatu peccati ejus partem ullam habere poſſunt. Per *Abrahamum*, inquit auctor ad Hebræos, & *Levi*, ut ita dicam, *decimas dedit* cap. vij. 9: nempe quia id proprie dici non poterat. Et tamen aliud eſt decimas dare, aliud peccare. Illud ad conditionem alicujus pertinet, quæ Filios ac nepotes ſimul quodammodo cum parentibus ac majoribus involvit; ſed peccatum & culpa auctorem ſuum non egreditur, nec egredi poteſt, cum ad illud voluntas & factum cujuſque requiratur. Et Apoſtolus verum ac facto ipſo patratum cujuſque peccatum intelligit, quod alias lege Dei prohibetur, ut ea quæ proxime ſequuntur docent, quibus confirmatio iſtius rei, quod omnes peccaverint, continetur.

Verſ. 13. *Nam uſque ad Legem peccatum erat in mundo.* Occurrit objectioni. Poterat aliquis dicere: quomodo omnes peccare potuerunt, cum omnes Legem non haberent, quæ per Moſen demum multis poſt ſeculis lata eſt? Poterant, inquit Apoſtolus: *Nam uſque ad Legem peccatum fuit in mundo.* Peccatum nimirum contra id quod ipſa hominum ratio juſtum & rectum & honeſtum eſſe dictat, etiam citra ſcriptam Dei Legem; quæ verba, ut diximus, manifeſte oſtendunt Apoſtolum loqui de peccato, quod & recta ratio per ſe, & Dei ſcripta Lex vetat, & hujus peccati reos omnes homines arguere. At originem ducere ex eo qui peccavit, quæ ratio, quæ honeſtas, quæ Lex prohibet, aut prohibere poteſt, idque etiam pœna in eum qui ex peccatore parente naſceretur conſtituta? Qui quæſo in hoc ſolo verum, & non potius fictum ac imaginarium cujuſquam peccatum eſt, nedum ut morte plectendum ſit? Non ortum eſſe ex peccatore, idque etiam poſt complures generationes peccatum eſt, & peccati reatum pœnamque inducit, ſed peccata illius imitari peccatorem facit, & pœnæ reddit obnoxium. Deus peccata parentum in Filiis ſeſe ulturum interminatus eſt; ſed in Filiis parentum ſimilibus, id eſt malorum parentum malos Filios gravius ſeſe puniturum, non tamen ultra proprium cujuſque, (ſolet enim Dei pœna & ſeveritas citra meritum conſiſtere) neque ultra tertiam & quartam generationem ſeveritatem iſtam ſeſe producturum dixit: quanto minus hæc ſeveritas ad inſontes, etiam & ad milleſimam uſque generationem extendenda eſt? Neque quia quiſque, ſi vivat, & ad

peccandi

peccandi habilitatem, ut ſic dicam, perveniat, peccaturus omnino eſt; idcirco tanquam ſi jam peccaſſet puniendus, & vere jam peccaſſe ſtatuendus eſt. Neque etiamſi quis ex parentibus vel maximam ad peccandum proclivitatem,& quamcunque tandem naturæ depravationem trahat, propter hoc ipſum peccati reus & pœnæ ſubjectus eſt, quin potius aliquam peccati per id excuſationem haberet, ut in Davide videmus Pſal. lj. 1: quam tamen depravationem ullum hominem ex uno illo Adami peccato traxiſſe, nulla ratio ut credamus permittit. Si enim traxit, vel hoc peccati iſtius vi ac natura propria factum eſt, vel pœna. Non vi & natura propria, quis enim id dixerit? Non etiam pœna: Deus enim pœnam inflixit, at naturam hominum à Deo depravatam fuiſſe, idque ob unum illud delictum, vel cogitare impium eſt. Neque iſtius pœnæ ullam in Adami delicto mentionem Scriptura facit; quæ tamen omni morte tetrior ac deteſtabilior foret. Itaque originale illud, quod ajunt, peccatum, quocunque tandem modo explicetur, (nam de eo inter illius defenſores non convenit, ut in erroris defenſione ſolet:) ſi verum, & pœnæ, adeoque etiam mortis æternæ meritorium eſſe dicatur, nullo veritatis fundamento nititur: & quæ ad ſeruutur Scripturæ dicta, ad illius oſtenſionem non pertinent; qua de re nunc non eſt loquendi locus. Nam ut mors,quia originem ſumſit ex Adamo,& in nos derivata eſt, peccatum vocetur originale, per metonymiam, ad rem non pertinet,nec nobis contrarium eſt.

Peccatum autem non imputatur cum non eſt Lex. Intellige, quamvis homines peccent. Aliam objectionem occupat, videlicet ne quis diceret, ſi peccarunt homines etiam ante Legem, non igitur per Adami peccatum,ſed quiſque per ſua peccata eſt mortuus. Non ſequitur, inquit Apoſtolus, excludendum eſſe Adami peccatum; erat quidem peccatum, quamvis non eſſet Lex, ſed non imputatur cum non eſt Lex: ita prope perinde eſt pœnæ reſpectu ac ſi non eſſet.

Peccatum non imputatur. Non ſcribitur, non refertur in rationes ad dandam pro illo pœnam. Non quidem quod plane & ſimpliciter non imputetur, ſed comparate, quod non eo nec tam valido jure imputetur quo Lege exſtante: ita quod aliorum hominum peccatis defuit ante Legem latam, hoc Adami peccatum ſupplevit, & ſic una cum peccatis illorum conjunctum morti illos ſubjecit.

Cum non eſt Lex. Lex nimirum poſitiva ut vocant, cum pœnæ comminatione & conſtitutione: tali enim Lege non exſtante,quiſque prætendere poſſet,id ſibi non eſſe Lege poſita vetitum, nullam talia facientibus pœnam eſſe Lege lata conſtitutam: ſi ea facere fas non erat, ſi pœnæ, idque tam gravi, nempe mortis erat obnoxium, debuiſſe Legem pœna hac armatam ferri, et omnibus proponi. Etſi enim peccatores ſua convincat conſcientia,& mortis reos ac dignos peragat cap. j. 32, diſſimulandi tamen & cauſandi locus eſt. Lege non extante.

Verſ. 14. *Sed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſen, etiam ſuper eos qui non peccarunt ſuper ſimilitudini tranſgreſſionis Adami, qui eſt typus illius qui futurus erat.* Potuiſſet aliquis iterum dicere: debuerant ergo homines,quamvis peccarent ante latam Legem,à morte eſſe immunes, quæ peccati pœna eſt. Reſpondet Apoſtolus: verum quidem eſt non imputari peccatum Lege non exſtante, ſed hoc hominibus nihil profuit: quaſi dicat, ſi abſque Adami patris eorum peccato fuiſſent, poterant forte homines propter peccata ſua ante Legem datam à mortis pœna liberi eſſe; ſed poſtquam Adamus contra datam ſibi à Deo Legem mortis pœna propoſita peccavit, & peccato ſuo mortem incurrit, omnes illius poſteri, quia & ipſi peccarunt, quamvis non contra latam ſibi à Deo expreſſam Legem, eadem mortis pœna una cum patre ſuo involuti ſunt. Viciſſim etiam, ſi peccata illorum non acceſſiſſent, Adami peccatum in illis morte plectendis vires non habuiſſet; mutuam ſibi utraque præſtiterunt operam in miſeris hominibus mortis regno ſubdendis. Peccata igitur poſteris Adami imputata ſunt ad mortem, non propter Legem Dei, quæ tum nondum extabat, ſed propter Adamum ejuſque peccatum. *Regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſen.* Regnum & dominatum ſuum exercuit toto illo tempore quod inter Adamum & Moſen Legis latorem interceſſit. Loquitur Apoſtolus de morte per proſopopoëiam: *Etiam ſuper eos qui non peccarunt ſuper ſimilitudine tranſgreſſionis Adami.* Quaſi dicat, non tantum regnavit ſuper Adamum, & ſi qui alii expreſſam aliquam Dei Legem tranſgreſſi ſunt, mortis pœna tranſgreſſioni conſtituta; hoc enim ſuo jure mors fecit; *ſed etiam ſuper illos qui non peccarunt ſuper ſimilitudine tranſgreſſionis Adami,* id eſt ad ſimilitudinem, ἐπὶ pro ἐν vel πρὸς: qui ſcilicet non ita peccarunt, ut peccatum eorum ſimile eſſet tranſgreſſioni Adami, id eſt, ut & illorum peccatum eſſet apertæ & expreſſæ Legis divinæ,mortis pœnam adjectam habentis tranſgreſſio. Mortem à Moſe ad Chriſtum regnaſſe non dicit Apoſtolus, ſed tantum ab Adamo uſque ad Moſen: quia illi qui Legem à Deo per Moſem acceperant, eodem modo quo Adam peccarunt. Nam quod ad eos attinet, qui eam per Moſen non acceperant, eorum erat par ratio cum iis qui ante Legem vixerunt, ut ſcilicet non tantum propter ſua peccata, ſed etiam propter Adami peccatum & tranſgreſſionem morerentur. Hactenus eſt ſimilitudinis ab Apoſtolo inſtitutæ protaſis:

Qui eſt typus illius qui futurus erat. Apodoſin ſimilitudinis paucis iſtis verbis complexus eſt Apoſtolus; Adamum dicens eſſe typum Chriſti. Componamus igitur antitypum cum ſuo typo, & ex protaſi apodoſin ſimilitudinis evolvamus, quam talem eſſe neceſſe eſt: ſic per unum hominem obedientia omni peccato vacans in mundum intravit, & per obedientiam vita, quæ vere vita eſt, nempe æterna, & ſic ad omnes homines ex illo ortos vita æterna pervenit, eo quod omnes obedierunt, quamvis nullus obedierit ad ſimilitudinem illius, ut ſcilicet ſimiliter ſine ullo peccato & delicto eſſet. Unus iſte homo, uni illi homini Adamo reſpondens, illiuſque antitypus eſt Chriſtus; quem hominem eſſe neceſſe fuit; niſi enim homo fuiſſet, quid ad homines & obedientia ejus, & vita æterna quam per obedientiam eſt adeptus, pertineret? propterea illum Apoſtolus paulo poſt ℣. 11 unum hominem expreſſe appellat, & 2 Cor. xv. 21, 22: *Quandoquidem*, inquit, *per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum*; quorum illum Adamum, hunc Chriſtum eſſe, verſu ſequente dicit.

Si vero

Si vero Chriſtus homo fuit, profecto Deus ille unus non fuit: implicat enim contradictionem, aliquem ſimul eſſe hominem & non hominem; voce hominis eodem modo ſive eadem ſignificatione accepta. Cum enim Deus ille unns eſſe dicitur, homo eſſe negatur, eodem plane ſenſu & ſignificatione qua homo eſſe affirmatur. Alioquin enim recte dici poſſet Chriſtum fuiſſe hominem & non hominem. Homo fuit voce hominis ſimpliciter accepta, non fuit homo voce hominis vulgariter accepta: fuit enim homo ſingulariſſimus. Et ſicut ex ſpiritu divino conceptus, ſio divinum in ſe ſpiritum habens, & diviniſſimorum operum inſita ſibi Dei dono virtute effector. Similiter dici poteſt, Chriſtum fuiſſe Deum, & non fuiſſe Deum: fuit Deus voce Dei de homine divina virtute & ſapientia & poteſtate prædito ſnmta, non fuit Deus voce Dei ſumta de uno illo Deo, aut naturam aliquam habente mortali, hominum naturæ oppoſitam. At Chriſtum ſimul unum illum Deum dici, & unum illum Deum eſſe negari; id vero ſibi ipſi adverſum & contrarium eſt. Negatur autem per idipſum cum homo eſſe dicitur: ſiquidem homo & Deus ille unus diſparata ſunt, & tanquam homo & non homo, Deus ille unus & non Deus ille unus, ſibi invicem oppoſita. Neque ſi fieri poſſet aliquem ſimul eſſe & hominem & unum illum Deum, Chriſtus homo hominum à Deo datus ſervator, Deus ille unus ſimul eſſe debuit. Neque enim ſequeretur, ſi homo qui ſimul unus ille Deus eſt, vitam æternam adeptus eſt, idque propter obedientiam omnibus numeris abſolutam, idcirco & alii homines, idque propter obedientiam longe ab obedientiæ illius perfectione diſtantem, vitam æternam conſequentur. Si ex Chriſti auctoris & capitis noſtri obedientia, & quam per obedientiam obtinuit vita, aliquid juris in nos derivari debet, ut ſane multum debet, tanta inter Chriſtum & alios homines, & plus quam toto genere diſtans inducenda non erat diverſitas. Vita quæ per obedientiam Chriſti intravit, non excludit quidem ſimpliciter mortem in omnibus; (nam & ipſe Chriſtus mortuus eſt) ſed mors quam reſurrectio conſequetur ad vitam immortalem & cæleſtem, ſomni verius & requietis rationem habet, quam mortis. Sin autem mors etiam pro juſtitia oppetatur; ea vero mors, propter conſequens præmium immenſum, magni boni rationem habet. Nam ſi nec tanqnam mortalis naturæ debitum ſolvatur, nec juſtitiæ cauſa alicui inferatur, ſed pro pœna infligatur, mortalitatis nondum expleto tempore, id ſibi quiſque acceptum ferat, qnod hac pœna affici commeritus ſit; in qua tamen magnum continetur beneficium, ſi vita alioquin etiam per ſe temporaria & caduca privetur, ne immortalem & æternam amittat, quod multis Chriſtianorum uſu venire ex Apoſtoli verbis 1 Corint. xj. 30, 31, 32 manifeſtum eſt. Intravit autem vita æterna in mundum, non qnod in hoc mando agenda ſie, aut quod hic mundus illius ſit domicilium, ſicut mortis eſt; ſed quod homines qui in hoc mundo nati ſunt & degunt, illius jus adepti ſunt, ipſiuſque vitæ fient participes, ſicut Chriſto ipſi evenit, cum ſcilicet in novum illum mundum, ubi juſtitia & immortalitas habitat, transferentur, quo & Chriſtus evectus eſt. Nempe vita æterna in mundum intravit, quatenus ad omnes homines ex Chriſto ortos & obedientiam ejus imitantes, ut mox dicemus, pervenit. In verbis *intravit & pervenit* aliorum hominum præter Chriſtum reſpectu, temporis eſt enallage præteriti pro futuro, ſi nimirum vitam ipſam ſpectes, non jus vitæ, quod omnes per Chriſti obedientiam & vitam jam habent, ſed nondum ipſam vitam. Ad omnes porro homines vita pervenit, nempe qui ex Chriſto prodierunt ſecundum ſpiritum, ſicut ex Adamo prodierunt & proſeminati ſunt ſecundum carnem. Non minus enim ex Chriſto progenitum eſſe ſecundum ſpiritum neceſſe eſt, ut per illius obedientiam & vitam jus vitæ ipſamque vitam adipiſcaris, quam neceſſe erat omnes homines ſecundum carnem ex Adamo naſci, ut illius peccatum & mors jus ſibi in eos vindicaret. Ex Chriſto autem ſpiritualiter prodierunt & nati ſunt omnes Chriſtiani ſeu illius diſcipuli; qui ſcilicet ſermonem & inſtituta ejus per fidem amplexi ſunt, & palam profitentur, ipſiuſque de nomine appellari volunt & gaudent. Chriſtus inquam Chriſtiani generis primus auctor & pater eſt, non minus quam Adamus humani generis pater & auctor fuit. Non ſimpliciter autem ad Chriſti diſcipulos ſeu Chriſtianos vita æterna pervenit, ſed eo quod omnes obediverunt, ſicut & ad poſteros Adami mors pervenit, eo quod omnes peccaverunt. Hi peccaverunt Deo, illi obediverunt itidem Deo, cujus plena & perfecta mandata Chriſtus expoſuit: niſi forte paucos aliquos excipias, de quibus mox. Nam alioquin, ſi quis Chriſtianorum moribus & factis fidem ac profeſſionem ſuam non exprimat, non habetur coram Deo & Chriſto pro vero Chriſtiano; ſicut & degeneres Filii à parentibus non agnoſcuntur pro Filius. Et ſicut Chriſtus ad vitam æternam non pervenit, niſi per obedientiam, ſic neque Chriſtianorum ullus perveniet. In hoc ſolo diſcrimen eſt, quod Chriſti obedientia nullo unquam delicto interpolata fuerit; Chriſtianorum autem obedientia ad hanc perfectionis normam exigi nullo modo poſſit: eo tamen perfectionis pervenire debet, ut quiſque ab omni peccato abhorreat, & ex animo conetur ne unquam peccet: nam qui talis eſt, ſaltem in vitio non hærebit ullo, nec enorme quidquam admittet, ſi eo eniti non poſſit ne unquam peccet. Excipiendi tamen ſunt, ut monuimus, quibus poſt Chriſtum primum agnitum, & fidem in ipſum ſuſceptam, vita forte non ſuppetiit ad hanc quam diximus obedientiam. Quod latroni illi cruci affixo uſu venit, qui propter ſuam fidem, qua Chriſtum itidem cruci ſuffixum & morientem pro Meſſia agnovit, idq; ſic ut non tantum eum reſuſcitatum iri & poſt mortem regnaturum crediderit, ſed etiam tantam habiturum poteſtatem, ut ipſum quoq; ex mortuis ſuſcitare poſſit, audire verba illa meruit; *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*; quo vita æterna continetur. Quæ profecto admirabilis & ſingulariſſima fuit fides, cujus exemplum nec fuit unquam, nec unquam eſſe poterit. Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti omnium fides una cum Chriſto moriebatur & mortua erat: iſtius vero fides moriente Chriſto naſci & vivere incepit: neque tamen & hæc bonorum operum ſterilis fuit pro illo hominis ſtatu & exiguo quod ſupererat vitæ tempore. Nam cum

propter animum quo Chriſtum Regem illum à Deo promiſſum eſſe agnovit, os adhuc liberum ac in ſua poteſtate haberet, & alterum latronum increpuit, & peccatorem ſe eſſe meritoque talia pati confeſſus eſt, & Chriſti innocentiam defendit, & fidem ſuam in Chriſtum conteſtatus eſt, & illi precibus ſalutem ſuam commendavit: quid iſte facturus fuerat ſi fidei ſuæ, ex cruce demtus, ſupervixiſſet? Si Jeſum ex mortuis redivivum vidiſſet? Si in ejus nomine pœnitentiam & peccatorum remiſſionem & vitam æternam annunciari audiviſſet, & tanta miracula fieri, Spiritum Sanctum credentibus dari conſpexiſſet? Res igitur perinde ſe habet in Chriſto, atque ſi quis ob egregia ſua & præclara facta nobilitatis decus conſequatur; nobilitas non manet in illo ſolo, ſed tranſit ad omnes illius poſteros, eo quod & ipſi digne nobilibus ſeſe gerant, quamvis forte nullus ipſorum patris, vel auctoris generis ſui merita æquet.

Quid ergo dicemus de infantibus Chriſtianorum, qui necdum Chriſti diſcipuli eſſe, nec Chriſto obedire poſſunt? An eos ab æterna vita arcebimus? Et regno mortis ab Adamo inductæ mancipabimus? Minime vero. Nam ſi infantes per Adamum moriuntur, quamvis non peccarint, quanto magis infantes Chriſtianorum per Chriſtum vivificabuntur, quamvis nec in Chriſtum crediderint, nec obediverint, cum id illorum culpa ac vitio factum non ſit, ſed conditione infantilis, & necdum rationis uſus compotis ætatis. Neque enim unquam latius extenduntur pœnę divinæ quam præmia ac beneficia divina: non quod in aliorum hominnm infantibus mors pœnæ rationem habeat, infantium ipſorum reſpectu; in Chriſtianorum vero infantibus vita præmii rationem habitura ſit; ſed quod ſicut in aliorum hominum infantibus mors acceſſio eſt ad pœnam parentum, ſic in Chriſtianorum infantibus vita acceſſio ſit ad parentum præmium. Etſi enim infantes piorum ex Chriſto nati non ſint: tamen nati ſunt ex piis & ad Chriſtum pertinentibus parentibus: ut ipſa naſcendi ſorte in jura parentum veniant.

Quæ verſ. 13 ab Apoſtolo dicuntur, quia ad ſolius protaſeos confirmationem pertinent, non habent in apodoſi quod ſibi reſpondeat. Adamus dicitur *typus ejus qui futurus erat*, τοῦ μέλλοντος, non ſimpliciter futuri, neque enim Chriſtus demum futurus eſt, ſed qui jam eſt & ſemper futurus eſt, olim futurus erat; ideoque & hoc Adami typo & aliis typis variis ſignificatus & divinis oraculis prænunciatus fuit. Hic locus aperte docet Chriſtum olim, & antequam naſceretur ex matre, ex Spiritu Sancto conceptus, reipſa non fuiſſe niſi divina deſtinatione. An enim Apoſtolus ſimpliciter & abſolute dixiſſet Chriſtum futurum fuiſſe, ſi ſecundum longe potiorem aliquam naturam reipſa ſemper fuiſſet? multo vero minus ſi Deus ille unus eſſet?

Verſ. 15. *Sed non ſicut delictum ſic & donum, ſi enim unius delicto multi illi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in illos multos abundavit.* Oſtenſa inter Adamum & Chriſtum ſimilitudine, oſtendit etiam diſſimilitudinem, idque nihilominus ad rei ſuæ uberiorem illuſtrationem & comprobationem. Omne enim quod ajunt ſimile, eſt etiam diſſimile.

Ait igitur, *ſed non ſicut delictum.* Quaſi dicat, eſt quidem ſimilitudo in multis, ſed non in omnibus.

Non ſicut delictum. Intellige ſe habet,

Sic & donum. Et hic intellige ſe habet. Alia eſt ratio delicti, alia doni, quatenus ſcilicet multo major vis eſt doni, ut in multos redundet, quam delicti. Deus enim in donis ac beneficiis conferendis largiſſimus eſt, in pœnis & quæ ex pœnis ad alios manant incommodis longe parcior ac reſtrictior. *Delictum*, nempe unius hominis Adami. *Donum*, nempe juſtitiæ & vitæ æternæ.

Si enim unius delicto. Oſtendit diſſimilitudinem & vim imparem delicti & doni.

Si unius delicto illi multi mortui ſunt. Id eſt ſi unius delicto factum eſt ut non ille unus tantum, ſed & illi multi morerentur. *Illi multi*, οἱ πολλοὶ, cum articulo: quaſi dicat, illi quos dixi multi, nempe qui ante Legem & ſine Lege vixerunt & peccarunt.

Multo magis gratia Dei. Quaſi dicat, ſi illud ſine ulla injuſtitia factum eſt, ut ob unius noxam & delictum multi illi morerentur, multo profecto magis id omni juſtitiæ & æquitati conſentaneum eſt, *ut gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti, in illos multos abundaret.*

Multo magis abundavit. De jure abundandi loquitur Apoſtolus, non de effectu ipſo, id eſt multo majori jure abundavit. Nam quod ad effectum ipſum abundationis attinet, æque utrumque in multos illos abundavit, & ſi utrique multi inter ſe conferantur, multo ſunt plures illi qui mortui ſunt, quam qui gratiæ Dei & Chriſti participes ſunt facti. Sed hoc evenit ex accidenti & propria hominum culpa.

Gratia Dei. Id eſt juſtitia & vita æterna, per metonymiam cauſæ pro effectu. Docet Apoſtolus quod credentibus in Chriſtum juſtitia imputetur, & vita æterna detur, non ullis ullius, ac ne ipſius quidem Chriſti meritis proprie dictis acceptum ferendum eſſe: ſed ſoli gratiæ, bonitati ac miſericordiæ Dei. Verum quidem eſt propter Chriſti obedientiam id factum eſſe; ſed quia in immenſum exſuperat id quod Deus & ipſi Chriſto dedit, & nobis propter ipſius obedientiam, idcirco id omne Dei gratiæ adſcribitur. Chriſtus homo (de ipſo enim tanquam homine hic expreſſe agitur) fecit id omne ultra quod nihil facere potuit; Deus itidem Chriſto & in ipſum credentibus id omne dedit ultra quod nec ipſi Chriſto, nec in ipſum credentibus quidquam dare potuit: quanto igitur Deus eſt major homine Chriſto, tanto majus etiam eſt bonum ac præmium Dei Chriſti meritis & obedientia. Adamus ſane cum ſua poſteritate nihil ultra meritum paſſus eſt; at quæ Chriſto & Chriſtianis propter Chriſtum & per Chriſtum contigere & contingent, nullis æquari poſſunt meritis.

Et donum. Idipſum ſignificat quod gratia Dei, nempe juſtitiam & vitam æternam.

In gratia. Id eſt per gratiam, *in* pro *per*.

Unius hominis Jeſu Chriſti. Significat Apoſtolus juſtitiam & vitam æternam in manu & poteſtate

Digitized by Google

ſtate hominis Jeſu Chriſti à Deo poſitam eſſe, ut eam aliis largiri poſſit. Unius hominis Jeſu Chriſti gratiam opponit unius hominis peccato, ut doceat non tantum obedientiam, ſed etiam gratiam Jeſu Chriſti concurrere ad id, ut juſtitia & vita æterna in nos exundet. Cum igitur mors ſit peccati effectus, juſtitia & vita æterna ſit effectus gratiæ & Dei & unius hominis Jeſu Chriſti, multo profecto majori jure juſtitia & vita æterna in multos abundavit quam mors. Decet enim ut effectus gratiæ, præſertim divinæ, longe ſint abundantiores, quam peccati & iræ.

In illos multos. Εἰς τοὺς πολλοὺς, cum articulo certos multos deſignante, videlicet omnes illos qui ex uno homine Jeſu Chriſto per fidem & obedientiam nati ſunt, eorumque etiam infantes. Qui Jeſus Chriſtus etiamſi in manu ac poteſtate ſua juſtitiæ & vitæ æternæ donum non haberet; tamen propter ſolam illius exactam obedientiam, divinæ bonitati plane convenienter, juſtitia & vita æterna redundaret in omnem illius veram progeniem, non divulſis ab illa, quod ſine maximo dolore fieri non poſſet, adhærentibus illi ſurculis, id eſt infantibus. Quanto magis id fieri neceſſe fuit poſtquam id in Chriſti hominis gratia ſitum eſt. An enim hominibus ex ſe ſecundum ſpiritum natis gratiam ſuam & illius effecta denegaret? Pro quibus cum adhuc illius inimici eſſent, eo ipſo fine mortem oppetere non recuſavit ut illos ad juſtitiæ & vitæ æternæ adeptionem eveheret?

Abundavit. Præteritum tempus etiam præſens & futurum includit: quaſi dicat, abundavit & abundat & porro abundabit, præſertim vita æterna futuro demum tempore abundabit.

Verſ. 16. *Et non ſicut per unum qui peccavit donatio. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratificatio vero ex multis delictis in juſtificationem.* Pergit Apoſtolus in diſſimilitudine oſtendenda: quaſi dicat, & donatio non ita ſe habet ſicut ſe habet id quod per unum qui peccavit factum eſt.

Donatio. Τὸ δώρημα, eſt actus gratiæ, cum ſcilicet peccatori juſtitia imputatur. Id vero quod factum eſt per unum qui peccavit, eſt *judicium*, κρίμα, ut ex ſequentibus patet.

Addit enim rem quam dixit probaturus, *judicium enim ex uno in condemnationem, gratificatio autem ex multis delictis in juſtificationem.* Itaque verba priora Apoſtoli ſic ſunt ſupplenda: et non ſicut ſe habet judicium, quod per unum qui peccavit evenit, ſic ſe habet donatio.

Per unum. Id eſt unius hominis cauſa, ſeu propter unum hominem.

Judicium, eſt actus juris, cum peccatori imputatur ſuum peccatum: quod judicium ſic ſe habuit ut ex uno delicto factum ſit. *Ex uno*, ſcilicet delicto Adami, tanquam ex cauſa.

In condemnationem. Intellige, factum eſt: imputatur enim peccatum in condemnationem, id eſt ut peccator morti adjudicetur. In damnationem autem intellige multorum illorum hominum quos dixit, qui etiam peccarunt.

Gratificatio. Nempe juſtitiæ, quod modo dixit δώρημα, & χάρισμα quod hic dicit, idem eſt. Donatur autem nobis juſtitia, cum nobis ex gratia imputatur.

Ex multis delictis. Etſi non tanquam ex cauſa, tamen tanquam ex antecedente.

In juſtificationem. Intellige facta eſt. Ideo enim nobis juſtitia donatur, & eam nobis Deus gratificatur, ut juſtificemur, id eſt juſti pronuntiemur, & vita æterna nobis adjudicetur ac detur. Docet hic locus donum & imputationem juſtitiæ gratuitam, à juſtificatione ſtricte & proprie ſumta, qua aliquis juſtus eſſe declaratur, differre tanquam cauſam à ſuo effectu.

Verſ. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis qui abundantiam gratiæ & doni juſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.* Probat eos quibus juſtitia ex gratia imputatur, quamvis ex multis antecedentibus delictis, ita nihilominus juſtificatum iri, ut iis vita æterna donetur. Juſtificationem enim ſic accipiendam eſſe & ipſum hoc Apoſtoli argumentum, & verſ. 18 manifeſte docet, ubi juſtificationi vita conjungitur.

Si enim, inquit, *unius delicto.* Id eſt, ob unius hominis Adami delictum,

Mors regnavit. Seu regnum exercuit, id eſt homines longe lateque vita privavit, & ſic ſibi ſubjecit, per eandem proſopopoeiam quæ fuit & ſupra verſ. 14.

Per unum. Id eſt propter unum hominem Adamum, ſeu ex cauſa unius hominis Adami, quod ex ipſo alii homines nati eſſent, quamvis contra expreſſam Dei Legem, quæ mortem tranſgreſſoribus conſtitueret, non peccaſſent.

Multo magis. Id eſt multo majori ac potiori jure, cum hoc beneficium ſit, illud judicium ac pœna.

Qui abundantiam gratiæ. Id eſt, abundantem gratiam, per duo ſubſtantiva pro ſubſtantivo & adjectivo Hebræa phraſi: intelligit autem gratiæ divinæ effectum, nempe, ut ſequentibus verbis explicat, *donum juſtitiæ.*

Et doni juſtitiæ. Intellige ἀπὸ κοινοῦ *abundantiam*, id eſt abundans donum juſtitiæ, eadem qua ante loquendi ratione. *Donum juſtitiæ*, eſt donum quod juſtitia eſt, per genitivum ſpeciei vel differentiæ; quæ donatur quando per gratiam imputatur. Abundans autem donum eſt juſtitia, quia iis imputatur quorum abundantia erant delicta; quanto enim magis abundant delicta, tanto magis abundat gratia & gratiæ effectus donum juſtitiæ.

Accipiunt. Nimirum à Deo: accipiunt autem quando illis juſtitia datur & imputatur ex gratia.

In vita regnabunt. Id eſt mancipia mortis non erunt, mors in eos non regnabit, ſed ipſi regnabant in mortem, ſtatus & conditio eorum erit vere regalis, omnium mundi Regum ſtatu in immenſum beatior, affluent enim omnium bonorum copia, quæ oculi mortalium non viderunt, nec aures audiverunt, nec mens hominum unquam cogitavit, ſimulque extra omnia adverſa poſiti erant, quod nulli Regum mortalium contigit aut contingere poteſt. Regnabunt autem *in vita*, id eſt ibi ubi vita, quæ vere vita eſt, nempe immortalis habitat. Contentum ponitur pro continente, quo ſenſu etiam dicuntur homines intrare in vitam.

 Signi-

Significat Apoſtolus eos in æternum regnaturos, ſiquidem ibi regnabunt ubi vita æterna habitat, id eſt ubi qui habitant omnes in æternum vivunt. Nulla res infeſtior eſt Regibus quam mors, quæ tam imperat Regibus quam viliſſimis mancipiis, & æquo pede pulſat pauperum tabernas Regumque turres. At iſti Reges quibus juſtitia à Deo donatur, etiam in mortem ipſam regnum exercebant, non minus quam mors illud exercuerat in ipſos cum mortales eſſent.

Per unum, nempe hominem, *Jeſum Chriſtum*. Id eſt & propter ipſum & per ipſum: propter ipſum, quia id obedientia ſua obtinuit ut non ipſe tantum in vita regnaret, ſed etiam omnes ex ipſo per fidem & obedientiam nati: ſicut Adam inobedientia ſua & ſibi & ex ſe natis, quanquam multo minus quam ipſe inobedientibus, mortis cauſa fuit: Et ſi hoc facere Deus jure meritoque potuit & fecit; multo magis illud Deum facere decuit, cujus proprium eſt benefacere. At punire actio eſt, quam peccata hominum ab ipſo invito ac nolente extorquent: per Jeſum Chriſtum autem in vita regnabunt credentes, quatenus ipſe id efficiendi poteſtatem à Deo accepit, & ſic per ipſum id Deus effecturus eſt; quod vim argumentationis Apoſtolicæ magis auget & conſequentiam confirmat.

Verſ. 18. *Ergo igitur, ſicut per unum delictum in omnes homines in condemnationem, ſic etiam per unum juſtefactum in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Infert hanc concluſionem ex ſuperius dictis.

Sicut per unum delictum. Id eſt propter unum delictum, nempe Adami, *per* pro *propter*. *In omnes homines*. Intellige ex verſ. 16, venit judicium, quo ſcilicet illis imputata ſunt peccata. Per omnes autem homines intelliguntur illi omnes de quibus verſ. 12, 14, 15 loquutus eſt.

In condemnationem. Id eſt ut condemnarentur, & morti adjudicarentur, *κρίμα εἰς κατάκριμα*, ut habuimus verſ. 16.

Sic & per unum juſtefactum. Seu juſtitiæ opus, *δικαίωμα*, id eſt propter unam Chriſti obedientiam, ut ſequenti verſu loquitur, omnia Chriſti juſtafacta & opera, unum dicit juſtefactum ſeu juſtitiæ opus, quia ex una eademque unius hominis juſtitia profecta ſunt, ſicut & omnia opera divinæ voluntati conformia unius hominis, una dicuntur obedientia. Loquitur enim Apoſtolus per catachreſin, comparatione invitatus, ut uni delicto unum opponeret juſtefactum.

In omnes homines. Intellige ex eodem verſ. 16, venit *δώρημα* vel *χάρισμα*, id eſt donatio, actus gratiæ, quo illis qui peccarunt imputatur juſtitia. Iſti autem omnes homines, ſunt omnes homines Euangelio credentes, & pro viribus obedientes, de quibus verſ. 15 actum eſt: omnes nimirum ex Chriſto per fidem obedientiæ effectricem orti.

In juſtificationem vitæ. Id eſt ut juſti pronuncientur, cum vitæ æternæ datione vel adeptione, juſtificatio vitæ, per genitivum effecti vel adjuncti, dicitur cujus effectus vel adjunctum eſt vita, *κατ' ἐξοχὴν* dicta, nempe æterna.

Verſ. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt illi multi, ſic etiam per obedientiam unius juſti conſtituentur illi multi.* Conſequentiam magis illuſtrat & conformat.

Sicut enim per inobedientiam. Id eſt propter inobedientiam: hic quoque *per* ponitur pro *propter*, ut mirum non ſit ſi per Chriſtum mundus dicatur factus, quia ſit factus propter ipſum.

Unius hominis. Nempe Adami.

Peccatores conſtituti ſunt. Id eſt peccatores ſunt pronunciati, ſunt damnati, morti adjudicati, & morte affecti: conſtitutio enim iſta facta eſt decreto & decreti exquutione.

Illi multi. Nempe homines, qui ſcilicet ex Adamo progeniti pro ſuo modo peccarunt, ut dictum eſt verſ. 18 & alibi.

Sic etiam per obedientiam. Id eſt propter obedientiam, *unius*, nempe hominis Jeſu Chriſti.

Juſti conſtituentur. Decreto ſimiliter & decreti exequutione, id eſt juſti pronunciabuntur, à damnatione abſolventur, vita æterna ipſis adjudicabitur & dabitur.

Illi multi. Nempe homines ex Chriſto per fidem Euangelio habitam prognati, & pro ſuo quiſque modulo obedientes. Neque enim majus apud Deum pondus habet inobedientia quam obedientia, neque latius vis illius dimanat quam iſtius, aut unus obedientiæ actus in Adamo majoris erat apud Deum momenti quam perpetui & innumeri, quidam etiam maxime ardui obedientiæ actus in Chriſto. Aut Deus Adamo & Adami poſteris iratior fuit quam Chriſto, & veris Chriſti diſcipulis benignior, aut judicium & judicii effectus in plures extenditur quam beneficium & beneficii effectus, aut ira Dei ditior & abundantior eſt quam gratia. Tanti Deus duxit Chriſti Filii ſui obedientiam omnibus numeris abſolutiſſimam, ut non ſolum ipſi vitam æternam dederit, ſed & omnibus qui ipſius ſunt, quæcunque tandem eorum peccata fuerint, juſtitiam imputare, & vitam æternam, idque per illum ipſum, donare conſtituerit.

Verſ. 20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum; ubi vero abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia.* Dicere aliquis poterat; ſi ante Legem homines ob Adami peccatum, eo quod & ipſi peccarent, moriebantur, & nunc ob Jeſu Chriſti obedientiam, eo quod in ipſum credant eique obediant, juſtificantur, & vitæ æternæ participes fiunt, quis igitur erat Legis uſus? quid præſtabat?

Lex autem, inquit, *ſubintravit*, vel acceſſit & intervenit, *ut abundaret delictum*. Eventum notat Apoſtolus non finem datæ à Deo Legis. Lex enim eo fine data fuit, ut delicta coërceret & tolleret Gal. iij. 19, ſed hominum culpa evenit, ut delictum per Legem abundantius fieret, tum qualitate tum quantitate; qualitate quidem, quatenus per Legem delictum longe majorem vim nactum eſt in hominibus morti ſubjiciendis, propterea quod Lex mortis pœnam tranſgreſſoribus ſtatuat. Hinc idem Apoſtolus alibi vim peccati Legem eſſe dicit 1 Cor. xv. 56. Quantitate vero, quatenus in hominibus carni mancipatis major delinquendi libido per Legem excitata fuit, unde plura & crebriora delicta orta ſunt. Quam enim homines nitantur in vetita cupiantque negata, diſſerit Apoſtolus infra cap. vij. Hic igitur erit Legis uſus & fructus, hominum, non Legis vitio, in commune

mune loquendo. Nam dicere Deum eo fine dediſſe Legem ut abundaret delictum, quo deinde gratiam ejus tanto ardentius amplecterentur, quid aliud eſt quam dicere Deum intendiſſe malum, ut deinde conſequeretur bonum? Quod tanto minus dicendum eſt, quia multi Legem literali ſenſu ſervarunt, quod ſolum intendit Deus. At quod multi præſtiterunt, omnes poterant ac debebant.

Ubi vero abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia. Hoc ſubjicit Apoſtolus ne quis exciperet, actum igitur eſt de hominibus quos non ſolum Adami delictum, ſed etiam Lex ipſa multo magis premit & mortis damnat. Reſpondet Apoſtolus, nullum inde eſſe periculum, quæcunque tandem fuerit peccati abundantia, ſive vim peccati, ſive multitudinem ac magnitudinem peccatorum ſpectes. Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia: quaſi dicat, ibi etiam gratia non ſolum abundavit, ſed etiam ſuperabundavit, id eſt ſua abundantia omnem peccati abundantiam longe ſupergreſſa eſt & penitus obruit: vicit gratia vim omnem peccati. *Gratia*, nempe Dei per Euangelium revelata, intelligitur illa *χρηστότης* & *φιλανθρωπία* Dei, id eſt benignitas & amor humani generis cum ſuo effectu, id eſt peccatorum omnium venia.

℣ſ. 21. Ut ſicut regnavit peccatum in morte, ſic etiam gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Docet cur gratia ſuperabundaverit, ut ſcilicet peccato ſuam veluti vicem rependeret, & illi paria, ſed in re contraria, faceret.

Regnavit peccatum. Id eſt longe lateque dominatum eſt. *In morte.* Id eſt per mortem, *in* pro *per*, omnes ſcilicet homines morte afficiendo.

Sic etiam gratia regnet. Id eſt longe lateque & in omnes pariter homines vim ſuam exſerat.

Per juſtitiam. Id eſt juſtitiam illis imputando, ſeu per juſtitiæ imputationem, metonymia ſubjecti pro adjuncto.

In vitam æternam. Id eſt ut vitam æternam conſequantur: hic enim eſt finis imputatæ hominibus juſtitiæ. Sic peccatum regnavit hominibus mortem inferendo, gratia regnat hominibus vitam æternam afferendo.

Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Intellige, gratia regnet. Docet per Jeſum Chriſtum, Dei gratiâ, & juſtitiam imputari, & vitam æternam dari; proinde omnibus qui juſtitiam ſibi ex Dei gratia imputari & vitam æternam dari cupiant, ad Jeſum Chriſtum confugiendum eſſe: quem etiam *Dominum noſtrum*, nempe à Deo effectum appellat, ut ejus poteſtatem in imputanda nobis juſtitia & vita æterna conferenda ſignificet, & omnes cultus, honoris, ſervitii, ipſi tanquam cæleſti omnium Domino debiti, admoneat.

CAPUT VI.

Verſ. 1. Q*Uid igitur dicemus? manebimus in peccato ut gratia abundet?* Dixit Apoſtolus, ubi peccatum abundavit, ibi ſuperabundaſſe gratiam, ſupra verſ. 20, & ſic peccati abundantia non tantum gratiam Dei non eſſe ſublatam, ſed etiam longe abundantiorem effectam: hinc quæſtionem proponit: *Igitur*, re ſic ſe habente ut aſſerui, *quid dicemus?* Nempe nos Chriſtiani, quid hinc inferemus ac concludemus?

Manebimus in peccato ut gratia abundet? Intellige hoccine dicemus, & conſequenter faciemus? *Manebimus in peccato*, *ἐπιμενοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ*, immanebimus peccato, *ἐπὶ* pro *in*, nempe poſtquam in Chriſtum credidimus, & id nobis ad juſtitiam eſt imputatum? ſignificat enim Chriſtianos antehac peccato fuiſſe deditos & mancipatos.

Ut gratia abundet. Id eſt, hoc fine ut gratia Dei abundet: quanto enim abundantiora fuerint peccata, tanto & gratia Dei in illis remittendis & condonandis reddetur abundantior. An igitur dicemus, quod faciemus mala ut eveniant bona, ſicut nobis ab adverſariis objicitur cap. iij. 8?

Verſ. 2. *Abſit, qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in ipſo?* *Abſit*, id eſt ut hoc dicamus, multo vero magis ut hoc faciamus.

Qui mortui ſumus peccato &c. Cauſam affert ob quam Chriſtiani hoc non faciant, proinde neque hoc dicant, imo ne facere quidem poſſint, & conſequenter nec dicere. *Qui mortui ſumus peccato*, id eſt nos Chriſtiani.

Quomodo adhuc vivemus in ipſo? Quaſi dicat, mortui non vivunt amplius; nos peccato ſumus mortui, quomodo igitur adhuc ipſi vivemus? Mortuum eſſe peccato, eſt peccato nec mentem, nec ſenſum, nec corpus, ullumve corporis membrum commodare, peccato talem te præbere atque ſi mortuus ſis, proinde non peccare, mortui enim non peccant. Eſt autem hîc non proprietas, ſed ſimilitudo, qua hoc tantum ſignificatur, Chriſtianos à peccato alieniſſimos & averſiſſimos eſſe, nihil enorme facere, nec in ullo peccato hærere, totos in eo eſſe ne unquam peccent. Hîc videmus quale ſit Chriſtianorum officium, ſi veri eſſe velint Chriſtiani, & juſtitiæ donum non amittere. Apoſtolus enim non tam reſpicit quid fiat, quam quid à Chriſtianis omnino fieri debeat; ponit eſſe quod eſſe debet, ponit nos facere, quod ut faciamus noſtrum eſt officium, noſtra conditio ac profeſſio, & niſi faciamus, fruſtra nos eſſe Chriſtianos. *Quomodo adhuc*, vel amplius (ut verſ. 9, 10) *vivemus in ipſo?* Quaſi dicat, fieri id non poteſt ut in peccato vivamus: *ἀσύστατα* ſunt iſta, in peccato vivere & peccato mortuum eſſe. Eodem ſenſu & Johannes Apoſtolus docet, eum qui ex Deo natus ſit nec peccare, nec poſſe peccare 1 Joh. iij. 9. Sic & is qui peccato mortuus eſt, in peccato vivere nequit: niſi forte & ille ex Deo natus eſſe, & hic peccato mortuus eſſe, proindeque verus Chriſtianus eſſe deſinat.

Vivemus in ipſo. Pro vivemus ipſi, id eſt vivos nos peccato præbebimus. Peccato vivere, & in peccato vivere eadem ſunt, & ſignificant peccato deditum eſſe, in peccato, ut ante fidem in Chriſtum fiebat, manere. Verbis Apoſtoli tale ineſt dilemma, aut peccato ſumus mortui, aut non ſumus; ſi ſumus, fieri non poteſt ut in ipſo amplius vivamus & maneamus: Si non ſumus, ad Chriſtum vere non pertinemus: nam ut idem Apoſtolus alibi: *Qui Chriſti ſunt*, inquit, *carnem crucifixerunt cum affectibus &*

concupiſcentiis. Unde conſequitur eos qui non cruci-fixerunt, Chriſti haudquaquam eſſe Gal.v. 24.

Verſ. 3. *An ignoratis quod quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ipſius baptizati ſumus?* Probat nos Chriſtianos peccato mortuos eſſe, id eſt eſſe debere, ſi veri Chriſtiani ſimus, & officio ac vinculo profeſſionique noſtræ Chriſtianæ convenienter agamus.

An ignoratis? Per interrogationem, id eſt non ignoratis nec ignorare poteſtis,

Quod quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum. Id eſt quotquot Chriſtiani ſimus: per baptiſmum enim in Chriſtum homines initiantur Chriſto, & diſcipuli ejus fiunt. Ideo & Chriſtus ipſe cum mandaſſet Apoſtolis ut diſcipulos facerent, modum & rationem eorum faciendorum ipſis tradens Matth. xxviij 19, *baptizantes eos*, inquit, *in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Baptizari *in Chriſtum*, eſt baptizari in id ut Chriſti ſis diſcipulus & nomen ejus profitearis, atque ad id faciendum te baptiſmo obligare. Baptiſmus enim in Chriſtum eſt ſacramentum quoddam Chriſtianorum quo ſeſe Chriſto obſtringunt, ideoque baptiſmum ſuſcepturi publicam Chriſti nominis profeſſionem faciunt, Satanæ, mundo, peccato renunciant, Chriſto autem ſeſe addicunt. Hinc videmus baptiſmi ritum Chriſtianis neutiquam eſſe negligendum, dummodo & ab illis ſuſcipiatur qui intelligant quid ſit Chriſti diſcipulum ac ſervum eſſe, idque in animo ac propoſito habeant; & ut eo modo ſuſcipiatur quo par eſt, quoque ab ipſis Apoſtolis adminiſtratus, & ab eorum diſcipulis, imo ab ipſo Chriſto cum baptizaretur uſurpatus fuit. Eo inquam modo, qui aptus ſit ad ſignificandum, quod baptiſmus ſignificare debet. Porro in Chriſtum, vel quod idem eſt, in nomen Chriſti baptizari, idipſum eſt quod baptizari in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti. Chriſtus enim Filium ſignificat, ſimulque notat & Patrem, cujus Chriſtus, id eſt unctus ac Filius eſt, & Spiritum Sanctum quo unctus eſt, & quo Apoſtolos, ut doctores mundi eſſent, inunxit.

In mortem ejus baptizati ſumus. Id eſt in id ut mortis Chriſti participes fieremus, ſeu ut cum Chriſto moreremur, ad hoc baptiſmo nos obſtrinximus, imo & figura quadam ac ſimilitudine expreſſimus. Huc nos volentes adegit tanta Dei gratia, tantus Dei & Chriſti erga nos amor, & proprium ſalutis noſtræ ſtudium, cum videamus nos aliter ſervari nec poſſe, nec ullo modo decere, nec quidquam in eo, diligentibus Deum & Chriſtum & ſalutem propriam, ſit arduum. Quæ vero mors alia, ad quam nos baptiſmo obſtrinximus, omnibus quotquot ſumus Chriſtiani communis, hic intelligi poteſt, quam ut peccato moriamur? Hæc ſola omnes Chriſtianos mortis ſimilitudine Chriſto inſerit verſ. 5. Nam morte affici propter Chriſtum ejuſque nomen, non omnibus Chriſtianis contingit, nec in illis perpetuum eſt. Hinc quoque patet baptiſmum in Eccleſia Chriſtiana omitti non debere: quis enim ſeſe ad mortis Chriſti communionem ac ſocietatem, ſeu ut cum Chriſto moriatur, obſtringi ritu ad hoc ipſum deſtinato, & rem hanc exprimente negligat? non tantum ex illis qui aliunde ad Eccleſiam Chriſti veniunt, ſed etiam qui in Eccleſia nati & educati ſunt.

Verſ. 4. *Conſepulti ſumus igitur per baptiſmum in mortem, ut ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ſic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Concluſionem infert ex ſuperioribus: quaſi dicat, quia in Chriſti mortem baptizati ſumus, igitur per baptiſmum in Chriſti mortem ſuſceptum, Chriſto conſepulti ſumus, proinde cum Chriſto ſumus mortui. Non enim alii ſepeliuntur quam mortui. Sepultos autem eſſe nos dicit potius quam ſimpliciter mortuos cum Chriſto, quia ad baptiſmi ritum reſpicit & alludit, in quo ſepulturæ quædam eſt ſimilitudo. Conditur enim ſub aquam totus qui baptizatur, ſicut is qui ſepelitur ſub terram: qua ſepulturæ imagine teſtamur ac declaramus nos cum Chriſto ſepeliri, proinde & mortuos eſſe.

Conſepulti ſumus. Id eſt ad hoc nos obſtrinximus, hoc teſtati & profeſſi ſumus, hoc ritu ipſo baptiſmi expreſſimus, proinde idem ſactum eſſe de nobis jure meritoque præſumitur. Nam ſi factum non eſt, violatores ſumus ſacramenti Chriſto dicti, nec fideles ſumus, ſed perfidi. Hinc videre eſt baptiſmi ritum ſic celebrandum eſſe, ut in illo ſepulturæ quædam imago extet, id eſt non levi aliqua aſperſione aquæ aut affuſione, vel ſolius verticis abſolutione, ſed ſub aquam totius corporis merſione: quod & vox ipſa baptiſmi evidenter docet, (aliud enim eſt βαπτισμὸς, aliud ῥαντισμὸς vel πρόσχυσις) & ipſa praxis tam Johannis Baptiſtæ quam Apoſtolorum totiuſque Eccleſiæ primitivæ. Poſterior baptiſmi ritum mutare & in aliam formam convertere cœpit & auſa eſt, poſtquam vel corpore invalidos, clinicos olim dictos, vel ætate inhabiles, tandem etiam infantes primum natos, ad eum admiſit, quaſi in baptiſmi ritu plus ſitum ſit quam in fide, & quaſi pro infante reſponderi vere poſſit quod credat, aut ſi infans ſine fide vitæ æternæ aſſeri poſſit, non multo magis poſſit ſine baptiſmo, & ſi ſuſceptorum ſponſio ac reſponſio pro fide ſit valida, non ſimul etiam pro baptiſmo valida eſſe queat? qui cum ritus ſit, omnem ſuam vim ab eo quod animo ſit accipit; hoc ex ritu baptiſmi tolle, id eſt fidem in Chriſtum & ſancte vivendi propoſitum, animam ejus ſuſtuleris, & cadaver exanimum relinquas.

Ut ſicut Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis. Docet quem in finem cum Chriſto mortui & ſepulti ſimus, in eum videlicet ut Chriſto etiam reſurrectione conformes & conſociati ſiamus: quæ res docet mortem cum Chriſto eam hic intelligi, cum qua non minus neceſſario vinculo cohæreat ſimilitudo & conſociatio reſurrectionis Chriſti, quam Chriſti mortem neceſſario conſecuta eſt reſurrectio. Quia vero conformari & conſociari reſurrectioni Chriſti eſt ex morte qua juſtitiæ fuimus mortui reſurgere, & ut mox videbimus novam agere vitam, ſequitur ut conſociari & conformari morti Chriſti ſit peccato & priſtinæ vitæ mori. Cum hac enim morte nova & ſancta vita non minus cohæret quam cum Chriſti morte reſurrectio copulata fuit. Hoc autem & quæ ſequuntur eo fine ab Apoſtolo dicuntur, ut doceat Chriſtianos ſemel peccato mortuos, non amplius ad peccatum redire debere, ut verſ. 2 aſſeruit, ne forte quiſpiam putet Chriſtianos poſſe quidem, ac debere etiam peccato mori; ſed tamen interim ad illud reverti non plane nefas eſſe: *Sicut*

ſuſcitatus

ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis. Nempe à Deo, Patre ſuo: ſuſcitatus autem eſt ex mortuis, ut regnum ſibi à Patre deſtinatum adiret. Si enim cum mortuis & inter mortuos remanſiſſet, quo pacto & mortuis & vivis dominari, eorumque judex eſſe potuiſſet? cap. XIV. 9. Igitur ob decreta Dei fas non erat ut Chriſtus inter mortuos relinqueretur; & ſicut ob decretum Dei mori eum oportuit; ſic non minus ob idem Dei decretum ex mortuis redire ad vivos, ex inferis ad ſuperos, & ex inferno, loco omnium infimo, evehi ſuper omnes cælos in locum omnium altiſſimum debuit, ut ſcilicet conſideret à dextris throni majeſtatis divinæ, qua ſede nulla excelſior cuiquam à Deo poteſt tribui.

Per gloriam Patris. Id eſt cum gloria Patris, *per* pro *cum*, vel propter gloriam Patris, *per* pro *propter*: illius exempla ſunt obvia; hujus aliquot habuimus cap. V. 18, 19. Si priorem ſenſum amplectamur, ſignificat Apoſtolus ſuſcitationem Chriſti ex mortuis maxima cum Dei Patris *gloria* fuiſſe conjunctam, ſi poſteriorem, ſignificat Chriſtum ſuſcitatum eſſe propter Dei Patris gloriam. Utroque ſenſu ſignificatur Deum Patrem ſummam eſſe gloriam adeptum ex ſuſcitatione Chriſti & ad vivos reductione. Factum enim tam divinum, in quo immenſa Dei & potentia & ſapientia & bonitas elucet, non poteſt niſi cum maxima Dei gloria conjunctum eſſe, & in maximam ejus gloriam cedere; quam etiam à Deo quæſitam hoc in opere fuiſſe, & res ipſa & Scriptura loquitur Eph. 1. 20, 21. Philip. 2. 11. Reſurrectio igitur Chriſti non ipſi Chriſto tribuenda eſt, ad cujus rei opinionem homines præconcepti errores egerunt, ſed Deo Chriſti Patri. Illius enim & opus eſt, cujus operis & gloria eſt. Quis unquam crediſſet fore ut Chriſtiani Chriſtum vere & ſimpliciter mortuum eſſe negarent? Nam profecto qui mortuum in vitam revocare poteſt, & ipſo facto revocat, ipſe ut vel maxime vivat neceſſe eſt. Vivebat ergo Chriſtus vel maxime cum mortuus eſſet, ſi ſeſe mortuum viventem effecit. Vivebat, inquiunt, qua Deus, mortuus erat qua homo. Hoc vero non contradictiones tollere eſt, ſed multiplicare & augere. Tam enim abſurdum eſt aliquem ſimul eſſe & Deum illum unum & hominem, quam abſurdum eſt aliquem ſimul eſſe vivum & mortuum. Nam qui dicunt, homines etiam alios ſecundum corpus mori, ſecundum animam vivere; non conſiderant, nec vitam, nec mortem, animæ vel corporis eſſe attributa, ſed hominis; proinde hominem ſecundum animam vivere, ſecundum corpus mortuum eſſe, tam verum eſt quam verum eſſe poteſt hominem ſimpliciter vivere ſimul & ſimpliciter mortuum eſſe.

Sic & nos in novitate vitæ ambulemus. Sicut Chriſtus ex morte ſuſcitatus eſt, & poſt mortem novam vitam agit; ſic & nos cum Chriſto mortui ſumus, ut cum ipſo ex morte, qua juſtitiæ mortui fuimus, ſuſcitati, novam vitam agamus, atque ita ſicut morti ſic & reſurrectioni Chriſti conformemur & conſociemur. Quod quid aliud eſt quam jugiter juſtitiam colere ſine ullo ad peccata reditu. *Et nos*, id eſt Chriſtiani, non Chriſtus tantum.

In novitate vitæ. Id eſt in nova vita, duo ſubſtantiva pro adjectivo & ſubſtantivo, per Hebraiſmum. Vita ponitur pro vitę adjuncto, id eſt moribus. Nam quorum mores ſunt novi, eorum vitam novam eſſe dicimus, & bonos mores bonam ac probam vitam appellamus. Vel nova vita ponitur pro novis moribus, quod novi mores novam efficiant vitam, per metonymiam effecti pro cauſa. Conſideratur autem hic nova vita tanquam via, ut docet ſequens verbum.

Ambulemus. In via enim ambulatur. Ambulandi verbo omnes hominum actiones ſignificantur, quippe quod ambulatione nihil ſit frequentius. Itaque in novitate vitæ ambulare, eſt omnes actiones ad novam vitam dirigere, (nam & via ambulationem dirigit) ſic omnia agere ut nuſquam nec unquam à vita nova recedas. Eadem ſimilitudine de bonis operibus uſus eſt Apoſtolus Epheſ. 2. 10. Verba *per gloriam Patris* ἀπὸ κοινοῦ hic intelligenda ſunt. Nam & Chriſtianorum cum reſurrectione Chriſti conformitas ac conjunctio, & in vitæ novitate ambulatio, cum Dei Patris gloria conjuncta eſt, & ad eam tota dirigitur: qui ſicut reſurrectionis & vitæ Chriſti auctor eſt, ſic non minus & novæ Chriſtianorum vitæ.

Verſ. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudine mortis ipſius, igitur & reſurrectionis erimus.* Probat Chriſtianos non tantum morte, ſed etiam reſurrectione Chriſto ſimiles eſſe debere.

Si enim, inquit, *complantati facti ſumus*, vel *fuimus*. Nempe nos Chriſtiani. *Complantati*, id eſt ſimul plantati. Non reſpectu ejuſdem temporis, ſed reſpectu ejuſdem plantationis. Diverſis enim temporibus, nunc hi, nunc illi plantati ſunt, ſed tam hi quam illi, & ſic omnes plantati ſunt, intellige autem, plantati fuimus in Chriſto, Chriſto tanquam plantæ inſiti fuimus.

Similitudine mortis ejus. Id eſt per ſimilitudinem mortis Chriſti. Dum enim Chriſto morte ſimus ſimiles, in Chriſto plantamur, & Chriſto inſerimur; ideoque hanc mortis ſimilitudinem per baptiſmum repræſentamus, teſtamur, profitemur, & ad eam nos obſtringimus, per quem in numerum diſcipulorum Chriſti allegimur & eccleſiæ adjungimur.

Igitur & reſurrectionis erimus. Intellige ἀπὸ κοινοῦ, *ſimilitudine plantati*, ſcilicet in Chriſto: quaſi dicat, ne quis putet reſurrectionis ſimilitudine opus non eſſe.

Erimus. Conſequentia notatur. Si hoc eſt, etiam hoc erit, id eſt etiam hoc ex priore conſequitur. Neque ſane ulla cauſa eſt ut Chriſto ſimilitudine mortis inſeramur, & non ſimul etiam ſimilitudine reſurrectionis, ex morte juſtitiæ ad novam vitam, tantoque magis, quod iſta natura ſint conjuncta, & ſimilitudo mortis Chriſti ſecum inferat reſurrectionis ſimilitudinem. Nemo enim peccato mori poteſt quin ſimul reſurgat juſtitiæ, & vivat juſtitiæ, novamque vitam agat. In Græco eſt ἀλλὰ; quod hoc loco ſignificat *igitur*, ut Gal. 2. 14.

Verſ. 6. *Hoc cognoſcentes, quod vetus noſter homo ſimul crucifixus ſit ut deſtruatur corpus peccati, ne amplius ſerviamus peccato.* Comprobat utrumque iſtorum in nobis conjunctum eſſe, ſeu omnino conjunctum eſſe debere, ſi in Chriſto vere plantati fuimus, & cum illo coaluimus.

Hoc cognoſcentes. Id eſt cum hoc cognoſcatis, & probe ſciatis, vel cognoſcamus & probe ſciamus.

Quod

Quod vetus noſter homo. Id eſt vetus ille animi noſtri & morum noſtrorum habitus, qui fuit in nobis antequam notitiam Chriſti haberemus, & fidem in ipſum amplexi eſſemus. Cujus veteris hominis anima eſt Chriſti & Euangelii ejus ignorantia : corpus autem eſt peccatum ſeu mali mores & vitia. Ex tali anima & corpore vetus homo compoſitus eſt.

Simul crucifixus ſit. Id eſt cum Chriſto crucifixus ſit, ſeu crucifixus eſſe debeat. Hæc crucis Chriſti vis eſt, hoc in nobis efficere voluit, cum ſe pro nobis & peccatis noſtris crucifigi paſſus eſt. Hoc noſtrum, ſi Chriſti eſſe velimus, officium eſt: crux enim Chriſti ſicut maximum Dei & Chriſti erga uos amorem; ſic adverſus peccata odium declarat, & certiſſimam damnationem, ſi poſt fidem & baptiſmum iterum peccatis vivamus, iterum nobis Chriſtum Dei Filium crucifigentes, (cum ſciamus Deum non alia ratione peccata mundo remittere voluiſſe, quam ut Chriſtus victimam ſe pro illis præberet) & eundem Chriſtum Dei Filium conculcantes, ſanguinem fœderis, quo ſanctificati fueramus, communem ducentes, & ſpiritum gratiæ contumelia afficientes, cum per hæc omnia Deus nos à peccatis abducere voluerit Hebr. vj. 6. x. 29. *Crucifixus.* Id eſt crucis morte affectus eſt. Crux dolorem & mortem affert. Etiam vereri homini dolor antequam exſpiraret allatus eſt. Dolet enim carni vehementer cum peccare non permittitur, ſeu à peccando continetur, & ad recte faciendum agitur.

Ut deſtruatur corpus peccati. Finem exprimit ob quem vetus homo crucifixus eſt. *Corpus peccati* ſignificat corpus quod eſt peccatum, per genitivum ſpeciei, qui crucifigitur eo fine crucifigitur ut corpus ejus deſtruatur. Sic & vetus noſter homo crucifixus eſt, ut corpus ejus, id eſt peccatum cum omnibus membris ſuis deſtrueretur Coloſſ. iij. 5. Peccato corpus tribuitur, non tantum ut plenior eſſet ad hominem crucifixum alluſio; ſed etiam quod ſicut corpus ex multis ac variis membris compoſitum eſt, ſic & peccatum ex multis ac variis peccandi generibus ac modis ſeu partibus ſit conflatum. Itaque corpus peccati totum peccati complexum ſignificat: qui in nobis deſtructus & abolitus eſt, ſi cum Chriſto vetus noſter homo, ut debet, crucifixus eſt. Alii *corpus peccati* per Hebraiſmum dici putant: quo pacto infra, *corpus mortis* pro morte cap. vij. 24, & alibi *corpus* diei, pro die.

Ne amplius ſerviamus peccato. Illud iterum hoc fine, ne ſemel ex morte juſtitiæ ſuſcitati, amplius peccato ſerviamus. Quomodo enim ſerviamus peccato, quod deſtructum & abolitum eſt? At peccato non amplius ſervire, quid aliud eſt quam novam vitam ſemper cum Chriſto agere, & ſic non mortis tantum, ſed & reſurrectionis ſimilitudine Chriſto inſitum eſſe? Peccato ſervire per proſopopoëiam dicitur, peccati tanquam domini cujuſdam juſſa, etiam contranitente animo & conſcientia, exequi. Aliud enim eſt peccare, aliud peccato ſervire. Peccare quandoque poſſunt etiam qui peccato minime ſerviunt: nimirum peccant, non quia peccatum jubeat; ſed quia homines ſunt, & ex ignorantia aut improviſo aliquid delinquunt.

Verſ. 7. *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.* Probat Chriſtianos non amplius peccato ſervire, quia mortui ſunt peccato; ut verſ. 2, 3, 4 dictum eſt. At mortuus, in perpetuum *juſtificatus eſt a peccato*, id eſt plane liberatus, per ſynecdochen ſpeciei pro genere. Juſtificatio enim liberationis eſt ſpecies, juſtificatus autem dicere maluit, ad vivi hominis à peccato liberationem exprimendam commodius.

Verſ. 8. *Si vero mortui ſumus cum Chriſto, credimus quod & vivemus cum ipſo.* Ex morte cum Chriſto infert vitam cum Chriſto perpetuam, & ſic Chriſtianos non amplius unquam vivere in peccato, ſemelque peccato mortuos ad illud nunquam reverti. Quid ſit cum Chriſto mori, jam diximus: ſimul autem ſignificatur Chriſtum ſua pro nobis morte hoc in nobis effeciſſe, ut cum ipſo moreremur; eidemque vis eſt efficiendi, ut etiam cum ipſo perpetuo vivamus.

Credimus quod etiam cum ipſo vivemus. Nempe ſemper. Nom ſimpliciter autem dicit *etiam cum Chriſto vivemus*, ne dicto temeritas adſit: ſed *credimus*, id eſt Deo confidimus, ejuſque divino auxilio ſerti ſumus, fore ut etiam cum Chriſto ſemper vivamus. Cum Chriſto vivere, eſt vitam illius quam poſt mortem adeptus eſt imitari, id eſt juſtitiæ poſtquam peccato ſemel ſis mortuus, & ex morte, qua juſtitiæ mortuus eras ſuſcitatus, perpetuo vivere.

Verſ. 9. *Scientes quod Chriſtus ſuſcitatus ex mortuis, non amplius moritur, mors ei non amplius dominatur.* Cauſam affert perpetuæ iſtius cum Chriſto vitæ.

Scientes, id eſt cum ſciamus, *quod Chriſtus ſuſcitatus ex mortuis.* Id eſt poſtquam ſuſcitatus eſt ex mortuis, ſeu poſt mortem cœpit vivere.

Non amplius moritur. Id eſt vivere nunquam deſinit. *Mors ei non amplius dominatur.* Mors non habet in illum ullam poteſtatem, ut eum vita privet. Hæc eſt poteſtas & dominatus mortis. Sic nec in nos poſtquam Chriſto vivere cœpimus, mors juſtitiæ, id eſt peccatum, ullum habet dominatum, niſi nos ipſi ultro dominum hunc nobis imponamus. Cum igitur hoc ſciamus, Chriſtum vitæ ſanctæ perpetuitate imitemur, & imitari omnino debemus.

℣ſ. 10. *Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel, quod vero vivit vivit Deo.* Rationem reddit ſuperioris dicti, quia quod mortuus eſt (ὃ ἀπέθανε, ſimilem locutionem habes Gal. 2. 20) peccato mortuus eſt ſemel: quaſi dicat, non plus quam ſemel, ne amplius in eum per mortem dominaretur, peccatum enim per mortem dominatur, ut vidimus cap. v. 21, cum ſcilicet morte homines afficit, ſeu mortis cauſa illis eſt. Peccatum autem intelligit, non Chriſti qui ſine peccato fuit, ſed totius mundi, quod Chriſto tanquam Dei agno & victimæ incumbebat, eumque ad mortem tanquam dominus & tyrannus quidam urgebat & agebat. Hoc ut in æternam liberareretur & mundum expiaret, ſemel eſt mortuus. Ita peccatum mortem quidem attulit Chriſto, ſed ſimul tamen per eam peccato in æternum exſolutus eſt. Semel enim tantum mori Chriſtum opus erat, ut Deus ad remittenda omnibus in Chriſtum credentibus peccata ſeſe obſtringeret, & iis adipiſcendæ remiſſionis jus fieret, & quanto Deus odio peccata averſetur, quamque neceſſarium ſit ab iis abſiſtere, toti mundo conſtaret. Hac phraſi de Chriſto per [illegible] quandam uſus eſt Apo-

eſt Apoſtolus, ut comparatio & ſimilitudo noſtri cum Chriſto tanto aptius congrueret. Nam & nobis peccato ſemel moriendum eſt, non iterum peccato vivendum ut ei iterum moriamur; ſed nobis noſtro peccato moriendum eſt, non alieno. Chriſto, non ſuo ſed alieno, id eſt noſtro moriendum fuit; nobis moriendum eſt morte ſpirituali & improprie dicta, Chriſtus morte corporali & proprie dicta mortuus eſt. Chriſtus ex illa morte revixit qua mortuus fuit, & vita Chriſti mortem Chriſti ſuſtulit; at nobis in ſpirituali morte qua peccato mortui ſumus ſemper manendum eſt, cum hæc mors à ſpirituali & nova vita non differat, & quod ad mortem attinet qua juſtitiæ fuimus mortui, hæc non tantum ſimilitudine reſurrectionis & vitæ noſtræ, cum reſurrectione & vita Chriſti, ſed etiam ſimilitudine mortis noſtræ cum morte Chriſti ſublata eſt.

Quod vero vivit, ὃ δὲ ζῇ, eadem phraſi, *vivit Deo.* Quaſi dicat, ut mirum non ſit eum ſemper vivere. Deus ex illius æterna vita æternam habet gloriam, Dei uſibus vivit & gloriæ, omni in poſterum moriendi cauſa & peccato mundi ſublato, Dominus eſt omnium, ad gloriam Dei Patris Phil. 2. 11. Vide hic inter Deum & Chriſtum manifeſtum diſcrimen. Si Chriſtus Deo vivit, profecto Deus ille unus ipſe non eſt. Ex dictis Apoſtoli conſtat, quanto verſentur in errore, qui quotidie Chriſtianos peccare putant, & quotidie, pœnitudine facti, peccato mori, eademque quotidie à peccato reſurgere. Certe bona fide mortuus non eſt qui quotidie moritur, nec reſurrexit qui quotidie reſurgit, nec vera pœnitudine ducitur qui peccatum repetit, nec ullam pœnitendi cauſam habet qui reatu illius ſe tam leviter defungi poſſe putat.

Verſ. 11. *Sic & vos exiſtimate vos ipſos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Ex Chriſti exemplo infert adhortationem Apoſtolus. Exemplum Chriſti docet quod ſit noſtrum officium, noſtrum ſacramentum*; huic igitur ut ſatiſfaciamus, & ipſo effectu tales ſimus quales eſſe debemus, monemur.

Sic & vos. Sicut Chriſtus peccato ſemel mortuus eſt, & poſt mortem ſemper vivit Deo,

Sic & vos exiſtimate. Λογίζεσθε, putate, rationibus ſubductis ſtatuite, ducite. Quæri poteſt, cur Apoſtolus non dixerit ſimpliciter, ſic & vos mortui eſtote peccato? Nempe quia hæc mors mente & firmo animi propoſito ac inductione peragitur. Unde & Apoſtolus Petrus ad eandem cum Chriſto mortem nos exhortans, ait, *Chriſto igitur pro nobis paſſo carne, & vos eadem cogitatione armamini*, nempe patiendi & moriendi carne, qua mori ſimul eſt peccato mori, ſicut ibidem ab Apoſtolo explicatur 1 Petr. iv. 1.

Voſmet mortuos quidem eſſe peccato. Quid ſit peccato mortuum eſſe verſ. 2 dictum eſt.

Viventes autem Deo. Intellige, εἶναι, *eſſe.* Vivunt Deo qui ſeſe promptos & dicto audientes ac obſequentes Deo præbent in omnibus. Peccato opponit Deum, ut ipſa utriuſque Domini oppoſitione nos à peccato avertat & Deo mancipet. Quid peccato turpius & pejus? quid Deo ſanctius & melius?

In Chriſto Jeſu Domino noſtro. Docet quomodo Deo vivere debeamus: *in Chriſto Jeſu Domino noſtro*, inquit, id eſt per Chriſtum Jeſum: quaſi dicat, non per Legem Moſaicam: Chriſtus id ſuo jure à nobis exigit. Pro nobis enim eſt mortuus. Vivendo igitur Jeſu Chriſto, vivere debemus Deo. Vivi enim Chriſto non poteſt, quin vivatur Deo, cum Chriſtus unum ſit cum Deo, & ipſe vivat Deo, nec vivi Deo poteſt ita ut hæc vita Deo ſit gratia, quin vivatur Chriſto. Vivendum autem eſſe Chriſto, id docet quod ſit Dominus noſter nobis à Deo datus; hunc enim in finem à Deo ex mortuis eſt ſuſcitatus, ut Dominus noſter eſſe poſſet, noſque ei vivere ac ſervire poſſemus: mortuus autem eſt pro nobis, ut id prompto & alacri animo, ardentique in ipſum affectu facere vellemus. Hinc idem Apoſtolus, *charitas Chriſti*, inquit, *conſtringit nos, judicantes hoc quod ſi unus pro omnibus eſt mortuus, ergo omnes ſunt mortui, & pro omnibus eſt mortuus, ut qui vivunt non amplius ſibi ipſis vivant, ſed qui pro ipſis mortuus eſt.* Et ne quis dicat mortuo ſerviri non poſſe, addit Apoſtolus, *& ſuſcitatus eſt* 2 Cor. v. 14, 15. Vivit & regnat is qui pro nobis mortem oppetierat, huic igitur vivendum nobis eſt. Ideo enim *ſemetipſum pro nobis dedit, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purgaret ſibi ipſi populum peculiarem ardentem, ſectatorem bonorum operum* Tit. 2. 4. Vivere Chriſto eſt omnia Chriſti mandata alacri animo exſequi, & imprimis Chriſtum divinis honoribus extollere, & ſic in Chriſto ipſum Deum. Ad divinos honores pertinet invocatio. Qui enim invocatur tanquam ubique ſua providentia & ſapientia præſens, quamvis nullis hominum ſenſibus expoſitus, divino & cœleſti honore afficitur; tanto vero magis ſi iis in rebus invocetur ad quas efficiendas ſolius Dei opus eſt potentia. Hunc vero honorem competere Chriſto idipſum docet, quod Dominus ſit noſter: quis enim Dominum ſuum neceſſitate preſſus non invocet? quem & preces ſuas audire, & omnem in cælo & in terra poteſtatem habere, & divitem eſſe ſciat in omnes qui ipſum invocent? cap. x. 12. Ut mirum non ſit Chriſtianos per id deſcribi & deſignari quod Domini Jeſu Chriſti nomen, vel ipſum Chriſtum invocent 1 Cor. 1. 2 & alibi.

Verſ. 12. *Ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore, ut obediatis ipſi in cupiditatibus ejus.* Quaſi dicat Apoſtolus, quandoquidem hoc veſtrum eſt officium, & hęc pietatis Chriſtianæ ratio, ut vos peccato ducatis eſſe mortuos, ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore. Si enim mortui eſtis peccato ſeu pro mortuis peccato vos omnino ducitis, etiam corpus veſtrum mortale eſt mortuum; corporis enim ratione potiſſimum quiſque moritur. Si vero corpus veſtrum eſt mortuum, quo pacto in mortuo corpore regnabit peccatum? Regnare dicitur peccatum per proſopopoëiam, ut & antea notavimus, cui figuræ locum hic fecit peccati cum Deo comparatio: quod uſu venit etiam Chriſto de Spiritu Sancto loquenti, quem ſimiliter perſonæ habitu induxit, quod eam ſecum tanquam alterum Paracletum & magiſtrum compararet Joh. xiv. xv. xvj.

Ne regnet peccatum. Id eſt non permittite ut regnet,

jubeat, imperet, nempe ut ſequitur, cum obediendi effectu.

In mortali veſtro corpore. Tanquam ſcilicet in ſua ſede ac regia, in qua maxime ſolet exſeri vis Regia. Non fruſtra autem Apoſtolus non ſimpliciter dixit in corpore veſtro, ſed *in corpore veſtro mortali*, nimirum ne quis mortalitatem corporis arriperet ad excuſanda peccata, quod tamen multi faciunt, exiſtimantes tum demum nos à peccati dominatu fore liberos, cum mortalium corporum exuviis poſitis immortales reddemur. Imo vero dicit Apoſtolus, ne regnet peccatum in mortali veſtro corpore, in corpore in quo regnare poteſt, ſed ut regnet vos permittere non debetis. Non debet enim regnare, quia corpus peccato eſt mortuum, at mori non poſſet niſi mortale eſſet. Nihil refert quod mortale corpus habeamus, dummodo illud peccato ſit mortuum, liberi à peccati regno erimus.

Ut obediatis ipſi. Finis regnationis & imperii eſt obedientia. Monemur ergo ne peccato obediamus. Nam ſi obedientia non ſequatur, irrita & inanis eſt juſſio, & tollitur regnatio. Etſi igitur peccatum aliquid jubeat & imperet, proritatione nimirum, nos tanquam mortui juſſiones & imperia & ſuaſiones illius nullas audiamus & admittamus. Obediunt peccato qui ſcientes prudentes peccant, non qui per imprudentiam aliquam vel repente à peccato præventi & occupati delinquunt, quod in enormibus factis aut conſuetudine peccandi locum non habet.

In cupiditatibus ejus. Id eſt corporis. Eſt enim pronomen αὐτοῦ, quod reſpondet corpori, non αὐτῆς, quod reſponderet voci ἁμαρτία. In corpore noſtro mortali variæ ſunt cupiditates pro objectorum varietate, harum occaſione ſeſe peccatum corpori noſtro inſinuare, & regnum, niſi caveamus, arripere ſolet, jubens & id agens ut illicita cupiamus. Obedire igitur peccato in cupiditatibus corporis, eſt illi obedire cupiendo illicita, ſeu per cupiditates corporis: *in* pro *per*. Nam & ipſa cupiditas eorum quæ nobis Lege Dei & juſtitiæ negata ſunt, etiamſi ad effectum non perducatur, ſi ab animo approbetur, peccatum eſt. Coram Deo tantum quiſque fecit, quantum facere voluit.

Verſ. 13. *Neque exhibete membra veſtra arma injuſtitiæ peccato, ſed exhibete voſmet ipſos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* Monuit ne peccato exhiberemus cupiditates corporis, nunc etiam monet ne illi exhibeamus ac præbeamus membra corporis, per quæ ſcilicet cupiditates illicitæ deducantur ad effectum. Obedire peccato in cupiditatibus eſt animo peccare; membra corporis illi exhibere arma, eſt facto peccare, duplex dominii effectus.

Arma injuſtitiæ. Arma ad peragendam injuſtitiam, per genitivum finis vel effecti: ſignificat enim quo fine & effectu membra præbeantur peccato. Cupiditates illicitæ & peccatum ſine membris noſtris eſt inerme, nihil poteſt opere ipſo mali facere, non plus quam Rex ſine militibus & armis, cui peccatum aſſimilat Apoſtolus. Membra igitur noſtra ad peccati juſſum & imperium quieſcant, & ſeſe ne moveant tanquam mortua: quæ ſi peccato præbentur & exhibentur, ſunt arma injuſtitiæ, quibus injuſtitia peragitur. Injuſtitia autem ponitur pro actionibus & operibus injuſtis. Abſtractum ponitur pro concreto.

Sed exhibete voſmet ipſos. Contrarium ſequitur ex contrario, vivimus Deo, non peccato, non peccato igitur ſed Deo noſmetipſos exhibeamus, id eſt Dei juſſibus & imperiis ſemper promtos ac paratos, quanti quanti ſumus.

Tanquam ex mortuis viventes. Cauſam rei dictæ inſinuat: quaſi dicat, quippe ex mortuis viventes, eratis mortui Deo & juſtitiæ; ſed per Chriſti mortem & reſurrectionem mortui eſtis peccato & injuſtitiæ, ſuſcitati vero & viventes facti eſtis ex mortuis Deo & juſtitiæ. Igitur tanquam ex mortuis viventes, Deo voſmet præbete, cujus beneficio ex tanta morte viventes facti eſtis.

Et membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Hoc ex priori conſequitur: nam ſi totos nos Deo præbere debemus, etiam membra noſtra illi præbenda ſunt: ſed nominatim hoc exprimere voluit Apoſtolus, ut doceret corpore non minus omnibuſque corporis membris Deo ſerviendum ac miniſtrandum eſſe quam animo. Sunt enim qui etiamſi corpore ſerviant & miniſtrent peccato, nihilominus ſe officio ſuo perfunctos putant, quod animo improbent quæ corpore faciunt. Sunt qui juſtitiæ corpus ſuum non commodant, ut non tantum non faciant mala; ſed etiam faciant bona; immemores ſe pretio emtos eſſe ut Deum & ſpiritu & corpore glorificent quæ ſunt Dei 1 Corinth. VI. 20. Deo membra noſtra præbere, eſt ea præbere Dei juſſibus & imperiis, ut quæ Deus jubet & imperat, protinus exequantur; quæ vetat, ab iis ſeſe contineant.

Arma juſtitiæ. Id eſt arma ad juſtitiam peragendam, eadem praſi qua dixit *arma injuſtitiæ.* Deus enim nil niſi juſtitiam jubet: ideo cum membra noſtra Deo præbentur, præbentur illi tanquam arma ad peragendam per nos juſtitiam, id eſt omnis generis juſtas actiones ac opera.

Verſ. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub Lege ſed ſub gratia.* Rationem reddit ſuperiorum per prolepſin. Ne quis diceret: ſi uſtra nos hortaris Paule, ne peccatum in mortali noſtro regnet corpore, neve illi ſed Deo noſmet & membra noſtra præbeamus. Sic quidem oporteret, ſed difficile eſt hunc dominum, quamdiu in hoc mortali corpore ſumus, à cervicibus noſtris depellere, & jugum ejus excutere. Non fruſtra hortor, reſpondet Apoſtolus: peccatum enim vobis non dominabitur, intellige, dummodo vos ipſi nolitis, (nolle autem vobis in promptu eſt,) nec ultro voſmet dominatui ejus ſubdatis. Dominatur peccatum illis qui, ut antea monuimus, ſcientes prudentes peccant, enormiter delinquunt, vel peccati conſuetudine aliqua tenentur.

Non enim eſtis ſub Lege ſed ſub gratia. Probat quod aſſeruit: quaſi dicat, ſi ſub Lege eſſetis ut olim, poteratis forte hac uti exceptione, ſed nunc ſub gratia eſtis, non ſub Lege amplius. Exemit vos Deus ex ſtatu illo & conditione ſervili, & in ſtatum ac conditionem tranſtulit liberalem,

beralem, non agit amplius vobiſcum ſerviliter, ſed plane liberaliter. Vobis igitur imcumbit ut & vos tanquam liberi & filii ac hæredes Dei agatis, non ſervorum in modum, quos ægre ſeveritas in officio continet: hoc ſi à vobis fiat, fieri autem & poteſt & omnino debet, nullo negotio vos à peccati dominatu in libertatem vindicabitis. Lex intelligitur per Moſen à Deo tradita, quæ norma & regula erat actionum humanarum, mortis pœnam tranſgreſſoribus conſtitutam habens, licet mors pro varietate tranſgreſſionum & delictorum varia eſſet, omnes tamen illius ſpecies in vitæ privationem deſinebant, quæ ſua natura & per ſe nonniſi æterna eſſe poteſt: huic, id eſt Legi oppoſita gratia, nempe Dei per Jeſum Chriſtum allata, ſeu ut Johannes Apoſtolus loquitur Joan. 1: 17, facta, eſt Euangelium de Paterno Dei amore & affectu erga homines omnes, qui nil niſi ea quæ per ſe juſta ſunt & recta ab illis poſtulat, omnem præteritorum delictorum veniam, & cæleſtem ſimul hæreditatem iis offerens & pro filiis adoptans, ac cæleſtis hæreditatis arrhabonem Spiritum ſuum Sanctum iis conſerens, ea ſola conditione ut ſeſe gerant tanquam Dei filios & hæredes decet, id eſt omnis generis juſtitiam toto pectore ſectentur, & ab omni illo quod per ſe turpe eſt, abhorreant & abſtineant, & ſi quid in hoc ſuo ſancto conatu delinquant, paterna moderatione ſeſe cum illis acturum promittens: huncque ſuum tanti amoris ac benevolentiæ affectum unici Filii ſanguine pro peccatis hominum in mortem traditi obſignans. Hęc eſt Dei gratia ſub qua ſumus, quam qui cognovit, qui guſtavit, profecto niſi ipſe ſibi ſalutique ſuæ deeſſe velit, & niſi peccatum regno Dei præferat, nullo negotio ſeſe ex illius tyrannide vindicabit; quod Legi præſtare promptum haudquaquam erat, quæ aperta vitæ æternæ ac cęleſtis hęreditatis promiſſione carens, & omnes qui peccarent, nullus autem erat qui non peccaſſet, morti damnans, ſolo potiſſimum metu homines in officio continebat: at Dei gratia tanta, ingentem in animis hominum erga Deum amorem excitat, qui omni metu validior & efficacior eſt; neque tamen & juſtiſſimus, iſque maximus, deeſt metus ex hac Dei gratia excidendi, ſi quis eam ardentiſſimo viciſſim erga Deum amore non penſet, nec illa digne ſeſe gerat, illiuſque cauſa peccatum omne relinquat. Ita gratia, maximo timore cum maximo erga Deum amore miſto, longe validiſſima eſt ad nos à peccati jugo liberandos: quod Lex, quæ ſolum pręcipue metum, eumque haudquaquam tantum, tanta gratia nondum apparente, incutiebat, præſtare & peccati viribus reſiſtere non valuit. Vide cap. viij. 3. Hinc Apoſtolus alibi *gratiam Dei ſalutarem omnibus hominibus apparuiſſe* dicit, *erudientem nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo, exſpectantes ſpem illam beatam, & apparitionem gloriæ magni Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*; cujus ipſius etiam tantus amor erga nos fuit, *ut ſeipſum dederit pro nobis, quo nos redimeret ab omni iniquitate, & purgaret nos ſibiipſi populum peculiarem, æmulatorem bonorum operum* Tit. 2. 11, 12, 13, 14.

Verſ. 11. *Quid igitur? peccabimus, quod non ſimus ſub Lege ſed ſub gratia? Abſit.* Ex dictis oriri poterat hęc quęſtio quam hic proponit & tolli Apoſtolus. *Quid ergo*, intellige faciemus? *Peccabimus?* Id eſt peccabimuſne, per ellipſin particulæ interrogativæ, manebimuſne in peccato & illi ſerviemus?

Quia, id eſt propter id, *quia non ſumus ſub Lege ſed ſub gratia.* Illud enim ex hoc ſequi videri poſſit: gratia ſiquidem impunitatem offert & continet, Lex pœnam minatur & intentat. Si igitur Legi exemti ſumus, ſub gratia vero conſtituti, pœnæ ſumus exempti & impunitatis privilegio donati: quid igitur impediat quin peccemus, ſi nobis hoc impune ſit futurum?

Abſit, reſpondet Apoſtolus. Nempe ut ideo peccemus, quod ſub Lege non ſimus ſed ſub gratia. Magnus enim hic foret gratiæ Dei abuſus, per quem id quod nobis in ſalutem datum eſt, ipſi converteremus in noſtram perniciem.

Verſ. 16. *Neſcitis quod cui exhibetis voſmetipſos ſervos in obedientiam, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam?* Cauſam affert cur longe id quod dixit à nobis abeſſe debeat: quaſi dicat, ſi vobis peccatum dominabitur & vos peccabitis, tum voſmet præbebitis peccato ſervos in obedientiam. Eritis igitur peccati ſervi cui obeditis. Si eritis peccati ſervi, reportabitis id quod ſervis peccati debetur & ſolvitur, nempe *mortem*. At ſi obedientiæ obedietis, ſervi eritis obedientiæ, & pręmium quod ſervis obedientiæ tribuitur referetis, nempe *juſtitiam*. Significat Apoſtolus, ſicut rebus in omnibus modum eſſe & certos fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum, ſic etiam in illa Dei tanta gratia convenientem nihilominus modum ac fines eſſe, citra quos gratia iſta non conſiſtat, ne quid ad perfectionem ejus deſit, nec viciſſim ultra eos extendatur, ne gratiæ naturam amittat, & gratia eſſe deſinat, ſed aliquid aliud fiat, Deo ſancto & ſapiente prorſus indignum. Nimirum hoc vult Apoſtolus, gratiam Dei ad illos tantum pertinere qui ea permoti dominatum omnem excutiunt & obedientiæ ſeſe mancipant: iſtos vero qui peccato ſerviunt, gratia iſta Dei plane indignos eſſe, eaque penitus excidere. Gratia videlicet Dei hanc vim habet ut nos peccati poteſtati eximat, ſed hanc non habet nec habere debet, ut nos in poteſtate & mancipio peccati manentes, vitæ æternæ nihilominus aſſerat.

Neſcitis? Per interrogationem, id eſt probe ſcitis, abſit igitur ut ſcientes & prudentes perniciem vobis accerſatis. Cum de gratia Dei edocti eſtis, ſimul etiam edocti eſtis ac didiciſtis non debere nos in poſterum peccati eſſe ſervos, ſi mortem effugere & vitam æternam adipiſci velimus.

Quod cui exhibetis. Exprimit quid probe ſciant, nempe id quod etiam res ipſa per ſe loquitur.

Cui exhibetis voſmetipſos ſervos. Id eſt cui vos in ſervitutem ultro ac benevole dedita opera traditis.

In obedientiam. Id eſt ut ei obedientes ſitis, ejus juſſa exequamini.

Servi eſtis ejus cui obeditis. Cui dicto audientes & obſequentes eſtis. Verbi cauſa, exhibetis voſmet Imperatori Romano ſervos in obedientiam, ſervi igitur eſtis Imperatoris, cui obeditis.

Obedientia quam Imperatori exhibetis, ſervos Imperatoris vos teſtatur.

Sive peccati in mortem. Quaſi dicat, applicemus dictum hoc generale ad rem noſtram. Duo ſunt domini ſibi invicem contrarii, alter eſt peccatum, alter eſt obedientia peccato contraria: peccatum enim excludit obedientiam divinæ voluntati, & obedientia viciſſim excludit peccatum adverſus Dei voluntatem, peccatumque nihil aliud eſt quam inobedientia. Si igitur obeditis peccato, ſervi eſtis peccati, & quidem ſponte vos in hanc ſervitutem dediſtis, cum ideo peccato obeditis quod non ſub Lege ſitis ſed ſub gratia; ſi vero obeditis obedientiæ, ſervi eſtis obedientiæ. Obedientiæ obedire eadem phraſi dicitur qua juſtitiæ obedire. Servi porro peccati eſtis, quem in finem?

In mortem. Servi autem obedientiæ quem in finem?

In juſtitiam. Obedire peccato, ut non ſemel monuimus, eſt peccati juſſa & imperia exequi, ſcientem prudentem peccare, peccandi conſuetudine teneri; obedire obedientiæ ſimiliter eſt ea facere quæ jubet ac imperat obedientia; facere, inquam, conſuetudine perpetua & continua, nihil de induſtria contra obedientiam facere, ſic, inquam, obedire, ut ſervus obedientiæ, iſque frugi, dici merearis. De obedientia hic loquitur Apoſtolus, ſicut & de peccato, per proſopopoëiam, quæ loquendi figura in virtutibus ac vitiis uſitata eſt.

In mortem. Hunc finem habet peccati ſervitus, quem etiamſi non intendant illi qui ſeſe peccato in ſervitutem tradunt, tamen hic eos manet exitus: hoc referunt ſervitutis ſuæ pretium. Intelligitur autem præcipue mors illa ſecunda, quæ vere mors eſt, per ignem cæleſtem peccati mancipiis infligenda, ex qua nullus unquam dabitur exitus, per Euangelium non minus clariſſima prædicatione revelata, quam vita illa ſecunda, quæ vere vita eſt, nullo unquam fine terminanda, nullis adverſis contaminanda.

In juſtitiam. Docet quo fine ſerviatur obedientiæ, ſervitur, inquit, obedientiæ *in juſtitiam.* Juſtitiam pro præmio ferunt qui obedientiæ ſunt ſervi. Intelligit juſtitiam quam Deus ex gratia ſua imputat; cum qua individuo nexu copulata eſt juſtificatio & vita æterna, morti illi æternæ oppoſita. Hic quoque locus docet juſtitiæ vocem ab Apoſtolo accipi, cum de imputatione illius agit non pro officio noſtro, ſed pro officii noſtri præmio, officium enim noſtrum obedientiæ nomine exprimit, eamque peccato opponit; at juſtitiæ voce exprimit obedientiæ noſtræ præmium, & juſtitiam morti opponit. Idem locus docet obedientiam requiri, ſeu ſervum obedientiæ eſſe oportere, ad juſtitiam, quod & res ipſa docet, ſi ſervos peccati, niſi fiant ſervi obedientiæ, exitium manet inevitabile. Juſtitia nimirum iſta per fidem primum acquiritur, ſed obedientiæ ſerviendo conſervatur & conſummatur, tandemque vitæ æternæ præmio terminatur. Juſtitiam enim hic conſummatam, & ad ipſam vitæ æternæ conſequutionem perductam Apoſtolus intelligit. Nec mirum obedientiam requiri poſt fidem, ad juſtitiæ per fidem acquiſitæ conſervationem & continuationem, cum & fides ipſa, niſi eam conſequatur obedientia, vel nulla ſit, vel pro nulla cenſeatur, quippe inefficax & invalida & infrugifera, imo mortua.

Verſ. 17. *Gratia vero Deo quod eratis ſervi peccati, obedivistis autem ex corde in quam traditi eſtis formam doctrinæ.* Poſtquam in genere dixit quid eos maneat ſi ſervi ſint, ſive peccati, ſive obedientiæ, nunc in ſpecie dicit quid ab illis & conſequenter cum illis fiat, nempe quod peccato non amplius ſerviant, ſed juſtitiæ, & ſic morti erepti & juſtitiæ ac vitæ æternæ aſſerti ſint.

Gratia vero Deo. Non ſimpliciter illud de iis dicit, ſed cum gratia erga Deum. *Gratia Deo*, intelligeſit, id eſt agatur & habeatur & à me & à vobis & ab omnibus piis. Docet Deo gratiam deberi etiam pro iis quæ ad officium ac obedientiam noſtram pertinent. Deo ſiquidem duce & auctore & opitulatore facimus quicquid boni facimus, præſertim vero cum grave peccati jugum excutimus & juſtitiæ noſmet mancipamus: quis enim hoc abſque ſpiritu Dei poſſet præſtare? Ita Deus ſua in nobis opera juſtitiæ & vitæ æternæ dono coronat, Idipſum docet Apoſtolus Epheſ. 2. 10, ſed tamen non ita bonorum operum in nobis auctor eſt Deus, ut ulli noſtrum vim faciat; ſufficit quod nulli neceſſariam opem deneget, ſive ad fidem ipſi præbendam, ſive ad obedientiam præſtandam. Neque enim Deus virtuti ac vitio locum tollit, ut præmio & pœnæ locus eſſe poſſit. Quiſque ſua culpa Deo non credit nec obedit cum credere & obedire poſſet ac deberet: & qui credit ac obedit, à Deo quidem invitatus & adjutus, neutiquam vero per vim adactus, ſed libere ac volens id facit; quæ tamen ipſa volendi nolendique libertas ac facultas, quicquid virium nobis adeſt ut Deo obſequamur, à Deo eſt: uſus tantum illarum & abuſus ſapientiſſimo Dei conſilio nobis relictus eſt. Particulam adverſativam δὲ appoſuit Apoſtolus, quia rem adverſam, quam ut crederent eos peccato & morti mancipatos eſſe ſignificatum ibat.

Quod eratis ſervi peccati. Non ſimpliciter pro eo gratiam Deo deberi vult, quod illi unquam fuerint ſervi peccati, ſed quod cum antea eſſent ſervi peccati, non Deo auctore, ſed contra Deum, ſua propria & ſeculi ac Diaboli culpa, peccati ſervi per Chriſti diſciplinam eſſe deſierint, & juſtitiæ ſerviant: pro qua re merito gratiæ debentur Deo, cujus maximum in eo continetur beneficium, quippe quod ſecum affert liberationem ab æterna morte & adeptionem æternæ vitæ. Quid ſit ſervum peccati eſſe ſupra dictum eſt.

Obediſtis autem ex corde &c. Hoc eſt pro quo Apoſtolus Deo gratias deberi dixit, nam prius illud ad illuſtrationem & exaggerationem beneficii divini pertinet. Magnum Dei beneficium eſt, ſi quis ſemper juſtitiæ ſit deditus, ſed multo majus eſt ſi quem ex mancipio & ſervo peccati faciat cultorem juſtitiæ, & ſic ex morte ereptum aſſerat in jus vitæ æternæ. *Typus ſeu forma doctrinæ*, per genitivum ſpecie, ſignificat typum ſeu formam qui eſt doctrina. Doctrinam quam Romani ſuſceperant, nempe Chriſti, aſſimilat typo ſeu formæ, Romanos autem materiæ cuidam, quæ in typum ſeu formam aliquam traditur vel datur, ut formam typi

accipiat

accipiat eaque ſignetur. Huic, inquit, typo *ex corde obedíviſtis*, id eſt formam omnem doctrinæ Chriſtianæ recepiſtis, eoque probe ſignari eſtis, omnia illius lineamenta in vobis expreſſa ſunt, fides Chriſtiana, juſtitia, ſanctitas.

Obedíviſtis. Sequacem vos materiam præbuiſtis.

Ex corde. Id eſt, exanimo, non inviti, non coacte, non ſimulate ſed ſincere, promte, proinde in omnibus. Qui veri Chriſtiani eſſe volunt, ex animo Chriſti diſciplinam ſuſcipere eique ſeſe ſubjicere debent, alioquin veri Chriſtiani nunquam erunt, nec vitiis vacabunt. Nemo ad Chriſti fidem & pietatem cogendus eſt. Hoc enim qui faciunt, non Chriſtianos faciunt, ſed hypocritas, & qui intra animum exe-crentur eam fidem, ad cujus profeſſionem adacti ſunt. Significat Apoſtolus eos qui peccato ſunt dediti, ejuſque formam & effigiem duxerunt, tranſfundendos eſſe, liquefactis prius eorum animis per ignem verbi divini, in typum Chriſti doctrinæ, ut peccati forma penitus abolita, novam accipiant formam Chriſtianæ pietatis; quod uſu veniſſe Romanis, hoc loco Apoſtolus docet. Τύπον dixit pro τύπῳ, propter ὃν accuſativi caſus, ut in illo, *urbem quam ſtatuo veſtra eſt.*

Verſ. 18. *Liberi facti autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Rem eandem clarius dicit: quaſi dicat, diſciplinæ Chriſti obedientes & obſequentes vos præbuiſtis, à peccato autem liberi facti, ſervi facti eſtis juſtitiæ; peccatum antea veſter erat Dominus, juſtitia vos in ſuo non habuit obſequio, nunc autem per Chriſti diſciplinam res in contrarium verſa eſt, peccatum dominatu ſuo in vos excidit, juſtitia autem in vos dominatum obtinuit. *Liberi facti eſtis.* Ἐλευθερωθέντες dicuntur qui ex ſervitute in libertatem vindicati ſunt, *à peccato*, duro & ſævo Domino, qui mancipia ſua obtorto collo trahit & rapit in æternum exitium. In Chriſti igitur diſcipulos peccatum nullam amplius vim, nullam poteſtatem habet, liberi & ſui juris facti ſunt reſpectu peccati: ſi peccato ſunt dediti, ultro & volentes ſeſe peccato dedunt, & Chriſti diſcipuli ac ſervi eſſe deſinunt.

Servi facti eſtis juſtitiæ. Non ſic liberi facti ſumus à peccato, illiuſque in nos dominatu, ut non ſimul in contrariam peccato Domini ſervitutem tranſierimus. Juſtitia eſt Dominus peccato contrarius, (nam quid aliud eſt peccatum quam in[illegible]titia?) A peccati igitur dominatu liberati, pro[illegible]s ſervi facti ſumus juſtitiæ: huic aſſidue parent in omnibus Chriſtiani quæcunque jubet & imperat, ad hujus omnes nutus ſemper intenti ſunt; ſed juſtitiæ ſervire ea demum vera libertas eſt: hac ſervitute nihil ſuavius, nihil lætius, quia nihil honeſtius, nihil pulchrius, nihil utilius, nihil glorioſius eſt, cujus finis ac præmium vita ęterna eſt. Juſtitia porro quid aliud jubet & imperat, quam quæ juſta, recta, honeſta, & bona ſunt? Juſtitiæ igitur ſervum eſſe, eſt iſtis quæ diximus unice addictum eſſe, & illorum contraria penitus averſari.

Verſ. 19. (*Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtra*) *quemadmodum enim exhibuiſtis membra veſtra ſerva impuritati & iniquitati ad iniquitatem, ſic nunc exhibetis membra veſtra ſerva juſtitiæ ad ſanctificationem.* Priora iſtius verſiculi verba in parentheſi legi debent, quibus excuſat quodammodo quod illis præteritam peccati fœdam ſervitutem objiciat & objecturus ſit.

Humanum dico. Nihil de vobis dico & dicam quod non pro ſeculi moribus humanum ſit, id eſt quod aliis hominibus commune non ſit, ideoque offendi non debetis.

Propter infirmitatem carnis veſtra. Quaſi dicat, habet ea res ſuam in vobis excuſationem, factum id eſt propter infirmitatem carnis veſtræ, quæ peccati viribus non potuit reſiſtere, ſuccumbere eam fuit neceſſe; nunc alia res eſt, poſtquam ſpiritum Chriſti hauſiſtis, & infirmitas carnis una cum carne ſpiritui ceſſit, & quiſque veſtrum totus ſpiritus factus eſt cap. viij. verſ. 9, 10.

Quemadmodum enim exhibuiſtis membra veſtra. Abſoluta parentheſi redit ad propoſitum, & quod dixit confirmat, nempe illos liberos factos eſſe à peccato, & ſervos factos eſſe juſtitiæ: quaſi dicat, qui præbet membra ſua ſerva impuritati & iniquitati, is profecto ſervus eſt impuritatis & iniquitatis, proinde peccati; è contra etiam qui præbet membra ſua ſerva juſtitiæ, ſervus eſt juſtitiæ. Atqui vos ſicut antea membra veſtra ſerva præbuiſtis impuritati & iniquitati, ſic nunc eadem membra veſtra præbetis ſerva juſtitiæ. Liberi igitur facti eſtis à peccato & ſervi facti eſtis juſtitiæ.

Exhibuiſtis vel *præbuiſtis.* Nempe antequam Euangelium ad vos allatum & à vobis ſuſceptum eſſet, ante fidem in Chriſtum.

Membra veſtra ſerva impuritati & iniquitati. Id eſt ut quæ juberet impuritas & iniquitas exequerentur eique miniſtrarent; quæ vero alia jubet impuritas & iniquitas, quam impura & iniqua? Impuritas continet ſcortationes, adulteria, laſcivias, & alia non factu tantum ſed & dictu fœda: iniquitas ἀνομία enormitas, omne peccatum ſignificat, omne enim peccatum eſt ἀνομία enormitas, quia cum Legis norma non congruit 1 Johan. iij. 4.

Ad iniquitatem. Effectum & eventum notat, id eſt ut eſſetis ἄνομοι enormes, ſeu quæ res vos ἀνόμους enormes effecit, ſicut ſupra dixit, ſervi peccati ad mortem verſ. 16.

Sic nunc. Id eſt poſtquam Euangelio crediditis, & Chriſti diſcipuli facti eſtis.

Exhibetis membra veſtra ſerva juſtitiæ. Juſtitiæ dedita ac mancipata, ad exequenda omnia quæ jubet juſtitia: jubet autem quæ juſta ſunt & recta. Juſtitia tam late hic accipitur, ut omni peccato opponatur. Loqui autem Apoſtolum per indicativum, non imperativum, nexus & cohærentia cum antecedentibus & ſequentibus docet. Nam ex antecedentibus & conſequentibus apparet Romanis iſta tribui, & de illis aſſeri quod ſic faciant, non vero ut ea faciant præcipi. Ponit nimirum Apoſtolus eos jam facere, quod ut facerent illorum erat officii.

Ad ſanctificationem. Finis & effectus notatur, id eſt ut ſanctificati ſitis, per juſtitiæ enim continuam operationem homines ſanctificantur, id eſt ſancti fiunt. Sancti opponuntur ἀνόμοις pollutis, profanis omnibus, & præcipue impuris, qui peculiariter dicuntur impuri. Sancti ſunt homines Deo & divinis uſibus à profano hominum vulgo ſegregati. Docet hic locus Chriſtianos omnes ſanctos eſſe debere,

bere, ſi hæreditatem ſanctis deſtinatam velint adipiſci, quod & univerſum docet Euangelium. Non ſanctorum vita functorum interceſſiones pro nobis ambiendæ ſunt, fuſis ad mortuos precibus, quod ſine gravi peccato & idololatria fieri nequit, tantum abeſt ut cum fructu & emolumento aliquo fiat, ſed cum ſanctis habenda nobis eſt ſanctæ vitæ communitas, quæ propterea etiam inter fidei Chriſtianæ articulos ab antiquis & ſanctitati adhuc deditis Chriſtianis eſt relata. Sanctos autem nos non faciunt veſtis, aut à certis cibis abſtinentia, aut alia his ſimilia, quæ etiam ab impuris & *ἀνόμοις* præſtari poſſunt, & præſtaotur: ſed ea quæ omnem impuritatem & *ἀνομίαν* tollunt, cumque ea conſiſtere nullo pacto poſſunt, id eſt quæ ſua natura juſta & recta ſunt Philip. IV. 8.

Verſ. 20. *Quando enim ſervi eratis peccati, liberi eratis juſtitiæ.* Cauſam affert cur dixerit eos nuncdemum membra ſua exhibere juſtitiæ. Nam, inquit, quando ſervi eratis peccati, liberi eratis juſtitiæ, proinde membra veſtra juſtitiæ ſerva non exhibuiſtis. Eratis autem ſervi peccati antequam Chriſti diſcipuli facti eſſetis.

Liberi eratis juſtitiæ. Id eſt juſtitia vobis noo dominabatur, juſtitiæ reſpectu eratis tanquam liberi homines qui ſui juris ſunt, alienis juſſibus non ſubjecti & obnoxii; non quod id fieri liceret, ſed quod à vobis fieret. Res autem ipſa docet vos cum ſervi peccati eſſetis, liberos fuiſſe juſtitiæ, neque enim ſimul ſerviri poteſt duobus Dominis, iiſque ſibi invicem in omnibus juſſibus adverſis & contrariis: quorum alter idipſum ſemper jubet, quod alter vetat.

Verſ. 21. *Quem igitur fructum habuiſtis tunc, ſuper quibus nunc erubeſcitis? finis enim illorum mors.* Docet per interrogationem ex illis ipſis nullum illos fructum habuiſſe prioris ſuæ vitæ, cum peccati ſervi eſſent. *Igitur:* quaſi dicat, ſervi eratis peccati, quem igitur fructum habuiſtis tum cum ſervitutem iſtam ſerviretis? Nam qui ſerviunt, & quidem ultro ſemet in ſervitutem tradunt alicui Domino, fructum aliquem & emolumentum ſpectant. Quod igitur pretium iſtius ſervitutis tuliſtis?

Habuiſtis tum? Τότε reſpicit ad ſuperius ὅτε verſ. 20, tum cum ſervi eſſetis peccati quem fructum habuiſtis? dicite.

Super quibus nunc erubeſcitis. Intellige, ex iis ſuper quibus nunc pudore afficimini: quaſi dicat, nunc certe nullum alium fructum habetis niſi pudorem & ruborem. Voluptas qoam inde ceperatis, momento præteriit & periit, nihil aliud poſt ſe relinquens quam pudorem & pœnitentiam. Intelligit enim Apoſtolus peccata illa impura, quibus dediti eraot ante ſuſceptam in Chriſtum fidem. *Super quibus*, ἐφ' οἷς, id eſt ad quorum mentionem, vel propter quę, ἐπὶ pro διά.

Nam finis illorum mors. Quaſi dicat, nam ſi de fine illorum loquamur, hic nullus alius eſt quam mors. Ita nec ullum verum fructum habuiſtis tum cum illa perageretis, oeque nunc habetis præter pudorem, neque ſi in iis perrexiſſetis, habituri eratis præter mortem. *Finis*, id eſt exitus, *illorum*, id eſt peccatorum impurorum, *mors*, intellige eſt, nempe mors illa ſecunda quæ vere mors eſt.

Verſ. 22. *Nunc vero liberi facti à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Oſtendit ſupra quam miſerabilis fuerit præteritus illorum ſtatus cum peccato ſervirent: nunc ex adverſo oſtendit quam beatus eorum præſens ſit ſtatus, poſtquam per fidem in Chriſtum liberi facti ſunt à peccato, & ſervi facti ſunt Deo.

Nunc vero. Iotellige, ſuſcepta in Chriſtum fide,

Liberi facti à peccato. Id eſt peccati dominatu vindicati,

Servi facti Deo. Deum ipſum hic opponere maluit peccato quam juſtitiam, non ſolum ut tanto melius beatitudinem ſtatus illorum præſentis exprimeret; (quid enim beatius eſt quam Deo ſervire?) ſed etiam ut ſibi aditum faceret ad declarandum, quod Deus ſervis ſuis largiatur præmium. Merito autem Deum pro juſtitia poſuit, quia qui juſtitiæ ſervit, Deo ſervit, nec alius eſt ullus verus Deo ſerviendi modus, quam ut ſerviatur juſtitiæ: hæc enim ſola eſt quam Deus præcipit. Servum autem Dei eſſe, nimirum frugi, eſt aſſidue & magna cura divinis juſſibus eorumque executioni intentum ac deditum eſſe. Docent hæc & ſuperiora Apoſtoli verba, quid ſit Chriſtianum eſſe, & quantopere ſeipſos & alios fallant, qui neſcio qua fide & inefficaci bene agendi propoſito omnem Chriſtianæ pietatis rationem definiunt. An enim talis mutatio facta eſſet in Romanis & aliis hominibus per Chriſti diſciplinam ac fidem, ſi ea vitia pati poſſet?

Habetis fructum veſtrum. Docuit quam ſterilis, pudenda, & pernicioſa fuerit peccati ſervitus: nunc docet quam fructuoſum ſit Deo ſervire. *Habetis:* quaſi dicat, non exſpectandus vobis eſt iſtius rei fructus, jam eum habetis.

Fructum veſtrum. Id eſt fructum vobis debitum & convenientem.

In ſanctificationem. Id eſt ut ſanctificati, proinde ſancti ſitis, qua de re dictum eſt verſ. 19.

Finem vero vitam æternam. Quaſi dicat, non ſtabit res in ſanctificatione veſtri, tendit ulterius, finis & exitus iſtius rei, quod peccato non ſerviatis ſed Deo, & quæ inde conſequitur ſanctificationis ac ſanctitatis veſtræ e[illegible]ta æterna, bonum immenſum nec ullo fine ter[illegible]dum. Opponit hunc finem fini & exitui ſervitutis peccati: vitam ſcilicet æternam morti æternæ; cujus reſpectu verbum *habetis*, dicitur pro habebitis. Habere jam vitam æternam dicimur, propter certitudinem & arrhabonem.

Verſ. 23. *Stipendia enim peccati mors, donum autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Rationem affert dictorum, quia, inquit, ſtipendia, quæ peccatum tanquam Rex & Imperator ſuis militibus & ſervis perſolvit, ſunt mors. *Donum autem Dei vita æterna.* Id eſt hoc autem quod Deus ſervis ſuis donat, eſt vita æterna. Donum vere dignum Deo, licet nos eo ſimus omni ex parte indigni. Non dicit vitam æternam eſſe Dei ſtipendium. Nam ſtipendium debetur & ſolvitur merentibus; & qui peccato militant ac ſerviunt, merentur mortem: at vita æterna non meri-

Digitized by Google

meritorum noſtrorum proprie loquendo, ſed ſolius gratiæ divinæ effectus eſt.

Vitam æternam dicit eſſe *donum*, non quod obtineatur ſine ſanctis operibus, eorumque aſſidua ſectatione, ſine abdicatione peccati, ſine ſervitio Deo dicato: hoc enim contrarium foret iſtis ipſis quæ habuimus Apoſtoli verbis; ſed vitam æternam appellat *donum*, tum quod illius dignitatem & præſtantiam, quæ infinita eſt, nulla noſtra opera, nulla merita, etiamſi perfectiſſima eſſent & omni defectu carerent, aſſequi & æquare poſſent, cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio; tum quod opera noſtra multis ex partibus ſint imperfecta, adeo ut omnes homines, neceſſe habeant ipſam juſtitiam ſibi à Deo donari, id eſt ex gratia per fidem imputari. Hoc reſpectu vita æterna vere donum Dei eſt, & immenſę illius gratiæ effectus: ſed eadem vita æterna appellatur etiam merces, appellatur brabæum, præmium, corona. Merces, quod non detur niſi merentibus, prout eam mereri poſſunt miſeri mortales: merces enim eſt meriti merces, & meritum eſt mercedis meritum: brabæum eſt, quod non detur niſi certantibus: corona, quod non detur niſi victoribus; victoribus nimirum carnis & mundi & diaboli & peccati: quæ tamen omnia ne tantillum quidem de gratia Dei delibant, eamve imminuunt, certe non magis quam de Chriſti illo dono quo cæcum natum videntem effecit, aliquid deceſſit quod ad piſcinam Siloam juſſus ire, & iſtic lutum oculis ſuis à Chriſto illitum abluere, mandato Chriſti paruerit; aut Naäman Syrus minorem à Deo in lepræ ſanatione gratiam expertus eſt quod ab ea liberatus non ſit, antequam ex Prophetæ juſſu ad Jordanum profectus corpus ſuum abluiſſet: & tamen inter beneficium viſus ac ſanationem lepræ, & inter id quod uterque iſtorum juſſus fecit, poſſit iniri aliqua proportio, quippe inter utraque finita, licet maximo intervallo à ſe invicem diſtantia: at inter æternam illam vitam, & ea quæ jubemur facere ad teſtificandam fidem noſtram, ut ſcilicet peccata & vitioſos mores abluamus, ut veterem hominem exuamus & induamus novum, (non Chriſti juſtitiæ nobis appropriatione, quod conatu vanum eſt, ſed Chriſti juſtitiæ imitatione, quod effectu promptum eſt Chriſti ſpiritum habentibus) quæ obſecro poteſt eſſe comparationis commenſuratio?

In Chriſto Jeſu. Docet per quem donum iſtud vitæ æternæ Deus largiatur ſeu largiturus ſit; nempe per Chriſtum Jeſum, *in* poſitum pro *per*. Videtur tamen ſic de induſtria locutus eſſe Apoſtolus, ut ſimul indicaret, quod tamen ex priori conſequitur, iis tantum dari vitam æternam qui ſint in Chriſto Jeſu, id eſt qui illi per fidem ſint inſiti, à temporibus ſcilicet adventus Chriſti.

Domino noſtro. Cauſam indicat propter quam per Chriſtum Jeſum, perque fidem in ipſum vita æterna à Deo donetur, quia nimirum Jeſus Chriſtus Dominus eſt noſter, quem Deus Dominum noſtrum effecit, eique poteſtatem omnem nos ſervandi & vita æterna afficiendi dedit.

CAPUT VII.

Verſ. 1. A*N ignoratis fratres, (cognoſcentibus enim Legem loquor,) quod Lex dominatur homini quanto tempore vivit?* Redit Apoſtolus ad id quod dixerat, nos non eſſe ſub Lege, ſed ſub gratia cap. vj. 14, poſtquam eos qui hoc tanto Dei beneficio ad maleficium abuti vellent, ſatis ſuperque refutavit; & id quod dixerat uberius confirmat, neque ullum pietatis & conſequenter ſalutis noſtræ detrimentum in eo eſſe docet, ſed maximum præſidium & adjumentum.

An ignoratis fratres? Quaſi dicat, ſi forte id vobis mirum videatur quod dixi, vos, & conſequentur nos omnes, non eſſe ſub Lege, ſed ſub gratia; eſſet in eo ſane quædam rei quam dicam ignoratio.

Cognoſcentibus enim Legem loquor. Rationem inſerit cur eos id quod dictutus eſt, haud ignorare putet; interrogatio enim illa vim habet negationis ignorantiæ: quia, inquit, non loquor hominibus Legis divinæ ignaris, ſed iis qui Legis divinæ notitiam & ſcientiam habent.

Quod Lex dominetur homini quanto tempore vivit. Hoc eſt quod eos non ignorare exiſtimat, quoque non ignorato & expenſo eximitur ſcrupulus, qui ex Apoſtoli illo aſſerto hærere alicui poterat. *Quod Lex dominetur homini*, id eſt vim habet hominem, ut ipſi pareat, obligandi. *Homini* abſolute, pro cuilibet homini,

Quanto tempore ſive *quamdiu vivit.* Id eſt dominetur homini, non ad certum aliquod vitæ tempus, ſed quamdiu hominis vita durat. Gentes enim profanæ & Legis divinæ ignaræ ſeſe quoties liberet Lege ſolvebant, & uxores eorum, cum diſpliceret maritus, in alterius mariti, priore deſerto, matrimonium tranſibant, & fructus matrimonii inter illos erat divortium.

Verſ. 2. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, viventi viro obligatur Lege, ſi vero moriatur vir, deſtructa eſt à viro.* Exemplo demonſtrat quod dixit. *Mulier quæ ſub viro eſt*, id eſt maritata, *viventi viro obligatur Lege*, id eſt Lex divina eam viventi viro alligat, ut quamdiu vir vivit non poſſit ullius alterius viri uxor fieri. Ad repudia non reſpicit Apoſtolus, quia duritia Judæorum permiſſionem illorum extorſerat.

Si vero moriatur vir, deſtructa eſt à viro. Id eſt libera facta eſt à viro, deſiit eſſe ὕπανδρος, mulier manet, uxor deſtructa eſt.

Verſ. 3. *Igitur vivente viro adultera vocabitur ſi fiat viro alteri: ſi vero moriatur vir, libera eſt à Lege, ut non ſit adultera facta viro alteri.* Hoc ex ſuperiori infert, quia viventi viro uxor obligatur Lege, ergo ſi vivente viro nubat alteri, adultera vocabitur, proinde pœnæ ſubjacebit in Lege contra adulteras latæ.

Si vero moriatur vir, libera eſt à Lege. Nempe quæ vetat alteri viro nubere, ut non ſit adultera, facta viro alteri: hic eſt effectus libertatis ab illa Lege, ut ſcilicet adultera non ſit.

Facta

Facta viro alteri. Intellige uxor : ſed ſi vir non motiatur, ſemper quoad vivat, Legi de non nubendo alteri viro ſubjecta eſt.

Verſ. 4. *Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis Legi per corpus Chriſti, ut fieretis alteri, ei qui eſt è mortuis ſuſcitatus, ut fructificemus Deo.* Ex hac Legis vi, & ratione exemplo iſto declarata, aſſertum illud ſuum infert Apoſtolus. *Itaque*, rebus ſic ſe habentibus. *Fratres mei.* Iterum eos fratres appellat, ſicut verſ. 1, memor præcepti Chriſti, unus eſt veſter Pater & unus veſter magiſter Matth. xxviij. 8, 9, vos autem omnes fratres eſtis. Ita teſtatur charitatis erga ipſos affectum, & alienum ſeſe ab omni in eos dominatu, quamvis tantus Chriſti Apoſtolus eſſet, declarat.

Et vos mortificati eſtis Legi. Sicut mulier mortuo marito, mortificata eſt Legi de non nubendo alteri, ſic & vos mortificati eſtis Legi per corpus Chriſti. *Mortificati eſtis Legi.* Id eſt liberi facti eſtis à Lege : nam qui mortuus eſt, liber eſt à Lege ; Lex mortuo non dominatur amplius, ut verſ. 1 dictum eſt.

Per corpus Chriſti. Intellige, morte pro nobis affectum. Chriſtus enim dum corpus ſuum pro nobis & peccatis noſtris morte affici patitur, hac ſua tanta erga nos charitate, mori ſecum fecit carnem noſtram cum affectibus & concupiſcentiis, ſicque nos mori fecit peccato & conſequenter Legi. Quis enim Legis amplius eſt uſus ubi peccati non eſt locus, ubi caro eſt mortua, cui coërcendæ Lex eſt poſita?

Ut fieretis alteri. Docet eos Legi mortuos eſſe, non ut plane eſſent exleges & omni diſciplina ſoluti, ſed ut fierent *alteri*, non addit marito, ut Chriſtus, quem hic deſignat, & Legi ſimul & carni opponi poſſit. Lex enim in hac ſimilitudine non habet rationem mariti, ſed Domini & Magiſtri : caro noſtra habet rationem mariti, quo mortuo murtui ſumus Legi. Legis igitur reſpectu, dicit Apoſtolus, ut fieretis alteri Domino ſervi, alteri magiſtro diſcipuli ; carnis autem noſtræ mortuæ reſpectu, ut fieretis alteri viro uxor.

Ei qui ex mortuis eſt ſuſcitatus. Non alteri ulli. Hic enim eſt Chtiſtus ille Dei, hiç verus eſt noſter Dominus & perfectiſſimus pietatis magiſter, hic noſter eſt maritus : hujus mors pro nobis effecit ut ſervi ac diſcipuli ejus eſſe, eique nubere velimus ; reſurrectio, ut etiam poſſimus ac debeamus.

Ut fructificemus Deo. Finem oſtendit quo carne noſtra mortua, Legi ſumus mortui, & Chriſti ſervi ac diſcipuli & uxor facti ſumus : *ut Deo fructificemus.* Alludit ad connubia, quæ fructificationis & prolis edendę cauſa fiunt, id eſt ut fructum feramus qui Deo ſit gratus & acceptus, & in gloriam ejus redundet. Hic autem eſt fructus omnium bonorum operum, hæc eſt proles numeroſiſſima, quæ ex noſtro cum Chriſto connubio Deo naſcitur, fructus illi ſpiritus, quem ex Chriſto hauſimus Gal. v. 22. Pertinent ad hunc locum illuſtrandum duo inter alios inſignes ejuſdem Apoſtoli loci, 2 Cot. v. 14. 15, & Gal. 2. verſ. 19, 20.

Verſ. 5. *Cum enim eſſemus in carne affectus peccatorum, qui per Legem operabantur in membris noſtris, ad fructificandum morti.* Rationem dicti affert per prolepſin. Poterat enim aliquis dicere : quid ais Paule? An ergo cum ſub Lege eſſemus non fructificabamus Deo? Non, reſpondet Apoſtolus, *cum enim eſſemus in carne* &c. quaſi dicat, quando prior noſter maritus caro vivebat, quo vivente neceſſario eramus Legi ſubjecti, non fructificabamus Deo ſed morti.

Cum eſſemus in carne. Id eſt à carne non eſſemus ſoluti ac liberati, caro noſtra non eſſet mortua. Homines enim in carne dicuntur eſſe, quamdiu carnem non deponunt, quod fit per mortem. Eramus autem in carne ante fidem in Chriſtum, qui eam morte ſua mori fecit.

Affectus peccatorum. Id eſt affectus qui nos ad peccata agunt ac rapiunt, per genitivum effecti.

Qui per Legem. Intellige, excitabantur. Nitimur enim in vetitum ſemper cupimuſque negata.

Operabantur in membris noſtris. Id eſt ſuam vim & efficaciam in membris noſtris exſerebant.

Ad fructificandum morti. Id eſt ad perpetranda opera mala, qui malorum operum fructus morti feruntur, quia morti inſerviunt & in rem ſunt mortis, ut per eos homines perdat. Mortem opponit Deo tanquam auctori vitæ quam largitur illis qui ipſi fructus ferunt acceptos. Talis igitur ſtatus erat hominum cum in carne eſſent, & conſequenter ſub Lege, antequam ad Chriſtum tranſirent, per cujus corpus morte affectum & caro noſtra mortua eſt, & nos carne mortua mortui ſumus Legi.

Verſ. 6. *Nunc verò deſtructi ſumus à Lege mortuo in quo detinebamur, ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non vetuſtate literæ.* Præterito ſtatui noſtro opponit præſentem. *Nunc vero*, nempe per Chriſti mortem, *deſtructi ſumus à Lege*, id eſt à Lege ſumus liberi facti : liber enim fit ab omni Lege qui deſtruitur. Sic verſ. 2 deſtructa eſt à viro, id eſt libera facta, *mortuo*, nempe viro, *in quo*, id eſt per quem, *detinebantur*, nempe ſub Lege, ſub Legis vinculo ac dominatu. Vir autem iſte caro noſtra eſt nobis imperans ac dominans, quæ quamdiu vivit, Legi nos adſtingit ac mancipat. Lex enim data eſt ut carnem premat & ſervitute ſua refrænet ; carne mortua, quod fit per Chriſtum, ſolvimur & liberamur à Lege. Hinc idem Apoſtolus, *ſi ſpiritu agimini*, inquit, *non eſtis ſub Lege* Gal. v. 18. *Adverſum fructus ſpiritus Lex non eſt*, id eſt eos non vetat verſ. 23, *juſto Lex non eſt poſita* 1 Tim. j. 8 : juſtus enim ſibiipſi pro Lege eſt. Merito autem carnem viro comparat, dominatur enim homini ſicut vir uxori, qui ut dominari deſinat, morte afficiendus eſt, & quorum caro non eſt mortua, his apud Chriſtum locus non eſt, ad Legem relegandi ſunt, ut ab ea tractentur tanquam ſervi, quando liberalis ſub Chriſto diſciplinæ capaces non ſunt, vel eſſe nolunt.

Ut ſerviamus. Iterum finem exprimit noſtræ à Lege liberationis, *ut ſerviamus*, intellige Deo ; non enim ſumus ſoluti ab obligatione ſerviendi Deo, quia ſoluti ſumus à Lege ; quin multo etiam magis ad ſerviendum Deo per idipſum ſumus adſtricti. Unde idem Apoſtolus alibi : *Non ſum*, inquit, *ἄνομος Deo ſed ἔννομος Chriſto* 1 Cor. ix. 21, *Legi ſum mortuus, ut Deo vivam, vivit in me Chriſtus, vivo in fide Filii Dei qui dilexit me & tradidit ſeipſum pro me.*

In novitate ſpiritus. Quaſi dicat, ſervitus Deo debita manet, modus tantum illius mutatus eſt, & pro

veteri

veteri modo, novus multo veteri perfectior inductus. *In novitate ſpiritus*, id eſt per novum ſpiritum *in* pro *per*, & duo ſubſtantiva pro ſubſtantivo & adjectivo. Servire per novum ſpiritum, eſt novo ſpiritu impulſore, duce ac magiſtro ſervire. Novus ſpiritus dicitur quod noviter eo afficerentur homines, nimirum Chriſto exorto & Euangelio ejus allato. Et opponitur tacite ſpiritui veteri, ſeu ſpiritui ſervitutis cap. viij. 15. Nam aperte mox opponitur novitati ſpiritus vetuſtas literæ. Intelligitur autem ſpiritus quo afficiuntur hominum animi cognita Dei gratia per Euangelium revelata & fide in Chriſtum ſuſcepta, ſpiritus ille filialis per quem clamamus Abba Pater cap. viij. 15: Sentiunt enim & intelligunt homines, quanta gratia, quanta charitate Deus ipſos complexus ſit, vident ſeſe in Filios à Deo adoptatos & ad cæleſtem hæreditatem vocatos eſſe, vident Dei Filium pro peccatis ipſorum victimam factum ac mortuum eſſe, vident ſeſe ex Legis ſervitute in libertatem Filiis Dei convenientem vindicatos eſſe: ex quarum rerum clariſſima, certiſſimaque notitia ac intellectu, oritur in animis hominum ſpiritus iſte ſeu vis & efficacia divina, quæ ipſos in amorem & obſequium Dei & Chriſti totos inflammat & rapit. Ad quem ſpiritum accedebat & cæleſtis ille afflatus, qui per impoſitionem manuum Apoſtolicarum credentibus dabatur, qui ſpiritus, illius quem omnes ex fide in Chriſtum hauriunt, perfectio quædam eſt, majore & uberiore arcanorum Dei ſcientia animos hominum imbuens, & admirabilem in illis lætitiam & ardorem excitans, robore invicto adverſus omnia carnis & mundi & diaboli tentamina implens, alioſque divinos effectus in hominibus & per homines perficiens: cujus ſpiritus ſemper, quoties opus eſt, & quantum opus eſt, Chriſtus diſcipulos ſuos, qui ſpiritu illo aguntur, quem ex Euangelio hauſerunt, participes facit. Sicut igitur nova tum erat Euangelii gratia, ſic novus etiam tum erat iſte ſpiritus, per quem qui Deo ſervit, longe perfectiori & Deo acceptiori modo ſervit quam ille modus Legalis erat.

Et non vetuſtate literæ. Novitati ſpiritus opponit vetuſtatem literæ, nempe ſpiritui literam, vetuſtatem novitati. Vetuſtas literæ ſimiliter per Hebraiſmum ponitur pro vetuſta litera: quam vetuſtam vocat, non ut eam vetuſtate commendet, litera enim vetuſtate non commendatur, ſed ut eam ipſa vetuſtate conſenuiſſe & exolevisſe ſignificet; quod & auctor ad Hebræos fecit cap. viij. verſu ultimo. Intelligit autem Apoſtolus legem Moſaicam, quam vetuſtam vocat quod multis ante ſeculis lata eſſet, literam vero appellat, quod ſolis literis deſcripta eſſet; ſpiritu autem illo careret qui eam hominum mentibus inſcriberet, & ad eam ſervandam mortificata carne homines adduceret. Per hanc vetuſtam literam, id eſt legem, Deo ſervire, eſt illi ſervire per prima tantum pietatis & juſtitiæ & charitatis elementa ac rudimenta, (perfectam enim ac ſolidam pietatem, juſtitiam, charitatem, litera ab hominibus exigere qui potuit, ſpiritu illo deſtituta?) per varios item ritus ac ceremonias, quæ corpore peraguntur, animum non attingunt, nec ullam per ſe recti ac honeſti & juſti & boni rationem habent; proinde Deo per ſe grata eſſe non poſſunt, omnis earum bonitas ex ſolius Legiſlatoris arbitrio pendet. Qui ſicut temporum & rerum cauſas habuit, ut eas inſtitueret, ſic temporum ac rerum mutatione, cauſaque ſublata eas antiquat. Legi igitur, inquit Apoſtolus, mortui & ab ea liberati ſumus, ut Deo, non ex Legis veteri ratione, ſed ex nova ſpiritus ratione, veteri illa longe præſtantiore, per fidem in Chriſtum, charitatem, juſtitiam, ſanctitatem ſolidam & perfectam, per ſpiritualem cultum, non per ritus ac ceremonias, ſerviamus.

Verſ. 7. *Quid igitur dicemus? Lex peccatum? Abſit: ſed peccatum non noveram niſi per legem: concupiſcentiam enim neſciebam niſi Lex dixiſſet, non concupiſces.* Ex ſuperioribus oritur quæſtio; ſi per legem excitantur affectus peccatorum, ſi quia mortui ſumus Legi & deſtructi ſeu liberati à lege, idcirco fructificamus Deo, non morti, & ſervimus in novitate ſpiritus, *quid igitur dicemus*? Quid hinc inferemus & concludemus?

Lex peccatum? Id eſt dicemuſne quod Lex peccatum ſit? Id eſt res mala & turpis & peccati cauſa per ſe. Peccatum ponitur pro cauſa peccati, per metonymiam cauſæ. *Abſit*, abſit ut hoc dicamus:

Sed peccatum non noveram. Quaſi dicat, Lex non eſt res mala & turpis & cauſa peccati per ſe; ſed ut rem explicem, & dicam quod verum eſt:

Peccatum non noveram niſi per legem. Sumit hic Apoſtolus perſonam hominis peccati vim ex Legis occaſione in ſe experientis, ejuſque aliquando ſine lege viventis, ut infra verſ. 9 expreſſe dicitur, ad exprimendam tanto melius vim peccati Lege abutentis. Quæ perſonarum ſumtiones & mimeſes non ſunt infrequentes Auctoribus, nec ſua carent emphaſi. Sic idem Apoſtolus ſupra cap. iij. 7, 8 ſumſit perſonam Judæi Euangelio non credentis. Sic infra cap. viij. 2 ſumit perſonam cujuſlibet veri Chriſtiani. Idem facit & Gal. 2. 18, 19, 20, 21. Neque enim ſemper neceſſe eſt aliam perſonam expreſſe induci cum id res ipſa doceat.

Peccatum, inquit, *non noveram*. Id eſt non noveram eſſe peccatum, niſi per legem, id eſt niſi id Lex vetaſſet. Non intelligit autem Apoſtolus omne peccatum, multa enim peccata etiam ante legem & ſine lege à quovis cognoſcuntur, imo multa quia ab omnibus cognoſcuntur eſſe peccata idcirco lege vetantur; ſed multa etiam ſunt quæ non cognoſcuntur eſſe peccata, niſi ea Lex vetaret pœna conſtituta. Lex ea vetando & pœnam iis ſtatuendo peccata eſſe oſtendit ac docuit. Loquitur autem Apoſtolus non de ſapientibus viris, vix enim eſt aliquid per ſe turpe ac vitioſum quod iſti non cognoſcant, ſed in commune de hominibus.

Concupiſcentiam enim neſciebam &c. Quod aſſeruit demonſtrat concupiſcentiæ exemplo. Concupiſcentiam, intellige rei alienæ, quam Lex expreſſe prohibet ultimo decalogi præcepto; ſed conſequenter intelligenda etiam eſt omnis vetitæ & negatæ rei concupiſcentia.

Neſciebam. Id eſt neſciebam eſſe peccatum, ipſam inquam per ſe cupiditatem, ſi non exiret in factum, neſciebam eſſe peccatum.

Niſi Lex diceret non concupiſces. Lex demum me docuit etiam ipſam per ſe alienæ, & conſequenter omnis vetitæ rei cupiditatem peccatum eſſe. Quædam Lege ſimpliciter negantur, ut uxor aliena, quædam ita negantur, ut ea tua facias cum deſraudatione & injuria alterius, ut domum, ſervum, bovem & ſimilia; quædam ut iis abutaris, uſus permittitur, abuſus negatur. Ad iſta omnia quæ negantur & quatenus negantur extendit ſeſe concupiſcentia, vitioſa haud dubie ſi admittatur in animum ſeu ab animo comprobetur, etiamſi non veniat ad effectum, qui non ſemper eſt in poteſtate noſtra, ut in ſenibus illis Suſannæ pudori inſidiantibus videre eſt. Cupiditatem abſolute nominat Apoſtolus, ut ad omnia illicita referri poſſit.

Verſ. 8. *Occaſionem autem accipiens peccatum per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine Lege enim peccatum eſt mortuum.* Pergit Apoſtolus & docet quid ex hac Lege, qua concupiſcentia vetatur, ortum ſit: quaſi dicat, Lex quidem cupiditatem hanc vetat, ut verum ac rectum eſt; peccatum vero occaſione arrepta, & veluti impetu capto, per hoc mandatum de quo agitur, ut & articulus in Græco docet, id eſt ex hoc præcepto, (referri enim hæc verba, *per hoc mandatum*, ad priora, non ad poſteriora, *operatum eſt in me &c* verſ. 11 docet.)

Operatum eſt in me. Per peccatum intelligit Apoſtolus actum malum ac vitioſum, qui flagrantiſſimam ſui cupiditatem *in me excitavit*, quæ vel nulla vel nunquam adeo flagrans fuiſſet, ſi eum Lex concupiſcere non prohibuiſſet.

Sine Lege enim peccatum mortuum, intellige, *eſt*. Id probat quod dixit, quia peccatum ſine Lege eſt mortuum, id eſt veluti mortuum, anima ac viribus quaſi carens, languidum, adverſa ſibi Lege excitatur & animatur, non aliter quam carbones languidi & cinereſcentes frigido afflatu.

Verſ. 9. *Ego autem vivebam ſine Lege aliquando, poſtquam vero venit mandatum peccatum revixit.* Quaſi dicat, ego vero ne quis me putet ſemper ſub Lege fuiſſe, vivebam aliquando ſine Lege. Hæc verba docent Apoſtolum non ſuam hic perſonam ſuſtinere ſed alienam ſumſiſſe, nempe hominis antea Lege ſoluti. Iſraëlitæ puta, ante latam Legem. Apoſtolus enim ſub Lege natus, & à puero educatus inque ea inſtitutus, nunquam ſine Lege vixit; & præceptum de non concupiſcendo à teneris didicit, quin & ſub Lege vixit irreprehenſibilis Philip. iij. 6, & bona conſcientia 2 Tim. j. 3: confer Gal. j. 14.

Poſtquam vero mandatum venit. Nempe ad me & meam notitiam.

Peccatum revixit. Id eſt vitam accepit, compoſitum pro ſimplici, neque enim iterum vitam recepit, ſed per præcepti adventum demum vivere cœpit. Verum reſpicit ad vocem mortui de peccato uſurpatam, mortuorum enim eſt reviviſcere: diximus vero peccatum mortuum dici propter ſimilitudinem cum mortuo. Vitam accepit, id eſt vim, vigorem multo quam prius majorem.

Verſ. 10. *Ego autem mortuus ſum.* Quaſi dicat, peccatum quidem ex mortuo factum eſt vivum, ego vero ex vivo factus ſum mortuus, id eſt mortis reus & mortis per Legem damnatus. Peccatum enim viribus ex Legis occaſione arreptis me ſubegit, ut concupiſcerem Lege vetita, ſicque ut mortis pœnam incurrerem effecit.

Et inventum eſt mihi mandatum quod ad vitam, hoc ad mortem. Inventum eſt mihi, id eſt exitu & effectu à me deprehenſum eſt, *mandatum quod ad vitam*, intellige, datum eſt. *Ad vitam*, id eſt ad vitam adipiſcendam, præcepta enim à Deo dantur ut ſerventur, & per eorum conſervationem quiſque vitam adipiſcatur. Vita ſenſu myſtico intelligitur æterna; ſicut & præceptorum Dei conſervatio ſenſu myſtico, id eſt, pleno & perfecto & vitæ æternæ correſpondente, intelligenda eſt.

Hoc in mortem. Id eſt hoc mihi converſum eſſe in mortem, in vitæ vel temporariæ, per mortem immaturam, vel æternæ privationem.

Verſ. 11. *Peccatum enim occaſione accepta per mandatum, decepit me, & per illud occidit.* Rationem dicti affert, modum oſtendens quo id factum ſit, ne quis putet hoc mandati ipſius culpa factum eſſe. *Peccatum enim*, inquit, *occaſione ſumta per mandatum:* quaſi dicat, mandatum non eſt cauſa per ſe mortis meæ, ſed peccatum occaſionem ex mandato accepit ut verſ. 8 explicatum eſt, eaque accepta,

Decepit me. Suis videlicet illectamentis ac blanditiis, præſentem promptamque jucunditatem ac delectationem animo ſubjiciens & inſuſurrans, non fruſtra hæc à Lege vetari, niſi enim ſingularem afferrent delectationem ac voluptatem, nihil fuiſſe opus illa prohibere.

Et per illud. Quaſi dicat, & ſic per illud, nempe mandatum,

Occidit, intellige, ἀπ' ἐμοῦ, me: quaſi dicat, mandatum ipſum per ſe me occidit, ſed peccatum me occidit per mandatum; non mandati ipſius culpa, ſed mea propria culpa, qui malui peccato aures animumque præbere quam mandato: occidit autem per mandatum, quatenus in mandato mortis pœna tranſgreſſoribus eſt conſtituta. *Occidit*, id eſt vita privavit, vel temporaria ante naturalem terminum, vel æterna.

Verſ. 12. *Itaque Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum & juſtum & bonum.* Ex ſuperioribus concluſionem hanc infert, propoſitæ verſ. 7 quæſtionis, nimirum Legem haudquaquam eſſe peccatum, rem malam & turpem & peccati ullam per ſe cauſam, ſed Legem quidem eſſe ſanctam, & mandatum eſſe ſanctum & juſtum & bonum. Particula *quidem* tacitam oppoſitionem hic inſinuat: quaſi dicat, ego autem non ſum ſanctus & juſtus & bonus, ſed profanus, injuſtus & malus, ut & hinc appareat Apoſtolum alienam ſuſtinere perſonam.

Verſ. 13. *Quod ergo bonum mihi factum eſt mors? Abſit; ſed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatur mortem, ut fiat ſecundum excellentiam peccans peccatum per mandatum.* Expedita una quæſtione oritur altera. Dixi Legem eſſe bonam: an igitur quod bonum eſt mihi factum eſt mors? id eſt res omnium peſſima, deterrima & teterrima?

Factum eſt mors. Id eſt mortis cauſa, per metonymiam effecti, intellige autem cauſam per ſe; nam

alioquin

alioquin jam dixit legem eſſe cauſam mortis per accidens ℣.10,11. *Abſit.* Nempe ut hoc ſit & dicatur eſſe.

Sed peccatum. Quaſi dicat, non id quod bonum eſt, ſed peccatum per id quod bonum eſt, mihi operatur mortem, κατεργαζομένη θάνατον, *operans mortem*, intellige, eſt: pro, operatur mortem, participium pro verbo, per Hebraiſmum: ſimilem locutionem habuimus v.11. Operatur autem mortem peccatum per id quod bonum eſt, videlicet legem, quatenus nos adducit ad legem violandam, ex cujus violatione mortis pœna ſequitur, adducit enim nos ad cupiditatem lege vetitam, & conſequenter per bonum operatur nobis mortem.

Ut appareat peccatum. Intellige eſſe, niſi enim nos morte mulctaret, peccatum eſſe non appareret, non mulctaret autem niſi nos ad Legis tranſgreſſionem adduceret.

Ut fiat, quaſi dicat, ut inquam fiat, *ſecundum excellentiam peccans peccatum, per mandatum.* Ἡ ἁμαρτία, eſt quidem ſemper ἁμαρτωλὸς *peccatrix*, ſed per præceptum fit *ſecundum excellentiam*, id eſt excellenter ἁμαρτωλὸς, *peccatrix*, ſeu peccatum fit excellenter peccans, fit enim ex ſimplici peccato ſeu actione ſua natura mala, Legis ſcriptæ, comminationem mortis adjunctam habentis, tranſgreſſio, majorem multo vim in nobis damnandis habens, ademta omni ignorantiæ excuſatione.

Per mandatum. Dum ſcilicet nos adducit ad tranſgreſſionem mandati, & ſic ex cauſa & occaſione mandati. Hoc agit peccatum; peccatum ſeſe eſſe vult oſtendere, & fieri excellenter peccans.

Verſ.14. *Scimus enim quod Lex ſpiritualis eſt: ego vero carnalis ſum, venundatus ſub peccatum.* Cauſam exprimit ob quam peccatum per bonum ipſi nperaretur mortem; & per mandatum fieret excellenter peccans. *Scimus enim*, inquit, homo iſte, *quod Lex ſit ſpiritualis*, id eſt quod ea præcipiat quæ ſpiritui ſeu menti & animo noſtro ſunt grata, quæ ſpiritus approbat & recta bona ac juſta eſſe judicat. Sic infra cap. viij. 10, per ſpiritum intelligit animum noſtrum:

Ego vero carnalis ſum. Id eſt carni ſum deditus, quæ neutiquam ſpectat quid rectum & juſtum & verum honeſtumque ſit, ſed quid præſentem delectationem & utilitatem ipſi afferet. Futura non proſpicit, non curat, non quærit.

Venundatus ſub peccatum. Id eſt mancipium peccati, emtum pecunia, per metaphoram: nam proprie loquendo nec peccatum pro homine iſto pecuniam numeravit, nec quiſquam eum peccato vendidit. Sic & redemtionis vox ſæpe pro ſimplici liberatione accipitur. Significat homo iſte ſeſe plane mancipatum eſſe peccato, quod ſit propria hominis culpa. Deus enim homini non tantum carnem dedit, & qui carni ineſt appetitum, cum affectibus, ſicut cæteris animantibus; ſed præter carnem indidit & mentem ſeu animum recti, juſti & veri intelligentem, qui carnem regeret, & ad ea quæ recta, & vere bona, vere jucunda ac utilia ſunt dirigeret. Itaque vitio hominis ipſius fit cum ſe carni, ſpreto rationis imperio, dat, & carni ac cupiditati eorum quæ vetantur mancipat. Quia igitur Lex non erat tantarum virium, ut hominem carnalem & peccato mancipatum, quales ſunt fere omnes, ſpiritualem ipſa per ſe poſſet facere, & ex peccati ſervitute emancipare. Mirum non eſt quod peccatum per legem operaretur mortem & fieret excellenter peccans. Quomodo enim Lex id præſtaret, carnalibus quæ pollicebatur bonis, cum caro peccato ea magis & certius ineſſe crederet, quam Legis obſequio? Quomodo item ſuo rigore ac ſeveritate permitteret animum attollere ad omnem recti & honeſti experientiam, quæ vix ac ne vix quidem, in commune loquendo, poterat homines ab enormibus delictis cohibere, & intra civilis honeſtatis modum continere? Videmus hic diſcrimen inter imperium Legis & imperium ſpiritus Euangelii Chriſti. Lex jubebat, ſed non juvabat, id eſt hominem carnalem non reddebat ſpiritualem: at Chriſti ſpiritus carnem ſimul perimit, & hominem ſpiritum ſeu ſpiritualem facit. Qui hic peccatum originale imaginantur, animum & cogitationem ludunt vana imagine. Peccatum enim hic intelligitur quod Lex vetat & tollere in hominibus conatur, eoque fine data eſt, quale originis iſtud, quod dicunt, peccatum non eſt. Porro hæc etiam verba aperte docent Apoſtolum hic alienam perſonam ſuſtinere, non de ſeipſo loqui, præſertim jam diſcipulo Chriſti facto, jam per ſpiritum Chriſti renato, jam Apoſtolo. Abſit enim ut tantus Chriſti diſcipulus, & tantus Apoſtolus carnalis eſſet, venundatus ſub peccatum, talis, inquam, eſſet, qualis ſi vel minimus quiſpiam Chriſti diſcipulus eſſet, tolerari id in illo minime deberet. Apoſtoluſne eſſet & ſe eſſe diceret carnalem, peccati vile mancipium? Qui Corinthios objurgat quod adhuc carnales eſſent 2 Corinth. iij. 1 &c? Qui Chriſti diſcipulos omnes negat eſſe in carne? Rom. viij. 1, 9, 15, 16, negat eſſe ſub peccati ſervitute 2 Cor. x. 2 &c? Illene etiam quæ ſequuntur de ſeipſo jam Chriſti diſcipulo & Apoſtolo diceret, qui Chriſti diſcipulos omnes non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ambulare aſſerit? Ergone Chriſti ſpiritus, ſpiritus ille novus, tantum efficaciæ non habet, ut quod vetus illa litera effectum dare non poterat, ipſe præſtet? Fruſtra igitur & caro diſcipulorum Chriſti mortificata eſt, & ipſi mortificata carne, mortificati ſunt Legi, per corpus Chriſti: fruſtra ejus qui ex mortuis ſuſcitatus eſt ſunt facti, ſi non minus nunc, quam olim ſub lege peccati ſunt ſervi!

Verſ. 15. *Quod enim operor non cognoſco, non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi hoc facio.* Probat hic homo mancipium ſe eſſe peccati; *nam quod operor*, inquit, *non cognoſco*, id eſt non probo, non amo. Quo ſenſu & alibi in ſacris verbum cognoſcendi accipitur, quos enim non novimus, eos nec probamus, & quos probamus & amamus, eos novimus. Ponitur per ſynecdochen genus pro ſpecie, vel per metonymiam cauſæ pro effectu. Certe mancipium eſt alienum ac dominatu alieno cogitur, qui contra animi ſententiam ac voluntatem aliquid operatur, alienis juſſis iſtum obſequi, & veluti obtorto collo ad agendum trahi neceſſe eſt.

Non enim quod volo, &c. Probat ſe id operari quod non probaret. Nam, inquit, non quod volo hoc ago, ſed quod odi, hoc facio. Volo id quod juſtum ac rectum eſt, quodque Lex præcipit, odi & averſor quod injuſtum ac malum eſt, quodque Lex vetat; neque tamen illud quod

volo ago, ſed hoc quod odi & animo averſor, facio. Video meliora proboque (dicebat illa apud Poëtam, huic homini, ſed nequaquam Paulo Apoſtolo ſimilis) deteriora ſequor.

Verſ. 16. *Si autem quod nolo hoc facio, conſentio Legi quod bona.* Ex eo quod dixit demonſtrat ſe Legem approbare. *Conſentio Legi quod bona*, intellige *ſit.* Idipſum enim nolo quod Lex non vult, nec minus contra meam quam contra Legis voluntatem facio quod facio.

Verſ. 17. *Nunc vero non amplius ego operor hoc, ſed quod habitat in me peccatum.* Quaſi dicat, jam vero re ſic ſe habente; ne quis mihi dicat, quare igitur facis quod non vis? *Non amplius ego operor hoc. Amplius*, *ἔτι*, poſtquam ſcilicet hoc nolo & improbo.

Non ego operor hoc. Id eſt non mea ſponte, non mea voluntate. Nam quæ non plane noſtra voluntate & inviti facimus alieno juſſu & imperio, etiamſi nec voluntas noſtra abſit, culpam eorum à nobis amolimur, & totam illi adſcribimus cujus juſſu & imperio facimus, & cui miniſterium uſumq; noſtri commodamus.

Sed quod habitat in me peccatum. Auctorem eorum quæ operabatur invitus, peccatum facit. *Peccatum*, id eſt cupiditas eorum quæ vetantur: quod in ſe habitare dicit, tanquam dominum in ſua domo, qui domus ſuæ plenum habet uſum, & facit in illa quæ vult. Dominum vero ex domo ſua, præſertim ſi eam longa & diuturna poſſeſſione teneat occupatam, exturbare, difficile eſt.

Verſ. 18. *Scio enim quod non habitet in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* Cauſam affert cur dicat peccatum in ſe habitare. Nam, inquit, *ſcio*, optime id mihi conſtat cognitumque eſt, nec tam ſcio quam potius ſentio & experior, *quod non habitet in me bonum*, id eſt recti & honeſti & eorum quæ Lex præcipit cupiditas.

Hoc eſt in carne mea. Interſerit hæc verba ut ſeſe explicet: quaſi dicat, cum ajo non habitare in me bonum, carnem meam intelligo, ſeu de me loquor carnis reſpectu. Nam alioqui mentis & animi mei reſpectu habitat in me bonum; habitat, inquam, amor & cupido recti & honeſti & boni ut ante dixi: at caro nulla honeſti notitia, nullo deſiderio tenetur, ea ſpectat unice, quæ jucunda ſibi ſunt & delectabilia, hoc carni innatum eſt quod per ſe malum & peccatum haudquaquam eſt; ſed malum & peccatum fit, cum ad mala & peccata convertitur: quod homini innatum non eſt; ſed ei propria illius culpa ſic inoleſcit tanquam ſi innatum eſſet. Hoc igitur malum in hominis iſtius carne ſederat, & ſedet in omnium, ſi Chriſti ſpiritu non renoventur.

Nam velle adjacet mihi. Cauſam affert cur in ſua carne bonum non habitet. Nam, inquit, velle, nempe recta & honeſta & à Lege præcepta, *adjacet mihi*, eſt pone me, eſt mihi ad latus, in proximo, in promptu.

Perficere vero bonum, quod ſine carne fieri nequit, *non invenio.* Nuſquam eſt, licet illud quæram: unde apparet in carne mea bonum non habitare; ſi enim habitaret, tam invenirem in carne mea, τὸ perficere bonum, quam invenio in mente & animo meo, τὸ velle bonum.

Verſ. 19. *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago.* Probat ſe non invenire, τὸ perficere bonum. Nam, inquit, non quod volo, facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago, hinc enim apparet ſe illud & quærere, & non invenire; quærere, quia velit bonum, nolit malum, non invenire, quia non agat quod velit bonum, ſed contra potius pro bono quod velit, malum agat quod nolit.

Verſ. 20. *Si vero quod nolo ego, hoc facio, non amplius ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Quaſi dicat, ſi vero ſic ſe res habet ut dico, verum eſt quod dixi, non amplius me id operari quod operor malum, ſed habitans in me peccatum.

Quod nolo ego. Quod abominor, deteſtor, *hoc facio*, hoc exſequor, *non amplius ego operor illud*, nempe id quod operor ſeu facio, qua de re dictum eſt verſ. 17, cujus hic continetur concluſio.

Verſ. 21. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adjacet.* Ex dictis hoc infert: quaſi dicat, quia igitur habitat in me peccatum quod mihi imperat, *invenio Legem*, nempe aliam à Lege Dei.

Volenti mihi facere bonum quod mihi malum adjacet. Exprimit hanc legem, ſeu id in quo lex iſta conſiſtat, in eo videlicet quod cum volo bonum facere præſto eſt mihi malum.

Malum mihi adjacet. Mihi accubat, me pone eſt, & me ſub ſua jura cogit, volentemque facere bonum cohibet, ab eoque retrahit, & ſic mihi lex eſt. *Bonum*, id eſt rectum, juſtum, & Lege divina præceptum. *Malum*, id eſt peccatum, ſeu id quod juſto recto & Lege divina præcepto contrarium eſt. Sic homini iſti non profuit quod illi velle bonum adjaceret verſ. 18, cum ei ſimul ad latus alterum adjaceret malum, & in agendo faciendoque bono procul amoto & repulſo, ſeſe ingereret.

Verſ. 22. *Delector enim Lege Dei ſecundum internum hominem.* Cauſam affert cur velit facere bonum & interea faciat malum. Volo, inquit, facere bonum. Nam, *delector Lege Dei.* Legem Dei approbo, amo, juſtam, rectam, bonam eſſe judico.

Secundum internum hominem. Id eſt ſecundum mentem & animum intelligentem, quem *internum* dicit, quod interius ſeu intra corpus lateat, & oculis corporis non appareat, *hominem* vero, quod ſimilitudinem quandam cum homine habeat, diverſas habens á carne cogitationes, diverſa conſilia, diverſam voluntatem, diverſa etiam habiturus facta, ſi non impediretur à carne.

Verſ. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me legi peccati quæ eſt in membris meis. Video autem, &c.* Quaſi dicat, ne quis mihi objiciat, quare igitur non facis id quod Lex Dei jubet, ſed facis id quod vetat, ſi Lege Dei ſecundum internum hominem delectaris? *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis*, proinde in carne mea quæ ex membris compoſita eſt,

Repugnantem legi mentis meæ. Lex enim mentis meæ jubet ut juſta & recta, & à Lege Dei præſcripta faciam: lex quæ in membris meis eſt, jubet ut faciam quæ jucunda ſunt ac delectant, ſine ullo recti & Legis divinæ reſpectu; quam Legem priori legi repugnare ac rebellare, & utramq; ſibi invicem adverſari patet.

Et

Et captivantem me legi peccati. Oſtendit quæ lex, reſpectu ipſius, hac in pugna & bello vincat. Lex, inquit, quæ in membris meis eſt, vincit & captivat me, id eſt captivum me facit, proinde ſervum ac mancipium legi peccati.

Quæ eſt in membris meis. Lex peccati eſt lex quæ peccare & peccata jubet, à qua lex quæ in membris eſt, tanquam diverſa & legi peccati militans inducitur: rurſus tamen lex peccati, tanquam eadem cum lege quæ in membris eſt, ſimiliter in membris eſſe dicitur. Quia utraque Lex, re eadem eſt, ratione differt. Lex enim quæ in membris eſt, peccata jubet, non quatenus peccata ſunt, ſed quatenus præſentem voluptatem & delectationem habent. Lex autem peccati peccata jubet, quatenus peccata ſunt. Cæterum illa quæ ab utraque Lege jubentur reipſa ſunt eadem.

Verſ. 24. *Miſer ego homo, quis me liberabit ex corpore hoc mortis!* Exclamat homo iſte præ miſeria, videns ſeſe captivum & mancipium legis peccati & conſequenter mortis, quæritque ac invocat aliquem liberatorem & vindicem; ſed ullum inter homines poſſe reperiri merito deſperat.

Miſer ego homo. Omnes captivi miſeri ſunt, ſed nullus miſerior quam qui captivus eſt peccati, qui mente & animo reclamante facit quod peccatum jubet, & it, quamvis ſe in æternum exitium ire videat.

Quis me liberabit? Quaſi dicat, utinam mihi contingeret liberator aliquis!

Corpus mortis, dicit, Hebrçâ phraſi, pro morte, ſic corpus diei pro die. Itaque ſenſus eſt, ex hac tam triſti morte: ſervitus enim peccati triſtiſſima mors eſt, quippe ſecundæ illius & æternæ mortis cauſa, & antequam hæc mors veniat, indeſinens malæ conſcientiæ ſupplicium; quanquam nec corpori parcit peccatum. Pronomen, *τούτου* ad corpus referri poteſt non ad mortem: quandoquidem corpus mortis ponitur pro morte. Sed poteſt & ad mortem referri: quaſi dicat, ex corpore hujus tam tetræ mortis.

Verſ. 25. *Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Non potuit ſe continere Apoſtolus, quin, tanta miſeria tactus, cum meminiſſet ſe quoque in eadem peccati ſervitute fuiſſe, erumperet in gratiarum actionem Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hominis iſtius ſermonem opportuno loco interfatur, ut ſolent qui ex eadem calamitate liberati ſunt, in qua alios conſtitutos vident, & miſere quiritantes ac lamentantes audiunt.

Gratias ago Deo. Quaſi dicat, fui & ego in eadem miſeria ac morte, ſed Deus me liberavit per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Deo igitur etiam per eundem Jeſum Chriſtum, pro hac liberatione gratias ago.

Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Id eſt ſic Deo gratias ago ut ſimul etiam gratias agam Jeſu Chriſto: Deo tanquam primæ cauſæ iſtius liberationis, Jeſu Chriſto tanquam ſecundæ & intermediæ; Deo tanquam illi ex quo omnia, Jeſu Chriſto tanquam Domino noſtro nobis à Deo dato per quem omnia; cui proinde cum gratiæ aguntur, aguntur ipſi Deo per illum. Hæc quoque gratiarum actio manifeſtum facit, Paulum de ſe, jam Chriſti diſcipulo, jam Apoſtolo, toto illo ſermone haudquaquam loqui, pro quo enim gratias agit Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, niſi pro eo quod eum liberaverit ex peccati ſervitute, & ex hoc corpore mortis in quo ſe poſitum eſſe miſer iſte conqueritur? Certe pro eo gratias non agit quod captivus ac mancipium peccati eſſet, & in ſumma miſeria ipſaque morte verſaretur, aut quod malum ipſi adjaceret, quod peccatum in ipſo habitaret, illumque ageret ac raperet, quod non faceret bonum quod vellet, ſed faceret malum quod nollet, quod carnalis eſſet & ſub peccatum venundatus, & quæ alia homo iſte de ſe loquitur: tantum profecto diſtans ab homine Chriſti ſpiritu regenito, quantum ſpiritus diſtat à carne, juſtitia ab injuſtitia & peccato, vera libertas à ſervitute maxima, vita à morte. Pro eo gratias agit, inquiunt, quod Chriſtus pro ſe Legem impleverit, & ſic juſtitia ſibi propter Chriſtum imputetur. At ne nunc dicam hoc falſum eſſe, eo quo volunt ſenſu, & Apoſtoli dictis contrarium, quo pacto gratiarum hæc actio ad id referri poteſt, cujus nulla in ſuperioribus eſt facta mentio?

Ergo igitur ipſe ego mente quidem ſervio Legi Dei, carne autem legi peccati. Inſerta gratiarum actione Apoſtolus, hominis, cujus perſonam egit, ſermonem pertexit. *Ergo igitur.* Quaſi dicat, ut tandem concludam, *ipſe ego*, id eſt idem ego, *mente quidem ſervio Legi Dei*, quatenus ei mente conſentio, eam approbo, illa delector, & ſic faciendum eſſe ut Lex præcipit agnoſco ac judico.

Carne vero Legi peccati. Id eſt membris ex quibus caro conſtat. *Legi peccati*, intellige, *δουλεύω* ſervio. Hoc eſt, facio quæ lex peccati jubet, mente & voluntate irrita, ac votis ſervio legi Dei; legi autem peccati ſervio factis & operibus, quæ per carnem ejuſque membra peraguntur. Egregium vero ſervitium, dignum ſane, ut viciſſim à Deo convenienti ſibi mercede, id eſt exitio æterno repenſetur: quale profecto Chriſtianorum non eſt, qui carnem domitam & morte affectam habent, proinde carne Legi peccati ſervire non poſſunt. Qui mente ſerviunt legi Dei, carne legi peccati, irritis etiam votis vitam æternam conſequentur. Hactenus homo iſte carnalis ſub diſciplinam Legis Moſaicæ traditus. Qui omnia hæc quibus homo iſte ſe peccati ſervum ac mancipium eſſe dequeſtus eſt, ad ipſam hominum naturam, ſeu naturæ humanæ corruptionem referunt, & arbitrium bene aut male agendi hominibus ademptum putant; peccata excuſatum eunt, & homine iſto, cujus perſonam egit Apoſtolus, multo ſunt deteriores: qui neutiquam naturam vel naturæ depravationem, ſed pravitatem ſuam incuſat & accuſat, quod carni potius, quam menti obſequatur, & in peccati ſervitium ſeſe dederit, ideoque ſe damnationi ac pœnæ mortis obſtrictum agnoſcit, quæ certe nullo jure infligeretur illis quibus nullum ineſſet arbitrium, nullæ vires faciendi, quæ lex divina jubet, & abſtinendi ab iis quæ vetat: certe non majori jure, quam ſi quis hominem natura oculis captum, aut manibus mutilum, aut pedibus claudum quæſitiſſimis afficeret pœnis, quod ea non fecerit, quæ ſine oculis, aut manibus, aut pedibus fieri nulla ratione poſſunt.

CAPUT. VIII.

Verſ. 1. NUlla *igitur nunc condemnatio iis qui in Chriſto Jeſu non ſecundem carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.* Docuit Apoſtolus hominis iſtius quem diximus, ſingulari & evidenti hypotypoſi, quæ ſit in commune ratio hominum ſub Lege conſtitutorum, quam ſcilicet ſeſe nequeant per Legem ex peccati ſervitute vindicare, & carnem cupiditateſque illius edomare, & quam peccatum, Legis occaſione, majores ſumat vires hominem ſibi manipandi, & conſequenter damnationi ac morti ſubdendi. Nunc revertitur ad eum de quo agere cœperat ſuperiori cap. ℣ſ. 4, 5, 6, beatum Chriſti diſcipulorum ſtatum, quorum carnem mortuam ipſiſque proinde legi mortificatos, & à Lege liberatos per Chriſti corpus eſſe, Chriſtique factos, Deo, non morti, ut olim ſub Lege fiebat, fructificare, & per novum ſpiritum ſervire dixit, quem beatum illorum ſtatum porro deſcripturus, & pluribus argumentis confirmaturus inſert:

Nulla igitur nunc condemnatio &c. Maxima profecto beatitas & qua nulla major homini contingere poteſt, nulli damnationi ſubeſſe, juſtificationem enim in ſe continet verſ. 4, & quæ juſtificationem conſequitur, vitam æternam & Dei gloriam. *Igitur.* Quaſi dicat, cum damnatio omnis inde proveniat, ut oſtenſum eſt, quod homines carni ſint dediti, & carne Legi peccati ſerviant, ſequitur hinc nullam nunc damnationem eſſe illis qui in Chriſto Jeſu, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum vivunt; quæ certe conditio hominis illius de quo cap. vij actum eſt, conditioni prorſus eſt contraria.

Nulla condemnatio, intellige, *eſt.* Id eſt nulla pœna, per metonymiam cauſæ pro effectu: damnantur enim homines ad pœnam; præcipue vero intelligenda eſt mortis pœna Lege divina ſancita. *Nunc.* Id eſt his temporibus: opponit hæc tempora allati & publicati Euangelii, anteactis temporibus, præſertim ſub Lege; quibus omnes in commune loquendo homines, damnationi ſubjecti erant. Nunc autem multis hominibus nulla eſt damnatio, & ſi omnes vellent, nulla eſſet omnibus.

Iis qui in Chriſto Jeſu. Id eſt per Chriſtum Jeſum, ſeu Dei per Chriſtum Jeſum beneficio, quia in ipſum credunt, a quo ſpiritum hunc hauſerunt. Chriſtum Jeſum opponit Moſi, & conſequenter legi, quæ hoc efficere non valuit.

Non ſecundum carnem. Id eſt non ex carnis præſcripto.

Sed ſecundum ſpiritum. Id eſt, ex præſcripto ſpiritus, nempe illius novi, de quo ſuperiori capite ℣ſ. 6 locutus eſt Apoſtolus. *Ambulant*, id eſt vitæ actiones obeunt, quæ ambulandi voce ſignificari ſolent, quod omnes fere actiones hominum ambulando fiant, & hoc ipſum obire actiones vitæ, ab eundo dicitur. Qui igitur ſecundum ſpiritum omnia agunt, nihil ſecundum carnem iis, nulla damnatio, nulla omnino pœna metuenda eſt. At ſi quis alicubi ſe permittat carni potius quam ſpiritus ductui, videat ne ſibi damnationem accerſat, ſi non ad æternam, ſaltem ad temporariam aliquam pœnam & mortem: quod Corinthiis illis eveniſſe docet Apoſtolus qui indigne ex ſacro illo pane edebant & ex calice bibebant 1 Cor. xi. 30. Non protinus autem ſecundum carnem ambulat, qui imprudens aut affectu aliquo abreptus (enormes actus ſemper excipio, in quibus nullus excuſationi locus eſt) delinquit. Lapſus hic eſt vel ceſpitatio quædam, non ambulatio, propter quem lapſum vel ceſpitationem, ſecundum ſpiritum ambulare quiſquam non deſinit, ſi protinus conſurgat, & confirmato greſſu in via ſpiritus ire pergat: ſicut neque ſecundum ſpiritum ambulare dicendus eſt, qui aliquando ſpiritui obſequitur, & ex carnis via, in ſpiritus viam deflectit, quam mox relicturus eſt.

Verſ. 2. *Nam Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis.* Probat per Chriſtum Jeſum credentes in ipſum id adeptos eſſe ut non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent.

Nam, inquit, *lex ſpiritus &c.* Quaſi dicat: lex ſpiritus vitæ eſt in Chriſto Jeſu, qui in omnes in ipſum credentes promanat. Hæc autem lex ſpiritus vitæ liberat quemque credentium à Lege peccati & mortis, quæ ambulatione ſecundum carnem continetur.

Lex ſpiritus vitæ. Per genitivum ſpeciei ſeu differentiæ, ſignificat legem quæ ſpiritus eſt vitæ. Spiritus autem vitæ per genitivum effecti, ſignificat ſpiritum vivificantem ſeu vitam afferentem æternam, ſive quæ vere eſt vita. Spiritus porro vivificans eſt ſpiritus Euangelii, literæ Legis oppoſitus, cui ſpiritum Euangelii opponens etiam alibi Apoſtolus, *litera*, inquit, *occidit, ſpiritus vivificat* 2 Cor. iij. 6, qua de re dictum eſt ſupra cap. vij. 6. Hunc ſpiritum vivificantem legem Apoſtolus appellat, non tantum quod eadem quæ Lex jubeat, ſed etiam ut eum Legi literæ tacite opponat, à qua nos Chriſtus liberavit, & pro Lege literæ legem dedit ſpiritus vitæ, longe quam Lex literæ erat efficaciorem.

In Chriſto Jeſu. Intellige, qui eſt in Chriſto Jeſu, proinde qui per Chriſtum Jeſum & ejus Euangelium in omnes dimanat & effunditur.

Liberavit me. Seu liberum me fecit. Sumit Apoſtolus perſonam cujuſque credentis in Chriſtum; neque enim de illo ſolo agebatur, cur per Chriſtum Jeſum, non ſecundum carnem ambularet, ſed ſecundum ſpiritum: agitur de omnibus in Chriſtum credentibus. Solet & alibi Apoſtolus perſonam cujuſlibet Chriſtiani ſeu Chriſtiani in genere ſumere ut Gal. 2. 18 & ſequentibus, & quæ ad laudem pertinent convenientius in generali dicuntur quam in ſingulari.

A Lege peccati. Per genitivum differentiæ, à lege quæ eſt peccatum; quod legem appellat, ut Legem legi opponat, Legi ſpiritus legem peccati. Nam & peccatum vim jubendi ac imperandi habet. Spiritus ergo vitæ liberavit me à lege peccati, quatenus effecit ut legi peccati non amplius ſerviam, proinde ſecundum carnem non ambulem: caro enim cum peccato conſpirat & eadem quæ peccatum jubet.

Et mortis. Legem peccati vocat legem mortis, ut

eam

legi ſpiritus vitæ opponeret. Lex enim ſpiritus vitæ vocatur, quod vitam afferat: lex autem peccati lex mortis, quod afferat mortem, per genitivum effecti. Quia vero is qui à peccato liberatur ſimul etiam liberatur à morte, merito iis qui per Chriſtum Jeſum ejuſque ſpiritum liberati ſunt à peccato, nulla dicitur eſſe condemnatio.

Verſ. 3. *Nam quod impoſſibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem, Deus ſuo Filio miſſo in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato, condemnavit peccatum in carne.* Cauſam affert ob quam Deus Jeſum Chriſtum miſerit, tacitæ occurrens objectioni, ne quis dicat, nihil hic opus erat alia lege, cum jam eſſet Lex divina per Moſen data. Opus erat, inquit Apoſtolus.

Nam quod impoſſibile erat Legi, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, Id eſt hoc quod Legi præſtare poſſibile non erat.

In quo infirmabatur. Id eſt hoc in quo præſtando infirma & viribus impar erat. *Per carnem.* Id eſt propter carnem, carnis de cauſa. *Per* ponitur pro *propter*. Cauſam exprimit quæ legi obſtabat quominus præſtare poſſet cujus cauſa lata erat, id eſt ut homines à Lege peccati & mortis liberaret, ſeu ut peccatum damnaret. Caro magno impetu ad peccatum ferebatur, cui lex reſiſtere non poterat, imo carnis impetus Lege magis excitabatur ad vetita, nedum ut à Lege ſiſti & cohiberi poſſet.

Deus, inquit, *Filio ſuo miſſo.* Tanta hominum erat miſeria ut ſolo opitulatore Deo ab ea liberari poſſent. Deus igitur miſit, nempe ad homines, ſuum Filium, id eſt Chriſtum illum ſuum, cui communis alioqui Filii Dei titulus propter ſingularitatem & excellentiam proprius eſt factus; miſit vero jam à ſe per virtutem Spiritus Sancti genitum, & ex matre ſua natum, & ad virilem ætatem perductum Joh. xviij. 37, Galat. iv. 4, non adhuc generandum & oriturum; quod dictu ipſo abſonum eſt, & Scripturæ plane diſſonum.

In ſimilitudine carnis peccati. Caro peccati eſt caro peccatrix, qualis omnium aliorum eſt hominum; duo ſubſtantiva poſuit pro ſubſtantivo & adjectivo, per Hebraiſmum. Similitudo autem iſta carnis peccatricis, per eundem Hebraiſmum, continetur ſimili carne carni peccatrici. In ſimili autem carne carni peccatrici mitti, eſt ſimilem carnem carni peccatrici habentem, vel ſimili carne carni peccatrici præditum mitti. Non fecerat eum Deus naſci in corpore aliquo nobis diſſimili, ſed in carne aliorum hominum plane ſimili, nempe mortali, infirma, perpeſſionibus obnoxia: hoc tantum intererat, quod aliorum omnium hominum caro eſſet peccatrix, id eſt multa peccaverit; Filii Dei caro omnis peccati expers fuerit. Sed tantum ſimilis carni peccatrici. Nimirum ſicut mortale & infirmum corpus, ſic omnis peccati labe purum habere decuit eum qui miſſus fuit, (quod ſtatim additur,) ut omnium hominum peccata morte ſua emundaret. Non addit Apoſtolus, Filium Dei à Deo miſſum, ut Euangelium afferret, de vita æterna, de peccatorum omnium venia, de juſtificatione per fidem, & quæ alia continet Novi Fœderis gratia, hoc enim in ipſa miſſione directe includitur.

Et pro peccato. Id eſt & ut eſſet victima pro peccato, ſic enim ſolet Scriptura per ellipſin loqui. In Græco eſt περὶ ἁμαρτίας, ut & Hebr. x. 6 eadem phraſi, eodemque ſenſu: hinc in Veteri Teſtamento crebo peccatum ſimpliciter dicitur, cum victima pro peccato denotatur. Sic igitur Deus Filium ſuum cum Euangelio gratiæ ſuæ miſit, ut eum ſimul victimam pro mundi totius peccato eſſe voluerit, quo gratiam ſuam obſignaret, & omni ex parte teſtatam faceret, ſeque nobis ad dandam peccatorum remiſſionem tanto pignore obſtringeret.

Condemnavit peccatum in carne. Hoc præſtitit & effecit Deus Filio ſuo cum Euangelio miſſo, & pro peccato hoſtia facto.

Condemnavit peccatum. Id eſt morte peccatum affecit, ſolent enim damnati morte affici. Utitur autem damnandi voce, ut tanto melius condemnationi peccati juſtificationem noſtri in ſequentibus verbis opponat. Peccatum Deus condemnavit, ut nos juſtificaremur.

In carne. Quia in carne peccatum habitabat cap. vij. 18. Quod quia fieri non potuit, quin ſimul & caro mortificaretur, idcirco hic & carnis mortificatio intelligenda eſt, ut ſcilicet in carne, & dum mortificatur caro, peccatum ſit condemnatum & morte affectum. Ideo in ſequentibus mortificatio carnis in Chriſti diſcipulis jam ponitur verſ. 8, 10. Nimirum tanta ſua gratia, tanto noſtri amore Deus effecit ut & peccato moreremur & carnem mortificaremus, qua mortificata nobiſque peccato mortuis, & peccatum ipſum mori neceſſe fuit.

Verſ. 4. *Ut juſtificatio Legis impleatur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Finem iſtius facti divini oſtendit qui noſtrum eſt ſummum bonum.

Ut juſtificatio Legis. Id eſt quæ in Lege promittitur iis qui ipſam ſervaſſent,

Impleatur. Id eſt effectum ſuum habeat.

In nobis qui non ſecundum carnem. Quaſi dicat, in aliis impleri & effectum ſortiri non potuit, eo quod ſecundum carnem ambulare maluerint quam ſecundum Legem. At in nobis implebitur, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum; quod idem eſt ambulationi ſecundum Legem: Spiritus enim cum Lege Dei, quæ ſpiritualis eſt, in omnibus conſentit. Quid ſit ambulare ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum dictum eſt verſ. 1. Hoc tantum hic addimus, carnis voce intelligi inſitum carni rerum in præſenti jucundarum & delectabilium appetitum, cui inſerviunt agnati affectus & cupiditates. Spiritus autem voce non ſolus noſter naturalis intelligendus eſt ſpiritus, id eſt animus intelligens ſeu mens & ratio, quam ſolam carnis viribus imparem eſſe ſolere docuit ſuperiore capite Apoſtolus; ſed ſimul ſignificatur ſpiritus Dei, ſpiritus ille novus, quem ex Chriſto & Euangelio ejus hauſimus, quo ſpiritus noſter corroboratur, & in omne bonum opus tam potenter & efficaciter agitur, ut caro noſtra peccati reſpectu mortua ſit; at juſtitiæ reſpectu ad ſpiritus imperata vivam ſeſe & agilem præbere cogatur: atque hoc eſt peccatum in carne damnatum eſſe. Videmus hic non alios juſtificatum iri quam eos qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant, & in quorum carne peccatum eſt damnatum. Videmus eoſdem non tantum ab omni damnatione liberos eſſe,

ſed etiam

ſed etiam juſtificatum iri, proinde vitæ æternæ & gloriæ Dei hæredes fore.

Verſ. 5. *Nam qui ſecundum carnem ſunt, ea quæ carnis ſunt ſapiunt, qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, ea quæ ſpiritus ſunt.* Cauſam affert cur Chriſtiani non ambulent ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum.

Nam, inquit, *qui ſecundum carnem ſunt.* Intellige, quales Chriſtiani non ſunt.

Ea quæ carnis ſunt ſapiunt. Curant, proinde & faciunt; id eſt ſecundum carnem ambulant;

Qui vero ſecundum ſpiritum ſunt. Intellige, quales Chriſtiani ſunt, ea quæ ſpiritus ſunt ſapiunt, curant, proinde & ſecundum ſpiritum ambulant. *Qui ſecundum carnem ſunt.* Id eſt carnales, ad carnis arbitrium compoſiti, carni dediti, quorum caro non eſt mortua, ſed vivit vigetque. *Ea quæ carnis*, intellige *ſunt.* Id eſt quæ carni placent & grata ſunt, quæ ad carnem demulcendam pertinent, *ſapiunt*, curant, cogitant, ſpectant, ut ſcilicet iis potiantur:

Qui vero ſecundum ſpiritum, intellige *ſunt.* Id eſt qui ſpirituales ſunt, ad normam ſpiritus compoſiti, ſpiritui dediti, quorum ſpiritus vivit ac viget carne mortua;

Ea quæ ſpiritus, intellige, *ſunt.* Id eſt quæ ſpiritui ſunt accepta, quibus ſpiritus unice delectatur, intellige, φρονοῦσι, *ſapiunt*, curant, animo ſemper volvunt ac cogitant.

Verſ. 6. *Nam ſtudium carnis mors, ſtudium vero ſpiritus vita & pax.* Cauſam ſubjicit, propter quam qui ſecundum ſpiritum ſunt, ea quæ carnis ſunt non ſapiunt, non cogitant, ſed ea quæ ſunt ſpiritus. *Quia*, inquit, *ſtudium carnis*, φρόνημα τῆς σαρκὸς. Id eſt cogitatio carnis, ſic infra ℣ſ. 27, φρόνημα τοῦ Πνεύματος, cogitatio ſpiritus. Intelligit id cui caro ſtudet, quod cogitat ac ſpectat. *Mors*, intellige *eſt*, id eſt mortem affert perpetratum, mortis eſt cauſa, per metonymiam effecti pro cauſa.

Studium vero ſpiritus. Id eſt quod ſpiritus cogitat, cui ſtudet & perpetuo intentus eſt. *Vita & pax*, intellige *eſt.* Id eſt vitam & pacem affert, in effectum deductum, vitæ & pacis eſt cauſa, per eundem tropum. Vitæ addit pacem, ut vitam ſignificet beatam, omni malo vacuam, omnibus bonis abundantem. Nam ubi malum aliquod urget & premit, vel metus eſt ne premat, vel boni alicujus defectus animum verſat, ibi vera ac ſolida pax non eſt. Hinc apud Hebræos pacis nomine felicitas omnis ſignificatur, quæ in vita æterna demum vera erit & perfecta: proinde conjunctis vitæ & pacis nominibus vita æterna ſignificatur. Vitam autem & pacem opponit morti, ut mortem illam ſecundam ſignificet ſumma cum miſeria conjunctam. Quia igitur homo ſpiritualis probe videt & intelligit quorſum ſint evaſura, tam illa quæ caro, quam iſta quæ ſpiritus cogitat iiſque ſtudet, idcirco ab illorum cogitatione ac ſtudio animum penitus avertit, in iſtorum autem cogitationem ac ſtudium totus defixus eſt.

Verſ. 7. *Propterea quod ſtudium carnis inimicitia in Deum eſt.* Probat cogitationem ac ſtudium carnis mortem adferre: quaſi dicat, inimicitia in Deum mortem haud dubie adfert, ſuos enim inimicos morte & perditione ulciſcitur Deus: at ea quæ caro cogitat & ſpectat quibus ſtudet, id eſt peccata, quid aliud ſunt quam adverſus Deum inimicitia? Mortem igitur adfert carnis ſtudium ſeu φρόνημα.

Legi enim Dei non ſubjicitur, neque enim poteſt. Nempe caro, proinde & illa quæ cogitat, quæ ſpectat, quibus ſtudet, adverſa legi Dei ut ſint oportet.

Non ſubjicitur. Eo ipſo igitur rebellat; at rebellis Deo omnia quæ cogitat, quæ molitur, quæ agit, rebellionem & inimicitiam adverſus Deum ſpirant. Hinc videmus quamvis ſub lege non ſimus, nihilominus nos legi Dei ſubjectos eſſe debere, cum ob id ipſum ſub lege non ſimus, quod legi Dei ſubjecti ſimus. Non ſumus enim ſub Lege, quatenus non tractamur ſerviliter, quæ legis ratio ac conditio eſt; quare autem ſerviliter non tractamur? quia ut Dei filios decet paternæ legi nos in omnibus ſponte & ſumma cum alacritate ſubjicimus, id eſt non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum à Patre acceptum ambulamus.

Neque enim poteſt. Rationem reddit dicti, caro legi Deo non ſubjicitur, quia nec poteſt ſe ſubjicere; adverſatur hoc naturæ carnis, ut ſeſe legi Dei ſubjiciat. Lex enim Dei multa jucunda vetat; at caro omnia jucunda appetit. Lex multa ad præſens moleſta jubet, at caro omnia in præſens moleſta vitat ac refugit. Hæc carnis indoles eſt. Optimum igitur factu & plane neceſſarium, ut carnem crucifigamus & morte per Chriſti ſpiritum afficiamus, ne nobis ad ſubjectionem legi divinæ obſtet. Præſtat enim ut nos carnem hoc modo mori faciamus, quam ut illa nos in æternam mortem agat ac præcipitet.

Verſ. 8. *Qui vero in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Quaſi dicat: Carnis quidem hęc indoles ac ratio eſt quam dixi: eorum vero qui in carne ſunt ſimiliter hæc ratio eſt, ut Deo placere non poſſint.

Deo placere non poſſunt. Id eſt ita ſeſe gerere non poſſunt, ut Deo placeant. *Qui in carne ſunt*, id eſt qui carnem non mortificaverunt, & ſic domuerunt ut peccati reſpectu ſine carne ſint. *Deo placere non poſſunt*, id eſt, ita ſeſe gerere non poſſunt, ut Deo placeant, proinde ut vitam & pacem ab eo conſequantur, quam illis ſolis deſtinavit & daturus eſt, qui ipſi placent.

Verſ. 9. *Vos vero non eſtis in carne, ſed in ſpiritu: ſiquidem ſpiritus Dei habitat in vobis, ſi vero quis ſpiritum Chriſti non habet hic non eſt ejus.* *Vos autem.* quaſi dicat: vos autem, ne quis veſtrum hoc quod dico ad ſe quoque pertinere putet, non eſtis in carne, de carnalibus ego loquor hominibus, eoſque intelligo, qui vos non eſtis.

Non eſtis in carne. Jam pridem vos Chriſti facti, carne exſoluti eſtis; jam pridem carnem mortificaſtis & crucifixiſtis. Dicit eos feciſſe, quod facere debuerunt, quodque eorum officii eſt ut omnino faciant, ſi Deo placere velint; itaque eos feciſſe ponit, ſive reipſa fecerint, ſive minus.

Sed in ſpiritu. Id eſt vos totus eſtis ſpiritus, carnis locum ſpiritus in vobis occupavit, ſublata carne plane ſpirituales facti eſtis. Intelligit autem ſpiritum noſtrum naturalem, id eſt animum intelligentem cum Dei ſpiritu conjunctum; ut ſtatim dicit.

Siquidem

Siquidem ſpiritus Dei habitat in vobis. Quaſi dicat: non temere affirmo vos in ſpiritu ac totos ſpirituales eſſe, quia ſpiritus Dei in vobis habitat, qui cum veſtro ſpiritu conjunctus non alium carni veſtræ relinquit locum, quam ut illius ſit habitaculum, & ſanctis operibus peragendis inſtrumentum. *Spiritus Dei.* Quaſi dicat, cujus maxima vis eſt & efficacia, quique omni carne potentior eſt: quem Dei ſpiritum hauſerant ex Chriſti Euangelio ac fide, & nonnulli etiam credo inter ipſos, ſi qui ab ipſis Apoſtolis converſi, aut cum illis præſentes ac verſati fuerant, per manuum Apoſtolicarum impoſitionem, cælitus acceperant.

Si vero quis ſpiritum Chriſti non habet. Occurrit illis qui forte dicerent ſe ſpiritum Dei non habere: quaſi dicat, affirmavi vos ſpiritum Dei habere, ſi vero quis Dei ſpiritum non habet, is non habet Chriſti ſpiritum, quandoquidem Chriſti ſpiritus & Dei ſpiritus unus idemque eſt; non quod Chriſtus ſit unus ille Deus, & unus ille Deus ſit Chriſtus, (id enim contradictionem implicat) cum Chriſtus ſit Dei Chriſtus, & Deus ſit Chriſti Deus; ſed quod unus idemque ſpiritus ex Deo per Chriſtum in nos derivetur; qui Dei dicitur, quatenus ex Deo eſt, Chriſti vero, quatenus per Chriſtum eſt, ſeu nobis communicatur: Chriſtus enim Spiritum Sanctum à Patre acceptum effundit in eos qui Euangelio credunt Actor. 2. 33. Sic & mox pro ſpiritu Chriſti ponit ipſum Chriſtum, quod Chriſtus ſit in nobis per ſuum ſpiritum. *At ſi quis Chriſti ſpiritum non habet, hic non eſt ejus.* Conjuncta enim ſunt iſta & indivulſa, Chriſti eſſe & Chriſti ſpiritum habere, cum per hoc ipſum Chriſti ſimus, quod ſpiritum ejus habeamus. Spiritus Chriſti nos Chriſto conjungit & conglutinat. Nam quis poteſt Chriſti eſſe ſi in Chriſtum non credat? At quis vere & ex animo in Chriſtum credere poteſt, prout eſt veritas in Jeſu, quin protinus per hanc fidem ſpiritum illum filialem, ſpiritum gratiæ hauriat, qui Chriſti ſpiritus eſt, ſpiritui ſervili, quem Legis diſciplina hominum animis indebat, oppoſitus; de quo infra verſ. 15.

Hic non eſt ejus. Id eſt hic non pertinet ad Chriſtuum, & conſequenter ad vitam & pacem illam æternam, hunc neque ego alloquor, nec ad ipſum verba mea pertinere volo, neque ullus veſtrum, ut arbitror is eſſe volet.

Verſ. 10. *Si vero Chriſtus in vobis, corpus quidem mortuum propter peccatum, ſpiritus autem vita propter juſtitiam.* Concludit argumentum ſuum.

Si vero Chriſtus in vobis. Intellige eſt: quaſi dicat, quod & ego reor, & quiſque veſtrum lubens agnoſcit. Pro ſpiritu Chriſti ponit ipſum Chriſtum, quia Chriſtus eſt in nobis per ſpiritum ſuum. In quo ſpiritus Chriſti eſt, in hoc & Chriſtus eſt. Eſt vero Spiritus Chriſti in nobis per fidem Epheſ. iij. 17, id eſt Euangelio Chriſti firmiter credendo, ſpiritum Chriſti & ipſum Chriſtum animo concipimus & accipimus, eo ſcilicet modo quo concipi & accipi Chriſtus poteſt ac debet, ad corporis noſtri mortificationem & ſpiritus noſtri vitam. Chriſtum ipſum hic ponere maluit Apoſtolus, ut tanto validius concluderet quod ſequitur.

Corpus quidem mortuum, intellige eſt, *propter peccatum.* Id eſt peccati cauſa, ut illud ſcilicet & evitemus, quomodo & alibi dicit, quiſque uxorem ſuam habeat propter ſcortationem, id eſt ſcortationis cauſa, ut eam evitemus, ſeu evitandæ ſcortationis cauſa 1 Cor. vij. ℣ſ. 2. Porro quod antea dixit Chriſtianos non eſſe in carne, nunc dicit corpus illorum eſſe mortuum, unum exponens per alterum: & *corpus* ponit pro carne, quod & infra facit ℣ſ. 13, tanquam rem unam & eandem, corpora enim noſtra caro ſunt.

Spiritus vero vita. Spiritus, id eſt animus intelligens, ſeu homo internus corpori oppoſitus, qua ſignificatione eandem ſpiritus vocem accipit ℣ſ. 16. Epheſ. iij. 16. *Vita.* Id eſt vivus, abſtractum pro concreto, ſeu ſubſtantivum pro adjectivo, per Hebraiſmum, vivus enim mortuo opponitur. Sed vitam dicere maluit, ut ſpiritum noſtrum per habitantem in nobis Chriſtum, adeo vivere ſignificaret, ut vita ipſa factus ſit. Antequam Chriſtus in nobis eſſet, corpus erat vivum propter peccatum, animus mortuus propter juſtitiam; ſed poſtquam Chriſtus in nobis eſſe cœpit, corpus eſt mortuum propter peccatum, animus factus eſt vivus & vita ipſa, *propter juſtitiam*, id eſt juſtitiæ cauſa, ad eam ſcilicet perpetuo faciendam. Hęc igitur eſt Chriſtianorum, qui vere ſunt Chriſtiani, ratio, Chriſtum ejuſque ſpiritum in ſe habent; proinde corpus eorum mortuum eſt, ne peccent; ſpiritus autem vivus eſt, ut juſtitiam in omnibus vitæ actionibus colant. Non eſt ut Chriſtiani in carne ſe eſſe dicant, corporis & carnis infirmitatem obtendant, peccato alicui dediti; hoc enim ſi dicerent & obtenderent, Chriſti ſe haudquaquam eſſe eo ipſo faterentur.

Verſ. 11. *Si vero ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat in vobis, is qui ſuſcitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ipſius ſpiritum in vobis.* Docuit Apoſtolus quam vim in nobis habeat Dei ſpiritus, ratione officii noſtri, docet etiam quam vim habeat ratione ſeu reſpectu felicitatis noſtræ: Ne quis putet Dei ſpiritum ad id ſolum facere ut laboremus, non vero etiam ad id, ut fructum & præmium laboris capiamus.

Si vero ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis &c. Hac deſcriptione Deum ſignificat, proinde Dei ſpiritum intelligit, quem antea Chriſti ſpiritum eſſe dixerat, & pro quo Chriſtum ipſum nominarat; eundem hic iterum ſicut verſ. 9 Dei ſpiritum eſſe dicit, quia ut monuimus, Chriſti ſpiritus eſt Dei ſpiritus, & Chriſtus in nobis eſſe dicitur, cum ejus ſpiritus in nobis eſt. Non fruſtra vero Deum ſic deſcripſit potius, quam ſimpliciter nominavit, quod & ſupra cap. iv. 24 fecit, nimirum ut ſuſcitationis noſtræ quam hic commemorat argumentum & documentum caperemus ex ſuſcitatione Jeſu ex mortuis. Nam qui Jeſum ex mortuis ſuſcitare potuit, & nos poterit. Neque enim Jeſus minus mortuus fuit, quam quiſque noſtrum cum moritur, aut magis poſt mortem vixit, quam quiſque noſtrum mortuus vivet: aut præter hominem unus ille Deus, aut alius aliquis Deus immortalis fuit: quod qui credunt, ſpei ſuæ fundamentum, Chriſti videlicet ſuſcitationem ex mortuis, quod etiam hoc loco ponit Apoſtolus, imprudentes

evertunt. Porro in ſuſcitatione Jeſu ex mortuis, includi debet id, quod illam eſt conſecutum; nempe corporis Chriſti mutatio, per quam corpus illius ſactum eſt ſpirituale, cæleſte, glorioſum, & natura ſua prorſus immortale, & ſic ipſe ſactus eſt ſpiritus viviſicans 1 Cor.xv.45. Nimirum ut in Chriſto non ſolum reſuſcitationis ex mortuis exemplum eſſet illis qui ante adventum ipſius morerentur, ſed etiam illis qui viventes veram illam & immortalem vitam citra mortem ab ipſo exſpectant, de quibus Apoſtolum hic loqui docent ſequentia.

Vivificabit etiam mortalia corpora veſtra &c. Docet quæ ſelicitas ex inhabitante in nobis Dei ſpiritu ad nos derivetur; hæc nimirum ut propter habitantem in nobis ſpiritum ſuum Deus mortalia noſtra corpora ſit viviſicaturus. Nempe corpora noſtra mortalia domicilium ſpiritus Dei facta ſunt, per quem obſignamur à Deo in diem redemptionis; & Dei ſpiritus eſt arrhabo ſuturæ hæreditatis Epheſ. 1. 13. Per Dei ſpiritum corpora noſtra mortalia conſecrantur immortalitati, neque ea deſerere & relinquere poteſt Deus niſi ſuum ipſius ſpiritum in illis habitantem deſerere velit ac relinquere. Non dicit vero hoc loco Apoſtolus, ſuſcitabit etiam vos ex mortuis: quia non omnes moriemur, proinde nec omnes ex mortuis ſuſcitabimur; ſed omnes & mortui & vivi immutabimur; mortui reſurgent incorruptibiles, nos autem vivi mutabimur 1 Corinth.xv. 52. 1 Theſſ. iv. 15 & ſeqq. Itaque boc dicere maluit Apoſtolus quod pertineret ad utroſque & quidem magis ad vivos. De eorum enim qui in Chriſto mortui erant ſuſcitatione minus erant ſolliciti, quippe jam edocti illorum ſalutem ſecuro eſſe in loco, ipſi vero optabant, imo unice avebant & cupiebant, ut corporibus per mortem non depoſitis viviſicarentur, id eſt immortalis vitæ, quæ demum vita eſt, participes redderentur: & ſane ſperaſſe ac perſuaſum habuiſſe priorum temporum Chriſtianos, ſore ut ipſorum ſeculo Chriſtus veniret, & mundo finem imponeret, non pauca docent quæ nunc referre non eſt neceſſe. Neque Apoſtolus hoc deſiderium vel ſpem in animis illorum minuere laboravit; cum & ipſe idem unice cuperet verſ. 23. 2 Cor. v. 2,3,4, & de ſe aliiſque Chriſtianis tum viventibus ſic loqueretur tanquam ad Chriſti adventum victuris 1 Cor.xv. 52. 1 Theſſ.iv. 16. Et ſane noſtri officii eſt in ſingulos dies, imo momenta, Chriſti adventum exſpectare, inque eum intentos eſſe, ita tamen ne intra definita aliqua temporum ſpatia ſpem noſtram ejuſque eventum includamus, cum noſtrum non ſit noſſe tempora & opportunitates, quas Pater poſuit in ſua poteſtate, ut Chriſtus ipſe Apoſtolos monuit Actor. 1. 7, & ſalus noſtra ſemper ſit in tuto, ſive vivamus, ſive moriamur, ſive unus tantum dies, ſive mille anni intercurrant ante adventum Chriſti. Eandem enim rationem ac proportionem habent mille anni cum Dei æternitate collati, quam habet unus dies, id eſt nullam 2 Petr. iij. 8. Pſal. xc. 4. Eccleſ. xvij. 8. Neque invidenda eſt aliis poſt nos orituris æterna illa beatitas; præſertim cum mortis illud intervallum mortuorum reſpectu prorſus ſit nullum, quantumcunque tandem ſit reſpectu viventium. Sed tamen quis non cuperet non mori? ſeu mortem non experiendo immortalis fieri, & in cælum evehi? Quis non cuperet potius, ut terreno corpore indutus, ſuperindueret corpus cæleſte, quam ut illud, terreno prius per mortem exutus, indueret? aut quis non optaret ut mortale abſorberetur à vita potius quam à morte? 2 Cor. v. 4. Huic igitur Chriſtianorum iſtorum deſiderio ac voto inſiſtens Apoſtolus, docet ſore ut Deus mortalia ipſorum corpora viviſicet, ſi ſcilicet ante Chriſti adventum ipſos non contingat mori. Aliter enim non tam mortalia ipſorum corpora viviſicarentur, quam potius ipſi ſuſcitarentur & reſurgerent in corporibus ſpiritualibus, nulli corruptioni, nulli infirmitati obnoxiis, glorioſis, cæleſtibus, carne & ſanguine, quæ ipſa infirmitas & corruptio ſunt, & omni terrea mole carentibus. Corpora mortuorum non dicuntur mortalia, ſed mortua ſeu vita & anima caſſa; neque per reſurrectionem tam corpora viviſicabuntur, quam ipſi homines mortui, quorum proprie eſt & vivere & mori, & ex morte iterum viviſicari; & corpora mortuorum non amplius ſunt ſpiritus Dei habitaculum, qui una cum ſpiritu noſtro ex corporibus emigravit, & ſi corpora mortuorum in cineres redacta ſint, & in ſua principia reſoluta, vel in alias formas converſa, corpora mortuorum quæ erant jam eſſe deſierunt. Quæ in reſurrectione, ſive ea ſuis principiis iterum fiant, ſive alia in locum illorum ſuccedant, quantum ad identitatem, parum refert. Ut in ſeminibus, tritici puta, aut hordei & aliorum conſpicimus, quæ terræ mandata, in novis & vivis corporibus reſurgunt: quo exemplo & Apoſtolus ipſe utitur ad reſurrectionem mortuorum oſtendendam. Id eſt nulla cauſa eſt ut corpora mortuorum viviſicatum iri negentur, quatenus per reſurrectionem illorum in locum immortalia, ſpiritualia ac cæleſtia ſuccedent. Nec refert quod alia, id eſt cæleſti, non terreſtri ex materia, nam & ſeminum reſurgentium corpora ex alia & nova fiunt materia, veteris & prioris materiæ quod remanet, totum ſere in radices abit, quæ materiam novam attrahant ad novi corporis fabricationem, illudque ſtatuminent, & reſpectu novæ materiæ exiguum illud eſt. Ut ſi etiam iſtius in locum alia numero ſuccederet, nihilominus granum illud reſurrexiſſe & revixiſſe dicendum eſſet, & quod ad unitatem, quæ ſucceſſione unius in locum alterius continetur attinet, hoc ex accidenti eſt, ſi tam prius, quam ſuccedaneum corpus ex una eademque numero materia conſtet. At ſi hæc ſucceſſionis unitas aliam numero materiam admittit, cur non aliam admittat ſpecie ac genere? Nec propterea alius numero, qui reſurget homo, erit ab illo qui mortuus eſt, aut ſucceſſione tantum unus non reipſa. Unum enim & eundem hominem conſtituit non corporis eadem materia, proinde nec illud quod interierat corpus; ſed unus idemque intelligens ſpiritus, licet corporis babitaculum & inſtrumentum diverſum nactus: cum terreſtris & mortalis homo eſſet, terreum ac mortale corpus habuit; cum cæleſtis & immortalis homo factus eſt, cæleſte

ac im-

ac immortale corpus adeptus eſt : & corpus quidem terreum ac mortale, cum ſpiritu intelligente conjunctum, conſtituebat hominem terreum ac mortalem ; corpus autem cæleſte ac immortale, eodem cum ſpiritu unitum, illum ipſum hominem conſtituit cæleſtem & immortalem. Nec eſt ut dicas, pereunte parte eſſentiali, perire totum eſſentiale. Non enim perit quod reponitur. Sic flumen non perit, quia ſemper aqua aquam trudit. Nec ignis perit, ſi ſemper nova ſuggeratur materia. Et corpus idem manet, quia ſemper novum ſuppeditatur alimentum quo reparatur, quantum de corpore abſumitur. Ergo navis multa per ſecula manſit propter reſtaurationem, quamvis prioris materiæ nihil eſſet reliquum. Iidem panes & piſces manebant, quibus tot hominum millia cibabantur, quia quantum de iis decerpebatur; tantum divina potentià ſuccreſcebat. Et hoc modo quæ de iiſdem in reſurrectione corporibus credimus, recte conciliantur cum iis, quæ idem Apoſtolus diſſerit 1 Cor. xv. 35,36,37,38,40,42, uſque ad 50 & ſeqq. 2 Cor. v. 1,2,3,4. Ex quibus manifeſtum eſt corpora nos per reſurrectionem mortuorum & immutationem vivorum, ex ſpirituali ac cæleſti materia habituros eſſe. Quæ veritas, quia corporum unitati qualis hic dari poteſt, non obſtat, recte Pauli verba, quæ nunc expendimus, & de mortuis & de vivis accipiemus ; nec temere Apoſtolus ſic loqui maluit, quam ſolius reſuſcitationis meminiſſe, quamvis iſtius rei occaſionem ex reſuſcitatione Chriſti à ſe memorata haberet. Vivificabit nimirum Deus mortuorum corpora, quæ dum ipſi viverent, erant mortalia, (etſi improprie vivificatio corporibus tribuatur, ſicut & vita & mortalitas, & mors & reſurrectio,) quatenus efficiet ut mortui in corporibus per quæ vere vivant & immortales ſint, ſurgant & prodeant; ſicut ſeminum corpuſcula vivificantur, cum mortua & reſoluta, in vivis exoriuntur corporibus. Hoc auautem Deus faciet, propterea quod mortalia illorum corpora fuerint aliquando ſpiritus ejus domicilia : vivorum autem mortalia corpora ita vivificabit, ut in momento fiant immortalia. Itaque non eſt à vero alienum, ut credamus Apoſtolum ſic locutum & verba ſua moderatum eſſe, quo & mortuis & viventibus vitam æternam paratam eſſe oſtenderet. Nam & alibi cum non omnes reſuſcitatum iri; (neque enim omnes morientur) ſed omnes & vivos ſcilicet & mortuos immutatum iri dixiſſet, immutationem iſtam ſic deſcribit ut tam mortuis quam vivis applicari poſſet. *Oportet enim*, inquit 1 Cor. xv. 53, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem* ; non dicit ſuperinduere, ut alibi loquitur, hoc enim ad ſolos viventes pertinet, ſed ſimpliciter induere, quod utriſque convenit. Nam & mortuorum corpora induent incorruptionem & immortalitatem, cum eo quo explicatum eſt modo incorruptibilia & immortalia prodibunt, & vivorum, eum repente & ſine morte fient incorruptibilia & immortalia : & ſic in utriſque tam mortuis quam vivis implebitur quod ſcriptum eſt : *Abſorpta eſt mors in victoriam* : in viventibus autem peculiariter illud ; *Ubi tuum eſt ò mors ſpiculum* ? Evaſimus omnem tuum ictum, non attigiſti nos, quod mortem experti non tam dicere poterunt. Icti enim erant, ſed à Chriſto perſanati ſunt : in mortuis vero ; *Ubi tua eſt ò inferne victoria*? Viciſſe tibi videbaris & viceras ; ſed nunc victus & triumphatus jaces, nobis ex faucibus tuis ereptis, & te penitus abolito 1 Cor. xv. 51 & ſeqq. Sed ſi de viventibus Apoſtoli verba accipimus *Vivificabit mortalia corpora veſtra* : corpora quidem noſtra mortalia vivunt, quatenus parti tribuitur quod proprie totius eſt; ſed vivunt vitam mortalem & caducam, quæ umbra eſt potius vitæ, quam vera vita : hæc Deus vivificabit, cum momento temporis, & ſine ullo mortis interventu fient immortalia, & mortale abſorbebitur non à morte, ſed à vita ; cum ſcilicet Deus per Chriſtum transfigurabit corpus noſtrum humile, ut fiat conſorme corpori ejus glorioſo Philip. iij. 21. Hoc ſi fiat mutatione qualitatum tantum, an vero ipſarum ſubſtantiarum corporis, aliunde cognoſcendum eſt ; nec tam ad rem ipſam, quam ad modum rei pertinet.

Propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis. Spiritus Dei ſpiritui quidem noſtro conjunctus eſt, ſive ſpiritus noſter ſpiritu Dei afflatus & affectus eſt ; ſed ſicut ſpiritus noſter in nobis habitare dicitur, quatenus in corporibus noſtris habitat, ſic & ſpiritus Dei. Fieri igitur nequit, ſi Chriſtus viventibus nobis veniat, quin Deus corpora noſtra ſpiritus ſui habitacula vivificet & reddat immortalia, ſicut etiam ſi interea moriamur fieri non poteſt quin ſpiritus noſtros ſpiritu divino afflatos & affectos, corporibus amiciat cæleſtibus, & ſic nos incorruptibiles ex mortuis reſuſcitet 1 Cor xv. 52. Ponit autem Apoſtolus, per Dei ſpiritum corpora noſtra mortua fuiſſe peccato, & ſpiritum noſtrum vivificatum & animatum, Dei ſpiritu omnis generis juſtitiam per nos operatum eſſe. Nam alioquin fruſtranea & inutilis foret ſpiritus Dei in nobis habitatio, nec inutilis tantum, ſed etiam nobis valde detrimentoſa, & damnationis potius quam ſalutis cauſa. Neque enim ullam peccatis excuſationem prætexere poſſemus, eo ipſo tanto gravius peccantes, quod ſpiritum Dei in nobis habitantem triſtitia & contumelia affecerimus, illique adverſati ſimus. Alii codices legunt, *per ſpiritum ſuum habitantem in vobis*, quam lectionem ſi ſequamur, ſenſus erit idem. Particula enim *per* accipitur pro *propter*. Nam particula *per*, omne genus cauſæ natura ſua ſignificandi vim habet : quaſi dicat, ſpiritus Dei erit cauſa, ut Deus corpora veſtra mortalia vivificet : hic Deum ad id faciendum movebit & impellet. Nam Deum per ſpiritum iſtum ſuum qui in nobis habitat, tanquam per inſtrumentum quod tantæ ſit efficaciæ, corpora noſtra vivificaturum, nemo opinor dixerit : cum tanta vis & efficacia nemini, quamvis Dei ſpiritum habeat, præter Deum & Chriſtum inſit. Cum igitur tantus ſit ſpiritus Dei in nobis habitantis fructus, demus operam ut nos illi obſequentes in omnibus præbeamus, ne eum vel amittamus, vel inutilem & infructuoſum, imo damnoſum & adverſarium nobis reddamus. *Si enim ſpiritu vivimus, ſpiritu etiam incedamus* Gal. v. 25.

Verſ. 12. *Ergo igitur fratres debitores ſumus non*

carni, ut ſecundum carnem vivamus. Ex dictis concluſionem hanc infert: quaſi dicat, quandoquidem & ſpiritum Dei in nobis habemus, & in carne non ſumus, & corpus noſtrum mortificatum eſt, & tantum nos præmium expectat, vita ſcilicet immortalis & æterna, cujus eſt ſpiritus Dei certiſſimum pignus & arrhabo, noſtrique in diem redemptionis ſignaculum.

Fratres. Nimirum per fidem in Chriſtum, quę ſicut nos omnes ſine diſcrimine facit Dei filios, ſic facit ut etiam ſimus alii aliorum fratres.

Debitores ſumus, non carni. Conjungit ſeſe ipſis Apoſtolus, & in prima loquitur perſona, ne ſeſe ab eodem pietatis & ſanctitatis officio videretur eximere. *Debitores ſumus*, id eſt obſtringimur & obligamur, *non carni*, caro ſiquidem mortua eſt, & nos in carne non ſumus.

Ut ſecundum carnem vivamus. Docet quomodo carni non ſimus debitores, non quominus ei de neceſſariis, quibus vita temporaria indiget, proſpiciamus: hactenus enim & carni debitores ſumus; *ſed ut ſecundum carnem vivamus*, id eſt vitæ actiones ſecundum carnis libitum inſtituamus. Debitores ſumus carni, ut eam cibo & potu reficiamus, veſtitu operiamus, & alia vitæ neceſſaria ei præſtemus, ſed ut comeſſemur, inebriemur, ſcortemur, luxuriemur, ullumve peccatum aliud committamus, carni haudquaquam debemus; omni quam antehac in nos ſibi uſurpabat ad peccandum poteſtate, penitus exemti & ſoluti ſumus.

Verſ. 13. *Si enim ſecundum carnem vivatis, moriemini, ſi vero ſpiritu actiones corporis mortificatis, vivetis.* Rationem dicti reddit per prolepſin. Cogitaret enim aliquis, etiamſi debitores carni non ſimus, quæ inde noxa fuerit, ſi ſecundum carnem vivamus? Maxima, inquit; ſi enim ſecundum carnem vivatis, moriemini: certiſſima & teterrima mors vos manet; mors nimirum ſecunda, ad quam impii & ſecundum carnem viventes reſuſcitabuntur mortui: nulla Dei gratia, nulla Chriſti obedientia, nulla res vos juverit, ne patiamini vos ſeduci vanis ſermonibus. Deus tantam gratiam per Chriſtum omnibus exhibuit, non ut indulgerent vitiis, quæ ſemper odit & averſatur, maxime in iis quos maxima gratia complexus eſt; ſed ut omnes à vitiis & peccatis penitus averteret, ac ſibi manciparet. Neque etiam ullam hic difficultatem prætendere poteſtis, mortificata per Chriſti ſpiritum carne, non ulla hic veſtra eſſet imbecillitas, ſed mera malitia & improbitas, aut Chriſti gratiæque per illum allatæ ignorantia; quæ in Chriſtianos non cadit. Nam ea non poſſunt abuti qui eam recte norunt.

Si vero ſpiritu. Id eſt ſi vero rem contrariam vitæ & ambulatoni ſecundum carnem facitis, nempe

Si actiones corporis mortificatis. Id eſt perimitis, tollitis è medio, facitis ne amplius ſint, ſicut mors è medio tollit & aufert illos qui erant. *Spiritu.* Medium oſtendit efficaciſſimum, per quod actiones corporis ſeu opera carnis perimenda, tollenda & abolenda ſunt, per ſpiritum nimirum Dei & Chriſti, qui in nobis habitat, ſi Dei & Chriſti ſumus. *Actiones corporis.* Id eſt actiones quas corpus appetit, ad quas corpus hominem impellit & adducit, per genitivum cauſæ, peccata videlicet & vitioſas actiones.

Vivetis. Vitam æternam pro præmio feretis. Hoc niſi facitis, tam poteritis vivere, quam mors poteſt vita eſſe. Eleganter hic Apoſtolus, vitæ mortem, & viciſſim morti vitam opponit; vitæ ſecundum carnem opponit mortem; ut à dulcedine vitæ carnalis, acerbitate mortis nos avocet; morti autem actionum corporis opponit vitam, ut vitæ iſtius dulcedine omnem mortis illius acerbitatem edulcet & tollat. Ipſa enim ratio dictat, quod & Epicurus vidit, ut levem & momentaneam voluptatem maximi & æterni mali evitandi cauſa fugiamus, & exiguam brevemque moleſtiam maximæ & æternæ voluptatis conſequendæ cauſa ſubeamus. Hic ſeſe Apoſtolus illis non conjungit; nolebat enim ut ullum de ſua ſancta & ſpirituali vita dubium eſſet.

Verſ. 14. *Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur hi ſunt Filii Dei.* Probat illos victuros eſſe, ſi ſpiritu actiones corporis mortificent *Nam*, inquit, *qui Dei ſpiritu aguntur, hi ſunt Dei Filii.* Spiritu Dei agi, id eſt ferri, impelli, regi, & ſpiritu actiones corporis perimere, pro eodem accipit Apoſtolus. Hunc enim in finem quiſque Dei ſpiritu agitur, ne uſquam extent actiones corporis, ſed ubique ſint actiooes ſpiritus.

Hi ſunt Filii Dei. Nondum concludit quod debuit, hi victuri ſunt, ſed ad id concludendum magnum gradum facit, ut verſ. 17 videbimus. *Hi ſunt Filii Dei*, ratione videlicet perfectiori & pleno ac certo jure. Nam ſimul atque aliquis in Chriſtum credit, Dei ſit filius, & quia filius, ſpiritum Dei accipit Gal. IV. 6. Sed ſi ſeſe non gerat ut Filium Dei decet, ſi ſpiritu Dei Patris ſui non agatur, filii jure excidit, & Dei filius eſſe deſinit; ſi vero digne hoc ſuo tam ſublimi ſtatu & Dei ſpiritu agat, tum demum in pleno & certo Filii Dei jure collocatur, & à Deo pro vero & genuino filio agnoſcitur & habetur.

Verſ. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis in quo clamamus Abba, Pater.* Probat Dei Filios eſſe, & à Deo pro filiis haberi, qui ſpiritu Dei aguntur.

Nam, inquit, *non accepiſtis ſpiritum ſervitutis.* Quaſi dicat, ſi accepiſſetis ſpiritum ſervitutis, non ſequeretur vos Dei Filios eſſe, quia illo ageremini, ſed tantum vos eſſe Dei ſervos; nunc vero non ſpiritum ſervitutis accepiſtis, ſed ſpiritum adoptionis, ſequitur ergo vos eſſe Dei Filios, ſi ſpiritu iſto agimini & regimini.

Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis. Id eſt ſpiritum ſervilem, ſpiritum qui ſervorum eſt ſeu ſervorum proprium: duo ſubſtantiva poſuit pro ſubſtantivo & adjectivo, Hebræa phraſi, ſpiritum ſervituti ſeu ſervili ſtatui convenientem.

Iterum. Id eſt ſicut prius factum fuit ſub lege,

In timorem. Id eſt in ſolum timorem, vel præcipue in timorem ac metum. Finem oſtendit ſpiritus ſervilis, & hoc ipſo rationem illius ac naturam. Spiritus ſervilis natura ac ratio ſimulque finis eſt, ut metum incutiat. Servorum enim eſt metu ac timore regi, qui, quia ſervi ſunt, non liberi, frugi non ſunt niſi metuant, proinde niſi ſevere tractentur. Hunc ſpiritum Legis diſciplina ſeverior, hominum animis indebat.

Sed

Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis. Id eſt ſpiritum qui filiorum eſt, ſpiritum filialem, qualem habent Filii, vel qui pro Filiis adoptantur à Patre libero, ſpiritum nimirum non tam timoris, quam ardentiſſimi erga Patrem amoris, & liberalis audaciæ ac fiduciæ, cum videant ſe etiam ardentiſſime à Patre amari, & liberaliter ac benigne haberi, quem ſpiritum Chriſti Euangelium de tanta & tam immenſa Dei gratia & erga nos amore, animis noſtris indit & ingenerat.

Adoptionis, υἱοθεσίας. Neque enim nos naturales Filii Dei ſumus, hominum ſumus Filii naturaliter, non Dei, qui alioquin etiam eſſentiam ſuam propagare non poteſt, cum neceſſario ſit unus, & eſſentiam habeat cujus nullum eſt principium, quæ proinde eadem eſſe genere vel ſpecie non poteſt, cum propagata vel genita eſſentia. Nam qui dicunt perſonam Filii generari, non eſſentiam; quippe quæ eadem ſit numero cum Patris eſſentia; id dicunt quod verborum tantum ſonum habet, vim & ſenſum nullum: dicunt enim quæ ſeſe mutuo evertunt. Nam Filius, vel ulla alia res aliquid eſſe, imo fingi ac cogitari non poteſt, quam ſua ipſius eſſentia; nec Pater & Filius una numero poteſt eſſe eſſentia, cum Pater & Filius relata ſint, relata ſint oppoſita, oppoſitorum vero unam numero eſſentiam qui dixerit, oppoſita negabit eſſe oppoſita, & quod modo aſſeruit, protinus evertet. Etſi vero Deus eſſentiam ſuam propagare non poteſt, Chriſtus tamen non ſola adoptione, ſed generatione Dei Filius eſt, quatenus non ex viro, ſed ex Dei ſpiritu ac virtute fuit conceptus ac genitus: ideoque hoc reſpectu non certo demum tempore, poſtquam genitus eſſet, ut adoptivi filii ſolent, Filius Dei factus eſt, ſed ſemper fuit ex quo eſſe incepit. Tanto vero major eſt Dei gratia erga nos, quod nos hominum filios, & ex hominibus proprie genitos, nihilominus pro filiis adoptarit, & filiorum loco habeat. Jam ſi filii naturaliter ex patre ſati, ipſa genitura obſtringuntur ad patris amorem & reverentiam, quanto magis obſtringuntur adoptionis beneficio? Si Rex aliquis viliſſimæ ſortis hominem in filium ſuum adoptet, quantum & quam memorabile hoc ſit beneficium? Et tamen homo hominem in filium adoptet. At hic, Deus ille unus, cum quo nulli Imperatores comparari poſſunt, nos, miſeros mortales adoptavit in filios! Quis tantum beneficium vel animo complecti, vel verbis ennarrare poſſit? Quantum viciſſim ex tanto beneficio erga Deum amorem ac reverentiam in animis noſtris oriri neceſſe eſt? Quis porro non agnoſcat quanto obſequio & obedientia Deo ſit obſtrictus, ne tanta ſelicitate excidat in quam ſola Dei gratia ſuſceptus eſt? Etſi vero adoptati à Deo filii ſumus, ſimul tamen ſumus & geniti ex Deo, ejuſque ſemine, reſpectu fidei noſtræ, & quæ fidem conſequitur vitæ ſanctæ 1 Pet. j. 23. 1 Joan. 2. 29. Nam & Chriſtus à Deo genitus eſt ex virgine, Spiritus Sancti virtute, & in Filium à Deo ſingulariſſimum electus ac ſuſceptus. Unde porro etiam Deo ſimillimus, & hac ſimilitudine ſingulariſſimus Dei Filius factus eſt.

In quo clamamus. Effectum oſtendit ſpiritus iſtius filialis, effectu ſpiritus ſervilis oppoſitum, hujus effectus eſt metus, at illius effectus eſt filialis audacia & clamor ad Deum, Abba, Pater. Quare enim Deum Patris nomine non compellemus, à quo nos in filios adoptatos eſſe, & quem nos Paterna prorſus gratia complexum eſſe videmus? Atque hinc eſt ut perpetuum ſit Chriſtianis Deum Patris titulo invocare, quod olim ſub Lege & in illo ſervili ſtatu vix aliquando licuit. Neque enim audebant homines ad tantam parrheſiam & fiduciam animum attollere, ab ipſo Deo ad illam non ſublevati. *In quo*, id eſt per quem, cujus inſtinctu & impulſu, vel quo. Solet enim particula *in* ex Hebræorum idiotiſmo redundare. *Clamamus*, intellige ad Deum, clara ſcilicet & aperta, non muſſitante, non ſubmiſſa & timida voce dicimus, quod ſolent qui cauſæ non ſatis fidunt.

Abba Pater. Abba Syriacum eſt, Πατὴρ Græcum, ex quo & Latinum pater: itaque & Syriacum & Græcum nomen idem ſignificans poſuit: Syriacum, quod blandius quiddam ſonet, & forte etiam uſus illius jam manare cœpiſſet ad Græcas Eccleſias. Græcum quod Syriaci interpretatio ſit. Cæterum nominativum ὁ Πατὴρ poſuit pro vocativo. Similis enallage occurrit in voce Dei & Domini Joan. xx. 28, & alibi. Ex hac vero oppoſitione, ſpiritus ſervitutis qui olim ex Lege oriebatur, & ſpiritus adoptionis, manifeſtum eſt ſpiritus voce deſignari affectionem & qualitatem quandam à Deo profectam, ſive per Dei ſermonem, ſive per divinum aliquem afflatum animis noſtris cælitus allabentem, qui afflatus proprie etiam ſpiritus nomen ſibi vendicat: diciturque Dei virtus ſeu δύναμις, quod maximæ ſit efficaciæ in præſtandis iis omnibus, quorum præſtandorum cauſa à Deo proficiſcitur. Sicut enim ſpiritus ſervitutis animi affectio & qualitas erat, qua imbuebantur animi ex Legis auditu, ſic & ſpiritum adoptionis, quatenus ab ipſius afflatus cælitus advenientis ſubſtantia diſtinguitur, eſſe neceſſe eſt, qua imbuuntur animi ex auditu Euangelii, cum oppoſitorum eadem ſit ratio.

Verſ. 16. *Ipſe ſpiritus conteſtatur ſpiritui noſtro quod ſimus Filii Dei.* Quaſi dicat, itaque ipſe ſpiritus, dum facit ut clamemus ad Deum Abba Pater, conteſtatur noſtro ſpiritui, quod ſimus Dei Filii. Niſi enim Dei Filii eſſemus, & à Deo pro Filius haberemur, certe ſpiritus Dei, qui eſt ipſa veritas, non eſſet nobis auctor tantæ fiduciæ, ut Deum Patris nomine compellare auderemus.

Conteſtatur ſpiritui noſtro, συμμαρτυρεῖ, Quaſi dicat, ſpiritus noſter id dicit & aſſerit per Euangelium edoctus, Spiritus vero Sanctus ei atteſtatur. Similis locutio eſt infra cap. ix verſ. 1.

Quod ſumus Filii Dei. Intellige, ſi ſpiritu iſto agamur, & per eum carnis opera mortificemus, & ut Filios Dei eorumque ſtatum ac conditionem decet, vivamus, ſi ſpiritum hunc Dei non contriſtemus nec contumelia afficiamus, eique reſiſtamus ac refractarii ſimus. Filii, Græce τέκνα, quæ vox & filios & filias ſignificat.

Verſ. 17. *Si vero filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes vero Chriſti, ſiquidem ſimul patimur ut & ſimul glorificemur.* Pergit Apoſtolus in ſua argumentatione. Oſtendit & evicit nos Dei filios eſſe, ulterius nunc gradum facit. *Si vero*, inquit, *filii, etiam hæredes*, intellige ſumus. Ita rem concluſit, nempe nos victuros. In hac enim hæreditate continetur vita æterna. Nam hæredem Dei eſſe, quid

aliud eſt quam hæredem eſſe Dei bonorum, inter quæ primum omnium & cæterorum fundamentum, eſt vita æterna? Porro hæredem eſſe & Filium eſſe, inter ſe connexa ſunt, & unum ex alio conſequitur. Erimus autem hæredes non poſt Patrem, ut inter mortales ſolet, ſed cum Patre, id eſt Patre vivente, qui immortalis eſt, & nos in ſuæ immortalitatis poſſeſſionem, proinde in veram hæreditatem admittet.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Repetit & inculcat & ſimul illuſtrat quod dixit. Repetit & incultat, cum ait, *hæredes quidem Dei:* quaſi dicat, quod aſſerui verum omnino eſt; nemo ob rei tantæ magnitudinem, fidem illi deroget. Si nos homines mortales Deus in Filios adoptare dignatus eſt, quod oſtendi, etiam hæredes ſuos facere dignabitur, dummodo ſpiritu Dei agamur, qui iſtius ipſius hæreditatis arrhabo eſt. Rem vero illuſtrat, imo confirmat, cum ait;

Cohæredes autem Chriſti. Exemplum Chriſti adducit, qui homo itidem fuit, & tamen hæres Dei factus eſt, nimirum quia & Dei Filius erat. Nec eſt ut dicas, Chriſtum longe alia ratione & multo perfectiore quam nos Dei Filium fuiſſe, quippe quod ex ipſius ſpiritu conceptus & genitus eſſet. Verum hoc eſt, ſed tamen homo non minus quam nos mortalis conceptus & genitus fuit. Et quod ad prærogativam Chriſti attinet, etiam factus eſt principalis Dei hæres, hoc eſt talis hæres, ut ſimul ſit omnium noſtrum Dominus, talis hæres per quem & propter quem nos ad heriditatem Dei admittimur. Chriſtus erat ſuo ſibiq; competenti modo Dei Filius, nos noſtro, quatenus non tantum à Deo pro filiis adoptati, ſed etiam ab ipſo fidei & converſationis Chriſtianæ reſpectu progeniti ſumus: ob quam cauſam nec Chriſtus ipſe erubeſcit nos appellare fratres. Et ſane, quid magis conjunctum eſſe poteſt quam Chriſtiani Chriſto & fide & ſanctis moribus? In Chriſtum credunt, nomen & Euangelium ejus profitentur, Chriſtus illorum caput eſt, ipſi membra corporis ejus, quod eſt eccleſia, quæ Chriſti ſponſa eſt, Chriſtus illius ſponſus ac maritus. An igitur in tanta Chriſtianorum & cum Deo & cum Chriſto conjunctione, aliter evenire poteſt, quam ut Chriſtiani ad eandem cæleſtium bonorum hæreditatem admittantur, ad quam Chriſtus admiſſus eſt, & ſic Chriſti fiant cohæredes? Neque enim cæleſtium bonorum hæreditas talis eſt ut plurium admiſſione minuatur et arctetur per ſingulos. Vera ac ſolida felicitas individua eſt, tota eſt in quolibet. Vita æterna & cæleſtis illa beatitas uniuſcujuſque erit in ſolidum. *Victor*, inquit Deus ipſe, *hæres fiet omnium, & ero ipſi Deus & ipſe mihi erit filius* Apoc. xxj. 7. Hoc certum eſt ſi Chriſtus ſimul eſſet unus ille, aut alius aliquis immortalis Deus, antequam homo naſceretur, nullum argumentum & exemplum duci poſſet ex illius hæreditate ad aliorum hominum hæreditatem inferendam. Neque enim ſequeretur, ſi homo ille, qui ſimul Deus immortalis fuit, antequam homo fieret, ſeu qui ab æterno ex Dei eſſentia genitus fuit, hęres Dei factus eſt, etiam alios homines una cum ipſo Dei hæredes eſſe futuros; quia vero ex eo quod Chriſtus hæres Dei factus eſt, colligi vult Apoſtolus, nos etiam una cum Chriſto hæredes Dei futuros eſſe, apparet Apoſtolum nihil tale de Chriſto cogitaſſe.

Siquidem ſimul patimur ut & ſimul glorificemur. Novo inſuper argumento confirmat, nos una cum Chriſto hæredes Dei futuros eſſe, inde ducto, quod cum Chriſto communitatem habeamus perpeſſionum: quaſi dicat Apoſtolus: ſi Deus nollet nos ad communionem hæreditatia cum Chriſto admittere, nollet nos etiam communionem perpeſſionum cum illo habere: Chriſtus enim per & propter ſuas perpeſſiones cæleſtis regni hæreditatem obtinuit; at iſtarum participes nos cum Chriſto Deus facit. Igitur & hæreditatis participes faciet. Æquum enim eſt ut quã partem habuerunt in laboribus, partem etiam capiant in præmiis. Huc pertinent ejuſdem Apoſtoli verba 2 Theſſal. j. 5. 2 Tim. 2. 12, & alterius Apoſtoli 1 Pet. iv. 13, ne alia his ſimilia nunc commemorem.

Siquidem, εἴπερ, ſic & verſ. 9, *ſimul patimur*. Cum Chriſto ſcilicet. Συμπάσχομεν, intellige, τῷ Χριστῷ. Cum Chriſto pati, eſt propter Chriſti nomen & eandem veritatem ac juſtitiam pati propter quam Chriſtus paſſus eſt. Veritas illa eſt, Jeſum eſſe Chriſtum illum Dei, juſtitia eſt vitæ ſanctitas & innocentia, cujus Chriſtus perfectiſſimum fuit exemplar. In perpeſſionibus autem iſtis includuntur omnia quæcunque Chriſtianis hoc nomine inſeruntur adverſa, etiam mors ipſa, quam in Chriſti perpeſſionibus communionem & morti ejus conformationem, Apoſtolus longe prætulit omnibus terrenis bonis & honoribus, reſpiciens ad illius finem & exitum 2 Corinth. iv verſu ultimo. Philip. iij. 10.

Ut etiam ſimul glorificemur. Nempe cum Chriſto, συνδοξασθῶμεν, intellige & hic, τῷ Χριστῷ. Non tam hic ſignificat Apoſtolus noſtram intentionem & conſilium, neque enim protinus ſequeretur, quia nos hac intentione & conſilio cum Chriſto patimur, ut cum ipſo glorificemur, idcirco etiam intentioni noſtræ eventum eſſe reſponſurum; quam potius Dei intentionem & conſilium, qui nos ad ſocietatem perpeſſionum Chriſti vocavit hoc fine, ut nos etiam ſocios gloriæ illius faceret. Huic divinæ intentioni noſtra demum intentio innititur, & ſic haud dubie ex perpeſſionum Chriſti ſocietate conſequetur & ſocietas gloriæ. Gloria qua Chriſtus affectus eſt, cæleſtem quam adeptus eſt beatitatem ſignificat, de qua cap. v verſ. 2 actum eſt. Non fruſtra Apoſtolus & hic & paulo poſt quæſitis argumentis evincit Chriſtianorum virtutibus præmium æternæ vitæ deſtinatum eſſe. Erant enim qui virtutem ipſam ſibi eſſe præmium crederent, qui virtutem ſummum, alii etiam ſolum bonum eſſe dicerent. Et ſane virtus tale bonum eſt, ſine quo nemo in terris, etiam in maximis opibus, honoribus, voluptatibus corporis, beatus eſſe poteſt: ſed tamen niſi virtutem cæleſtia conſequerentur bona ac præmia, ipſa per ſe ad veram beatitatem haud ſufficeret, tanto vero minus ſi virtutem comitentur variæ perpeſſiones & calamitates, & ſæpe mors acerba, quod Chriſtianorum virtuti, quæ perfectiſſima eſt, uſu venire ſolet. Profecto homines omnium optimi, omnium eſſent hac in parte miſerrimi & calamitoſiſſimi; quod contra omnem rationem ac naturam eſt: virtus enim non eſſet virtus, & bonum non eſſet bonum, ſed vitium potius virtus eſſet, & malum eſſet bonum. Nam virtus bona eſt & eſſe dicitur, quod bene ſit omnibus

qui

qui eam ſectentur, & optime illis qui ſint optimi. Enititur ergo Apoſtolus, ut Chriſtianorum virtutibus æterna in cælis repoſita eſſe præmia doceat: quæ ſi non eſſent, nunquam profecto pateretur Deus, ut qui vere ſunt boni & innocentes, tot malis & ærumnis, & imprimis improborum poteſtati eſſent ſubjecti.

Verſ. 18. *Arbitror enim quod non ſint digna perpeſſiones præſentis temporis ad gloriam quæ revelabitur in nos.* Rationem proximè dicti affert per prolepſin: quaſi dicat, nam ne quis objiciat, perinde eſſe non pati & non glorificari, atque glorificari & pati;

Arbitror quod non ſint digna perpeſſiones &c. *Arbitror*, λογίζομαι, rationibus bene ſubductis colligo & ſtatuo.

Quod non digna, intellige ſint, *perpeſſiones*, τὰ παθήματα. Id eſt ea quæ patimur, quæcunque tandem patiamur, ſive ſint probra, ſive verbera, ſive mulctæ, ſive bonorum direptiones, ſive exſilia, ſive carceres, ſive capitis ſupplicia.

Præſentis temporis. Quod ſcilicet nunc & hoc ſeculo durante fluit, ſeu quæ hoc tempore pati poſſumus; ut ſignificet, futuri temporis & ſeculi mala, quæ impiis & à Chriſto alienis, imo Chriſtianorum perſecutoribus patienda erunt, longe eſſe præſentibus & quæ pii patiuntur malis graviora; quæ mala neque nos evitaremus, ſi præſentium malorum fuga pro Chriſto & cum Chriſto pati nollemus.

Ad eam gloriam quæ revelabitur in nos. Id eſt nullo modo comparari poſſunt cum gloria, nullius ſunt valoris ac momenti ſi cum gloria conferantur. *Momentanea*, inquit idem Apoſtolus, *levitas afflictionis noſtræ ſecundum excellentiam in excellentiam æternum gloriæ pondus conficit nobis* 2 Cor. iv. 17. Hinc apparet quam merito Apoſtolus hoc arbitratus ſit. Perpeſſiones enim noſtræ ab hominibus proficiſcuntur, gloria proficiſcitur à Deo, perpeſſiones ſunt terrenæ, gloria eſt cæleſtis, perpeſſiones ſunt breves & leves, (dolor enim magnus eſt brevis; at parvus levis) gloria æterna eſt ponderoſiſſima, perpeſſiones moderatur Deus ne ſint unquam nimiæ, gloria autem eſt ſecundum excellentiam excellens, id eſt excellenter excellens. Quis igitur tam amens fuerit, ut non ſummo animi cum gaudio & alacritate ſubeat ac perferat, quicquid tandem pro Chriſto patiendum ſit malorum, ut gloriam ac beatitatem tantam conſequatur, cujus comparatione ac reſpectu omnia quæ pati poſſit adverſa pro nihilo reputanda ſunt? *Quæ revelabitur*, τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι: quaſi dicat, nondum quidem hæc gloria apparet, nondum videtur, nondum oculis hominum eſt conſpicua; quæ cauſa etiam eſt ut multi ad eam non reſpiciant, & quam non vident, nec eſſe credant; manus noſtræ ſunt oculatæ, dicebat ille, credunt quod vident. *At nos*, inquit Apoſtolus, *non ſpectamus ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Nam quæ videntur ſunt temporaria, quæ vero non videntur ſunt æterna* 2 Cor. iv. 18. Quaſi dicat, non tantum ſunt quæ non videntur, ſed etiam æterna ſunt. Cum gloriam iſtam revelandam vel revelatum iri dicit, hoc ipſo illam jam eſſe ſignificat; ea enim revelantur quæ jam erant, ſed non apparebant. Eſt vero jam hæc gloria quæ revelabitur in nos, propter immutabile Dei decretum & deſtinationem, ſi fidem ad extremum ſervaverimus. Nam quæ Deus decernit & conſtituit ut ſint, merito jam eſſe dicuntur. Sic & Jeſus erat Chriſtus antequam Abraham fieret, imo antequam mundus à Deo conderetur Johan. viij. 58. Significat autem Apoſtolus nos non tantum gloria affectum iri, ſed ita iri affectum, ut id omnium in oculis fiat, & ab omnibus conſpiciatur, ab illis etiam ipſis qui nos afflixerunt Sapientiæ & v. 1 ſeqq. Quæ res etiam ſingulari nobis futura eſt ſolatio, tum enim nos innocentes fuiſſe agnoſcent, qui nos tanquam nocentes injuſte damnaverunt.

In nos, εἰς ἡμᾶς. Id eſt in nobis, εἰς pro ἐν; quæ ſeſe oſtendet in nobis, cum ſcilicet alii reſurgemus incorruptibiles, alii viventes immutabimur, quiſque in ictu oculi, ut ex mortalibus fiamus immortales, èa claritate & ſplendore radiantes omnium in conſpectu cui nec ipſa lux ipſis comparari queat: vel εἰς reſpondet Hebræorum *Lamed* dativi articulo, εἰς ἡμᾶς, id eſt nobis tanquam ejus poſſeſſioribus. Sic εἰς accipitur Joan. viij. 26. & εἰς ὑμᾶς 1 Pet. j. 25.

Verſ. 19. *Nam ſolicita expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exſpectat.* Rationem reddit cur dixerit gloriam eamque tantam revelatum iri in nobis, quam rationem ducit ab omnium Chriſtianorum exſpectatione ſolicita, qui revelationem filiorum Dei exſpectant. Nam quando Filii Dei revelabuntur & ſeſe oſtendent, tum etiam revelabitur & ſeſe oſtendet eorum gloria, proinde & noſtra, cum & nos ex filiorum Dei numero ſimus verſ. 16.

Solicita exſpectatio. ἡ ἀποκαραδοκία. Exſpectatio urgentibus adverſis ſummo & intentiſſimo eum deſiderio rei quæ exſpectatur conjuncta.

Creaturæ. Id eſt Chriſtianorum, qui nova ſunt Dei creatura, *creati per Chriſtum Jeſum ad opera bona* Epheſ. 2. 10. Hinc *Deus* dicitur *omnia creaſſe per Jeſum Chriſtum* Epheſ. iij. 9. *Vetera præterierunt*, dicit alibi idem Apoſtolus 2 Cor. v. 17, *ecce nova facta ſunt omnia:* quaſi dicat, novi in terris homines exorti ſunt, *duo*, id eſt Judæus & Græcus, *creati ſunt unus homo novus* Epheſ. 2. 15, ideo *in Chriſto Jeſu nihil valere* dicitur *niſi nova creatura* Gal. vj. 15. Etiamſi vero Apoſtolus dicto ad Corinthios loco 2 Cor. v. 17 ſolos homines intelligat, (neutro genere uſurpato pro communi quod ſæpe fit,) cum creaturam iſtam ante oculos eſſe dicit uſurpando vocem *ecce*, tamen hæc creatio intra homines non conſiſtit, etiam ad Angelos porrigitur; quo generali ſenſu voce creaturæ accepta, Chriſtus dicitur *omnis creaturæ primogenitus* Col. j. 16, id eſt primus ac præſtantiſſimus ex omni creatura: eo quod *per ipſum creata ſint omnia*, *& quæ in cælis*, *& quæ in terra*, id eſt & Angeli & homines: ubi itidem vox neutrius generis ad ſola rationalia refertur, quod etiam fit ibidem verſ. 20. Creati autem dicuntur per Chriſtum & Angeli & homines, propter novum qui per Chriſtum inductus eſt & Angelorum & hominum ſtatum ac conditionem: Eodem ſenſu & *principium creaturæ Dei* Chriſtus appellatur Apoc. iij. 14. Quod ille primus à Deo in hac rerum omnium creatione nova factus & creatus ſit, quippe quia per ipſum univerſa peragenda erat. Merito autem Apoſtolus hoc loco titulum iſtum Chriſtianis tribuit, quod dixerat in

ſpiritu

ſpiritu novo ſervire Deo,non in vetuſtate literæ, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare, in carne non eſſe, ſed eſſe in ſpiritu, quorum carnem dixerat eſſe mortuam propter peccatum, ſpiritum autum vitam eſſe propter juſtitiam, quod Dei filios factos eſſe, & ſpiritum adoptionis accepiſſe aſſeruerat, in quo clament Abba Pater; quæ omnia quid aliud ſunt quam nova hominum creatio? Jacobus etiam voces creaturarum Dei, de Chriſtianis uſurpat cap. j. 18. Nec refert quod Apoſtolus, nulla prius expreſſa mentione creationis iſtius facta, vocem creaturæ de nova creatura uſurpet. Nam & in epiſtola ad Galatas idem fecit cap. vj. 15. Quod enim iſtic addat vocem *novæ*, ad vocem creaturæ, hoc ideo facit, quia ſenſus abſque illa non conſtabat; at hic optime conſtat: nec verum eſt, abſoluta creaturæ voce, novam non deſignari creaturam, ut ex locis ſupra citatis apparet. Et quid attinebat, ut Apoſtolus expreſſe vocem novæ apponeret? cum res ipſa loquatur non aliam hic intelligi creaturam, quam non ſolum mente & ratione præditam; ſed etiam ſumma cum ſolicitudine revelationem filiorum Dei exſpectantem, & ſpem gloriæ divinæ habentem, & in afflictionibus ingemiſcentem. Hæc vero quæ alia eſſe poteſt quam nova creatura, id eſt Chriſtiani omnes ſeu Chriſtianorum eccleſia? Unde & voci κτίσεως additus eſt articulus qui eam ad certæ creaturæ ſignificationem reſtringeret. Τῆς κτίσεως non cujuſvis, ſed illius quam hic intelligere oportet. Sic & alibi abſoluta vox creaturæ ponitur; ſed ex re ac materia ſubjecta intelligenda relinquitur: ut cum Chriſtus Euangelium prædicare mandat omni creaturæ Marc. xvj. 15. Et Apoſtolus aſſerit, Euangelium eſſe prædicatum omni creaturæ quæ ſub cælo eſt Col. j. 23. Nam ut in Apoſtoli verba proſopopœïas inducamus inanes & frigidas, idque etiam propter unicam creaturæ vocem, nulla ratio eſt. Ajunt enim Apoſtolum hic, perſonæ habitu, inducere cælum & terram, revelationem filiorum Dei anxie exſpectantem: quo vero fine? Ut, inquiunt, magnitudinem gloriæ filiorum Dei per hoc oſtendat. Quaſi vero cælo & terræ perſonam tribuere neceſſe fuerit, ut ſciremus cum gloria noſtra futura, ea quæ nunc patimur, comparari non poſſe? Et quaſi hujuſmodo proſopopœiis locus ſit, ubi omnia robore & ſoliditate rationum aguntur, non ornatu orationis & verborum? Quam vero vim habet de cælo & terra dicere quod ſubjecta ſint vanitati, non ſponte & voluntate ſua? Quaſi vero vel ſponte vel non ſponte ei poſſint ſubjici quæ ſenſu & mente carent, & ipſa ſe eſſe neſciunt? Quis porro ferat dicentem cælum & terram ſubjectam eſſe à Deo vanitati, cum ea ſpe fore ut vindicentur in libertatem gloriæ filiorum Dei? An Apoſtoli inſtitutum erat docere nos, quis cæli & terræ ſtatus ſit, quæ conditio? Quid cælum & terram exſpectet? Multum enim noſtri intererat ſcire, idque hoc loco, cælum & terram fore gloriæ filiorum Dei participem! Non ita vero alter Apoſtolus Petrus, qui cælum hoc & terram hanc igni abolitum iri docet, & à nobis cælum novum & terram novam exſpectari dicit, cælum & terram haud dubie intelligens, ubi juſtitia, quod & ipſe addit, & Servator noſter habitat, unde ad nos veniet, & quo nos transferet, antequam cælum hoc & terra hæc igne cæleſti conflagret 2 Pet. iij. Non ſic & Pſaltes: *Cæli & terra abolebuntur*, inquit, *tu autem*, (Deum compellans) *permanes, & anni tui non deficiunt* Pſal. cij. 26, 27. Quid vero & tranſlatio cæli & terræ, tanquam factorum, aliud ſignificat quam eorum abolitionem? Heb. xij. 27. Neque enim credo ex uno loco in alium transferentur, ſed ita transferentur, ut nuſquam amplius ſint Apoc. xx. 11. Et ſi vetus creatura hic ſignificatur ab Apoſtolo, quid cauſæ eſt ut cum cælo & terra & mari non ſimul intelligamus & omnia quæ in illis ſunt? præſertim cum infra verſ. 22 ad vocem creaturæ, expreſſe addatur vox *omnis*; ita & boves & aſinos & canes & piſces etiam gloriæ filiorum Dei faciemus participes? quod erant qui ex hoc ipſo Apoſtoli loco aſſererent; ſoli *creaturæ* voci tam abſurdam ſententiam ſuperſtruentes. Quam vere etiam & ſolide Apoſtolus diceret, ſcimus quod cælum & terræ ſimul ſuſpiret & ſimul doleat, idque etiam pro ratione & confirmatione afferat rei non minus cælo & terræ affictæ quam hoc ipſum eſt? Imo vero contrarium ſciebat Apoſtolus & omnes ſciunt, omnem iſtam creaturam quam hic intelligi volunt, cælum inquam & ſydera & terram nec ſuſpirare nec ullo dolore affici. Primum illud de exſpectatione revelationis filiorum Dei ferri aliquomodo poterat in cælo & terra per proſopopœiam: at quæ per fictionem perſonæ inducuntur & dicuntur, argumentis & rationibus confirmatum iri, iiſque ſimiliter meras fictiones continentibus, nec uſu, nec fine ullo, Apoſtolo tribui non debet. Creaturæ igitur appellatione Chriſtianos ſignificavit Apoſtolus, quibus vere ſolicitam & anxiam tribuit exſpectationem. Neque enim Chriſtiani beatitatem ſuam, & bonum ſuum ſummum, hac vita definiunt. Ultra hanc vitam ſuſpiria & vota ſua extendunt, & per hoc ab omnibus hujus ſeculi ſapientibus longiſſime diſtant: quæ illorum exſpectatio, quia Chriſti Euangelio tanquam ſolidiſſimo fundamento ſuperſtructa eſt, fallere eos nullo modo poteſt; nec Romanis eidem Euangelio credentibus ullum ea de re dubium erat.

Revelationem filiorum Dei exſpectat. In revelationem filiorem Dei fertur ac dirigitur, & hanc pro objecto ſuo habet. Nam proprie loquendo ipſa exſpectatio non exſpectat, ſed homines ſunt qui exſpectant. Exſpectatio autem aliquid exſpectare dicitur, quatenus in id intenta eſt ac dirigitur. Docet Apoſtolus Chriſtianos non tantum exſpectare ipſam gloriam ſibi à Deo deſtinatam & promiſſam, ut ſcilicet ea afficiantur; ſed ſimul exſpectare filiorum Dei revelationem & apparitionem: tempus nimirum quo ſeſe Filii Dei omnium oculis oſtendent cæleſti Patris ſui gloria corruſcantes ac radiantes. Talis enim hic filiorum Dei revelatio ſignificatur quę ſplendorem, majeſtatem, gloriam, Filiis Dei convenientem includat. Nam ſi magnorum Regum & Imperatorum Filii maximo cum ſplendore ac pompa, præſertim in actu aliquo ſolenni, invehi & in publicum venire ſolent; quid de Filiis Dei, qui ſolus eſt immortalis & potens & beatus, Regis Regum & Domini dominantium ſtatuendum eſt, cum ſeſe in mundum hunc inferent, ut omnium hominum oculis, quanta eorum ſit beatitas appareat? Revelabuntur autem Dei Filii tum cum & ipſe Chriſtus primogenitus Dei

Filius,& omnium Dei filiorum princeps revelabitur, ac toti mundo ſeſe conſpiciendum dabit; cujus quanta apparitura ſit gloria ac majeſtas, mortalium mens concipere & lingua effari non poteſt. At Dei filii omnes eadem in gloria apparebunt: adChriſtum enim undique congregabantur, & lateri ejus aderunt, innumerabili Angelorum acclamantium multitudine ſtipari, cæleſti tuba clangente, & voce Archangeli inſonante, ſicut hominum tubæ clangunt, cum Reges vel Regum filii adveniunt. Hanc igitur filiorum Dei revelationem, tanta cum animi ſolicitudine ac deſiderio Chriſtiani omnes merito exſpectant. Nam cum Filii Dei una cum Chriſto revelabuntur & apparebunt, tum & ipſi, quippe ſimiliter Dei Filii, eadem Dei gloria afficientur, et eodem in filiorum Dei beatiſſimo comitatu refulgebunt. *Vita noſtra*, inquit idem Apoſtolus alibi, *abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, quando vero Chriſtus manifeſtabitur, vita noſtra, tunc & nos cum ipſo manifeſtabimur in gloria*, id eſt maxima cum gloria Col. iij. 3, 4. Sic igitur Apoſtolus oſtendit gloriam revelatum iri in nobis, eamque tantam, ut cum ipſa nullæ afflictiones, quas cum Chriſto & pro Chriſto patimur, comparari poſſint. Quod Apoſtolus creaturam iſtam, id eſt Chriſtianos, à Dei Filiis diſtinguat, hoc eo fit, quia per Dei Filios eos intelligit, qui jam ex hac vita diſceſſerunt, & hominum oculis conſpici deſierunt, quos etiam idcirco mundus ducit pro perditis. Iſti primum omnium in Chriſti adventu & per Chriſtum ex morte ſuſcitabuntur immortales, nec ulli corruptioni obnoxii, neque fas eſt ulli filiorum Dei ad vitam æternam pervenire, niſi prius ad illam perveniant qui mortui ſunt; hoc deinde ſequentur reſidui, qui tum in vivis erunt Dei Filii, quos divina itidem Chriſti potentia ex mortalibus reddet immortales, tum demum ſimul omnes nubibus in ſublime ad Chriſtum rapti 1 Theſſ. IV. 16, 17, lateri ejus aggregabuntur, & ſic omnium oculis conſpicui ac manifeſti fient, ſolis inſtar radiantes in Regno Patris ſui Matth. xiij. 4, 3.

Verſ. 20. 21. *Vanitati enim creatura* (ἡ κτίσις, nempe de qua hic agitur) *ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit ipſam ſuper ſpe, quod & ipſa creatura* (αὐτὴ ἡ κτίσις) *liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cauſam affert propter quam creatura de qua hic agitur, ſolicite exſpectet revelationem filiorum Dei: quia nimirum vanitati ſubjecta eſt, non volens.

Vanitati. Id eſt corruptioni, morti, & iis omnibus quæ ad mortem & corruptionem ducunt, rebus adverſis, triſtibus, propter quas idem Apoſtolus externum noſtrum hominem corrumpi dicit 2 Cor. IV. 16. Hinc Pſaltes de Iſraëlitis variis cladibus in deſerto abſumtis, *conſumſit*, inquit, *in vanitate dies illorum* Pſal. LXXVIIJ. verſ. 33, & Apoſtolus ipſe verſu ſequente, pro vanitate, corruptionem ponit. Nam quæ corruptioni ſubjecta ſunt, vere ſunt vana & inania: ut meritò Sapiens vanitatem ipſam eſſe dixerit omnia hujus vitæ bona, propterea quod corruptioni ſint obnoxia. Quia igitur vanitati ſubjecta eſt creatura iſta, idque haud volens, idcirco ſolicite exſpectat revelationem filiorum Dei, quæ ubi advenerit, omni vanitate exſolvetur.

Subjecta eſt. Non ſolum propter mortalem conditionem, quæ creaturæ iſti cum aliis hominibus eſt communis; (nam & Chriſtiani homines ſunt, & humani à ſe nihil alienum putant) ſed etiam (quod hic præcipue ſpectatur) propter idipſum quia ſunt Chriſtiani, quia veritatem ac Chriſti nomen profitentur, & juſtitiam ac ſanctitatem in omnibus ſectantur: quæ res illis odium apud alios homines parit, & ex odio varias perſecutiones, ipſaſque adeo perſæpe cædes ac mortem, quibus injuriis paucitas & modeſtia illos reddit obnoxios.

Non volens, οὐχ ἑκοῦσα. Addit hoc Apoſtolus ut tanto magis appareat ſolicitæ iſtius exſpectationis cauſa. Nam ſi volens, ſi ultro, ac ſua ſponte vanitati ſubjecta eſſet iſta creatura, cauſa non foret ut ſolicite exſpectaret ab illa liberationem. Volenti enim, ut ajunt, nulla fit injuria. Docet Apoſtolus Chriſtianos ſummum ſuum bonum, huic vitæ & ſoli virtuti neutiquam includere, neque cum patiuntur dicere, hui quam ſuave eſt! Patiuntur quidem fortiter & conſtanter, & ſæpe cum gaudio; ſed mallent non pati, ſi id illorum eſſet in poteſtate, neque ſe per ſolam fortem & conſtantem perpeſſionem vere beatos putant, aut propter illam gauderent, niſi fortitudinem iſtam & patientiam alia vera ac ſolida conſequeretur beatitas.

Sed propter eum qui ſubjecit. Oſtendit quare igitur vanitati ſit ſubjecta, cum ei volens & ſua ſponte ſubjecta non ſit. Propter eum, inquit, qui ſubjecit: quaſi dicat, Deus eſt qui illam vanitati ſubjectam eſſe voluit, cujus illa voluntati ac conſilio ſeſe ſubmittit. Habuit Deus iſtius ſui conſilii rationes juſtiſſimas. Materiam ſcilicet nec illi deeſſe voluit oſtendendæ fidei & exercendæ patientiæ, nec ſibi exerendæ potentiæ, nec improbis alendæ contumaciæ, qui ſi viderent piis bene eſſe in hac vita, ſi eos omni vanitati animadverterent exemtos, currerent & ipſi ad veritatem ac pietatem Chriſtianam, non ulla animi probitate ducti, ſed ſolo tanti boni, quod ante oculos haberent, amore ac deſiderio. *Propter eum qui ſubjecit*, ſcilicet tanquam cauſam ſic volentem & jubentem.

Super ſpe quod & ipſa hæc creatura &c. Docet Deum quidem creaturam hanc ſubjeciſſe vanitati, ſed ita, ut illi ſpem fecerit certam liberationis à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quia igitur illi ſpes hæc à Deo eſt facta, idcirco ſpei iſtius effectum ſolicite exſpectat.

Super ſpe, id eſt cum ſpe. Ἐπὶ *ſuper*, pro *cum*, vel, ſpe illi facta,

Quod & ipſa hæc creatura. Quaſi dicat, non tantum illi Filii Dei quorum revelationem tanta cum ſolicitudine ae deſiderio exſpectat, ſed & ipſa hæc quam dico creatura, quippe quæ etiam ad Dei Filios pertineat Chriſtianos viventes intelligit.

Liberabitur. Nempe tum cum Dei Filii revelabuntur & apparebunt,

A ſervitute. A qua proprie fit liberatio,

Corruptionis. Exprimit à cujus rei ſervitute liberabitur hæc creatura, à ſervitute corruptionis, id eſt à ſervitute quæ eſt corruptio, ſeu à ſubjectione vanitatis, ut ſupra locutus eſt. Nunc creatura iſta, Deo ſic volente, vanitati ſubjecta eſt & corru-

corruptionis ſerva, habet in illam vanitas & corruptio dominatum: ſed veniet tempus quando ex hac ſervitute vindicabitur.

In libertatem gloriæ filiorum Dei. Hoc eſt, in libertatem quę eſt gloria filiorum Dei, per genitivum differentiæ vel ſpeciei: qua nulla major, nulla perfectior eſſe poteſt libertas. In gloria enim filiorum Dei continetur immortalitas, & omnis mali æterna vacuitas, omnium vero bonorum perpetua affluentia. Hanc videlicet ſpem creaturæ iſti Deus fecit, fore, ut poſt modicas, idque ſi ſit opus, toleratas in præſenti vita afflictiones, æternæ & immenſæ filiorum Dei gloriæ fiat particepes 1 Pet. j. 6. Vide maximam Dei, etiam tum cum nos duris ac triſtibus ſubjicit, clementiam ac bonitatem!

Verſ. 22. *Scimus enim quod omnis hæc creatura* (πᾶσα ἡ κτίσις, ne quis de qualibet creatura putet agi) *ſimul ſuſpirat, & ſimul dolet uſque adhuc.* Probat creaturam minime volentem ac ſua ſponte vanitati ſubjectam eſſe, idque ſe haud temere aſſeruiſſe.

Scimus enim, inquit. Optime nobis id conſtat & exploratum eſt,

Quod omnis creatura. Quam ſcilicet intelligimus & de qua loquimur; nam & hic, ut oſtendimus, voci creaturæ articulus ſignificationem generalem reſtringens, oppoſitus eſt.

Simul ſuſpirat, συστενάζει, *& ſimul dolet*, συνωδίνει. Quamobrem vero? Nonne propterea quod præſenti huic ſuo ſtatui minime acquieſcat, & ad ſtatum longe meliorem ac beatiorem adſpiret? Quis ſuſpirat? quis gemitus ex imo pectore ducit, qui ſe jam vere beatum & ſumma adeptum exiſtimat? Quis item in ſumma felicitate dolet & cruciatur? Verbum ὠδίνω parturientium dolores proprie deſignat, & per metaphoram ſynecdochicam accipitur de magnis & vehementibus doloribus. Intelligit autem Apoſtolus animi dolores qui graviores ſunt corporis doloribus. Dolet & cruciatur animo univerſa Chriſtianorum eccleſia, præſentis ſui ſtatus miſeram ſortem ac conditionem ſecundum corpus videns, & ob ſuturi vere ac perfecte beati abſentiam. De animi itidem dolore eandem vocem accipit Apoſtolus infra cap. IX. 2; quanquam nec corporis varii dolores à Chriſtianis abſunt, præſertim in perſecutionibus. Dicit creaturam hanc ſimul ſuſpirare & ſimul dolere, quia rem ſignificat omnibus Chriſtianis communem.

Uſque adhuc, ἄχρι τοῦ νῦν. Ad præſens hoc uſque tempus, nimirum quia nondum ad præſens hoc uſque tempus revelati ſunt Dei Filii eorumque gloria, & Chriſtus ipſe Servator ac liberator noſter, & quouſq; id non fiet, non ceſſabunt ſuſpiria & dolor Chriſtianorum.

Verſ. 23. *Non ſolum autem, ſed & ipſi qui primitias ſpiritus habent, & nos ipſi in nobis ipſis ſuſpiramus, filiorum adoptionem exſpectantes, redemptionem corporis noſtri. Non ſolum autem*, intellige Chriſtiani in commune, ne quis exiſtimet hoc de ſolo Chriſtianorum vulgo dici.

Sed etiam ipſi qui primitias ſpiritus habent. Id eſt, Chriſtianorum pręcipui & præſtantiſſimi, ipſi Chriſtianorum primipili. Si vere & perfecte in hac vita beatus daretur ſtatus, certe nihil magis illum perficeret, quam Spiritus Sancti, præſertim vero primitiarum illius participatio. Atqui, ne hoc quidem Chriſtianorum votis ſufficit & animos illorum implet, non rerum divinarum, non ſuturorum ſcientia, non linguæ, non ulla miracula, non vita ad omoem ſanctitatem & virtutem exacta, ſuſpirant nihilominus & animi cruciantur, majora & meliora & ulteriora expetunt & exſpectant. *Spiritus* voce, cum articulo præfixo, Spiritum Sanctum deſignat, & ſimiliter generalem ſpiritus vocem ad ſpecialem ſignificationem reſtringit, quod & ſupra fecit verſ. 16, & infra facit verſ. 26, 27.

Primitiæ ſpiritus. Ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος, ſunt præcipuæ Spiritus Sancti partes, quæ datæ erant Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, cæteriſque Chriſtianorum ducibus & anteſignanis. Sic de Daniele cap. vj verſ. 3 ſcriptum eſt, quod nobiliorem à Deo præ cæteris ſpiritum habuerit, nimirum prout cujuſque munus prius ac præſtantius erat, ſic etiam Spiritum Sanctum à Deo accipiebat. Hic locus aperte oſtendit creaturæ iſtius nomine Chriſtianos intelligi. Chriſtianorum enim populo recte opponitur Chriſtianorum Senatus, id eſt illis qui Spiritum Sanctum in commune acceperant, illi qui primitias ejus habebant, quæ oppoſitio plane perit ſi quis creaturæ voce inanimas & brutas intelligat creaturas, quibus certe nulla Spiritus Sancti portio contigit. An vero Apoſtolus ἀπαρχὴν, ſeu primitias Spiritus Sancti dixiſſet, ſi Spiritum Sanctum divinam perſonam quam ajunt, eſſe credidiſſet? Quid enim eſt ἀπαρχὴ quam id quod ex re aliqua primo capitur, ut ἀπαρχαὶ ex frugibus? Divina perſona credo in partes divideretur, ſicut & auctor ad Hebræos, in Spiritu Sancto μερισμοῖς partitiones cap. 2 verſ. 4. Et Elizæus ex ſpiritu Eliæ in tres portiones diviſo duas ſibi precatus eſt dari, idque etiam à Deo obtinuit: & ſpiritus plures 1 Corinth. XIV. 32. 1 Johan. IV. 1, 2, aliuſque alio nobilior ac præſtantior aſſeritur, ob nobiliora & præſtantiora effecta, Danielis dicto loco, nam & primitiæ oobiliores cenſentur præ reliquis partibus. Etiamoe ex Spiritu Sancto qui in Moſe erat, Deus accepiſſet quem in LXX Seniores diſtribuerit, ſi Spiritus Sanctus divina perſona erat? Et Paulus quidem alium numero ſpiritum habuit quam Petrus; an ergo aliam oumero perſonam? & oon potius aliam numero Spiritus Sancti portiooem? Nam qui dicunt eundem numero ſpiritum, in numero diviſis hominibus eſſe, & conſequenter totum in quolibet homine, id dicunt quod nullum habet intellectum, nullum ſenſum, proinde dicunt quod nihil eſt. Spiritus enim Sanctus proprie loquendo & ſecundum ſuam eſſentiam ineſt quibus ineſt. Dividi igitur illius eſſentiam ſecundum eorum quibus ineſt diviſionem oportet. Anima, inquiunt, tota eſt in qualibet corporis parte: id vero falſum eſt, ut animæ illa portio quæ eſt in pede, ſimul ſit in capite. Anima ajunt nullas portiones habet. Quare igitur dicunt totam eſſe in qualibet parte? Si tota dici poteſt anima, certe partium reſpectu dicitur tota; quatenus igitur tota dicitur, hactenus etiam partes & portiones illius dicuotur. Ajunt ſpiritus vocem de ipſius donis accipi; quamobrem vero non ſimul de ipſius eſſentia? quia, inquiunt, Spiritus Sanctus eſt Deus ipſe. Atqui, ſi hoc de quo agimus, & aliis ſimilibus

in locis, Spiritus Sancti voce non deſignatur ipſe Deus, nulla cauſa eſt ut ullis in aliis deſignetur: cum omnes de divino afflatu recte poſſint accipi; quam ſignificationem & hic locus requirit. Neque enim ſola Spiritus Sancti dona ſeu effecta habebant Chriſtiani & Chriſtianorum præcipui, ſed ipſum Spiritum Sanctum, idque etiam ab Apoſtolo hic dici & aſſeri debuit, ne reticeret id quod ad maximam in hac vita Chriſtianorum felicitatem & dignitatem pertineret, demonſtrare volens beatitudinem illorum præſentis vitæ terminis minime definiri.

Et nos ipſi. Seipſum etiam deſignat Apoſtolus, licet de ſe plurativo loquatur numero: quaſi dicat, & ego ipſe, non tantum alii mei collegæ, nemo etiam me exceperit, quicquid tandem de mea felicitate & dignitate ſentiat.

In nobis ipſis ſuſpiramus. Omnes ſcilicet quotquot ſumus, qui Spiritus Sancti primitias accepimus, *in nobis ipſis*, intra animi noſtri penetralia, ſuſpiria ducimus.

Adoptionem exſpectantes. Cauſam iſtorum ſuſpiriorum exprimit, expectationem adoptionis in filios, nempe à Deo: exſpectatio enim iſta abſentiam rei tantopere deſiderabilis includit, unde ſuſpiria iſta oriri neceſſe eſt. Quis enim ad tanti boni adeptionem non ſemper adſpiret & ſuſpiret? *Adoptionem*, *υἱοθεσίαν*, id eſt, *υἱοθεσίας* principalem effectum, per metonymiam cauſæ pro effecto. Jam enim à Deo pro Filiis adoptati ſumus, & ideo ſpiritum, per quem clamamus Abba, Pater, accepimus; ſed effectum iſtius gratiæ principalem nondum obtinuimus, nempe gloriam & hæreditatem paternam Filiis Dei convenientem.

Redemptionem corporis noſtri. Ipſe Apoſtolus per appoſitionem explicat quid per *υἱοθεσίαν* hoc loco intelligat, *redemptionem* nimirum, id eſt liberationem, per ſynecdochen ſpeciei pro genere, *corporis noſtri*: quaſi dicat, animus quidem jam redemtus & liberatus eſt à vitiis; ſed corpus noſtrum nondum eſt redemtum ac liberatum à morte & corruptione & iis quæ ad mortem & corruptionem ducunt, id eſt afflictionibus & perpeſſionibus variis: quamdiu vero corpus noſtrum in hac manebit ſervitute, tamdiu noſtrum bonum, noſtraque beatitas haud erit conſummata & perfecta; manebit autem donec ab ea liberetur per glorioſam ſui immutationem; qua de re egit verſ. 11. Hoc eſt quod alibi dicit. *In hoc ſuſpiramus, domicilium noſtrum quod ex cælo eſt ſuperinducere deſiderantes, ſi modo etiam induti non nudi reperiamur. Etenim qui ſumus in tabernaculo* (nempe corporis mortalis & terreni) *ſuſpiramus gravati; eo quod nolumus exui, ſed ſuperindui, ut abſorbeatur mortale à vita* 2 Cor. v. 1, 2, 3, 4. Nolunt Chriſtiani ſola animorum immortalitate beati eſſe; quod multis gentilium & Judæorum ſapientibus placuit: ſed ad animorum & corporum ſimul immortalitatem adſpirant. Hoc primum Chriſtianorum votum ac deſiderium eſt, ut ſi fieri poſſit, ac Deo placeat, vivi immortales fiant; ſin aliter Deus ſtatuat, & ſibi moriendum eſſe videant, ſecundum illorum votum eſt, ut ex mortuis vivi & immortales reſurgant, ſeu, ut terreſtri hoc tabernaculo per mortem diſſoluto ac depoſito 2 Cor. v. 1. 2 Pet. j. 14, ædificium quod habent ex Deo, domum non manu factam æternam in cælis, ut dicitur loco ad Corinthios citato. Docet Apoſtolus nemini poſſe vere bene ac perfecte eſſe, quamdiu corpori male eſt, idque merito. Non ſolum enim animo conſtamus, ſed etiam corpore; proinde ille demum vere beatus eſt, cujus & animo & corpori bene eſt. Recte vidit Epicurus ſummum hominis bonum eſſe animo non perturbari, corpore non dolere; ſed illud in mortali corpore & vita fruſtra quæſivit, cæleſti & immortali corpore ac vita ad illud obtinendum eſt opus, cujus ſpem certiſſimam quia Chriſtiani habent, idcirco illuc omnia ſua vota ac deſideria referunt. De modo quo corpus noſtrum redimetur, ſeu ex mortali fiet immortale, verſ. 11 dictum eſt. Neque enim hic ipſus per ſe corporis redemptio proprie loquendo ſpectatur; ſed hominis ratione corporis, ut ſcilicet homo ratione corporis ſui liber ſit ab omnibus adverſis, ſeu corpus habeat nullis malis obnoxium: figurâ loquendi, qua parti tribuitur quod proprie totius eſt per partem. Nam ipſum per ſe corpus brutum eſt, & intelligendi principium in ſola reſidet anima.

Verſ. 24. *Spe enim ſervati ſumus, ſpes vero quæ videtur, non eſt ſpes, quod enim videt aliquis, quid & ſperat?* Rationem affert Apoſtolus cur dixerit à ſe & aliis redemptionem corporis, proinde ſalutem exſpectari. Nam, inquit, *ſpe ſervati ſumus*, ſpe nimirum de qua verſu 21, locutus eſt: quaſi dicat, ſumus quidem jam ſervati, id eſt ab omnibus malis redempti ac liberati, omnibus bonis cumulati, ſed ſpe, non re, quatenus ſcilicet nobis ſalutis iſtius ſpem Deus dedit minime dubiam.

Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Pergit in demonſtranda argumenti ſui conſequentia: quaſi dicat, bonum autem ſperatum cum jam videtur, non amplius ſperatur: ſpes hic priore loco ponitur pro bono ſperato, poſteriore pro bono quod adhuc ſperatur, abſtracta pro concretis, ſeu ſubſtantiva pro adjectivis, Hebræa phraſi, vel adjuncta & occupata pro ſubjecto occupante: exempla habuimus c. iv. 18. *Quæ videtur*, proinde quæ reipſa jam adeſt & habetur, videri enim aliter non poteſt. Sic vitam vel regnum Dei viſuri dicimur, cum illius participes fiemus, ſic & filiorum Dei gloriam videbimus, cum reipſa jam aderit.

Quod enim videt aliquis &c. Probat quod proxime dixit, quod enim jam aliquis oculis ſuis adſpicit, quod jam habet in manibus, quod reipſa adeptus eſt.

Quid & ſperat? Id eſt quid adhuc vel amplius ſperat? quo fine id faciat? Stultum hoc ſit & inane: habere jam aliquid reipſa, & adhuc illud ſperare, ſimul non conſiſtunt.

Verſ. 25. *Si vero quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Argumentum ſuum concludit. Si vero non id ſperamus quod jam videmus & reipſa habemus, ſed id ſolum quod non videmus, nondum reipſa habemus, conſequitur hinc quod nos quia ſalutem ſperamus, eam nondum reipſa habeamus, & adhuc

Per patientiam exſpectemus. Recte hoc ex ſpe ſalutis infertur, nam ſpes quid aliud eſt quam exſpectatio quædam? eadem ſalutis ſpes includit & patientiam, quę patientia non ſolum ſeſe exſerit in moleſtia perferenda quæ oritur ex boni, quod ſperatur, abſentia &

mora, præſertim diuturna, ſed etiam in omnibus aliis adverſis perferendis, quæ interim incidunt, idque ſæpe ob hoc ipſum quod bonum iſtud ſperemus, ac ſpei iſtius cauſas palam & publice profiteamur, id eſt Jeſum agnoſcamus eſſe Chriſtum, Dei Filium. Huic enim veritati ſpes noſtra, tanquam ſolidiſſimo fundamento innititur. Patientia autem eſt modeſtia & conſtantia in adverſis, quam ſalutis ſpes certiſſima inducit. Hæc enim animum & ſolatur & confirmat, ne adverſis cedat, & ex honeſto propoſito dejici ſeſe patiatur, ſubjiciens animo conſecuturæ ſalutis cogitationem, quæ omnia moleſtia, triſtia, infinitis penſabit voluptatibus.

Verſ. 26. *Similiter autem & ſpiritus ſimul opitulatur infirmitatibus noſtris, nam quid precemur, quemadmodum oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus.* Etiam ipſum Spiritum Sanctum (vocem enim generalem ſpiritus, articulus appoſitus ad certam illius ſignificationem reſtringit, nempe ad ſignificandum Spiritum Sanctum de quo verſ. 8, 11, 14, 15, 16 locutus eſt) in teſtimonium & argumentum adducit Apoſtolus, Chriſtianorum bonum ac beatitatem hujus vitæ ſpatiis minime terminari, imo poſt hanc demum mortalem vitam vere inchoari: quaſi dicat, ſimiliter autem, ut ipſius ſpiritus, quem accepimus, teſtimonium adducamus, etiam ipſe ſpiritus ſimul opitulatur infirmitatibus noſtris.

Similiter, nempe ſuſpirando, ut mox dicitur, *ſimul opitulatur*, συναντιλαμβάνεται: quaſi dicat, nos quidem nobis non deſumus continuis ad Deum precibus ac ſuſpiriis, ſed ſpiritus conjungit ſuum auxilium.

Infirmitatibus noſtris. Id eſt nobis in infirmitatibus conſtitutis, per ſubſtantivum pro adjectivo, vel adjunctum pro ſubjecto. Sic ille ad Chriſtum, *ſuccurre meæ incredulitati*, id eſt mihi incredulo Marc. IX. 23. *Infirmitatum* voce intelligit Apoſtolus afflictiones & perpeſſiones varias, præſertim Chriſti cauſa, per metonymiam cauſæ: quia infirmitas noſtra, & ob naturam mortalem & maxime ob conditionem vilem, ſi cum principibus hujus ſeculi comparetur, & ſic omni carnali potentia deſtitutam, illarum eſt cauſa ac fundamentum.

Nam quid precemur &c. Cauſam affert cur Spiritus Sanctus noſtris ſuſpiriis ſua conjungat ſuſpiria nobis laborantibus. *Nam*, inquit, *quid precemur neſcimus*, intellige, tum cum verſamur in tentationibus, præſertim gravibus. Neque enim homini duris ac triſtibus conflictanti mens & conſilium tam conſtat, quam libero nec ullis malis turbato,

Sicut oportet. Emollit quod dixerat: quaſi dicat, non plane neſcimus quid precemur, ſed neſcimus ſicut oportet. Scimus quidem in genere, nempe, ut ſervemur ad vitam æternam, ſed neſcimus in ſpecie, neſcimus ſic, ut hæc ſcientia noſtra divinæ voluntati & conſilio per omnia ſit conformis. Sæpe enim illa precamur, quæ ſi evenirent, nec Deus tantam haberet gloriam, nec nos tantam beatitatem. Hinc fit ut omnes pii Chriſtum imitati, & ſe & petitiones ſuas, in talibus divinæ ſubmittant ac permittant voluntati.

Sed ipſe ille ſpiritus interpellat. Quaſi dicat, nos quidem neſcimus ſicut oportet, ſed ipſe ſpiritus hic nobis ſubſidio venit, *interpellat*, ὑπερεντυγχάνει, ſuperinterpellat, id eſt non tantum interpellat, ſed in excellenti gradu interpellat, proinde efficaciſſime.

Pro nobis. Id eſt in rem & bonum noſtrum.

Suſpiriis. Dum illa ſcilicet excitat.

Inenarrabilibus. Quorum ſcilicet mentem ac ſenſum nemo noſtrum effari poſſit: quod mirum non eſt, cum etiam illa quæ Spiritus Sanctus loquebatur lingua aliqua exotica & peregrina, non poſſent enarrari lingua cuique propria & vernacula, niſi ab illo cui ab eodem ſpiritu donum interpretandi contigiſſet 1 Cor. XIV. 28. confer. XIJ. 10.

Verſ. 27. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quæ ſit cogitatio ſpiritus*, (φρόνημα τοῦ πνεύματος, ſic ſupra, φρόνημα τῆς σαρκὸς quis ſit ſenſus ſpiritus) *quod ſecundum Deum interpellet pro ſanctis.* Occurrit tacitæ objectioni. Ne quis exiſtimet, inutilia & inefficacia eſſe ſuſpiria iſta, quæ verbis explicari nequeunt. Hoc enim inde proficiſci, quod nemo noſtrum illa, ut oportet, capiat. Si enim caperet, cur eloqui non poſſet? Nos quidem, inquit Apoſtolus, illa effari, & conſequenter, ut oportet, capere nequimus.

Sed qui ſcrutatur corda, ſcit quæ ſit mens ſpiritus. Quid cogitet, quid intendat, quid ſentiat. *Qui ſcrutatur corda.* Deum hac deſcriptione deſignat; unde apparet, hoc Deo proprium eſſe, corda ſcrutari, id eſt intimas animi cogitationes noſſe: corda enim, per metonymiam continentis pro contento, animos hominum ſignificant. Deus proprie loquendo ſcrutatione & veſtigatione non indiget, nec utitur ulla, ſolo ſimplici intuitu omnia videt, omnia novit; ſed hoc per metaphoram de Deo dicitur ab hominibus, ut multa alia, & per metonymiam, cauſa ponitur pro effecto. Ille igitur cui nota ſunt omnia, qui rimatur & introſpicit ipſa hominum corda, ut nihil in illis ſit quod ipſum latere, & coram oculis ejus abditum eſſe queat. Scit quid ſibi velint ſuſpiria à Spiritu Sancto cordibus in noſtris exitata. Significat Apoſtolus Spiritum Sanctum in cordibus noſtris habitare, quod alibi expreſſe dicit Gal. IV. 6.

Quod ſecundum Deum. Particula ὅτι *quod*, accipitur εἰδικῶς, non αἰτιολογικῶς. Explicatur enim quid ſciat Deus, nempe *ſcit quod* Spiritus Sanctus *ſecundum Deum interpellet pro ſanctis.* Id eſt ſecundum Dei voluntatem & conſilium. Subjectum ponitur pro adjuncto. Sic Deus cognoſci dicitur, cum voluntas ejus cognoſcitur.

Interpellet. Hic jam ſimplex ἐντυγχάνει ponitur pro ὑπερεντυγχάνει. Interpellat autem ſuſpirando pro ſanctis, id eſt Chriſtianis, qui ſancti ſunt per hunc ipſum ſpiritum, qui & ipſe ſanctus eſt ac dicitur, & quibus ineſt ſanctos facit, & ſanctorum nomen illis conciliat. Sancti opponuntur profanis, ſeu iis qui ſeſe profanis actionibus, id eſt peccatis polluunt. Nam ſancti ad Dei uſus & ſanctas actiones ſunt ſegregati, quod per Spiritum ſit Sanctum, niſi forte ipſimet ſe profanent, ac peccatis polluant. Tunc enim non amplius ſancti ſunt, ſed profani. Tria nobis Apoſtolus exhibet ad precum efficaciam ſpectantia; primum, ut ſancti ſint qui precantur. Secundum, ut ſecundum Dei voluntatem precentur. Tertium, ut per Spiritum Sanctum precentur. Hinc idem Apoſtolus alibi: *precantes, ait, omni tempore in*

ſpiritu

ſpiritu Epheſ.vj. 18. Quò etiam pertinet ejuſdem eadem in Epiſtola monitum: *Ne inebriemini vino, ſed impleamini in ſpiritu* cap.v. 18,19. Et Judas expreſſe, *in Spiritu Sancto precantes*, inquit verſ. 20. *In ſpiritu vero*, id eſt per Spiritum Sanctum precari, eſt ita precari, ut Spiritum Sanctum in nobis excitemus, & illo tanquam cæleſti quodam ac divino igne animos noſtros ardere faciamus. Hic Apoſtoli locus maniſeſte docet, voce ſpiritus ipſum Spiritum Sanctum intelligi, non nuda illius dona. Non eſt autem ullla cauſa, ut ſi hic Spiritus Sanctus ipſe debeat intelligi, non etiam debeat intelligi ſupra verſ. 23. De eodem enim Spiritu Apoſtolum agere, ipſe contextus & ſeries argumentationis evincit. Porro, cum Apoſtolus Spiritum Sanctum tanquam perſonam hic inducat, quæ à Deo diſtincta ad Deum & ſecundum Deum interpellet & ſuſpiret pro ſanctis, vel proprie de Spiritu Sancto loquitur, vel improprie, ſeu per figuram & proſopopoëiam. Si proprie, certe Spiritus Sanctus Deus ipſe haudquaquam eſſe dicendus erit; quis enim Deum ipſum ab ipſo Deo diſtingueret? quis diceret Deum ipſum pro aliquo interpellare & ſuſpirare ad Deum? Si improprie & per proſopopoëiam, ipſe Apoſtolus Spiritum Sanctum figurate loquendo perſonam eſſe docet, non proprie loquendo. Inducitur autem merito Spiritus Sanctus tanquam perſona quædam actiones aliquas efficiens, quod illius virtute & efficacia fiant. Sic hoc loco illi tribuuntur ſuſpiria, interpellatio, φρόνημα, ſicut & ſupra carni verſ. 6,7 eidem ſpiritui verſ. 15,16 tribuitur clamor ad Deum Abba Pater, & ſpiritui noſtro atteſtatio. Sic & Chriſtus ipſe, *non vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* Matth.x. 20, & Spiritus Sancti teſtimoninm eadem proſopopoëia diſtinguit ab Apoſtolorum teſtimonio Joh. xv. verſ. ultimo.

Verſ. 28. *Scimus autem quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Recte hoc ſubjicit Apoſtolus, ne quis objiciat, qui fit igitur quod ſancti tam dura & triſtia ſæpe patiantur? Quaſi dicat, ſcimus autem ne quis nobis ſanctorum calamitates objiciat, quod iis qui dilgunt Deum omnia cooperentur in bonum.

Scimus. Ideoque nihil adverſitatibus noſtris & ſanctorum hominum turbamur. *Scimus*, inquam, non incerta aliqua & fallaci conjectura opinamur, quandoquidem cauſam iſtius rei cognoſcimus quæ verſu ſequenti explicatur. Scire enim eſt rem per cauſam cognoſcere. Loquitur in plurali numero quod non ipſe tantum, ſed & omnes ſancti id ſcirent.

Quod diligentibus Deum &c. Exprimit id quod ſe & omnes ſanctos ſcire dixit. Diligentes Deum ſoli ſunt Chriſtiani temporibus Euangelii: illi ſiquidem ſoli per Jeſum Chriſtum Deo ſunt reconciliati, & ex inimicis amici Deo facti. Soli enim Chriſtiani immenſam illam Dei gratiam cognoſcunt, qua Deus homines in Chriſto Jeſu complexus eſt; ideoque & illi ſoli ſunt qui Deum vere diligunt ac diligere poſſunt. Nulli alii norunt, & tantas tamque efficaces Dei diligendi cauſas, & tam perfectam rationem ac modum. Deus enim maxime diligitur executione voluntatis ejus; at nullis aliis tam perfecte Dei voluntas cognita eſt quam Chriſtianis. Dilectionem vero ſuam erga Deum præcipue teſtantur, cum Deo & promiſſionibus ejus confiſi, non tantum alia omnia perpeti, ſed mortem etiam quamlibet oppetere malunt, quam Dei mandatum ulla in re deſerere. Inter mandatà vero Dei prima & præcipua illud eſt, ut Jeſum Chriſtum Filium ejus diligamus, ac nomen ejus profiteamur, quod qui non faciunt, Deum vere diligere non poſſunt. In Chriſto enim diligitur ac diligi vult Deus, in Filio Pater. Ideo Apoſtolus idem alibi; *Si quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maranatha* 1 Cor.xvj. 22.

Omnia. Non tantum ſecunda, ſed etiam quæ vel maxime videantur adverſa, quorum non pauca enumerat infra verſ. 35.

Cooperantur. Id eſt junctis operis agunt, veluti conſpiratione facta & conſenſu unanimi.

In bonum. Id eſt in id ut bene ſit diligentibus Deum, ut ſalutem æternam adipiſcantur, ſine qua nemini vere bene eſſe poteſt: omnia illis inſerviunt ac miniſtrant. Neque ſane mirum, omnia enim Dei ſunt, ac Deo ſerviunt & ſervire coguntur; at qui Deum diligunt Deum habent, Deus illorum eſt, ideo & de Deo gloriantur cap.v. verſ. 11. Omnia igitur ut illorum bono ac ſaluti inſerviant, eamque promoveant ac operentur neceſſe eſt: quo reſpiciens idem Apoſtolus alibi; *Omnia ſunt veſtra*, inquit, *ſive mors, ſive vita &c, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei* 1 Cor. iij, ultimo verſu. Hinc vidimus quæ evenere triſtia ſanctis viris, etiam in hac vita, in illorum ſingulare bonum ac ſolatium ceſſiſſe: ut Jacobo Patriarchæ ceſſerat Joſephi filii unice dilecti acerbiſſima amiſſio; Chriſto quantam gloriam attulit ſervile crucis ſupplicium? Chriſtianis etiam ea quæ patiuntur levia ac momentanea, æternum pondus nimium excellentis gloriæ efficiunt; ideo Chriſtus ipſe afflictionum die lætari & exulrare juſſit ſuos diſcipulos Luc.vj. 23.

Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Apponit hoc ad deſcribendos eos qui Deum diligunt, ut ſimul cauſam inſinuet propter quam illis omnia cooperentur in bonum: quaſi dicat, quippe iis qui ſecundum propoſitum Dei vocati ſunt. Eſt vero hæc deſcriptio talis, ut diligentes Deum ad ſolos Chriſtianos reſtringat, ne Judæi ſe quoque inter diligentes Deum ponerent ac numerarent. Propoſuit Deus jam olim, imo ante ſecula, homines vocare ad fidem in Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſimiliter ante ſecula præcognitum & dilectum, cui conſilio & propoſito ſuo exequendo, certa poſt orbem conditum deſtinavit tempora: hæc ubi advenerunt, ſecundum illud propoſitum ſuum vocavit homines, non Judæos tantum, ſed etiam Gentes alias ſine diſcrimine, vocavit inquam, per Euangelium ad fidem in Jeſum Chriſtum. In quibus vocatio Dei fuit efficax, ſeu qui Deo vocanti paruerunt, & in Jeſum Chriſtum crediderunt, hi dicuntur vocati ſecundum Dei propoſitum: qui verò non paruerunt, quamvis vocarentur, non dicuntur κλητοὶ, ſed tantum κεκλημένοι, eo quod vocatio Dei effectum ſuum in illis non habuerit, ut quod ad vocationis effectum attinet, perinde ſit atque ſi à Deo vocati & invitati non fuiſſent. Sic illos ſolos vere invitatos dixeris qui cum invitarentur ad convivium,

ſeſe ſtiterunt. Unde etiam apparet eos qui divinæ vocationi refractarii fuere, pro diligentibus Deum neutiquam cenſeri poſſe. Mens igitur Apoſtoli eſt, iis qui in Jeſum Chriſtum credant, omnia cooperari in bonum. Significat Apoſtolus Chriſtianos non temere, non hominum inveota ſecutos, ſed ab ipſo Deo cæleſtiſſima ratione vocatos, in Jeſum Chriſtum credidiſſe & credere: deinde fidem in Jeſum Chriſtum, ſpectato Dei conſilio ac propoſito, rem neutiquam eſſe novam, ſed ipſo mundo & ſeculis omnibus antiquiorem. Hinc idem Apoſtolus de eodem Dei propoſito & alibi, *ſervavit nos*, inquit, *Deus & vocavit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum proprium propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia, revelata vero eſt nunc per apparitionem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti* 2 Tim. 1. 9, 10.

Verſ. 29. *Quia quos præcognovit, & prædeſtinavit, conformes imaginis Filii ipſius, ut eſſet primogenitus in multis fratribus.* Dixerat Apoſtolus, ſcimus quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt; nunc cauſam iſtius rei explicat, & ſic ſcientiam iſtam demonſtrat. Eſt autem in hac Apoſtolica demonſtratione & argumentatione crypſis & occultatio quædam propoſitionis, quam res ipſa cujuſque animo & cogitationi ſubjiciat, nempe, eos qui ſecundum Dei propoſitum vocati ſunt, homines eſſe à Deo præcognitos, id eſt adamatos ac dilectos; hoc verum eſſe res ipſa loquitur; niſi enim illos adamaſſet, nec vocare propoſuiſſet. Cognoſcere ponitur pro amare ac diligere, per metonymiam cauſæ, quod cognitio ac notitia amoris ac dilectionis ſit antecedens & cauſa. Nam quos non novimus, nec amare poſſumus; ignoti, ut ajunt, nulla cupido. Sic Chriſtus dicet operantibus iniquitatem; *Non novi vos*, id eſt non amo vos, non probo, nihil mihi vobiſcum rei eſt. Sic Deus dicitur cognoſcere, id eſt amare, approbare viam juſtorum, & his ſimilia. Significat igitur Apoſtolus credentes in Jeſum Chriſtum à Deo præcognitos, id eſt jam olim & ante mundum conditum à Deo dilectos & adamatos fuiſſe: ſicut & ipſe Dux & caput illorum Chriſtus præcognitus, adamatus & dilectus à Deo fuit Joh. xvij. 24. 1 Petr. 1. 20. Hoc poſito & cuique cogitandum relicto ait,

Quia quos præcognovit. Quaſi dicat, dixi nos ſcire quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt; nunc cauſam reddo. *Quia quos præcognovit*, id eſt ante ſecula approbavit, adamavit, dilexit, elegit, (quo ſenſu idem præcognoſcendi verbum accipitur infra cap. xi. 2,) quos certe ſecundum propoſitum vocatos eſſe neceſſe eſt.

Etiam prædeſtinavit conformes imaginis Filii ſui. Id eſt etiam ante ſecula deſtinavit, definivit, conſtituit, *conformes*, id eſt ut eſſent conformes, conſimiles,

Imaginis Filii ſui. Id eſt Chriſti, qui propter excellentiam abſolute Filius Dei appellatur. Non dicit ut eſſent conformes Filio ipſius, quia tum cum decretum iſtud Deus faceret de credentibus in Filium ejus, ipſe Filius nondum reipſa erat, ſed tantum erat ipſius imago in Dei mente, jam Deus mente ſua conceperat Filium ſuum talem qualem nunc videmus effectum, id eſt immortalem, beatum, cæleſti ſplendore & gloria radiantem, ſibi ſimilem. Conſtituit igitur Deus jam olim & ante mundum conditum, ut omnes qui in hunc ipſius Filium crediturі eſſent, niſi ejus imagini conformes & conſimiles fierent, id eſt ſimiliter ut ipſe redderentur immortales, beati, cæleſti gloria & ſplendore radiantes, Deo ſimiles.

Ut eſſet primogenitus in multis fratribus. Finem & effectum iſtius divini conſilii ac decreti exponit. Nimirum noluit Deus ut Filius ipſius ſolus eſſet, ſeu ut hunc ſolum ex hominibus haberet Filium, id eſt ſibi ex hominibus immortali natura & cæleſti gloria ſimilem ſactum: (ſimilitudo enim cum Deo, Filium Dei maxime conſtituit) voluit habere multos ex hominibus filios & Filii iſtius ſui fratres, id eſt ſibi & Filio iſti ſuo immortalitate naturæ & cæleſtis gloriæ ſplendore ſimiles effectos; ipſe vero Filius ut eſſet inter illos primogenitus; ſicut in Dei mente ac conſilio, ſic etiam in effectu ipſo: videlicet ut ille primus immortali natura & gloria cæleſti Deo ſimilis fieret, & quod primogenito Dei Filio conveniebat, cæterorum omnium filiorum Dei, fratrumque ſuorum Dominus efficeretur. Generat Deus filios ſeu parens fit filiorum, cum homines ex mortuis vivos facit. Unde idem Chriſtus primogenitus πρωτότοκος, nempe Dei dicitur ex mortuis; maxime vero cum homines naturæ immortalitate ſibi ſimiles reddit, quo reſpiciens ipſe Chriſtus illos qui beatæ reſurrectionis filii ſint futuri, Dei filios futuros eſſe ait Luc. xx. 36, quod ſimilem Deo, id eſt immortalem naturam ab ipſo accepturi ſint: & Chriſtum imitatus Johannes, credentibus in nomen Chriſti datam eſſe ab ipſo Chriſto poteſtatem dicit, ut filii Dei fierent Joh. 1. 12, id eſt immortalitate naturæ Deo conſimiles. Hactenus igitur Chriſtus, etſi nunc eſt, tamen non ſemper erit unigenitus Dei Filius, quia multos habebit fratres, qui ipſi & Deo ſimiles natura immortali fient; ſed tantum erit primogenitus: Unigenitus autem ſeu unicus filius (nam Græci ad vocem μονογενὴς, addunt vocem υἱὸς filius, propter ſexus diſtinctionem) eſt, & ſemper erit, quatenus ſolus divino ſpiritu ex virgine eſt genitus, & quatenus cæteris omnibus Dei filiis & charitate apud Deum, & charitatis effectis, id eſt dignitate ſic præſtat, ut ipſe ſolus abſolute & ſimpliciter Filius Dei appellari mereatur.

In multis fratribus. Id eſt inter multos fratres, *in* pro *inter*. Ex hac igitur Dei prædeſtinatione, de credentibus in Jeſum Chriſtum facta, haud dubie conſequitur omnia illis cooperari in bonum, ſeu ſaluti eorum æternæ inſervire. Dei enim prædeſtinatio ſuum effectum non minus neceſſario habitura eſt in Chriſti fratribus, quam habuit in ipſo Chriſto. Alioquin enim Chriſtus non eſſet primogenitus inter multos fratres, quod contra Dei decretum & prædeſtinationem foret, ſi ipſe ſolus immortalitate & cæleſti vita gauderet, nec haberet multos, id eſt omnes in ipſum credentes ejuſdem immortalis & cæleſtis vitæ conſortes. Itaque hoc ipſum quod Chri-

ſtus

Digitized by Google

ſtus ad vitam immortalem pervenit, neceſſario ſecum infert vitam & immortalitatem omnium in ipſum credentium. Neque enim vel de voluntate vel de potentia Dei ullum eſſe poteſt dubium. De voluntate quidem propter divinam prædeſtinationem, de potentia vero propter Chriſti glorificationem. Nam qui potuit unius Filii parens & ſator eſſe, poterit & multorum; qui potuit Chriſtum & mortuum reſuſcitare, & reſuſcitatum immortalitate ſibi ſimilem efficere, poterit & omnes in ipſum credentes. Abutuntur hoc & aliis Scripturæ locis de prædeſtinatione divina agentibus, qui ex illis inferunt, Deum ex univerſo hominum genere, quod oriturum eſſet, certa quædam individua nominatim ad fidem prædeſtinaſſe, cætera vero omnia à fide & conſequenter à ſalute repuliſſe ac rejeciſſe. Abſit ut hoc credamus quod Dei bonitatem ac juſtitiam evertit, & omnis mali cauſam ad Deum refert. Non docet hoc Apoſtolus; ſed hoc docet, omnes qui credituri eſſent in Chriſtum, ad ſalutem à Deo prædeſtinatos eſſe: cæterum à fide in Chriſtum adeo neminem arcet, ut omnes ad illam invitet, omnes ſervari & ad veritatis cognitionem pervenire velit 1 Tim. 2. ℣ſ. 4. Nam quæ de induratione quorundam objiciunt, hæc particularia ſunt, & univerſali regulæ nihil præjudicant, nec quiſquam induratur à Deo, niſi id peccatis ſuis ſit commeritus, nec ſic induratur, ut non multo magis ſua quemque improbitas induret, quæ ſi abeſſet, illico ceſſaret omnis induratio, qua de re cap. IX.

Verſ. 30. *Quos vero prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos vero juſtificavit, hos & glorificavit.* Docet decretum iſtud prædeſtinationis divinæ jam cœpiſſe à Deo in effectum deduci, ut hinc tanto magis appareat, plenam illius conſummationem ac perfectionem, quæ ſalute & gloria credentium in Chriſtum continetur, haud dubie ſecuturam eſſe.

Quos vero prædeſtinavit. Nempe Deus, intellige, ad id ut conformes eſſent imagini Filii ejus, quos credentes in Jeſum Chriſtum eſſe diximus.

Hos & vocavit. Intellige ad fidem in Jeſum Chriſtum, ſeu ad id ut credentes in Jeſum Chriſtum eſſent. Credentes in Chriſtum dicitur vocaſſe, ſicut convivæ dicuntur vocari, non quod jam convivæ ſint cum vocantur, ſed ut convivæ fiant: ſic milites conſcribi, diſcipuli colligi, ſic & Chriſtus Apoſtolos vocaſſe & Eccleſiam acquiſiviſſe dicitur, & ſimilia alia multa per anticipationem quandam dici ſolent. Hic igitur primus in exequendo prædeſtinationis iſto decreto Dei actus eſt, prædeſtinatos vocare ad fidem in Jeſum Chriſtum, hoc præſtitit Deus per Euangelium, ſanctam illam & vere divinam ac admirandam vocationem ſuam.

Et quos vocavit. Intellige cum effectu vocationis, id eſt ſic vocavit ut Dei vocatio in illis efficax eſſet, qui ſcilicet Deo ad fidem vocanti paruerunt.

Hos & juſtificavit. Id eſt juſtos pronunciavit, ab omni peccatorum & pœnæ reatu abſolvit, imputata illis fide ad juſtitiam: hic alter & ulterior Dei actus eſt, quo prædeſtinationem ad exitum deducit, in credentibus itidem jam peragi cœptus, qui conſummata & ad ad extremum perducta per charitatem efficaci fide, & ipſe conſummabitur, ultimamque à Deo manum accipiet. Juſtificationis autem argumentum haud dubium eſt Spiritus Sancti donum, quod nemini à Deo contingit, niſi cui juſtitiam per fidem ſeu propter fidem imputat Gal. iij. 2.

Quos vero juſtificavit, hos & glorificavit. Hic tertius & ultimus eſt actus. In glorificatione enim iſta conformitas imagini Filii Dei conſiſtit; qui glorificationis actus, cum juſtificationis conſummato actu, tanquam effectum cum ſua cauſa proxima conjunctus eſt, cumque illo individuo nexu cohæret. Ideo enim Deus hominem juſtificat ut glorificet, id eſt cœleſti illa filiorum Dei gloria afficiat, de qua ℣ſ. 18, 21 egit, & cap. v. verſ. 2.

Glorificavit. Id eſt haud dubie glorificabit, tam certo atque ſi jam glorificaſſet; præteritum ponitur pro futuro. Hic ſolus glorificationis actus, nondum à Deo effectus eſt; quia tempus illi deſtinatum necdum appetiit, quod ubi advenerit, nulla mora erit in eorum qui juſtificati ſunt glorificatione.

Verſ. 31. *Quid igitur dicemus ad iſta? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Hactenus demonſtravit Apoſtolus certiſſimam eſſe credentium ſalutem, proinde omnia illis cooperari in bonum, & ſalutem eorum conficere; nunc firmitati demonſtrationis ſuæ confiſus, interrogat an aliquid contra iſta quæ attulit dici poſſit?

Igitur. Rebus ſic ſe habentibus, ut oſtendi.

Quid dicemus? Eſtne aliquis noſtrum qui habeat quod dicat, quod reſpondeat?

Ad iſta. Nempe à me allata, ut ſcilicet ea revincat ac refellat, vel in dubium ulla ex parte vocet? quaſi dicat, nihil ad iſta dici, nihil reſponderi poteſt, veritati & ſoliditati illorum concedendum omnino eſt.

Si Deus pro nobis &c. Confirmat ad iſta nihil reſponderi poſſe: quaſi dicat, oſtendi Deum eſſe pro nobis; at ſi Deus pro nobis, quis contra nos? *Si Deus pro nobis*, intellige *eſt*, id eſt ſi Deus noſtram cauſam tuetur, & in eo eſt ut nos ad vitam æternam & cæleſtem gloriam perducat, ut nos conformes Filio ſuo efficiat.

Quis contra nos? Intellige ſit, ut omni ſuo molimine ſalutem noſtram impedire poſſit, & non potius illam, quicquid in contrarium conetur, magis promoveat? Nam alioquin Diabolus & mundus eſt contra nos, ſed quia ſimul eſt contra Deum qui pro nobis eſt, quid efficiet? quanto plus ſaluti noſtræ obeſſe nitetur, tanto plus illi proderit. Deo enim quis poſſit reſiſtere? imo quis illius conſiliis miniſtrare non cogatur? Dei ſiquidem ſunt omnes & omnia, tanquam univerſorum Creatoris ac Domini.

Verſ. 32. *Qui ſane* (ὅς γε, ſic particula γε accipitur 1 Cor. iv. 8.) *proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis donabit?* Alio argumento confirmat, eoque efficaciſſimo & nobis magis noto, quod ex divino propoſito & pronotione ac prędeſtinatione ante ſecula facta petitur; Non tantum Deum eſſe, ſed ita eſſe ut omnia quæcunque ad ſalutem & beatitatem noſtram æternam pertineant nobis largiturus omnino ſit.

Qui ſane, adeo ſcilicet nos dilexit, *proprio Filio non pepercit.* Solemus iis parcere, id eſt ea minime impendere, quæ nobis chariſſima & pretioſiſſima ſunt: quid vero Patri charius, quid pretioſius eſſe poteſt quam proprius Filius, præſertim unicus, iſque Patri in

omnibus

omnibus obſequentiſſimus ? Talem filium habuit Deus Jeſum Chriſtum filium proprium, non alienum, non adoptivum, ſed quem ex ſuo ſpiritu a virgine concipi & ex ea naſci fecerat, filium unicum, & unice ſibi dilectum, omnium ſuorum bonorum hæredem, filium cujus unica voluptas erat facere & exequi paternam voluntatem ; filium ante ſecula præcognitum & adamatum ; hunc talem filium cum haberet Deus, & videret plurimum ſalutis noſtræ intereſſe, ſi priuſquam illum ad vitam immortalem & gloriam cæleſtem illi deſtinatam perduceret, morte eum, & quidem crucis, (qua nulla dirior & ignominioſior) ab adverſariis affici pateretur ; adeo nos dilexit Deus, adeoque ſalutem noſtram cordi & curæ ſibi habuit, ut ne quidem iſti filio ſuo pepercerit, quin cum nobis ac ſaluti noſtræ impenſum, inimicis traderet ac permitteret, eoque ſemetipſum idque tam triſti modo privaret.

Proprio filio. Id eſt ſuo. Alieno enim filio non parcere promtum eſt. Proprius filius opponitur alieno vel adoptivo : nam & adoptivus filius generatione alienus eſt. Qui putant proprium filium Dei dici Chriſtum, quod ſit ex Patris ſubſtantia ante ſecula genitus, non meminerunt Deum animantium more non generare filios, & ſi hoc modo proprius Dei filius eſſet Chriſtus, dicant quidquid velint, & humanam illi naturam, ut libet, adjungant, dici non poſſet quod Deus vere proprio filio non pepercerit, ſed eum tradiderit. Non parcere enim rei alicui, & tradere rem aliquam ; quid aliud eſt quam eam impendere eaque ſeſe privare ? An vero unquam Deus filio, qui ex ſua eſſentia natus eſſet, ante ſecula ſeſe vere privabit ? an illo unquam caruit ? quicquid tandem dicamus eam in humana natura perpeſſum eſſe ? Perpeſſiones enim iſtæ, præſertim mors, naturam illam ſeu eſſentiam ſecundum quam proprius, id eſt ut volunt, ex Patris eſſentia generatus filius, haudquaquam attigerunt, ſemper illa & Patri & filio manſit incolumis & intacta. Et cum natura humana in Chriſto ipſa per ſe ſuppoſitum, ut vocant, ſeu perſona negetur eſſe, (quod ipſum etiam manifeſtam involvit contradictionem, ſingularem hominis naturam non eſſe perſonam) nec pati quidquam nec mori potuit : agere enim & pati ſuppoſitorum proprium eſt ; neceſſe eſt ut oſtendant, quid in proprio tali, qualem aſſerunt, Dei filio proprie ac vere paſſum ac mortuum ſit ? Non humana natura, ut dictum eſt, non etiam illa quam volunt divina, id eſt conſubſtantialis Patri eſſentia, quæ nullis perpeſſionibus; multo minus vero morti obnoxia eſt : quid igitur ? An perſona ſeu ipſum ſuppoſitum filii ? At hoc ab eſſentia filii nihil differt. Perſona enim eſt filius, filius autem, ut & res quælibet, quid aliud eſt quam ſua ipſius eſſentia ? Profecto per ejuſmodi de filio Dei ſententias, tandem eo deveniendum erit, ut non tantum Dei filius proprius, ſed etiam ipſe homo Jeſus Chriſtus, quem ipſi à Dei filio proprio natura diſtinctum putant, vere fuiſſe paſſus & mortuus negetur. Si enim filii perſona ſeu ſuppoſitum vere ac proprie mortuum eſt, certe filii perſona ac ſuppoſitum, vere ac proprie eſſe & vivere deſiit. Deſiit, inquies, ſed quatenus erat homo. Igitur quatenus erat filius Dei proprius, vere ac proprie eſſe ac vivere cum mortuum eſſet non deſiit. Quatenus enim erat homo, Dei filius proprius veſtra ſententia non erat. Veſtra igitur ſententia Dei filius proprius haudquaquam eſt mortuus. Unum etiam idemque ſuppoſitum & hominem eſſe & non eſſe hominem, & filium eſſe ex Dei eſſentia ab æterno genitum & non eſſe, vere ac proprie mortuum eſſe, & vere ac proprie mortuum non eſſe, ſimpliciter ſibi invicem contradicunt ſeſeque mutuo evertunt. Et ſi filii perſona ſeu ſuppoſitum, quatenus erat homo, vere ac proprie mortuum eſt, quatenus vero erat filius Dei conſubſtantialis non eſt mortuum, neceſſe eſt ut ſecundum humanam naturam ſit mortuum, ſecundum naturam Deo conſubſtantialem non ſit mortuum ; hoc vero ſic intelligi non poteſt, quaſi natura humana proprie ſit mortua, quo pacto Æthiops dicitur albus ſecundum dentes, quia dentes ipſius proprie ſunt albi non ipſe. Ponimus enim non naturam humanam proprie, ſed filii perſonam eſſe mortuam. Aliter igitur hoc intelligi non poteſt, quam naturam humanam cauſam fuiſſe, ut moreretur filii perſona, idque vere ac proprie. At ſi filii perſona vere ac proprie eſt mortua, quo pacto ſimul vere ac proprie non eſt mortua ? Non eſt mortua, inquis, ſecundum divinam naturam. At neque homo moritur ſecundum animam : & tamen quia homo vere ac proprie moritur, non poteſt ſimul vere ac proprie mortuus eſſe & non eſſe mortuus. An vero filii perſona idipſum eſt quod filii divina ſeu Deo ut dicitis conſubſtantialis eſſentia ? an aliquid alind ? Si idipſum, profecto divina & conſubſtantialis iſta eſſentia mortua eſt cum mortua eſt filii perſona : ſin aliquid aliud, quid ſit dicite. An aliquid eſſentiam conſubſtantialis filii conſtituens, an extra illius eſſentiam ? Si prius, quomodo perſona filii mortuâ & deſtructa, non ſimul interiit & conſubſtantialis Dei filius ? Certe corpore deſtructo, quod ad hominis conſtituendam pertinet eſſentiam, deſtruitur & homo. Si poſterius, quæ obſecro eſt iſta perſona filii, quæ non tantum non eſt ipſe filius, ſed ne quidem ad eſſentiam pertinet filii ? Non igitur filius Dei proprius eſſet mortuus, quamvis vel maxime mortua eſſet ipſius perſona. Si perſona filii eſt, ut novi quidam aſſerunt, Philoſophi dicam an Theologi, ſubſiſtentia filii, ab eſſentia illius mente & cogitatione ſeparata, doceant quo pacto ſubſiſtentia iſta vere ac proprie mortua, proinde deſtucta, non ſimul deſierit ſubſiſtere & filii eſſentia ? Ne nunc dicam, perſonam ſeu ſuppoſitum, definire per ſubſiſtentiam, eorum eſſe qui redacti ſunt ad incitas, qui unius numero intelligenti, eſſentiæ plures volunt eſſe perſonas, aut unius numero perſonæ plures eſſentias. Ergone cum perſona vel ſuppoſitum aliquod moritur, non ipſa ſubſtantia vere ac proprie moritur, ſed illius ſubſiſtentia ? Aut cum ſuppoſitum naſcitur vel generatur, ſubſiſtentia vere & proprie naſcitur & generatur, non ipſa ſubſtantia ? Et Patris vel filii perſona non ipſe Pater eſt vel filius, ſed Patris vel filii ſubſiſtentia ? In ſubſiſtentiam igitur credimus, ſubſiſtentiam invocamus, non ipſum ſubſiſtentem Patrem & Filium ? Subſiſtentia omnipotens creavit cælum & terram, ſubſiſtentia generavit ſubſiſtentiam, ſubſiſtentia ſubſiſtentiam ſuſcitavit ex mortuis, & cæli ac terræ Dominum Regemque fecit ? ſubſiſtentia ſuppoſiti proprium eſt, non ipſum ſup-

poſitum

poſitum. Recte igitur ab initio diximus iſtas de Filio Dei ſententias eo tendere, ut fides de vera filii Dei morte tollatur vel in dubium vocetur. Humana enim natura per ſe & in abſtracto mori non potuit, multo minus divina, perſona item Filii Dei non potuit mori, ſive illa dicatur eſſe ipſe conſubſtantialis Dei Filius, ſive illius tanrum ſubſiſtentia. Unum eſt ſolidum fidei de vera Filii Dei morte ſundamentum, ut credamus Filii Dei perſonam non fuiſſe ullam aliam quam ipſum hominem Jeſum Chriſtum. Neque dixeris Filium proprium nunquam appellari niſi proprie dictum, id eſt ex eſſentia Patris genitum. Hoc enim locum habet in iis quæ proprie loquendo generant, id eſt genus ſuum propagant, non in Deo. Nam generis propagatio proprie dicta, illorum eſt quæ cum ipſa pereant in ſuo genere ſe conſervant, non Dei, qui non ſolùm extra omnem finem, ſed etiam extra omne principium eſt; proinde neceſſario ſemper unus eſt. Itaque Dei Filius proprius dici poteſt quamvis non proprie dictus, ſeu proprie loquendo ex Dei eſſentia generatus, quamvis, inquam, non quidem in re, ſed in voce Filii, ſit metaphora ac improprietas. An enim quia nos dicimur propriæ oves Chriſti, ptopterea ſumus oves Chriſti proprie dictæ? Et ut proprius rei noſtræ exemplum adſeram, an qoia Jeſus eſt Dei Chriſtus, id eſt unctus proprius, idcirco eſt Chriſtus ſeu unctus Dei proprie dictus? aut quia Spiritus Sanctus eſt propria Dei unctio, idcirco erit unctio proprie dicta? Nequaquam: proprietas enim iſta in talibus ſecundum rem non ſecundum vocem intelligenda eſt.

Non pepercit. Id eſt eum impendit, vitæ ejus non parcendo, neque curando ut immunis ab ignominiis & doloribus ac cruciatibus & morte eſſet.

Sed pro nobis. Id eſt maximo noſtro bono & commodo, inprimis vero ut pro peccatis noſtris victima eſſet expiatoria. *Omnibus.* Nemo noſtrum tanti beneficii divini eſt expers, ad nos omnes, quotquot ſumus, fructus & effectus illius pertinet, eumque pertinere Deus voluit, non pro quibuſdam noſtrum tantum, ne forte quiſpiam ſui non habitam ſuiſſe rationem in hoc tanto Dei beneficio exiſtimet.

Tradidit ipſum. Id eſt eo ſemetipſum ſic privavit, ut eum permiſerit rapi, capi, vinciri, cædi, ignominiis affici, duci, in crucem agi, occidi.

Quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis donabit? Ex tanto Dei beneficio inſert Apoſtolus omnia alia bona, quæ ad ſalutem ac beatitatem noſtram pertineant, nobis à Deo donatum iri; inſert autem per interrogationem: quaſi dicat, fierine ullo pacto poteſt, quin etiam cum ipſo omnia nobis Deus largiatur? Particula *&* vel *etiam* reſpicit ad vocem remotiorem *omnia:* quaſi dicat, quomodo non etiam omnia nobis largietur?

Cum ipſo. Quaſi dicat: Deus Filium proprium nobis largitus & gratificatus eſt, pro nobis illum impendendo & in mortem tradendo, quomodo non & omnia quæ habet Filius, nobis donabit? eritne aliquid quod nobis dare & largiri recuſabit, cum ipſum Filium proprium dare & elargiri in ſalutem noſtram non recuſaverit? An quidquam habet charius & pretioſius Filio? Nonne molto promtius eſt Deo vitam æternam nobis donare, quam Filium proprium pro nobis in mortem tradere? An Deo aliquid decedet, quando nobis vitam æternam communicabit? At quando Filium unice dilectum in manus hoſtium crudeliſſimorum tradebat, filium proprium amittebat. Cum Deus nobis cæleſtem hæreditatem conferet, maxima afficietur ex hoc ſuo beneficio voluptate & gloria; at cum videret filium ſuum tam crudelitet tractari & cruci affigi, maximo afficiebatur dolore (θεοπρεπῶς intellecto,) & contumelia.

Omnia. Τὰ πάντα, cum articulo, qui vocem *omnia* reſtringit ad illa omnia quæ ad rem ſubjectum, id eſt ad ſalutem ac beatitatem noſtram æternam pertinent: ad illa inquam, omnia bona, quæ ut conſequeremur, Filio ſuo non pepercit, eumque tradidit, quæ ſcilicet juſtificatione & glorificatione ſeu conformatione imagini Filii Dei continentur.

Nobis. Nullo noſtrum, qui ſcilicet in Dei Filium credimus, excluſo.

Donabit, χαρίσεται. Ex mera gratia ſua conſeret, ſine ullis operum noſtrorum meritis proprie dictis.

Verſ. 33. *Quis accuſabit electos Dei? Deus qui juſtificat.* Quia nulla res magis obſtare poſſet ſaluti noſtræ quam peccata noſtra, idcirco hunc præcipue ſcrupulum movet & eximit Apoſtolus. Si quis ob peccata ſua damnari debeat, accuſatore aliquo opus eſt, cum nemine accuſante reus abſolvatur. Interrogat igitur Apoſtolus:

Τίς ἐγκαλέσει *adverſum electos Dei?* Non ideo ſic interrogat quod accuſator electorum deſit; eſt enim Diabolus qui eos perpetuo accuſat; ſed ſignificat fruſtra eſſe quemlibet illorum accuſatorem; accuſationem eſſe inanem & irritam, quæcunque tandem crimina electis Dei accuſator objectet, eorumque eos reos agat & peragat.

Adverſum electos Dei. Latini non dicunt accuſare adverſus aliquem, ſed Græca locutio eſt ἐγκαλεῖν κατά τινος, qua utitur Apoſtolus, Latini ſimpliciter dicunt, accuſare aliquem. Electorum Dei nomine ſignificat Apoſtolus à Deo per Euangelium vocatos & juſtificatos, qui vocatione & juſtificatione digne ſe gerunt, id eſt peccatis penitus renunciarunt, & omni juſtitiæ ac ſanctitati ſunt dediti. Hos enim Deus pleniore & perfectiore ratione eligit ad ſalutem, & iſti abſolute & κατ' ἐξοχὴν electi nominantur. Sunt quidem & vocati eo ipſo electi, cæterorum hominum reſpectu, quatenus Euangelio crediderunt; ſed quia non omnes qui Euangelio credunt, ſic credunt ut Euangelio digne vivant, fidemque ſuam per effecta teſtentur, idcirco iſti demum quorum fides per charitatem eſt efficax, quique nova creatura ſunt facti, electorum nomen peculiariter ſibi vindicant, & ſicut priores illi inter cæteros homines, ſic iſti inter ipſos electos electi ac ſelecti ſunt; quo ſenſu dixit Chriſtus multos eſſe vocatos, paucos vero electos Matth. xxij. 14. Quod ipſorum hominum vitio ac culpa evenit, non Dei qui omnium credentium cuperet fidem eſſe ad novam vitam efficacem. Qui docent electos non poſſe fieri reprobos, electorum vocem de ſuis illis ab æterno prædeſtinatis individuis accipiunt; ſed quia Scriptura illos dicit electos, qui fidem & charitatem habent, & ob hanc ipſam fidem & charitatem electos eſſe aſſerit; idcirco electos monet ut diligenter ſibi caveant, ne in fide & charitate deficiant, per quam electi facti ſunt, qua deficiente deficeret & electio. *Tu*, inquit infra Apoſtolus, *fide ſtas*, id eſt

electus es, *noli altum ſapere, ſed time* cap. xi. 20. *Vide ſuper te bonitatem Dei, ſi manes in bonitate, alioquin & tu excideris* verſ. 22. Quid aliud magis eſt noſtrum στηριγμὸς quam electio noſtrum; & tamen alter etiam Apoſtolus monet, ut vigilemus ne excidamus τοῦ ἰδίου στηριγμοῦ, ex propria confirmatione, qua ſcilicet firmata eſt ex parte Dei noſtra ſalus, proinde ex electione 2 Petr. iij. 17. Ipſe Paulus Apoſtolus quam ſerio certabat ne ex electo fieret reprobus 1 Cor. ix. 27, & ut æternæ vitæ brabæum reportaret Philip. iij. 11, 12, 13; qualia & monita & exempla ubique in Scriptura occurrunt. Docet igitur Apoſtolus fruſtra omnem inſtitui accuſationem adverſus Dei electos: dummodo ipſi electionem ſuam firmam & ſtabilem faciant, conſtanti in Chriſtum fide & ſanctis operibus fidei fructibus 2 Petr. 1. à verſ. 5, ad 12. Maluit Apoſtolus dicere: *Quis accuſabit*, aut, *accuſationem inſtituet adverſus electos Dei*, quam adverſus nos? ut ipſa electorum Dei appellatione non tantum cauſam ſubjiceret irritæ accuſationis, ſed ſimul etiam nos moneret, electos nos Dei eſſe oportere & in electione permanere, ſi cauſa cadere nolimus.

Deus, qui juſtificat. Cauſam affert propter quam adverſus electos Dei irrita ſit & inanis omnis accuſatio: quaſi dicat, nemo eſt qui damnet electos Dei, quorſum igitur eſt omnis adverſus illos inſtituta accuſatio? Si nemine accuſante reus dimittitur, multo magis nemine damnante manet impunis. Neminem autem eſſe qui electos Dei damnet, inde probat, quod Deus ſit qui illos abſolvat & juſtificet. At Deo abſolvente & juſtificante quis erit qui eos damnet? Damnare illos nemo poteſt niſi Deus, ideo & coram Deo illos accuſare neceſſe ſit; Deus autem illos juſtificat. Nam & electi ſunt, quia juſtificati ſunt, & juſtificati quia electi. Quis igitur eſt qui illos condemnet?

Deus, intellige *eſt*, *qui juſtificat.* Ὁ δικαιῶν, per participium Atticorum & Hebræorum more, qui illis ex gratia juſtitiam imputat, & ſic illos juſtos pronunciat, à peccatorum omni reatu pœniſque abſolvit, & vitam æternam illis adjudicat ac largitur.

Verſ. 34. *Quis*, intellige eſt, *qui condemnet?* Non recte verba iſta à ſuperioribus, novo commate, per commatum iſtorum auctores dirempta ſunt. Quid enim neceſſe foret novam inſtituere interrogationem, de eo quis ſit qui condemnet, poſtquam dictum erat Deum eſſe qui juſtificat? Hoc enim ipſo omnis damnator excluditur, & Chriſtus in ſubjunctis verbis non conſideratur tanquam Judex abſolvens & juſtificans, ſed tanquam patronus & Advocatus noſter, ut ſi Apoſtolus utrique interrogationi ſuam reſponſionem voluiſſet ſubjicere, debuerit accuſatori, Chriſtum, tanquam Patronum & defenſorem; damnatori autem, Deum tanquam Judicem abſolventem & juſtificantem opponere.

Qui condemnet? Ὁ κατακρίνων, ſimiliter per participium, Intellige qui condemnet ad mortem illam ſecundam, veram peccati pœnam, eaque damnatos afficiat. Nam alioqui multi ſunt qui electos Dei damnant, etiam ad mortem, ac morte afficiunt, ſed temporaria, qua corpora tantum Deo permittente necant, animas necare non poſſunt: quæ electorum Dei damnatio, illorum eſt abſolutio. Seipſos condemnant impii electos condemnando. Non deſunt etiam qui eoſdem Dei electos tanquam impios & hæreticos anathemate feriunt, & æterni ignis ſupplicio addicunt; ſed hoc illorum fulmen brutum eſt, nihil electis nocet,

Chriſtus qui mortuus eſt, magis vero & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt in dextra Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Pergit oſtendere fruſtra accuſaturum electos Dei quiſquis accuſet, Deo enim adjungit Chriſtum electis patrocinantem.

Chriſtus, intellige eſt, *qui mortuus eſt.* Ὁ ἀποθανών, per participium pro verbo: quaſi dicat, nam quod ad Chriſtum attinet, Chriſtus eſt is qui mortuus eſt, qui electos Dei, id eſt omnes in ſe credentes & credituros, ſic dilexit, ut pro illorum ſalute mortem oppetierit, qua dilectione & charitate nulla major inter mortales dari poteſt. An iſte cauſam in ſe credentium deſeret? An eorum ullum perire & damnari patietur, cum in id ipſum ſit mortuus, ne ullus pereat?

Magis vero & ſuſcitatus. Morti Chriſti ſuſcitationem ex mortuis merito adjungit. Niſi enim ſuſcitatus eſſet, nec à dextris Dei ſedere, neque nos tueri nobiſque patrocinari poſſet. *Magis vero*, intellige cauſæ noſtræ prodeſt; *& ſuſcitatus eſt*, & hic participium ἐγερθεὶς, ponitur pro verbo. Docet Apoſtolus magis ſalutem noſtram juvare, quod Chriſtus non tantum mortuus ſit, ſed etiam ſit ſuſcitatus ex mortuis: *Mortuus enim eſt propter delicta noſtra, ſuſcitatus autem eſt propter juſtificationem noſtri* cap. iv. verſ. ultimo. *Si Chriſtus non ſuſcitatus eſt*, inquit idem Apoſtolus alibi, *vana eſt fides noſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris* 1 Cor. xv. 17. Si enim Chriſtus ex morte non evaſiſſet ad vitam Dei potentia ſuſcitatus, nullam noſtri ſalutiſque noſtræ curam habere potuiſſet: Deus autem conſtituerat per Chriſtum nos ſervare, & ſuæ gloriæ amplificandæ & noſtræ ſpei firmandæ cauſa. Hic locus duos errores coarguit. Prior eſt Chriſtum debita noſtra Deo proprie loquendo exſolviſſe. Hoc enim ſi verum foret, Chriſti ſuſcitatione ſalus noſtra non indiguiſſet. Nam debitum ſolutione tollitur, nec amplius ullo jure poteſt exigi. Imo vero ſi Chriſtus mortuus erat, ut debita noſtra proprie loquendo diſſolveret, ſolutionis iſtius ratio magis exigebat ut Chriſtus in morte maneret, quam ut illi mors immortali vita & gloria cæleſti compenſaretur. Alter error eſt, Chriſtum conſubſtantialem Deo ab æterno ex Dei eſſentia genitum Filium fuiſſe. Nam ſi talis Dei Filius erat Chriſtus, etiamſi quatenus homo in morte manſiſſet, nihilominus tamen & ſemper vixiſſet & nos juvare potuiſſet. Nec refert quod nos ut homo ſeu quatenus homo juvare non potuiſſet, ſuffeciſſet ſi nos juvaret, quatenus conſubſtantialis Dei filius eſſet. Profecto omnem ſalutis noſtræ ac fidei rationem imprudentes evertunt, qui nobis alium Dei Filium, alium Chriſtum, quam hominem Jeſum ex Spiritu Sancto conceptum & ex virgine natum, ſua natura humana, & Spiritu Sancto quo à Deo ſanctificatus ac unctus erat, deſcriptum ac definitum inducunt.

Qui etiam eſt in dextra Dei. Pergit in deſcribendo Chriſto, ut tanto magis appareat quantum nobis in ipſo ſit præſidium. Non tantum pro nobis mortuus

tuus

tuus eſt, ſed etiam ſuſcitatus eſt, ut nobis poſt mortem redivivus prodeſſe poſſet; non tantum ſuſcitatus eſt, & vivit poſt mortem noſtro bono & ſaluti; ſed idem etiam *eſt in dextera Dei.* Docet ubi ſit Chriſtus ex mortuis ſuſcitatus; ibi nimirum ubi eſt Deus, ſupra omnes cælos, in luce illa inacceſſa quam Deus inhabitat. Ibi enim decuit cæleſtem noſtrum Patronum ac Servatorem eſſe, ut iſtic cauſam noſtram apud Deum ageret. Eſt vero non ſimpliciter ibi ubi Deus eſt, ſed apud Deum; ſed ita apud Deum eſt, ut ſit in dextera Dei.

In dextera. Id eſt ad dexteram, intellige manum Dei. Alibi dicit Scriptura, in dextra throni Dei, ἐκ δεξιῶν, à dextris, intellige partibus Dei, quod etiam in ipſo Pſal.cx. 1, ex quo verba hæc petita ſunt, legitur. Hæc loquendi ratio uſurpatur de Deo per metaphoram ab hominibus, apud quos eſt dextra & ſiniſtra manus, dextrum & ſiniſtrum latus, dextræ & ſiniſtræ partes: quarum illæ quia nobiliores habentur ſiniſtris, idcirco & locus dexter honoratior habetur ſiniſtro. Significatur igitur hac phraſi Chriſtum honoratiſſimo apud Deum eſſe loco. Non dicitur autem Chriſtus à dextris Dei eſſe reſpectu alicujus qui ſit à Dei ſiniſtris. Neque enim in Scriptura legitur ullum eſſe à Dei ſiniſtris, quæ omnes cælites eorumque etiam principatus ac poteſtates longe infra thronum Dei, imo & Chriſti collocat, & Deo ac Chriſto miniſtrare aſſerit. Solus Chriſtus, quippe Filius ille ſingulariſſimus, dignus à Deo habitus eſt, ut ad latus Dei eſſet, idque etiam dexter non ſiniſter. Non ſequitur autem Chriſtum honoratiore eſſe in loco, quam Deum ipſum, Deus enim abſolute ſummus & altiſſimus eſt, nec ſimilitudo nimis premenda eſt. Homines quantumvis majores ac digniores, minoribus non raro locum cedunt honoratiorem, humanitatis vel comitatis gratia. Sic Salomon matrem ſuam dextram ſibi aſſidere fecit; idem & Regis Ægypti filiam ſponſam ſuam ad ſe deductam à dextris ſuis conſtituit Pſal.XLV. 10. De Nerone etiam Cæſare ſcribit Hiſtoricus, quod Armeniæ, ni fallor, Regi qui Romam venerat, diadema Regium ab ipſo ſumturus, ſellam poni juſſerit à parte dextra, ſicque cum illo conſederit in publico: ſed Deus nonniſi ſemper loco celſiſſimus eſſe poteſt, cujus ſublimitati ſicut nihil unquam poteſt accedere, ſic neque decedere, & qui à dextris Dei locus eſt, non reſpectu Dei, ſed reſpectu aliorum locorum omnium dicitur excelſior, quorum major vel minor celſitudo ex majore vel minore ad Deum acceſſu proficiſcitur. Summa huc redit, Deum tanto honore Chriſtum affeciſſe, tamque ſublimem illi locum apud ſe dediſſe, ut nullo majore honore eum afficere, nullum ei locum ſublimiorem tribuere potuerit. Quia vere Chriſtus ita eſt à dextris Dei, ut à dextris Dei ſedeat, merito hac ſeſſione regnum ſignificatur Phil.cx. 1. Et hic ipſe Apoſtolus 1 Cor.xv. 25 ſeſſionem Chriſti à dextris Dei de regno Chriſti exponit, idemque & aliis fit in locis ſacræ Scripturæ; quæ ſeſſione Chriſti à dextris Dei regnum ejus includunt, quod & in Symbolo Apoſtolico factum videmus. Regum enim eſt ſedere in ſolio, cæterorum vero vel adſtare Regibus, vel ſi aſſideant, ſoliis aſſidere inferioribus & minus elevatis. Nam quod in matre & uxore Salomonis, & Rege Armeniæ aliter factum ſit, mirum non erat, cum & mater Salomonis, & uxor, Reginæ eſſent, & qui aſſidebat dexter Neroni Cæſari, Rex eſſet Armeniæ. Chriſtus igitur non tantum locum honoratiſſimum, ſed etiam ob præſentem in hoc ſeculo ſtatum populi divini, regnum ac dominationem in omnes & omnia à Deo accepit; quam futuro ſeculo, in illo beato populi divini ſtatu, devictis & triumphatis à Chriſto hoſtibus omnibus ipſaque morte, ceſſaturam & immediate ad Deum redituram eſſe, idem hic Apoſtolus docet 1 Cor.xv. 24. Et hujus dominationis reſpectu Chriſtus à dextris Dei ſedere juſſus eſt, donec ponantur omnes inimici ejus ſcabellum pedum ejus. Nam ſummi honoris ac dignitatis reſpectu etiam poſt abolitos omnes hoſtes futuro in ſeculo à dextris Dei ſedere non deſinet. Quem igitur metum nobis ullus accuſator poſſit incutere, Chriſto tanto honore à Deo affecto, dextro illius lateri aſſidente, & ab ipſo regnum ac dominationem obtinente in omnia? Scripturæ verba quæ Chriſtum ſuper domum Jacobi regnaturum dicunt in ſecula, & regni ejus non fore finem Luc. 1. 32, aut thronum ejus eſſe in ſeculum ſeculi Hebr. 1. 8, hoc volunt, Chriſti regno, quod abſoluta ipſius in omnia dominatione continetur, nullum fore finem in hoc ſeculo; ideo etiam dicitur cum Sole & Luna duraturum eſſe, non autem finitum non iri cum hoc ſeculo, quando ſcilicet novus ille & cæleſtis ſuccedet populi divini ſtatus. Sic Chriſtus Sacerdos dicitur in æternum vel in ſeculum Pſal.cx. 4. Hebr.vij. 17, 21, 24, & interpellatio ejus perpetua verſ. 25, quia in hoc ſeculo Sacerdotii & interpellationis ejus nullus futurus eſt finis; at in futuro ſeculo nullus utrique erit locus. Sic & Fœdus novum dicitur æternum Hebr. xiij. 20. Seculi præſentis reſpectu, non futuri, in quo fœdus iſtud effectum ſuum plenum & ſic finem accipiet. Sicut & Chriſti dominatio in omnia, poſtquam omnes hoſtes fuerint aboliti; & juſti ac ſancti omnes in cæleſtis regni poſſeſſione ab ipſo collocati. Hunc enim in finem Chriſto omnis in cælis & in terris poteſtas à Deo conceſſa eſt. Idem dicit Apoſtolus, *Deinde finis, quando tradet regnum Deo & Patri &c* 1 Cor.xv. 24.

Qui etiam interpellat pro nobis &c. Poterat aliquis cogitare, etiamſi Chriſtus ſit in dextra Dei, patrono tamen & propitiatore ac deprecatore apud Deum, miſeri peccatores indigemus, quandoquidem nec populus Iſraëliticus illo caruit. Docet igitur Apoſtolus, eundem Chriſtum non tantum Regem ac Dominum noſtrum eſſe, ſed ſimul & patronum, propitiatorem ac Sacerdotem apud Deum, quique non in terris, ut Veteris Teſtamenti Sacerdos, ſed in ipſis cælis, interpellet pro nobis. Omnia habemus in uno Chriſto, quæcunque mente cogitare & complecti poſſimus, ad confirmandum & conſolandum & erigendum animum noſtrum ſpectantia.

Interpellat. Ἐντυγχάνει, intercedit; non verbis, non orationibus ac precibus: nec enim vel Dei in ſuos electos amor, Chriſti preces exſpectat Joh. XVI. 26, vel Chriſti abſoluta in omnia poteſtas illas requirit, ſed interpellat ac intercedit rebus ipſis ac factis, quæ omni prece ſunt validiora.

Sua nimirum morte quam pro peccatis noſtris, tanquam victima ab ipſo Deo data, ſubiit, ſuo ſanguine quem pro illis fudit, ſua perpetua coram Deô apparitione. Res igitur ipſa efficaciſſime loquitur, etiamſi Chriſtus nullas interponat proprie loquendo preces. Hinc Auctor ad Hebræos Chriſti ſanguinem meliora loqui ſcribit quam Abelem Hebr. xij. 24, cujus ſanguis vindictam clamabat, ut Scriptura loquitur, at Chriſti ſanguis veniam clamat peccatis omnium electorum Dei. Huc pertinent & illa omnia quæ idem Auctor, Chriſtum cum Sacerdote Legali comparans, de illius per proprium ſanguinem in cæleſtia adyta ingreſſu, & coram vultu Dei apparitione, proque nobis perpetua interpellatione, divino perſequitur ſtylo. Huc referenda ſunt & illa Joannis Apoſtoli verba 1 Epiſtola cap. 2. 1, 2. An igitur ullum majus ſolatium, ullum certius præſidium habere poſſimus quam iſtud eſt, quod nos habere docet Apoſtolus in Chriſto? Cur autem non addidit, qui etiam eſt Dei filius conſubſtantialis ex Patris eſſentia ab æterno genitus, unus idemque numero cum Patre Deus? Qui factum eſt, obſecro, ut hoc non appoſuerit? Nulla alia cauſa exputari poterit quam quod hoc à Chriſto non didicerit, non acceperit. Si enim accepiſſet; an hoc iſto præſertim in loco reticuiſſet, ubi omnia ſummatim complexus eſt, & complecti voluit ac debuit, quæ nobis in Chriſto maximo poſſint eſſe præſidio? Sed quid mirum quod non acceperit? Accipere enim ſuperioribus penitus adverſa non potuit. Nam & mori, & ex morte ſuſcitari, & à dextris Dei collocari, & Sacerdotis munere fungi, homini Chriſto recte conveniunt: at illi, quem dicunt, conſubſtantiali Dei Filio, nihil iſtorum convenit. Convenit, ajunt, ut homini. Nimirum hoc ipſum ſibi ipſi non convenit; aliquem ſimul eſſe & hominem, & conſubſtantialem, quem dicunt, Dei filium. Sed fuerit homo conſubſtantialis iſte Dei filius, fuerit & mortuus & reſuſcitatus ex mortuis, à dextris Dei eſſe quomodo poteſt, qui ipſe Deus ſit? A dextra Patris, inquiunt. At ne Patris quidem, qui idem cum Patre Deus ſit. Non idem perſonâ, inquiunt. Perſonarum igitur divinarum una ſedet ad dextram Patris, Pater ſedet in medio, & Spiritus Sanctus perſona tertia lævum Patris latus claudit. Hæc quidem in perſonis locum habere poſſunt, quarum quælibet ſuam habet ab alia diſtinctam eſſentiam; at quarum eſſentia prorſus eſt eadem & indiſtincta, ne perſonæ quidem ſunt ullæ diſtinctæ, nedum ut ſitum aliæ ab aliis habere poſſint diſtinctum. Sed porro Chriſtus non ante ſedit ad dextram Patris, quam ad eam ſedere juſſus eſt; juſſus autem eſt, poſtquam ex morte ſuſcitatus, & in cælum ad Patrem evectus eſt, imo quia fuit ad mortem, eamque crucis obediens, univerſa Scriptura teſte. Ut homo, ajunt. Atqui ſi homo iſte, conſubſtantialis ille Dei Filius erat, nec juſſum ullius exſpectare opus habuit, nec magis ad dextram Dei ſedere potuit, quam ipſe conſubſtantialis Dei Filius, cum quo perſonâ unus factus eſt. Et cum ſeſſio ad dextram Dei Regnum ſignificet Chriſto ut homini à Deo datum, quid attinuit Chriſto, ut homini, Regnum dare, qui eo ipſo Regnum in omnia habuit, quod conſubſtantialis ille, quem ajunt, Dei filius eſſet. Eo ipſo, inquiunt, Rex erat, quod conſubſtantialis Dei filius factus eſt. Atqui ab ipſa incarnatione factum dicunt. Regnum autem quod Chriſtus, ut homo, per ſeſſionem à dextris Dei accepit, poſt ſuſcitationem ex mortuis, & in cælos aſſumptionem demum univerſa Scriptura teſte accepit: inter alia vide 1 Petr. iij. 22. Epheſ. 1. 20, 21, 22. Hebr. 1. 3. x. 12. xi. 2. Homo igitur qui conſubſtantialis, quem volunt, Dei Filius eſſet, minime, ut in Regem à Deo ungeretur, opus habuit, nec magis ut ungeretur in Sacerdotem. Nam cui, obſecro, offerret? coram cujus vultu appareret? an ut offerret ſibi ipſi, & coram ſui ipſius vultu appareret? At hoc contradictorium eſt. An ut offerret Patri & coram Patris vultu appareret? At, credo, conſubſtantialis Dei filius opus habuit ut etiam Patris conſtitueretur Sacerdos. Et qui filium cum Patre unum eundemque numero Deum dicunt, mirum eſt, quomodo alterum alterius Sacerdotem ac Propitiatorem faciant. Serione rem agunt, qui ſcenas iſtiuſmodi in fidem ſanctiſſimam inducunt?

Pro nobis. Id eſt ne peccatorum noſtrorum pœnas demus, ſed ab iis penitus abſoluti, vitam adipiſcamur æternam. Ex dictis conſtat, electos Dei non habere ullum alium deprecatorem apud Deum in cælis, præter unum Jeſum Chriſtum, & vanos eſſe qui ſanctorum vita functorum animas pro nobis apud Deum in cælis proprie loquendo deprecari & orare credunt ac docent; licet minime negemus eorum ſanctiſſima Deoque gratiſſima facta in perpetua apud Deum eſſe memoria, & nobis, ſi eos imitemur & in eorum communione ſimus, non parum etiam prodeſſe. Sicut piorum parentum poſteris, eorum ſimilibus, memoria apud Deum, multum prodeſt. Alioquin iſti ipſi ſancti dum viverent, non alio deprecatore apud Deum in cælis, quam Jeſu Chriſto ſunt uſi; nunc vero poſtquam vivere deſierunt, multo etiam magis ipſo indigent, ut ex morte erepti in vitam vindicentur æternam. Tanto autem error iſte nocentior eſt, quod in mortuorum deſierit apotheoſin, id eſt invocationem & adorationem, quæ præſtatur etiam illis qui hominum decretis ſancti facti ſunt. At graviori adhuc crimine illis qui vere ſancti fuerunt. Neque enim ulli mortui adorari & invocari poſſunt abſque idololatriæ crimine. Idola igitur fiunt qui mortui adorantur & invocantur: quid vero indignius eſt quam ex illis qui vere ſancti Deoque dicati fuerunt, idola facere? Chriſtus ipſe ex mortuis eſt ſuſcitatus ut noſtrum apud Deum in cælis propitiatorem ac deprecatorem poſſet agere; tantum abeſt ut ulli mortuorum id poſſint facere, multo vero etiam minus ſe à nobis invocari & adorari intelligere.

Verſ. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? afflictio? num anguſtia? num perſecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?* Egit Apoſtolus de accuſatoribus qui juris aliqua via nos damnationi ſubjicere conantur, nunc agit de illis, quæ vi ingruunt ut nobis æternam ſalutem eripiant.

Quis? Græcus textus habet τίς, quod tam fœmininum eſt quam maſculinum: quaſi dicat, & quid? Hebræi enim cum neutra non habeant, fœminino utuntur. Nam & quæ enumerat Apoſtolus pleraque fœminini ſunt generis.

Nos. Qui credimus in Chriſtum, & ſic electi Dei ſumus.

Separa-

Separabit. Nempe ut Chriſtus effectu ipſo ſervare nos non poſſit.

A charitate Chriſti. Genitivus *Chriſti*, non objectum hic ſignificat charitatis, ſed ſubjectum, id eſt non agitur hic de charitate qua nos Chriſtum complectimur, ſed qua nos Chriſtus complectitur. Egit enim Apoſtolus de Chriſti erga nos amore, quod pro nobis mortem oppetierit, proinde in vitam revocatus & à dextris Dei collocatus, noſterque Rex & Sacerdos factus, ſervatum nos haud dubie velit, & ut ſervemur totus curat. Quærit igitur Apoſtolus, cum conſtet nos à Chriſto ſic diligi ut nos omnino ſervatos cupiat, (hæc enim eſt charitas Chriſti, ſic Chriſtus ſuós amat:) quis & quæ res uſquam ſit, quæ nos ab iſta Chriſti charitate ſeparare poſſit? Atque huc etiam diriguntur omnia ſequentia. Neque enim hic Apoſtolus agit de noſtra in officio præſtando immota conſtantia, ſed de ſalutis noſtræ, ſi nos officium noſtrum facimus, certitudine ac firmitate inconcuſſa: de illa præfidenter gloriari, verum ac rectum non eſt, at de iſta nunquam nimia datur gloriatio. Hæc enim ſolius Dei & Chriſti actionem requirit, illa etiam noſtram, quæ nequaquam tam certa eſſe poteſt quam quæ ſolius Dei & Chriſti eſt. Non interrogat Apoſtolus quid efficere poſſit quominus nos Chriſtus diligat, hoc enim apoſtaſia à fide & pietate Chriſtiana, mali mores & Chriſti mandatorum neglectus, facile effecerint; ſed quid efficere poſſit quominus Chriſtus in ſua erga nos dilectione perſiſtens, & ſervare nos unice cupiens, cum tempus ſervandi nos veniet, ſervare nos haud poſſit & reipſa ſervet? Quis & quæ res, inquam, faciet, quominus ardentiſſimus in Chriſto ſervandi nos affectus ſuum in nobis effectum, ſuo tempore non habeat? qui enim nos ab effectu charitatis Chriſti ſepararet, perinde eſſet atque ſi nos ab ipſa etiam ſepararet charitate. Nam cui uſui eſſet Chriſti in nos charitas, tam Chriſto ipſi quam nobis?

Afflictio aut anguſtia? Enumerat Apoſtolus res varias, quarum vis eo tendit ac dirigitur ut nos à Chriſti ſeparet charitate. *Afflictio?* Quærit an afflictio id poterit? intelligi enim debet in omnibus particula interrogativa, ſi Græcum ἢ, vertamus per *aut*. *Afflictio*, θλίψις quaſi dicas preſſura, complectitur omnia quibus nos premunt & urgent adverſarii ut nos perdant, citra mortem tamen, cujus effugiendæ pateat adhuc via, ut ſunt probra, contumeliæ, verbera, mulctæ, bonorum direptiones, carceres, proſcriptiones, exilia, & ſimilia.

Aut anguſtia? Cum nos plane ad incitas redigunt, ut niſi nos Deus ſingulari ſua cura eripiat, aut evadendi ſuggerat conſilium, idque ſecundet, jam actum ſit de vita noſtra. Tali in anguſtia erat Apoſtolus Damaſci, cum clauſa & præſidiis undique ſepta urbe quæreretur ad mortem, aut in Aſia, cum plane deſperaſſet de vita, & mortis decretum in ſeipſo haberet, à qua divina providentia liberatus, ex morte ſe à Deo liberatum duxit & dixit 2 Cor. I. 8, 9, 10.

Aut perſecutio? Cum eos qui evaſerunt, etiam ad alia loca perſequuntur adverſarii, & undique iis inſtant.

Aut fames? Ex perſecutione oritur fames & inedia, cum perſecutorum metu, vitare coguntur pii oppida, vicos, pagos, & omnes hominum ſocietates, in locis deſertis & aviis latitantes.

Aut nuditas? Et hæc ex perſecutione proficiſcitur, veſtibus enim detritis & laceris, non datur aliarum parandarum facultas. Ideo illi qui tempore perſecutionis Antiochicæ diffugerant, dicuntur circumiviſſe *in ovinis & caprinis pellibus, defecti, preſſi, male habiti, quorum non erat dignus mundus, in deſertis errantes, & montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ* Hebr. XI. 37, 38. Etiam Apoſtolus ipſe famem & nuditatem expertum ſe dicit, perſecutionis ſimiliter de cauſa 2 Cor. XI. 27.

Aut periculum? Nempe aſſiduum, quod nec in ipſis quidem ceſſat latebris. *Et nos*, inquit Apoſtolus, *periclitamur omni hora* 1 Cor. XV. 29. Referri huc poſſunt & alia pericula omnia, in quæ terra marique incidimus quacunque de cauſa, quæ nec Apoſtolo defuerunt 2 Cor. XI. 25. Meminerimus igitur quocunque in rerum articulo conſtituti animo neutiquam concidere, & ſaluti noſtræ timere, agant quicquid velint adverſarii, fremant & inſurgant adverſum nos omnia, in tuto eſt noſtra ſalus, quæcunque tandem nobis incidat & ingruat calamitas.

Aut gladius? Hic periculi propter veritatem Chriſti ſolet eſſe exitus. Mortem intelligit violenter à perſecutoribus illatam, per metonymiam cauſæ, quod communiter gladius uſurparetur ad homines neci dandos, & gladio ſeparatio peculiariter conveniat. Separat enim caput à corpore. Sed neque hic electis Dei metuendus eſt: licet enim caput, & animam cum capite, à corpore ſeparandi vim habeat; at ut electos à charitate Chriſti ſeparet, vim non habet ullam. Cæterum in gladio includi debent & ſecures & cruces, & ignes, & omnia alia media ac inſtrumenta, quibus mors infertur, & conſequenter omnia violentæ mortis genera. Hic Apoſtolus conſtitit, nam piorum hoſtes nihil habent quod ultra faciant, nec pii habent quod ultra patiantur ab hoſtibus; quam ob cauſam mors ultimus appellatur hoſtis ab eodem Apoſtolo 1 Cor. XV. 26. Nam cineres piorum fluentis, & animas Orco tradere, inſana & irrita rabies eſt malorum.

Verſ. 36. *Sicut ſcriptum eſt, quod propter te morte afficimur totum diem, reputati ſumus tanquam oves mactationis.* Antequam neget Apoſtolus, & demonſtret ullam iſtarum quas commemoravit rerum ſeparaturam nos à Chriſti charitate, ex mentione gladii inſerit hoc Scripturæ teſtimonium, ut doceat minime moveri debere pios, quod impii & gladiis ac cædibus in ipſos ſæviant, cum idem evenerit multis piorum qui ſub Lege vixerunt, & qui typi quidam ac exempla nobis fuerunt.

Sicut ſcriptum eſt. Intellige, piorum adverſarios gladiis ac cædibus in pios graſſari.

Quod propter te &c. Verba ipſa Scripturæ recitat, ex Pſal. XLVI. verſ. 22 ſumta, quibus pii perſecutionis Antiochicæ tempore, ſe miſerabiliter occidi & trucidari coram Deo queruntur.

Propter te. Intellige, ô Deus, tu nobis cauſa es iſtorum quæ patimur malorum. Patimur enim propter nominis tui profeſſionem, & cultum tui, patimur

timur propter id quod Legis tuæ tenaces ſimus; & idola ac ritus gentium, quæque alia Legi tuæ contraria ſunt, conſtanter averſemur. Hæc enim unica erat cauſa perſecutionis Antiochicæ, ut in libris Macchabæorum legere eſt. O nimium beatos, quibus non ipſorum culpæ & crimina, ſed ſolus Deus ſolaque in Deum pietas cauſa necis eſt!

Morte afficimur, θανατούμεθα. Vario mortis genere exſtinguimur, adjectis etiam graviſſimis tormentis, flagris ad necem cædimur, lapidamur, diſſecamur, uſtulamur, gladio truncamur Heb. xj. 36, 37.

Totum diem. Id eſt à mane ad veſperam, ob multitudinem eorum qui occidebantur. Ponit autem numerum ſingularem pro plurali. Neque enim per unum diem duravit illa calamitas, ſed per multos.

Reputati ſumus. Sic habemur ſicut oves quæ mactationi addictæ ſunt, ſic nobiſcum agitur ſicut cum illis, cædimur magno numero, ut oves in ſacrificiis ſolennibus. Egregie ſe ovibus aſſimilant, non tantum quod multi eſſent qui mactarentur, & quorum in eædibus toti dies abſumerentur, ſed etiam quod innoxii & inſontes eſſent, ſicut oves & quod interſectoribus ſuis non magis reſiſterent quam oves. *Occidiſtis*, inquit Jacobus, *juſtum*, *& non reſtuit vobis* cap. v. verſ. 6, quanquam & hactenus ovibus; quæ in ſacrificiis mactabantur, recte comparari poſſunt pii, quod & impii exiſtiment ſe illorum cæde victimam offerre Deo gratam Johan. xvj. 2, & Deus, dum ſe occidi patiuntur propter nomen ac veritatem ejus, ſuſcipiat illos pro victimis ſibi gratiſſimis Philip. 2. verſ. 17. 2 Timoth. iv. 6. Sic illorum temporum pii calamitatem ſuam, quam Dei cauſa ſuſtinebant, coram Deo dequerebantur, quorum patientia & conſtantia inſigni nobis exemplo debet eſſe. Nam ſi illos ſic affligi & occidi propter nomen & Legem ſuam paſſus eſt Deus, quamvis illos ad afflictiones non vocaſſet, quanto minus mirandum eſt, ſi nobis idem fieri permittat, quos ad hoc ipſum vocavit, ut eum Chriſto & pro Chriſto pateremur? Si illi tam conſtantes fuerunt in mortibus & tormentis perferendis, & occidi maluerunt quam Deum offendere, quanto magis nos decet tanta conſtantia, qui non tantum apertiſſimas Dei promiſſiones de vita æterna poſt mortem adipiſcenda accepimus, quibus illi carebant; ſed etiam Chriſtum ducem noſtrum ob eandem veritatem & illius confeſſionem occiſum, ex morte ad ipſam uſque dextram Dei evectum eſſe videmus. Si illi Deo ſunt confiſi, ſe ab ipſo ex morte ſuſcitatum iri ad vitam beatam, nec pretio defectionis & peccati, oblatam ab hominibus ſuſceperunt redemtionem, ut meliorem à Deo conſequerentur reſurrectionem, quanto magis nos hanc in Deum fiduciam habere oportet? Neque tamen omnes illi reportarunt promiſſionem, quippe quod *Deus melius quiddam de nobis providerit, nimirum ne ſine nobis conſummarentur* Heb. xj. 39. 40. Quod futurum erat, ſi nobis nondum natis conſummati fuiſſent. Nam piorum hęc conſummatio eum mundi conſummatione ac fine conjuncta erit, quam ſine ullo tædio ac detrimento mortui exſpectant.

Verſ. 37. *Sed in iſtis omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos.* Poſt inſerta Scripturæ verba (nam ſuperior verſiculus in parentheſi legendus eſt) redit ad propoſitum Apoſtolus, & docet nihil iſtorum, quæ enumeravit, ſeparaturum nos à Chriſti charitate: quaſi dicat, hæc omnia quæ memoravi, nobis vel accidunt, vel accidere poſſunt; ſed nos in iſtis omnibus ſuperamus.

In iſtis omnibus. Intellige, verſantes, & ab iis oppugnati.

Superamus, ὑπερνικῶμεν, *ſupervincimus.* Id eſt, non tantum vincimus, ſed etiam multo plus quam vincimus. Vincit enim qui adverſario proſtrato ipſe manet ſuperſtes; unde ſuperare dicuntur qui vincunt; nos vero poſt iſta omnia non tantum erimus illæſi ac ſuperſtites, ſed etiam vitam adipiſcemur nunquam finiendam, nullis turbandam adverſitatibus, omni beatitate cumulatiſſimam. Hoc vere vincere eſt & ſuper ſuperque vincere. Ponitur autem præſens pro futuro, per enallagen conſuetam: ſupervincimus, id eſt ſupervincemus. Res hæc tam certa eſt, tamque certo fiet, atque ſi nunc jam fieret. Quia igitur rerum iſtarum omnium exitus eſt noſtra ſalus & vita immortalis, non noſter interitus; hinc apparet, nullam illarum ſive ſeorſim, ſive conjunctim cum aliis ſeparaturam nos à Chriſti charitate.

Per eum qui &c. Docet per quem victoria iſta & pluſquam victoria nobis contingat, cum per nos ipſos noſtraſque vires contingere non poſſit. *Per eum*, inquit, *qui dilexit nos.* Chriſtum deſignat, nempe ut ad Chriſtum ejuſque dilectionem, ut cæperat, ſalutem noſtram referat. Docet Chriſtum omnibus iſtis potentiorem ac fortiorem eſſe: nec mirum, habet enim omnem in cælis & in terris poteſtatem; habet claves inferni & mortis, & regni cælorem, habet efficaciam pedibus ſuis ſubjiciendi omnes inimicos, inter quos & mortem ipſam.

Particula *per* non ſignificat hoc loco cauſam inſtrumentalem, per quam nos proprie loquendo operemur, ſed cauſam efficientem, quæ ſine nobis victoriam iſtam nobis operatur & confert. Maluit autem Chriſtum deſcribere quam nominare, ut deſcriptione iſta cauſam indicaret, qua fiat ut Chriſtus hanc tantam victoriam nobis largiatur; ea vero eſt Chriſti erga nos dilectio, quæ tanta olim erat, ut etiam animam pro nobis poneret, nunc vero tanta eſt, ut nos omnino fructum mortis ſuæ percipere, id eſt vitam æternam adipiſci velit.

Dilexit nos. Non quod diligere ceſſaverit, actum enim de nobis foret, ſed quod ſemel cœptam & morte teſtatam dilectionem perpetuo continuet. Hebræi enim præteritis utuntur pro præſentibus. Chriſti igitur erga nos charitas fortior eſt ac robuſtior ad nos ſervandos, quam totius mundi odia & molimina ad nos perdendos.

Verſ. 38. *Nam perſuaſus ſum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque præſentia, neque futura.* Rationem affert cur aſſerat nihil omnino eſſe quod nos à Chriſti charitate ſeparare poſſit, proinde nec iſta quæ commemoravit: quaſi dicat, nam ſi quid eſſet, etiam in iſtis omnibus quæ commemoravi; quod nos à Chriſti charitate poſſet ſeparare, eſſet aut mors, ad quam & iſta à me memorata ducunt, aut vita per quam ducunt; aut eſſent Angeli &c. cum præter hæc nihil amplius dari & cogitari poſſit. Atqui perſuaſus

Digitized by Google

ſuaſus ſum nullum iſtorum id poſſe facere: rectè igitur aſſerui nihil eſſe, quod nos à Chriſti charitate ſeparare poſſit.

Perſuaſus ſum. Argumentis ſcilicet efficacibus: ſcio Deum omnino nos velle ſervatum per Chriſtum Jeſum, cum nobis id per illum ipſum promiſerit, & promiſſionibus ſuis fidem fecerit certiſſimam, ſcio Deum veracem, imo veritatem ipſam eſſe, ſcio omnia quæ promiſit præſtare poſſe, ſcio nihil Deo aliquid efficere volenti poſſe reſiſtere, ſcio illum ſolo verbo & juſſu ſuo cælum & omnia quæ in illis ſunt condidiſſe. Scio illum mortuos vivificare, & quæ non ſunt vocare tanquam ea quæ ſunt cap. IV. 17.

Quod neque mors. Sive naturalis ſive violenta; quia ſi morimur ante Chriſti adventum, reſuſcitabimur, idque nulli corruptioni obnoxii ac immortales.

Neque vita. Quia ſi vivimus ad Chriſti adventum, immutabimur, & ex mortalibus momento temporis fiemus immortales, qua de re vide 1 Cor. XV verſ. 51, 52, 53. Alioquin enim, ut ibidem dicitur, caro & ſanguis vitæ mortali ſubjectus, regnum Dei ſortiri non poteſt, neque corruptio incorruptionem ſortitur verſ. 50. Idipſum docet Apoſtolus infra cap. XIV. 8, *Sive vivimus*, inquit, *Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur, ſive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.*

Neque Angeli. Angelos nominat in genere, quia eorum naturalem potentiam in genere conſiderat, quæ divinæ potentiæ reſpectu nulla eſt. Omnis enim illorum potentia ac robur una cum ipſis à Deo eſt. Quod vero alii ſint boni, alii mali, alii ſalutem noſtrum impedire nolint, alii velint, hoc reſpectu argumentationis Apoſtolicæ ex accidenti eſt, & boni quidem Angeli Chriſto ſunt ſubjecti, ipſique ſalutem noſtram deſiderant, & Chriſto in illa perficienda miniſtrant; mali autem cum ſuo principe, à Chriſto perdentur, tantum abeſt ut ipſi nos ſervare volenti poſſint reſiſtere & effectum voluntatis illius impedire. Boni igitur Angeli non poterunt, non quod velint (velle enim quia boni ſunt non poſſunt) ſed etiam ſi vellent; mali autem non poterunt, quamvis velint.

Neque principatus, ἀρχαὶ. Quaſi dicat, non Angeli tantum in commune, ſed neque ipſi Angelorum principes ac Coryphæi. Chriſtus enim eſt omnis Angelorum bonorum principatus ac poteſtatis caput Col. 2. verſ. 10; malorum autem Angelorum non minus deſtruet omnem principatum ac poteſtatem & virtutem, quam ipſos illorum Angelos 1 Cor. XV. 24. Jam vero ſi Angeli non poterunt, multo minus poterunt homines, ſi non poterunt Angelici principatus, multo minus humani. Utitur autem Apoſtolus abſtracta voce ἀρχῶν, pro concreta, id eſt pro iis qui principatum habent, ſeu aliorum principes ſunt, non ordine tantum, ſed etiam poteſtate & imperio.

Neque virtutes, δυνάμεις. Iterum abſtractum pro concreto; Virtutes ſeu potentiæ pro iis quibus robur & vires præ cæteris inſunt, & inde abſoluto potentiarum nomine appellantur; quorum nominatim mentionem facit Apoſtolus, quia de potentia agitur: quaſi dicat, ne potentiæ quidem ipſæ ullæ poterunt nos à Chriſti ſeparare charitate. Major ineſt potentia Chriſto quam potentiis omnibus. Intelligit autem potentias Angelicas. Nam humanæ non merentur hic in cenſum venire. Significat Apoſtolus Angelos, non minus inter ſe robore ac viribus naturalibus differre, quam homines.

Neque præſentia. Id eſt quæ nunc uſquam ſunt.

Neque futura. Id eſt quæ unquam erunt, ſi forte Chriſtus hoc præſenti rerum ſtatu non veniat, & ante illius adventum res oriantur novæ, ne quiſpiam cogitet, etiamſi nunc nihil ſit quod nos à Chriſti charitate ſeparare poſſit, tamen futuro tempore poteſt eſſe. Neque nunc eſt, inquit Apoſtolus, neque unquam erit, quicquid erit, neque ipſe qui venturus eſt Antichriſtus. Significat autem ſimul neque ullam temporum ac ſeculorum moram & intercapedinem, ullum ſaluti noſtræ impedimentum allaturam, Apud Dominum enim mille anni ſicut unus dies, & unus dies ſicut anni mille, id eſt tam his quam illi nulla eſt cum Dei æternitate commenſuratio.

Verſ. 39. *Neque altitudo, neque profunditas, neque aliqua creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Neque altitudo.* Altitudo & ſublimitas loci, in quo Deus & conſequenter Chriſtus eſt, quæ tanta eſt ut mente comprehendi non poſſit, non exiguum hic momentum habere videtur: quid enim nos magis à Chriſti charitate ſeparare poſſit, quam tanta & plane immenſa Chriſti à nobis diſtantia? Neque hæc poterit, inquit Apoſtolus: *Chriſtus enim ipſe deſcendet de cælo cum celeuſmate & voce Archangeli & tuba Dei, & mortui in Chriſto reſurgent primum, poſtea nos viventes qui reliqui erimus una cum ipſis rapiemur in nubibus in occurſum Domino in aërem, & ſic ſemper cum Domino erimus* 1 Theſſ. IV. 16, 17. Et ſicut eadem altitudo non impedivit, quominus Chriſtus ad ipſum Deum eveheretur, ſic neque impedire poterit quominus & nos ad Chriſtum evehamur.

Neque profunditas. Altitudini opponitur profunditas, illa tendit in ſublime, hæc deſcendit in imum. Quicunque igiter locus electos Dei contineat, etiamſi ad ipſum uſque terræ centrum demittantur, & univerſa terræ mole obruantur, etiamſi ab ipſis maris voraginibus abſorbeantur; tamen neque hæc tanta profunditas, in qua demerſi ſint, poterit eos à Chriſti ſeparare charitate, & vitam illis adimere æternam: cedet omnis terræ mariſque profunditas Chriſti potentiæ immenſæ, & *reddet mare eos qui in ipſo ſunt mortuos, & mors & infernus reddent eos qui in ipſis ſunt mortuos* Apoc. XX. 13. Nulla major profunditas cogitari poteſt quam inferni, qui & ideo infernus nominatur. Infernus enim ſtatum mortuorum ſignificat, qui eſt non eſſe amplius; at qui amplius non eſt, ſeu eſſe deſiit, longius abeſt á vita, præſertim immortali, & profundius demerſus eſt, quam ille qui in intimis terræ, vel maris, vel ceti alicujus viſceribus, ut Jonas, lateat abditus: & tamen neque inferni profunditas in quem Chriſtus per mortem deſcendit obſiſtere potuit, quominus ab inferis rediret ad ſuperos, & à ſuperis aſcenderet ad omnium ſupremos & ad ipſum Deum Epheſ. IV. 9, 10. Igitur neque nos eadem inferni profunditas à Chriſti poterit ſeparare charitate.

Neque aliqua creatura alia. Ad extremum in genere reliqua omnia, quæ nominari & cogitari poſſint,

ſint, complexus eſt Apoſtolus : quaſi dicat, quid multis morer? Si quid eſſe vel nominari & cogitari poſſit, creatura ut ſit aliqua alia oportet ; at quid poterit creatura ulla adverſus ſuum creatorem? Significat Apoſtolus omnia quæ nominavit creaturas eſſe, nec quidquam dari tertium præter creaturam & creatorem. Nam quæ creatoris ſunt, ut ſpiritus ac virtus ejus, & lux inacceſſa in qua habitat, & alia divina attributa, in creatore includuntur, vel cum ipſo ſimul intelliguntur.

Poterit nos ſeparare. Id eſt poterit efficere quominus nos Chriſtus ſervet, cum tempus aderit quo nos ſervare & vita immortali donare volet. Ad tempus quidem iſta omnia videntur aliquas habere vires arcendi nos ab æterna vita, ſed ſuo & ſaluti noſtræ deſtinato tempore, omnis illorum vis penitus evaneſcet.

A charitate Dei. Non fruſtra Apoſtolus nunc Deum ipſum nominat, nimirum quia creaturæ meminerat. Poterat enim aliquis objicere. Quid tu creaturam Chriſto apponis? An Chriſtus rerum omnium creator eſt? Annon & ipſe creatura Dei eſt? Reſpondet Apoſtolus, recte ſe creaturam Chriſto opponere, quandoquidem charitas Chriſti eſt ipſius Dei charitas. Deus enim ipſe eſt qui nos diligit, qui nos ſervare vult, cum quo Chriſtus, tanquam Filius cum Patre, unum eſt, ut qui Chriſto collidi velit, eique vim ſuam in ſervandis nobis opponere, cum ipſo Deo & Patre Chriſti illum collidi neceſſe ſit, quo argumento & ipſe Chriſtus utitur Johan. x. 29, 30.

Quæ eſt in Chriſto Jeſu. Ne quis dicat, ſi hæc charitas Dei eſt quam dicis, quid tu illam Chriſti charitatem appellaſti? Merito, inquit Apoſtolus, nam hæc Dei charitas Chriſto Jeſu incluſa eſt, tota eſt ad Chriſtum Jeſum adſtricta & alligata, ita ut ſi Chriſtus nos diligat, etiam ipſe Deus nos diligat, ſi Chriſtus nos non diligat, nec Deus nos diligat. Chriſtus Jeſus eſt per quem Deus charitatem hanc nobis exhibere & ad effectum deducere conſtituit 2 Tim. j. 9, & qui effectum illius in ſe experiri velit, oportet ut & ipſe in Chriſto Jeſu ſit & ad illum pertineat.

Domino noſtro. Cauſam inſinuat ob quam hæc Dei charitas ſit in Chriſto Jeſu, quia is Dominus noſter eſt & Chriſtus ille Dei, mundi & omnium in ipſum & per ipſum in Deum credentium Servator cap. v. 21. vj. 23.

CAPUT IX.

Verſ. 1. V*Eritatem dico in Chriſto, non mentior, atteſtante mihi conſcientia mea, in Spiritu Sancto.* Poſtquam Apoſtolus docuit, non dari nunc juſtificationem & ſalutem niſi per fidem in Chriſtum Jeſum, devenit in cogitationem gentis Judæorum, quam à fide in Chriſtum Jeſum everſam, proinde à Deo rejectam videns, teſtatur ingentem animi ſui ex eo dolorem. Quia vero rem dicturus erat prorſus arduam, & quam nonniſi totius Judaici populi immenſa clades exprimere poterat; quo fidem inveniret, non ſimpliciter illam enunciat, ſed cum varia aſſeveratione.

Veritatem dico. Id eſt dicere aggredior, quiſque de veritate ejus quod dicam certus eſto, dico id quod res eſt. Dictorum enim cum rebus congruentia veritas eſt. Ponit autem abſtractum pro concreto, ſubſtantivum pro adjectivo, veritatem pro vero.

In Chriſto. Quaſi dicat, cum Chriſto ſim inſitus, ſim Chriſtianus, quem decet in omnibus vera loqui, ſeu per Chriſtum, *in* pro *per*: quaſi dicat, ita me Chriſtus amet. Sic dicere aliquid per Deum, eſt ejus Numine ſeſe in dicendo obſtringere.

Non mentior. Validius affirmat per negationem contrarii, Hebræorum more.

Atteſtante mihi conſcientia mea. Quaſi dicat, non mentior, quia contra conſcientiam animi mei non loquor, teſtem habeo conſcientiam, quæ mihi dicenti ſuffragatur & atteſtatur.

In Spiritu Sancto. Quaſi dicat, cum Spiritum Sanctum habeam, quo pacto mentiar & contra animi conſcientiam dicere aliquid auſim? Quicquid dico in rebus ad Chriſtum ſpectantibus, in Spiritu Sancto dico, id eſt Spiritus Sancti impulſu & inſtinctu.

Verſ. 2. *Quod triſtitia mihi eſt magna & indeſinens dolor cordi meo.* Hoc eſt quod cum tanta aſſeveratione & obteſtatione dicere incipit. Particula *quod* ὅτι, εἰδικῶς hic ponitur, non αἰτιολογικῶς.

Triſtitia mihi eſt magna. Ingenti mœrore afficior, ut in malo ingenti par eſt;

Et indeſinens dolor cordi meo. Intellige, ἀπὸ κοινοῦ ἐστί, indeſinenter dolet & cruciatur cor meum, nullam habet doloris remiſſionem. Vox ὠδὶν parturientium dolores proprie ſignificat, & per metaphoram uſurpatur de maximis doloribus, quos per aliam metaphoram Latini cruciatus appellant.

Cordi meo. Id eſt non quidem corpori meo, ſed cordi, id eſt animo meo, cujus dolores & cruciatus corporis doloribus graviores ſunt, quia diuturniores & nullum ex corpore allevamentum habent, ſicut corporis dolores habent ex animo conſtanti & bene ſibi conſcio.

Verſ. 3. *Optarem enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis meis ſecundum carnem.* Non exprimit directe tanti mœroris & continui doloris cauſam, ſed ingentem amoris erga gentem ſuam affectum, ex quo ſimul æſtimetur quam magnum eſſe oporteat illius mœrorem, & quam irrequietum animi dolorem, & tamen etiam intelligatur mœroris & doloris iſtius cauſa, nimirum rejectio & damnatio totius Judaicæ gentis; quam ſi ita ſimpliciter & directe expreſſiſſet, Judæorum animos offendere & magis alienare poterat. Affert igitur argumentum magni ſui mœroris & indeſinentis cordi ſuo doloris.

Optarem enim, inquit, vel *optarim.* Non dicit opto, vel optabam; nemo enim ſapiens optat quæ ſcit non poſſe fieri; ſed optarem vel optarim, inquit, ſi fieri poſſet vel poſſit, non tantum non recuſarem, ſed in votis haberem, proinde libenti & prompto animo amplecterer.

Ipſe ego. Duobus pronominibus ſemet deſignat, majoris aſſeverationis gratia.

Anathema eſſe à Chriſto. Id eſt, ut me Chriſtus morti & exitio devoveret: vel, ut ſepararer à Chriſto per amiſſionem æternæ vitæ.

Pro

Pro fratribus meis. Id eſt eo pretio, ut fratribus meis vitam largiretur æternam. Libenter, inquam, ſalutem meam æternam, illorum omnium æternæ ſaluti impenderem, libenter victima devota & ſuccedanea pro ſalute illorum fierem. Ingens profecto & plane ſtupenda eſt iſta Apoſtoli erga gentem ſuam charitas! Vitam temporariam pro alterius vita vel ſalute æterna impendere magnæ charitatis argumentum eſt; at vitam æternam & cæleſtia gaudia aliorum æternæ vitæ & beatitati impendere, id vero omni exceptione majus eſt. Nec eſt ut dicas, Paulum, quia ſciverit hoc fieri non poſſe, idcirco tam prodigum ſalutis ſuæ fuiſſe. Jam enim huic ſuſpicioni tantis occurrit aſſeverationibus & obteſtationibus ut vidimus, quibus oſtendit ſe animo ſuo & conſcientia probe examinata, & per Spiritum Sanctum hoc dicere. En quanto amoris ilice Apoſtnlus gentis ſuæ animos ſibi, & conſequenter Chriſto, conciliare voluit! Simul tamen ſignificat actum eſſe de ſalute ipſorum, quod à fide in Chriſtum eſſent averſi. Quid enim opus foret pro ſalute illorum eſſe anathema à Chriſto, ſi damnationi & exitio devoti non eſſent? Ita cauſam magni illius ſui mœroris & indeſinentis animo ſuo doloris inſinuavit Apoſtolus, vitata quantum per rei naturam fieri poterat, Judæorum offenſa, quo etiam ſpectat blanda ac amabilis fratrum appellatio.

Cognatis meis, τῶν συγγενῶν μου. Explicat vocem fratrum, quod ſcilicet communis cum ipſo generis eſſent, generis ſcilicet Iſraëlitici.

Secundum carnem. Sic illos fratres, ſic συγγενεῖς & cognatos agnoſcit, ut hoc ad ſolam referat carnem, ſignificans ſe illos ſecundum ſpiritum nequaquam pro fratribus & cognatis agnoſcere. Verbis enim ſecundum carnem tacite opponuntur verba ſecundum ſpiritum, vel expreſſe, vel tacite ſeu implicite, quæ oppoſitio perpetua eſt. Fratres & cognati ſecundum carnem, ſunt fratres & cognati ſecundum carnalem ortum, qui carnali ratione ex communi parente ſunt prognati; fratres & cognati ſecundum ſpiritum, ſunt fratres & cognati ſecundum ſpiritualem ortum, quod ſpirituali ratione ex uno Patre Deo ſint generati, quales ſunt inter ſe omnes Chriſtiani. Paulus igitur ſecundum carnalem ortum quo Iſraëlita ortus erat, & communem cum illis Patrem Iſraëlem habebat, frater erat & cognatus Judæorum Judæosque fratres ſuos & cognatos appellat; ſed ſecundum ſpiritualem ortum, quo ortus erat Chriſtianus & Apoſtolus, frater & cognatus Judæorum non erat. Caro ponitur pro carnali ortu, per metonymiam ſubjecti per adjuncto, aut effecti pro cauſa. Sic domini ſecundum carnem, ſunt domini ſecundum carnalem conditionem & ſtatum quorundam Chriſtianorum; ſecundum quem Chriſtianorum aliqui ſunt ſervi & mancipia, ſed ſecundum ſpiritualem Chriſtianorum ſtatum, ſecundum quem ſunt Chriſtiani & Dei Filii, non habent ullum alium Dominum quam Chriſtum, & domini fideles ipſorum ſunt conſervi & fratres, non Domini. Hic ſimili metonymia caro ponitur pro ſtatu & conditione carnali.

Verſ. 4. *Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio, & gloria, & teſtamenta & Legiſlatio, & cultus, & promiſſiones.* Poſtquam ſignificavit Judæos quod in Jeſum Chriſtum non credant, à Deo rejectos & damnatos eſſe, enumerat illorum prærogativas varias, quibus ſingularis eorum præſtantia continetur: ne forte quiſpiam putaret Paulum non ſatis expendiſſe aut intellexiſſe Judæorum dignitatem, quæ tanta ſit, ut ipſos à Deo rejici & damnari ob id ipſum quod in Jeſum Chriſtum non credant, credibile non videatur.

Qui ſunt Iſraëlitæ. Id eſt Iſraëlis poſteri, cujus poſteritatem Deus peculiariter ſibi elegit, Iſmaëlis & Eſaui poſteris repudiatis, quem etiam in argumentum ſingularis gratiæ & benedictionis tanto nomine Iſraëlis, quod victorem Dei declarat, inſignivit.

Quorum adoptio. Intellige eſt, (ut & in membris quæ ſequuntur omnibus) quatenus ſcilicet Deus illos in filios adoptare conſtituit & promiſit:

Et gloria. Quatenus ipſis gloriam illam cæleſtem deſtinavit & mundi futuri hæreditatem:

Et teſtamenta. Quatenus ad illos pertinent teſtamenta & pacta, quæ Deus cum Abrahamo, Iſaaco, Iſraële, Davide & aliis inivit.

Et Legiſlatio. Quatenus illis Lex à Deo per Moſen fuit lata.

Et cultus. Quatenus illis ratio cultus divini ab ipſo Deo fuit deſcripta & tradita.

Et promiſſiones. Nempe Prophetarum de Meſſia, quatenus illi ſoli promiſſiones iſtas acceperant.

Verſ. 5. *Quorum Patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnes Deus benedictus in ſecula. Amen. Quorum Patres*, intellige ſunt, nimirum inſignes illi & Deo gratiſſimi, Abraham, Iſaac, Jacob, ſeu Iſraël, quatenus ex illis orti & progenerati ſunt.

Et ex quibus Chriſtus. Intellige eſt: hoc præ cæteris inſigne habent, quod ex illis eſt Chriſtus, quatenus ex illis eſt ortus.

Ex quibus. Id eſt Judæis, ad quos omnes iſtæ prærogativæ directe referuntur. Ὁ Χριστὸς, cum articulo, inſignem illum Chriſtum mundi Servatorem deſignante, qui eſt Jeſus, ob id ipſum Chriſti cognomen & appellationem ſortitus.

Secundum carnem, τὸ κατὰ σάρκα. Docet quatenus Chriſtus ille ſit ex Judæis, τὸ *ſecundum carnem*, inquit, id eſt, ſecundum carnalem ortum per quem homo eſt. Hactenus enim genus ſuum ex Judæis & ex Davide ducit; ſed ſecundum ſpiritum ſeu ſpiritualem ortum, per quem Chriſtus ille Dei eſt, ex ſolo Deo ortus eſt, cujus & Filius idcirco appellatur: ſicut ſecundum carnem ſeu carnalem ortum appellatur Filius Davidis. Qui τὸ ſecundum carnem opponi in Chriſto putant, non ſpiritui ſeu ſpirituali Chriſti ortui, ſed naturæ divinæ ſecundum quam Chriſtus Deus fuerit antequam homo fieret, niſi iſtius rei argumentum aliunde petant, ex ſola vocum iſtarum τὸ *ſecundum carnem* vi illud non exſculpent, quas vocibus ſecundum ſpiritum ubique opponi videmus, & paulo ante in ipſo Apoſtolo exemplum habuimus, qui Judæos fratres & cognatos ſuos eſſe dixit ſecundum carnem ℣. 3. Carni in ſe non divinam aliquam naturam, ſecundum quam Deus fuerit antequam homo factus eſſet, ſed ſpiritum ſeu ſpiritualum ſuum ex Deo ortum opponit.

Qui eſt ſuper omnes. Ut oſtendat quanta ſit in eo Judæorum dignitas quod ex illis ortus ſit Chriſtus ille Dei, deſcribit Chriſti iſtius ſummam præſtantiam. *Qui eſt*, ὁ ὢν, pro ὅς ἐστι phraſi Græca, qui nominibus & participiis articulum apponunt præpoſitivum.

Super omnes. Intellige, & homines & Patriarchas illos eximios, & ipſos Angelos: *vel ſuper omnia*, neutro genere: intelligi enim hic poſſunt omnia quæcunque ſunt in cælo & in terra, ipſumque adeo cælum & terra. Eodem ſenſu dixit & Petrus de Chriſto, *qui eſt omnium Dominus* Act. x. 36. *Omnia enim Deus ſubjecit pedibus illius: quando vero dicit quod omnia ſubjecta ſint, manifeſtum eſt quod extra eum qui ſubjecit ei omnia*, docet ipſe Apoſtolus 1 Cor. xv. 27. Chriſtus enim eſt ſuper omnia, quia illi ſubjecta ſunt omnia. Res igitur per ſe liquida eſt, in omnibus iſtis neutiquam includendum eſſe eum qui Chriſto ſubjecit omnia, id eſt Deum Chriſti Patrem, neque enim ſeipſum ſubjicere potuit.

Deus. Hæc vox quibuſdam in codicibus, ut in Syriaco & aliis non legitur: & ſane Pauli mos non eſt Chriſtum appellare Deum, ſed Dominum: *Nobis*, inquit, *unus eſt Deus*, *Pater ille* &c, *& unus Dominus*, *Jeſus Chriſtus* &c. 1 Cor. viij. 6, & alibi, *unus Dominus*, Chriſtum intelligens, *unus Deus & Pater omnium*, Epheſ. iv. 6. Et hæc eſt perpetua Apoſtoli conſuetudo in omnibus ſalutationibus aliiſque locutionibus, Patrem deſignare titulo Dei, Chriſtum titulo Domini, à Deo diſtincti & facti: *Jeſum* enim *Deus fecit Dominum & Chriſtum* Act. 2. 36. Et vocem hanc, ſi Apoſtoli erat, ab ullo expunctam fuiſſe veriſimile non eſt, cur enim id faceret quiſpiam? cum Paulus ad Pſal. xlv verba de Chriſto reſpicere potuerit: *Thronus tuus ô Deus, in ſeculum ſeculi; dilexiſti juſtitiam & odio habuiſti iniquitatem, propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus, oleo exultationis præter participes tuos.* Iſtis enim Pſalmi verbis Chriſtus expreſſe appellatur Deus, (Elohim) nomine de ſummis Rectoribus ac Judicibus in Scriptura ſæpe uſurpato. Nam Chriſtum non appellari ſummum illum & unum Deum, res ipſa loquitur, cum ab illo manifeſte tanquam à ſuo Deo diſtinguatur, cujus ex gratia thronum & divinitatem ſuam, & quidem ob dilectionem juſtitiæ adeptus ſit; & cum thronus Chriſto tribuatur in ſeculum ſeculi, Paulus etiam Chriſtum eodem ſenſu Deum, benedictum diceret in ſecula; & Pſalmus Chriſtum oleo exultationis à Deo unctum dicit præter participes ejus; quid vero hoc aliud reipſa eſt, quam Chriſtum eſſe ſuper omnes Deum benedictum? Participes enim Chriſti ſunt omnes qui communem cum ipſo Patrem habent Deum, quos omnes Chriſto Deus ſubjecit & Chriſtum illorum Dominum effecit. Multo igitur veriſimilius eſt vocem hanc *Dei* verbis Pauli inſertam ab aliquo eſſe, quam ab ullo exemtam; inſertam, inquam, ab illo qui vellet hic teſtimonium aliquod exſtare de Chriſti, antequam homo fieret, Deitate, & cum Patre conſubſtantialitate; ſed irrito conatu, cum in promptu ſit divinitas, quę Chriſto ut Chriſto, ſeu quatenus Chriſtus eſt, id eſt, quatenus omnium à Deo conſtitutus eſt Dominus & Judex, competat, cui hæc Apoſtoli verba optime congruunt. Apoſtolum enim de Chriſto loqui, quatenus Chriſtus eſt, & quatenus naturæ ſuæ reſpectu ad Judæos refertur, manifeſtum eſt. Eandem *Dei* vocem inſertam fuiſſe verbis Apoſtoli 1 Tim. iij. 16, veriſimile faciunt codices qui eam ſimiliter non legunt, quos & Latinus ſecutus eſt interpres, & Act. xx. 28, pro *Dei* voce non temere alii codices legunt vocem Chriſti, alii, Domini. Et lectio quæ hoc ad Romanos loco vocem *Dei* non habet, nihil habet inſolens, nihil ſuperfluum; dicitur enim Chriſtus eſſe *ſuper omnia*, id eſt omnium Dominus, quo pacto idem Apoſtolus Chriſtum datum eſſe ait, *Eccleſiæ caput ſuper omnia* Epheſ. j. 22, id eſt caput quod in omnia dominetur.

Dicitur, quod prioris eſt conſequens, *benedictus in ſecula*, quod ipſum in Apocalypſi de agno, qui Chriſtus eſt, & ab uno illo Deo manifeſte diſtinguitur, concinunt Angeli: *dignus eſt Agnus qui mactatus eſt accipere virtutem & divitias, & ſapientiam, & robur, & honorem, & gloriam, & benedictionem* cap. v. 12. Quæ cantio etiam nova appellatur verſ. 9, quod ſub Novo demum fœdere Agno, id eſt Chriſto cani ſit cœptum, cum antea ſoli Deo caneretur, nunc vero una cum Deo canitur & Agno. Canit enim omnis creatura verſ. 13, *Sedenti in throno*, qui Deus eſt, *& Agno*, qui Chriſtus eſt, *benedictio & gloria & honor & robur in ſecula ſeculorum, & quatuor illa animalia dicunt, Amen.*

Benedictus, Εὐλογητός. Benedictione, id eſt laude & gloria digniſſimus, proinde laudibus & gloria celebrandus. Quis enim omnium Dominum à Deo effectum & ſuper omnia exaltatum laudibus & gloria non attolleret? Nos Deo benedicimus cum illi bene eſſe, illum beatum, ſapientem, potentem, bonum, ęternum, omnium rerum creatorem ac Dominum eſſe dicimus, cum virtutes ejus & opera deprædicamus; Deus nobis benedicit, cum ut nobis bene ſit dicit ac jubet. Dictum enim & juſſum ejus protinus conſequitur effectus.

In ſecula. Id eſt, quandiu ſecula erunt ac durabunt. Merito: nam & ipſe in ſecula dominabitur; quin finitis etiam ſeculis & regno Patri tradito non ceſſabit unquam Chriſti benedictio, quia nec ceſſabunt cauſæ, quæ præter Chriſti regnum ac dominatum in omnia, aliæ ſunt & ſemper erunt plurimæ.

Amen. Vox eſt Hebræa, quam Lucas interpretatur ἀληθῶς, *vere*, veritatem enim ſignificat, & in omnes, ut arbitror, linguas una cum Chriſti religione manavit, quæ initio orationis affirmandi & aſſeverandi vim habet; in fine orationis vovendi, et, ut hoc loco, confirmandi, approbandi & conteſtandi. Sic omnino rem ſe habere, hoc verum eſſe, ſicut aſſeruit, conteſtatur Apoſtolus; quod idem & quatuor illa animalia in Apocalypſi eadem voce facere, paulo ante vidimus. Ex hoc Pauli loco diſcimus, Chriſto una cum Deo laudes ac benedictiones tribuendas eſſe, Chriſtumque divinis religionibus colendum eſſe, & per Chriſtum Deum, in quem omnis honor qui Chriſto tribuitur, tanquam in auctorem, refluit ac redundat Philip. 2. verſ. 11. Venire etiam alicui in mentem poſſet in Apoſtoli verba levem & facilem vocem iſtarum ὁ ὤν, tranſpoſitionem irrepſiſſe, cum à Paulo ſcriptum eſſet ὧν ὁ, quorum, nempe Judæorum, intellige eſt, ille ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Sic enim verba hæc ſuperioribus reſponderent, quorum eſt

adoptio

eſt adoptio & quæ ſequuntur omnia, quorum ſunt Patres, quorum ex gente eſt Chriſtus, quorum denique, quo nihil majus dici poteſt, eſt ille ſuper omnia Deus benedictus in ſecula; quatenus ſcilicet inter omnes gentes ab illis ſolis cognoſcebatur & colebatur, unde & Deus Iſraëlis dictus eſt, quæ maxima Judæorum dignitas erat, & maxime ad rem pertinebat, ideoque oec prætermittenda videbatur, & nominatis Patribus, nominato Chriſto, etiam ipſe Deus nominandus reſtabat. Sed huic conjecturæ duo obſtare poſſint, unum, quod nullius codicis exemplo, quantum ſcimus, nitatur, alterum, quod Scripturæ phraſis non ſit unum illum Deum, ſuper omnia Deum nominare, cum Deo abſolute, vel cum articulo excellentiæ indice nominato, eo ipſo quod ſuper omnia ſit ſignificetur. Solet quidem etiam Deus variis cum epithetis nominari, ſolent multa de illo dici, & hoc ipſum quod ſit ſuper omnes & omnia, ſolet & altiſſimus appellari, ad exprimendam & evolvendam illius majeſtatem, quæ abſoluta Dei appellatione involvitur, ſed ſuper omnia Deus appellari non ſolet. Chriſto rectius hic titulus convenerit, ut intelligeretur Chriſtum non ſuper quædam tantum, ſed ſuper omnia Dominum ac Deum effectum eſſe.

Verſ. 6. *Non poteſt autem fieri ut exciderit ſermo Dei: non enim omnes qui ex Iſraële, iſti Iſraël.* Tollit objectionem Apoſtolus quæ ex dictis inferri poterat: quaſi dicat, non poteſt autem excidiſſe Dei ſermo, quamvis ſignificaverim Judæorum gentem à Deo rejectam eſſe, ideo quod & ipſa Chriſtum rejecerit. Nemo ex Judæorum rejectione ſermonem Dei excidiſſe inſerat.

Dei ſermo. Nempe quem in ſuperioribus deſignaverat, quo ſcilicet Iſraëli Deus adoptionem, gloriam, Meſſiam promiſerat, & pactis ac teſtamentis addixerat.

Quod exciderit, ἐκπέπτωκεν. Nempe ſuo effectu, quod ceciderit in irritum.

Non enim omnes. Rationem affert ob quam ex Judæorum rejectione inſerri non debeat ſermonem Dei excidiſſe. Non enim omnes, inquit, qui ex Iſraële, iſti Iſraël: quaſi dicat, Iſraëli Deus omnia quæ diximus, promiſit; at noo omnes qui ex Iſraële, hi Iſraël. Negat Judæos in Jeſum Chriſtum non credentes eſſe Iſraëlem, quamvis ex Iſraële ſint. *Non omnes qui ex Iſraële:* intellige ſunt: Iſraëlis nomine intelligit Jacobum Patriarcham, Iſraëlis appellatione à Deo inſignitum, ut verſ. 4 dictum eſt: quaſi dicat, multi quidem qui ſunt ex Iſraële, id eſt qui ex Iſraële ſecundum carnem orti ſunt, ſunt Iſraël, ſed non omnes.

Iſti Iſraël. Intellige ſunt. Hic Iſraëlis nomine intelligit Iſraëlitas ſeu Iſraëlis progeniem, ſed veram & ſecundum ſpiritum; non ſecundum carnem tantum: progeniem inquam, quæ fidem Iſraëlis imitatur, quatenus Deo credit in iis quæ Deus ab ipſa credi vult, (vult autem credi Euangelio Jeſu Chriſti) ſicut Iſraël credidit Deo in illis omnibus quæ ab ipſo credi voluit Deus. Huic igitur vero ac ſpirituali Iſraëli omnes divinæ promiſſiones de adoptione, de gloria, de ſalute per Meſſiam danda ſerviunt, ad hunc ſolum Iſraëlem ſermo Dei pertinet, qui etiam nunquam excidet & ſuo effectu fruſtrabitur; qui Iſraël, cum Judæi in Chriſtum credere nolentes non ſint, nequaquam propter illorum rejectionem ſermo Dei excidiſſe dicendus eſt.

Verſ. 7. *Neque quia ſunt ſemen Abrahami, omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Neque quia ſunt ſemen Abrahami*, id eſt, Abrahami progenies ſecundum carnem, *omnes filii*, intellige, ἀπὸ κοινοῦ ſunt: quaſi dicat, multi quidem qui ex Abrahamo ſunt progenerati carnaliter, ſed noo omnes ſunt Abrahami filii, id eſt, tales filii qui hæredes ſint Abrahami, & de nomine illius tanquam vera poſteritas cenſeantur.

Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Demonſtrat hoc Dei ipſius verbis, qui in Iſaaco ſemen Abrahamo vocatum iri dixit. Habuit Abraham filium Iſmaëlem, qui non minus ex Abrahamo quam Iſaac ſecundum carnem procreatus fuit; neque tamen in Iſmaële Deus Abrahamo ſemen vocari voluit, ſed in ſolo Iſaaco.

In Iſaac. Id eſt per Iſaacum, ſeu quod ex Iſaaco oriturum eſt.

Vocabitur tibi ſemen. Id eſt, tuum ſemen, tua poſteritas eſſe dicetur, ſemen nempe verum quod de tuo nomine appelletur, & ad quod hæreditas pertineat regni tibi à me promiſſi ac deſtinati. Seminis vox in iſtis Dei verbis perfectiore accipitur ſenſu, quam paulo ante ab Apoſtolo eſt uſurpata. Negat Apoſtolus Judæos qui Euangelio non credant, filios & verum Abrahami ſemen eſſe, ad quod ſcilicet cæleſtis ſpectet hæreditas, iſtiuſque rei typum quendam in Iſmaële & Iſaaco animis ſubjicit.

Verſ. 8. *Hoc eſt, non filii carnis, hi filii Dei, ſed filii promiſſionis putantur in ſemen.* Mentem ſuam explicat Apoſtolus, & quid ſibi velit docet; ne Judæi excipiant; atqui nos omnes ſumus Iſaacidæ, non ſumus Iſmaëlitæ, non Ceturæ filii, ſed Saræ; ſumus ergo verum Abrahami ſemen & filii ac hæredes.

Hoc eſt. Hoc mihi volo, hæc mea mens eſt.

Non filii carnis. Id eſt, qui ex carne alicujus ſunt nati, quatenus ſcilicet ex carne ſunt nati. *Hi filii Dei:* quaſi dicat, ad id ut aliquis Dei filius ſit, alia præter carnalem & ex carne requiritur generatio: hic autem nobis tales Iſraëlitæ, tales Abrahami filii ſpectandi & intelligendi ſunt, qui ſimul ſint Dei filii. Agitur enim de vera Abrahami hæreditate, de regno illo cæleſti Abrahamo promiſſo, cujus qui hæredes futuri ſunt, ipſius Dei futuri ſunt hæredes; proinde neceſſe eſt ut ita ſint Abrahami filii, ut ſimul ipſius Dei ſint filii, quod aliter fieri nequit, quam per imitationem Abrahamicæ fidei.

Sed filii promiſſionis. Docet qui ſint verum Abrahami ſemen, quale nimirum hic intelligi oporteat. *Filii promiſſionis*, inquit, id eſt, filii promiſſionis (divinæ nimirum) vi nati, per genitivum cauſæ efficientis, & conſequenter filii à Deo promiſſi, per duo ſubſtantiva pro ſubſtantivo & adjectivo, proinde non naturæ, non carnis viribus, ſed divina virtute & efficacia nati, quales ſunt omnes Euangelio credentes, qui admirabili Dei vocatione & operatione ad fidem ſunt adducti, & ſic ex

ipſo Deo pro geniti, quos Filios Deus Abrahamo promiſit, cum illi Abrahami, id eſt Patris multorum gentium, nomen impoſuit, & cum in ipſo ejuſque ſemine, omnes gentes benedictum & ſic ad cæleſtem hæreditatem admiſſum iri pollicitus eſt. Hoc enim aliter fieri nequit, quam gentibus Filüs Abrahami factis & in ſemen illius cooptatis cap. IV. 16, 17. Cujus rei typus Iſaac fuit, vi promiſſionis divinæ ſimiliter ex Abrahamo genitus.

Putantur in ſemen. Quaſi dicat, quamvis ex Abrahami carne nati non ſint, tamen putantur ac cenſenter in ſemen, intellige Abrahami, nempe verum illud, quod ſimul ſit & Dei ſemen. *In ſemen*, id eſt pro ſemine. Sic fides dicitur putari in juſtitiam, id eſt, pro juſtitia ſeu juſtitiæ loco duci & haberi; ſicut credentes omnes ducuntur & habentur pro Abrahami ſemine; quorum etiam Abrahamus dicitur Pater ab Apoſtolo cap. IV. 26.

Verſ. 9. *Promiſſionis enim ſermo iſte, ſecundum tempus hoc veniam, & erit Saræ Filius.* Rationem aſſert ob quam non carnis ſed promiſſionis Filios in ſemen Abrahami verum reputari dixit. Nam, inquit, & Iſaäcus verus Abrahami Filius, promiſſionis fuit Filius. Neceſſe igitur eſt, ut omnes veri Iſaacidæ promiſſionis ſint Filii.

Promiſſionis enim ſermo iſte. Intellige, eſt. Quaſi dicat, iſte enim ſermo, quem mox ſubjiciam, promiſſionem continet, per genitivum contenti, vel promiſſio eſt, per genitivum differentiæ.

Secundum tempus iſtud veniam. Subjicit ſermonem iſtum Dei, quo promiſſionem de Iſaäco ex Sara orituro contineri ſeu promiſſionem ipſam eſſe, apertum eſt; quo etiam tempus orituri deſignatur Iſaaci, ut omnibus ex circumſtantiis appareat Iſaacum divinæ promiſſionis efficacia & miraculoſe natum eſſe; ſicut omnes in Jeſum Chriſtum credentes nati ſunt.

Veniam. Id eſt gratiâ mea te inviſam.

Et erit Saræ filius. Hic erit gratiæ & viſitationis meæ effectus: Sara uxor tua ſemper ſterilis & infœcunda, nunc vero etiam anus decrepita & emortua Filium pariet. Ego effectum dabo, quod per naturæ vires nequit fieri; ego idem etiam quod multo majus miraculum erit, profanas gentes & à me prorſus alienas, Filios tuos & hæredes efficiam. Venit autem Deus ad Abrahamum per Angelum, in quo Deus nomen ſuum poſuerat, (ut teſtatur auctor ad Heb. xiij. 2.)

Verſ. 10. *Non ſolum autem, ſed & Rebecca ex uno uterum habens Iſaaco Patre noſtro. Non ſolum autem.* Intellige, hoc evenit in Iſmaële & Iſaaco, qui ex diverſis matribus ſunt nati, Iſmaël etiam ancillam, non veram Abrahami uxorem, habuit matrem, ut Iſmaël in cenſum veri Abrahami ſeminis & ad hæreditatem non admitteretur.

Sed etiam Rebecca, una mater, vera uxor, *ex uno uterum habens Iſaaco.* Ex uno eodemque marito gravida Iſaäco: quaſi dicat, ſi ex alio aliquo viro minus mirandum erat, ſed ex Iſaaco, vero Abrahami filio & hærede. Græcus textus habet κοίτην ἔχουσα, cubile habens, per metonymiam cauſæ pro effectu.

Patre noſtro. Noſtrûm Judæorum, qui vel maxime ſecundum carnem Abrahami filü & hæredes ſumus: intellige autem (pendet enim Apoſtoli oratio) idipſum de Filiis ſuis, iiſque etiam gemellis & uno eodemque partu editis, à Deo audivit; fore ut unus, iſque etiam major natu, verum Abrahami ſemen & hæres regni Abrahamo promiſſi haud eſſet. Senſim eo tendit Apoſtolus, quod præcipuum illius hoc capite inſtitutum eſt, Deum in donanda juſtitia & vita æterna, non ſpectare per ſe carnalem originem ex Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, non ſpectare ullius opera ac merita, quæ reipſa nulla ſunt, licet homini videantur magna, ſed ſolam gratiam ac miſericordiam ſuam, & poſtquam Chriſtus venit, fidem in Chriſtum, quam qui habeat, quiſquis ſit, & qualiſcunque ſit, juſtitiæ & vitæ æternæ donum accipiat; qui ab ea animum averſum gerat, rejiciatur. Ita Judæis vanam ipſorum adimit fiduciam, quam in eo collocabant, quod ex Patriarchis illis ſecundum carnem orti eſſent, & quod Legem Moſis magno ſtudio ſectarentur; peccatores, & inprimis gentes, Legis divinæ ignaras, præ ſe contemnentes.

Verſ. 11. *Cum enim nondum geniti eſſent, neque feciſſent aliquid bonum aut malum, ut ſecundum electionem Dei propoſitum maneret; non ex operibus, ſed ex vocante.*

Verſ. 12. *Dictum eſt ipſi, quod major ſerviet minori.* Probat quod aſſeruit de Rebecca. Scripturæ teſtimonio? *Nam*, inquit, *dictum eſt ipſi quod major ſerviet minori*, proinde quod major non erit verum ſemen, nec hæres Abrahami, cui & vero illius ſemini regnum à Deo promiſſum ac deſtinaum eſt; non ſervitus: ſed quod minor tantum verum ſemen Abrahami & hæres futurus eſſet, quodque Deo Liberum ſit minorem præferre majori, idque etiam adeo, ut eum minoris ſervum faciat, citra ullum vel minoris meritum, vel majoris culpam. Nexum oratinnis Apoſtolicæ oſtendimus; nunc ipſam verborum ſeriem videamus. Particula *enim* ad verba verſ. 12 *dictum eſt illi*, reſpicit.

Cum nondum geniti eſſent. Monet hoc Apoſtolus, ne quis putaret, ideo majorem minori poſtpoſitum eſſe, quod minor eſſet bonus, major malus, & ſic Deum ad opera illorum reſpexiſſe. Negat hoc Apoſtolus, quia Deus id dixit Rebeccæ cum nondum eſſent nati, & utero matris adhuc includerentur.

Neque egiſſet quid bonum aut malum. Quaſi dicat, proinde neqne egiſſent aliquid boni aut mali: boni, quo mereretur alter alteri præponi; mali, quo mereretur alter alteri poſtponi.

Ut ſecundum electionem Dei propoſitum maneret. Dei *propoſitum* erat ut major ſerviret minori; quod *ſecundum electionem* dicit, quia per liberam, electionem minoris & rejectionem majoris factum eſt. Κατὰ pro διὰ. Sic cap. 2. verſ. 5, 7 vox τοῦ Θεοῦ. *Dei*, & ad electionem & ad propoſitum paritur refertur, ideo & ſitum habet intermedium. *Maneret*, id eſt, firmum & immotum eſſet, effectum ſuum omnino haberet.

Non ex operibus. Id eſt, non ex ullo reſpectu ad majoris & minoris opera. Nam ſi ad hæc reſpexiſſet Deus in ſuo propoſito & electione, haud dubie ſublatum fuiſſet Dei propoſitum, & effectu ſuo caruiſſet, propter Jacobidarum ſeu Iſraëlitarum peccata: Significat Apoſtolus Deum non idcirco minorem majori

Digitized by Google

majori prætuliſſe, quod illius bona opera præviderit, hujus vero mala. Hoc enim ſi verum eſſet, negari non poſſet ex operibus dictum id eſſe Rebeccæ, quod major ſerviet minori. *Ex operibus.* Id eſt propter opera, ſeu operum de cauſa, ad illaque reſpectu.

Sed ex vocante. Id eſt ex vocantis arbitrio ac libera voluntate, cui placuit minorem ad regnum ac hæreditatem Abrahami vocare, majorem ad eam non admittere, minorem facere majoris dominum, majorem minoris ſervum. *Vocante*, nempe Deo. Docet hoc exemplo Apoſtolus, Deum cum homines vocat ad bona aliqua capeſſenda, quæ ipſis nullo debentur jure, non reſpicere ad illorum ſive bona ſive mala opera, ſed ad ſuam liberrimam voluntatem, cui bona ſua pro arbitrio diſpenſare licet. Sic per Euangelium ſine ullo reſpectu operum tam bonorum quam malorum vocavit omnes homines ad juſtitiæ donum; ad vitam æternam, ad regnum cæleſte, quia ſic voluit, daturus illud omnibus vocanti ſibi credentibus, rejecturus ab illo omnes non credentes.

Quod major, major ſcilicet natu, Eſau appellatus, *ſerviet minori.* Similiter, natu, Jacobi nomen ſortito & poſtea ab ipſo Deo Iſraël appellato. Non ſunt autem in hoc Dei dicto intelligendi illi ipſi. Neque enim unquam Eſau ipſe ſervivit Jacobo, quin potius Jacob Eſauum ſemper coluit ac reveritus & veneratus eſt, ut Sacra habet hiſtoria; ſed intelligendi ſunt illorum poſteri, ſeu gentes ex utroque orituræ (quod & locus ipſe Scripturæ docet Geneſ. XXV. 23) quæ Patrum ſuorum nomine deſignantur, Eſau pro Eſauidis ſeu Idumæis, Jacob pro Jacobidis, Iſraël pro Iſraëlitis, ſæpe in ſacris literis dicitur. Et hoc etiam eveniſſe, ut Idumæorum gens ſerviret ac tributaria eſſet Iſraëlitis, teſtatur Scriptura Sacra, qui etiam ſoli beatum illud terræ Chananææ regnum, Abrahamo promiſſum, tanquam Abrahami hæredes adierunt. Nec fruſtra Deus minorem majori prætulit, ne vel naſcendi ſors ac prærogativa, umbram aliquam liberrimæ Dei voluntati adſpergeret, quaſi Deus ſaltem naſcendi jus ac ſortem in ſua electione ac propoſito reſpexiſſet. Ne hoc quidem Deus reſpexit, ut ſe beneficia ſua omni ex parte liberrime diſtribuere oſtenderet. Hæc omnia eo ſpectant ut Judæi agnoſcant, non teneri Deum in conferenda ex mera ſua gratia ac liberalitate juſtitia & cæleſti hæreditate ad illorum vel naſcendi ex Abrahamo, Iſaaco & Jacobo ſortem, vel opera ulla, quibus nullo pacto tanta bona aſſequi poſſunt, reſpicere. Cæterum egregie & hoc evenit ut major, id eſt Eſau, ſecundum carnem ſerviat minori, id eſt Iſraëli ſecundum ſpiritum. Judæi enim ſerviunt Chriſtianis.

Verſ. 13. *Sicut ſcriptum eſt, Jacobum dilexi, Eſavum autem odio habui. Sicut ſcriptum eſt*, intellige eveniſſe. Hoc enim ſcriptum eſt multo poſterius quam illud fuit dictum, ideoque non illud ſecundum hoc, ſed hoc ſecundum illud evenit. Evenit autem quatenus dicti iſtius divini ad Rebeccam effectus evenit. Citat Apoſtolus in hanc rem Dei verba apud Malachiam ſcripta cap. 1. verſ. 2.

Jacobum dilexi, Eſavum autem odio habui. Quibus cauſam reddit propter quam Jacobum, id eſt Jacobidas, velit in priſtinum ſtatum, poſt vaſtatas illorum civitates & regnum, reſtituere; Eſavum autem, id eſt Eſavidas ſeu Idumæos nolit; quia, inquit, Jacobidas dilexi, quamvis me peccatis ſuis offenderint, & tam graviter puniri ſint commeriti; Eſavum autem, id eſt Eſavidas odio habui; quod Deus dixit, poſtquam Eſavidæ peccatis ſuis Dei odium eſſent commeriti.

Dilexi, id eſt diligo, *odio habui*, id eſt odi, per uſitatum Hebraiſmum præteriti pro præſenti. Sic Pſal. XLV. Dilexiſti juſtitiam, odio habitiſti iniquitatem, id eſt diligis juſtitiam, odio habes iniquitatem. Cujus tanti inter Jacobidas & Eſavidas diſcriminis hæc erat cauſa, quod Deus Jacobi poſteros ad regnum & hæreditatem Abrahami elegiſſet, Eſavidas ab illa repuliſſet, & quod Deus liberrime agat in remittendis & retinendis, cui velit, & ſic Jacobum, id eſt Chriſtianos diligat, Eſaum, id eſt omnes non credentes in Chriſtum odio habeat.

Verſ. 14. *Quid igitur dicemus? Num injuſtitia apud Deum? Abſit.* Ex ſuperioribus infert queſtionem: quaſi dicat, cum ſic ſe res habeat, ut dixi, num ideo dicemus, Deum eſſe injuſtum, quod iſtorum, quos diximus alteri regnum deſtinet, alteri ſervitutem, alterum hæredem faciat bonorum patri à ſe promiſſorum, alterum æque nihil commeritum, ab hac hæreditate arceat? alterum propter peccata ipſius odio proſequatur, alterum quamvis æque peccatorem, & æque pro peccatis punitum, diligere non deſinat, & priſtinæ dignitati ac ſplendori reſtituat? Similiter igitur, num Deo injuſtitiam aliquam ideo impingemus, quod non credentes Euangelio Jeſu Chriſti, qui qui ſint, ab imputatione juſtitiæ & regni cæleſtis hæreditate excludat, credentibus autem, licet æque, vel etiam multo magis peccatoribus, licet ex profanis gentibus ſatis, & juſtitiam imputet, & vitam æternam largiatur, quod iſtos amore, illos odio proſequatur?

Injuſtitia apud Deum. Id eſt in Deo vel in Dei actionibus.

Abſit. Scilicet ut hoc dicamus & exiſtimemus.

Verſ. 15. *Moſi enim dicit; Miſerebor cujus miſereor, & miſerabor cujus miſeror.* Ipſius Dei ad Moſen dicto demonſtrat neutiquam id ſtatuendum eſſe. Quo dicto Deus oſtendit, liberum ſibi eſſe cujus velit miſereri, & beneficia, quæ nemo mereatur, cui velit conferre.

Miſerebor cujus miſereor &c. Quia verbum futuri temporis cum verbo præſentis temporis conjungitur, & tamen ejuſdem temporis actio deſignatur, idcirco vel prius verbum futuri temporis in utroq; membro pro verbo præſentis temporis ex Hebræorum idiotiſmo accipitur, quaſi dictum ſit, miſereor cujus miſereor, & miſeror quem miſeror, id eſt cujus volo miſereri, & quem volo miſerari; effectus ponitur pro cauſa jam verſante in actu: vel poſteriora verba præſentis temporis, non pro ipſo actu, ſed tantum pro voluntate miſerendi accipi debent: quaſi dicat, miſerebor cujus volo miſereri, & miſerabor quem volo miſerari. Effectus ſimiliter ponitur pro cauſa, ſed nondum verſante in actu; ut ſenſus ſit, miſerebor cujus voluero miſereri, & miſerabor quem voluero miſerari. *Cujus miſereor*, vel volo miſereri, videlicet ut ei peccata remittam, eorumque reatu ipſum ſolvam, pœnas

nas auferam, juſtitiam illi peccatori imputem, bonum aliquod vel temporarium vel æternum, quod non mereatur, nec ullo à me jure poſſit exigere, ipſi conferam: è contra etiam cujus nolo miſereri non miſerebor, liberum id mihi eſt, meo ago jure qui Dominus ſum omnium. Nemini debeo quidquam ultra illius meritum, niſi cui me ipſe debitorem ex mera gratia ac miſericordia facio. Repetitur autem eadem ſententia diverſis verbis, Hebræorum more; idem enim eſt miſereri alicujus & miſerari aliquem.

Verſ. 16. *Ergo igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Infert hanc concluſionem ex dictis.

Non eſt volentis neque currentis. Nempe hominis, id eſt non in hominis voluntate & curſu conatuque ſitum eſt, intellige ut beneficium aliquod à Deo conſequatur ſibi minime debitum, nemo id à Deo ſua voluntate, ſua contentione, quantacunque ſit, extorquebit, niſi Deo ipſi conferre id alicui libeat. Quis verbi cauſa ſua voluntate, ſua contentione, ſuo curſu conſequatur ut Rex fiat? ut fiat Apoſtolus? multo vero minus, ut cum peccator ſit, pronuncietur à Deo juſtus, & regni cæleſtis hæres fiat, niſi Deus ipſe hoc bonum alicui largiri dignetur?

Currentis. Per metaphoram, id eſt conantis, contendentis, anhelantis, totis viribus annitentis, quales Judæi erant, qui per Legis opera juſtitiam & vitam æternam adipiſci volebant, modum autem facilem & expeditum quem Deus illis proponebat, fidem in Jeſum Chriſtum, repudiabant. Quia igitur ſine Deo, id eſt ſine illius miſericordia ac voluntate, ſua voluntate, ſuis conſiliis & conatibus tanta bona adipiſci ſatagebant, fruſtra erant. Opera enim illorum multis ex partibus erant imperfecta, & maximis peccatis ac delictis, quamvis id ipſis forte minime videretur, interpolata.

Sed miſerentis Dei. Id eſt ſed tota res ſeu adeptio boni alicujus nemini debiti in eo ſita eſt, ut Deus hominis miſereatur & illum bono iſto beare velit.

Verſ. 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quod in ipſum hoc excitavi te, ut demonſtrem in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra.* Rationem dicti adſert alio Scripturæ dicto, per prolepſin: quaſi dicat. Nam Deus non ſemper hominis, præſertim peccatoris, miſeretur ac miſereri vult, ſicut patet ex eo quod Scriptura dicit Pharaoni. Pharaonem opponit Moſi, dictum Pharaoni, quo Deus ſeſe à miſericordia erga ipſum alienum teſtatur, dicto Moſi quo Deus ſuam erga ipſum miſericordiam declarat.

Dicit Scriptura Pharaoni. Scripturæ Dei ipſius dictum tribuit, quia id Scriptura conſignatum eſt Exod. ix. 16.

Quod in ipſum hoc excitavi te &c. Particula *quod* ponitur ἰδιῶς, ad dictum Scripturæ explicandum. Jam erat Pharao aliquot cladibus à Deo affectus & proſtràtus, cum illi verba hæc Dei nomine dicerentur. *In ipſum hoc excitavi te*, id eſt erexi te jam jacentem ac proſtratum, jam cortueras aliquoties, & ego te iterum ſtare feci, plagis meis ablatis: non id feci quod me tui miſertum ſit, alienus ſum ab omni erga te miſericordia, quam tuis graviſſimis criminibus & nefandis, quibus populum meum affeciſti, injuriis, omnem conſumſiſti. Ἐξήγειρα, *excitavi*, Hebraica veritas habet, *ſtare feci.* Sunt qui putant dici à Deo, naſci te feci, Regem te feci, alii, deſtinavi te, alii etiam addunt, ante ſecula & ab æterno; ſed hæc neque vocabuli ſignificationi congruunt, nec vera eſſe probari poſſunt, & ab illis dicuntur qui omnia fatali neceſſitate agi fierique putant, & hac opinione animos præoccupatos habent. Alii dici putant; in hoc te erexi & conſtitui, tanquam ſcopum quem feriam, & in quo potentiam meam oſtendam; hoc quidem per ſe verum eſt, dummodo intelligatur Deum hoc feciſſe poſtquam Pharao peccatis ſuis id commeritus eſſet, non cum naſceretur, aut antequam naſceretur, imo ab æterno; ſed quia Apoſtolus verſu ſequente ex iſtis Dei verbis inſert Deum indurare quem velit, apparet in illis id ſimul dici, per quod Pharao fuit induratus, quo pluribus ac majoribus ſubinde peteretur & afficeretur plagis; plures enim etiam ac majores ſuetat commeritus. Hoc autem eſt quod eum Deus plaga aliqua proſtratum iterum excitaverit & ſtare fecerit, plagâ amotâ, ut diximus.

Ut in te oſtendam potentiam meam. Id eſt erexi te ut te indurem, quominus mihi dicto ſis obediens in populo meo dimittendo, & ſic in hoc ipſum, ut te novis ſubinde ac majoribus plagis feriam, quo in te potentiam meam per plagas iſtiuſmodi, quas nullæ humanæ vires efficere poſſunt, oſtendam. Nimirum ſicut tu peccata peccatis, ſcelera ſceleribus cumulaſti, ſic & ego pœnas accumulem, donec te plane cooficiam.

Et ut annuncietur. Id eſt ut & tu debitas ſuas pœnas, ac patiaris quæ meruiſti, & ego inde maximam gloriam conſequar, nempe ut nomen meum inter omnes homines quam late terra patet, gloria celebretur, & omnes dicant me, qui Deus ſum Iſraëlis, verum eſſe Deum, cæli ac terræ creatorem & Dominum, qui tanta tamque divina opera patrem, in ulciſcendis meorum injuriis, illiſque ab oppreſſione vindicandis.

Verſ. 1t. *Ergo igitur cujus vult miſeretur, quem vero vult indurat.* Iterum aliam ex eo quod Pharaoni à Deo dictum & factum eſt, concluſionem inſert Apoſtolus, Deum ſcilicet cujus velit miſereri, quod priore Dei dicto & Moſis exemplo docuit; quem vero velit indurare, quod hoc Dei Pharaoni. dictum & factum docet.

Indurat. Intellige peccatorem, qualis erat Pharao: (oeque enim Deus unquam probum hominem indurat, ſed improbum & jam per ſe pervicacem) indurat autem, ne Deo aliquid jubenti, niſi prius animi improbitate depoſita, obtemperet, & ſic pœnàs effugiat, ſeu, ut Scriptura loquitur, ne convertatur & vivat, ſicut Pharaonem induravit, ne Deo populum ſuum dimittore mandanti, aures animumque præberet. Nam putandum non eſt, Deum idcirco peccatorem indurare, quod abſolute & ſimpliciter nolit, ut ipſi peccator aliquid imperanti obediat; ſed quod nolit, niſi animum mutet, & ea omnia excutiat, quæ illi jam antea ad parendum Deo obſtabant. Neminem, inquam, Deus ſic indurat, ut ſimplicitet non poſſit Deo jubenti obedire, atque adeo non debeat, ſi animum improbum exuat, ſi non ſit ſuperbus, ambitioſus, avarus, amore vitiorum ab eo quod Deus jubet ac mandat, jam per ſe averſus;

quibus

quibus rebus multo magis ſeipſum quiſque indurat, quam Dei circa ipſum aliqua induratur actione, quæ ſemper natura ſua juſta ac recta & divina ſapientia digna eſt. Pharaonem enim quid induravit, niſi primum quod Deus ad ipſum miſiſſet homines in ipſius conſpectu viles, nulla ſeculi dignitate, nullo ſplendore inſignes, nec tantis inſtructos miraculis, quæ Magi Pharaonis nulla ex parte poſſent imitari; quam legationem homo ſuperbiſſimus & crudeliſſimus, & duriſſimus facile contemſit. Deinde quod illum plaga aliqua domitum & jam parere volentem, ſubinde Deus erexit ac relevavit. Hinc alebatur & creſcebat hominis efferi contumacia, exiſtimantis ſe malum jam evaſiſſe, ideo & ipſe cor ſuum roboraſſe, & contra Dei mandatum obfirmaſſe dicitur Exod. viij. 15, 32. Quid vero dignius & juſtius erat quam ut hoc modo cum homine tam improbo Deus ageret? quo aut animum improbum mutaret, quod Deus ſemper mavult, qui mortem peccatoris non vult, ſed ut convertatur & vivat, aut perverſitate animi non depoſita, dignas ſcelerum ſuorum pœnas daret. Significat hoc dicto Apoſtolus, Deum eodem modo cum hominibus iiſque peccatoribus nunc agere; ut ſcilicet quorum vult miſereatur, quos autem velit induret; vult autem miſereri omnium Euangelio credentium, ſive ſint Judæi ſive Græci, cæteros autem omnes ſive Judęos ſive Gręcos indurare. Indurabat autem Deus ſimili quo Pharaonem modo; miſit ad homines ſuperbos, ambitioſos & gloriæ captatores, Chriſtum, & poſt Chriſtum Apoſtolos, nulla ſeculi dignitate conſpicuos, nulla carnali potentia inſtructos, ſtatu & conditione ſecundum carnem viles, fabros, piſcatores, injuriis opportunos & obnoxios, miſit cum ſermone qui avaris, voluptatibus deditis, aliiſque vitiis corruptis, plane ingratus erat. Per hæc primum induratio cœpta eſt. Acceſſit deinde ſumma Dei patientia & longanimitas erga Judæos inprimis, (de quibus etiam nominatim Apoſtolus agit) qua plane depravati in ſua adverſus Chriſtum & Euangelium ejus contumacia perſtitere, donec tandem miſeranda clade, Pharaonis in modum occiderent. Quid vero in hac induratione, & in his ac ſimilibus Dei actionibus eſt, quod ulla ex parte vera peccati & contumaciæ cauſa hominibus ſit? imo quid eſt quod non juſtiſſimis ac ſapientiſſimis Dei conſiliis uſquequaque conveniat?

Verſ. 19. *Dices igitur mihi, quid adhuc conqueritur? voluntati ipſius quis reſtitit?* Judæum non credentem alloquitur Apoſtolus, & quod dicere poſſet occupat.

Igitur. Id eſt his quæ de induratione dixi audiris.

Dices mihi, quid adhuc conqueritur? Intellige Deus, id eſt quam cauſam adhuc de nobis Judæis conquerendi habet, quod Euangelio à vobis prędicato non credamus, poſtquam nos, ut dicis, induravit? Apparet igitur Deum omnino velle ut non credamus. At voluntati ipſius quis unquam reſtitit? quocirca Dei voluntati in eo obſequimur quod non credimus.

Quis reſtitit? Pro quis reſiſtere poteſt, per Hebraiſmum præteriti pro præſenti. Quia vero Deus conqueritur de hominibus quamvis à ſe induratis, quod Euangelio credere nolint; hinc patet, nullam penes Deum eſſe culpam, & quod indurentur, & quod indurati non credant; ſed omnem penes homines. Nam Deum velle ut credant Euangelio, res ipſa docet, cum hoc facere Dei nomine jubeantur, & efficaciſſimis (niſi ſua cuique improbitas obſtaret) cauſis ad credendum invitentur. Nam qui Deum aliud occulte velle dicunt, imprudentes duplicem & falſum Deum, qui veritas eſt ipſa, ſtatuunt. Solet quidem Deus ita cum improbis agere, ut improbitas inveniat quibus ſemet perdat: hinc & contumaciam illorum prædicit, eaque utitur ad gloriæ ſuæ amplificationem, ſed non propterea occulta voluntate tendit in contrarium apertæ ſuæ voluntati.

Verſ. 20. *Imo vero, ô homo, tu quis es qui ex adverſo reſponſas Deo? Num dicet fictile fictori, quid me feciſti ſic?* Objurgat Apoſtolus hunc hominem, qui ſuam & ſibi ſimilium culpam in Deum conjicere mavult quam agnoſcere. Dicis, quis voluntati Dei reſtitit? Imo vero ô homo tu quis es, qui ex adverſo reſponſas Deo? qui Deum injuria & ſine cauſa conqueri dicis, quod ab ipſo induratus Euangelio ipſius non credas? Quaſi vero Deus ita te induraverit, ut niſi tibi tua propria obſtaret improbitas, animuſque perverſus, & ab eo quod Euangelium continet averſus, non facile obſtacula iſta fidei, quæ ipſe tibi obſtacula eſſe voluiſti, evadere poſſes? Magna ſcilicet te injuria Deus affecit, quod tantas tibi machinas non admoverit, ut etiamſi maxime velles, Euangelio ejus non poſſes non credere; ſed ita tecum egerit, ut improbitati tuæ locus non deeſſet. Non meminiſti ô homo, hominem te eſſe, id eſt nihil, Dei creatoris tui reſpectu, aut ſi quid es, figmentum te illius ac lutum eſſe? Quare igitur contra Deum quia te induravit reſponſare audes? ἀνταποκρινόμενος, participium pro verbo pręſentis temporis, Hebręorum more.

Num dicet fictilo fictori, quid me feciſti ſic? Num ergo & tu dices Deo qui te induratum finxit & fecit, quid me feciſti ſic? quid me indurasti? quare mihi anſas & occaſiones non credendi dediſti? quare non ita mecum egiſti, ut ad credendum & obſequendum tibi adigerer, nec poſſem tibi reluctari quamvis vellem? Hęc enim ſimilitudo intra hominis culpam debet intelligi. Nam fictile quia ſenſu & intellectu caret, nullius injuriæ, nullius vel præmii, vel pœnæ capax eſt, nec dicet unquam fictori ſuo quid me feciſti ſic? Quia non poteſt, & luto perinde eſt ſive ſit vas honoris, ſive ignominiæ. At homo & ſenſu & intellectu prępitus eſt, & ſi quid ſibi fiat citra ſuam culpam, exprobrare id facienti poteſt, nec illi perinde eſt ſive damnetur, ſive ſalvus fiat. Certe ſimilitudine hac vehementer abutuntur, qui ex æterno Dei decreto homines ab ipſo ortu ſuo ita à Deo fictos & factos eſſe dicunt, ut nullo modo ipſi credere & obedire poſſint. Hoc qui dicunt, omnem in Deum culpam [illegible] & [illegible] hominum rejiciunt, & juſtiſſimas illis conquerendi de Deo cauſas ſubminiſtrant; quod abſit ut piis hominibus unquam in mentem veniat.

Verſ. 21. *Annon habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere, hoc quidem in honorem vas, hoc vero in ignominiam?* Uberius eadem ſimilitudine à figulo & luto ducta rem propoſitam explicat, & confirmat Apoſtolus. Figulus ſignificat Deum, lutum ſunt homines, iique etiam peccatores. Ex hoc

hominum

hominum eorumque etiam peccatorum luto, facit ac fingit & credentes, & non credentes : credentes per divinam efficaciam vocationis ſuæ, non credentes per indurationem, id eſt per cauſas & occaſiones non credendi, quibus improbi abutuntur ad contumaciam & inobedientiam. Credentes facit vaſa in honorem, non credentes vaſa in ignominiam. An igitur Deus hanc poteſtatem non habet? An Deo non licet in homines eosque peccatores, quod figulo licet in lutum? citra injuriam tamen omnem, ut diximus. Neque enim homines omni ex parte luto reſpondent, aut luto ita ſunt ſimiles, ut non etiam ſint maxime diſſimiles? Luto perinde eſt, ut diximus, ſive vas fiat in honorem, ſive in ignominiam; tam enim hoc quam illud non ſentit, non intelligit. At homini perinde non eſt, ſive cæleſti afficiatur gloria, ſive æterno cruciatu. Utriuſque enim eſt & ſentiens & intelligens.

Hoc quidem in honorem vas &c. Id eſt unum quidem in honorem vas, alterum vero in ignominiam.

In honorem vas, id eſt vas quod in honore ſit & ad honoratos uſus.

Vas in ignominiam. Id eſt quod in nullo ſit honore, & adhibeatur ad uſus viles & inhonoratos. Credentes ſunt vaſa à Deo facta in honorem cęleſtis regni & gloriæ, non credentes ſunt vaſa itidem à Deo, ſed propria ſua culpa, facta in ignominiam & dedecus æternæ damnationis & pœnæ.

Verſ. 22. *Si vero volens Deus demonſtrare iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ perfecta in interitum.* Accedit ad alterum illum, quem diximus verſ. 18, indurationis Judæorum modum Apoſtolus, & oſtendit ne minimam quidem injuriæ ſpeciem in illo modo eſſe, aut Deum veram eſſe cauſam contumacis Judæorum animi.

Si vero. Quaſi dicat, ut ad Dei longanimitatem ac patientiam veniam, qua vel maxime Judęorum gens eſt indurata.

Volens Deus demonſtrare iram. Scopum oſtendit divinæ longanimitatis, quod vellet Deus demonſtrare iram, τὴν ὀργὴν, cum articulo, inſignem minimeque vulgarem iram denotante. *Iram*, id eſt pœnam, per metonymiam cauſæ pro effecto. Quia igitur Deus volebat inſigniter punire Judæos, ideo longo tempore patienter tulit illorum tantam adverſus Chriſtum & Euangelium contumaciam, quo magis magiſque impunitate creſcerent, & accumularentur ipſorum peccata, & ſic creſceret ac cumularetur & Dei ira ac pœna. Quare autem obſecro Deus iraſcebatur Judæis? Quod illos ab æterno deſtinaſſet ad hoc ne crederent? Certe non ipſis ſed ſibi debuiſſet iraſci : quæ enim in eo Judæorum eſſet culpa, quod peccatum? & ſi ipſos ita induraverat, ut credere nullo modo poſſent, cur eis ideo iraſcebatur quod non crederent? quomodo ira illius augebatur per id quod illi in rejiciendo Euangelio perſiſterent, ſi nulla ratione aliter facere poterant, nec ulla ſua culpa, ſed ſola divina operatione? Et ſi illos Deus patientia ſua ac diuturna impunitate indurabat, maxima profecto illorum culpa in eo erat, quod Dei patientia, quæ ipſis ſpatium reſipiſcendi dabat, eoſque ad pœnitentiam & ſalutem ducebat, abuterentur ad contumaciam & ſuam perniciem. Poterant igitur, imo debebant, etiam indurati, & cum indurarentur, ſeſe revocare & ad Deum converti, niſi illis non tam divina induratio, (quæ ex accidenti tantum contumaciam operatur) quam animi improbitas, cujus ipſi ſoli auctores erant, obſtitiſſet. Voluit autem Deus demonſtrare iram hanc, ut exſtaret illuſtre exemplum divinæ ſeveritatis adverſus contumaces. At fruſtra eſſent omnia ejuſmodi exempla, ſi quiſque ad contumaciam prędeſtinatus eſſet. Quid contumaciam dico? Contumaciæ nullus eſt locus ubi nulla eſt hominis culpa, nullum arbitrium, ſed omnia ineluctabili fiunt fato ac neceſſitate. Hoc qui dicunt, è rerum natura tollunt & virtutem & vitium, & pręmium & pœnam, & Dei ſanctitatem ac juſtitiam.

Et notam facere potentiam ſuam. Hoc prioris eſt conſequens vel adjunctum. Quanto enim Deus majorem demonſtrat iram & pœnam, tanto magis etiam notam facit potentiam ſuam, quæ in pœnæ irrogatione ſeſe exſerit. Voluit Deus & illos tanto gravius punire, & per id ſuam potentiam tanto magis declarare, ut & illi referrent ſuam mercedem, & Deus conſequeretur ſuam gloriam, ſuique honoris vindicationem, quem illi ſua adverſus Deum pervicacia tantopere læſerant. Notam autem fecit Deus hanc ſuam potentiam & iram per miſerabile illud Judaicæ gentis & urbis & templi excidium, cujus hęc Apoſtoli verba illuſtre continent vaticinium. *Potentiam.* Græcus textus habet τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, neutrum adjectivum pro ſubſtantivo. Sic cap. 2. verſ. 4. χρηστὸν τοῦ Θεοῦ, pro χρηστότητα. *Tulit*, quamvis Deo contumacia ſua & peccatis continuis adverſus Chriſtum & diſcipulos ejus valde graves eſſent. Ponitur autem pręteritum pro pręſenti, Hebręorum more, tum enim adhuc Deus Judæos tolerabat.

In multa longanimitate. Id eſt per multam longanimitatem, ſeu quod longanimitate multa & ad pœnam tarditate uteretur.

Vaſa iræ. Id eſt Judęos quibus iraſcebatur : quos vaſa vocat, alludens ad propoſitam figuli & vaſorum ſimilitudinem. *Vaſa iræ*, per genitivum adjuncti occupati : quaſi dicat, quamvis Deus Judęis vehementer iraſceretur, quod Euangelio nollent credere, & Chriſtum rejicerent, ac modis omnibus oppugnarent; tamen multa adverſus illos utebatur longanimitate ac patientia, pœnam debitam illis non inſerens. Vides hic iterum diſſimilitudinem inter homines & inter vaſa lutea. An figulus vaſis luteis iraſcitur? An figulo peccatis ſuis moleſta & gravia ſunt? An illorum peccata tolerat figulus, & longanimitate erga illa utitur? an illa præparat in pœnam? Res igitur ipſa loquitur, Judæos propria ſua culpa & improbitate, vaſa iræ factos, & conſequenter in pœnam effictos ac efformatos fuiſſe, non æterno aliquo Dei decreto ac conſtitutione, de ſingulis nominatim facta.

Perfecta in interitum. Effectum iræ Dei exprimit perditionem & exitium. Facta autem ſunt vaſa

iræ per-

iræ perfecta in exitium, quatenus per divinam vocationem, ſua propria culpa & improbitate, facti ſunt Euangelio obſtinate non credentes, ut verſ. 20,21 explicatum eſt: tum demum enim jam plene malitia eorum perfecta & conſummata eſt facta. Hęc igitur vaſa, hos homines, hos Judæos tulit Deus in multa longanimitate, non accelerando pœnam ac perditionem; eoſque hac ratione multo magis induravit & contumaces effecit. Eſt autem Apoſtoli oratio imperfecta, quæ ex ſuperioribus ejus verbis perficienda eſt ἀπὸ κοινοῦ, hoc modo. An iſtius rei poteſtatem non habuit? an illi jus ac libertas non fuit, ut non protinus Judæos credere nolentes perderet, ſed ſumma erga illos patientia ac longaminitate uteretur? Qua obſecro injuria ipſos hac in re affecit? Verum quidem eſt, illos hac Dei bonitate deteriores eſſe factos, ſed hæc ipſorum culpa eſt, non divinæ bonitatis, qua ipſi uti poterant ac debebant ad pœnitentiam & ſalutem, non abuti ad majorem contumaciam & ſuam perniciem, niſi plane improbi ac perverſi fuiſſent.

Verſ. 23. *Et ut notas faciat divitias gloria ſuæ ſuper vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Venit etiam ad credentes Apoſtolus, & Dei circa illos factum. Eſt autem & hæc Apoſtoli oratio ἀνανταπόδοτον, eodem quo ſuperior ſupplenda modo. An Deus poteſtatem non habuit? an id illi facere non licuit? Cui obſecro hac in re vel minimam fecit injuriam? Magnum quidem, imo ingens & immenſum in eo eſt Dei beneficium, ſed injuria erga ullum nulla.

Ut notas faciat, id eſt oſtenderet, exhiberet, *divitias gloriæ ſuæ*. Id eſt divitem gloriam ſuam, per duo ſubſtantiva, pro ſubſtantivo & adjectivo, per Hebraiſmum. Intelligit autem gloriam illam cæleſtem, gloriam regni ſui, quæ quam dives & copioſa ſit futura, nullius mens capere, nec lingua effari poteſt. Exſpectandum eſt donec veniat.

Super vaſa miſericordiæ. Id eſt quæ ſuper vaſa miſericordiæ redundatura eſt. In voce vaſorum iterum alludit ad ſuperiorem ſimilitudinem, intelligens per vaſa miſericordiæ, homines Euangelio credentes; quos vaſa miſericordiæ vocat eadem phraſi, qua ſupra non credentes vocavit *vaſa iræ*, per genitivum adjuncti occupati; vaſa quorum Deus miſertus eſt ac miſeretur, & miſereri porro vult. Nimirum & hic diſcrimem apparet inter vaſa lutea & vaſa quæ ſunt homines. Figulus enim nulla tangitur miſericordia erga lutum & vaſa lutea, nec ulla miſericordia facit, ut vas aliquod formet ad honorem. At Deus erga homines miſericordia afficitur, & miſericordia illius facit, ut eos præparet ad gloriam. Credentes igitur ſunt quos Deus ſua proſequitur miſericordia, peccata omnia ipſis condonando, juſtitiam imputando, mortis pœnam auferendo, & cæleſtem gloriam illis conferendo.

Credentes ſunt quos cæleſtiſſima ſua vocatione credentes effecit, & ſic *præparavit in gloriam*. Id eſt ut gloriam conſequantur; nempe cæleſtem illam & æternam, de cujus divitiis modo locutus eſt. An ergo, quia Deus tahta utitur miſericordia erga credentes, eoſque ad gloriam ſuam præparavit, ulla injuria per hoc affecit reliquos Judæos? Convertantur ad Deum & credant in Filium ejus Jeſum Chriſtum, animi improbitatem deponant, & illico ceſſabit omnis illorum induratio, fientque & ipſi vaſa miſericordiæ præparata in gloriam. Sibi imputent ſua mala, ſuamque perniciem.

Verſ. 24. *Quos etiam vocavit, nos, non tantum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus.* Docet vaſa iſta miſericordiæ, præparata ad gloriam, eſſe *nos*, nempe credentes in Jeſum Chriſtum, eoſque non tantum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus vocatos & collectos.

Quos etiam vocavit, nos. Id eſt qui credimus Euangelio, neutrum genus mutat in maſculinum κατὰ τὸ σημαινόμενον. Vaſa enim iſta homines ſunt, & verbum *vocavit*, congrue de vaſis non dicitur: quo verbo uſus eſt Apoſtolus, ut modum quo præparatio iſta vaſorum ad gloriam facta eſt, exprimeret, nimirum per vocationem divinam, cum ſuo effectu, id eſt eorum qui vocabantur fide conjunctam. Nam ſi in vaſorum voce manſiſſet, dixiſſet quæ etiam præparavit; non tantum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus. *Vocavit*, nempe Deus per Euangelium; vocavit ad fidem in Jeſum Chriſtum, & ad cæleſtem gloriam, vocavit cum effectu ut diximus. Nam qui vocantur & non obtemperant, hactenus perinde eſt atque ſi non vocarentur. Neque enim cum vocarentur jam erant vaſa miſericordiæ præparata in gloriam, ſed vocabantur ut vocationi credentes & obtemperantes, fierent. *Etiam vocavit.* Quaſi dicat, quandoquidem res ex Dei miſericordia agitur, non ex ullis operibus ac juſtitia noſtra, idcirco etiam Deus nos credentes vocavit, non tantum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus; & hoc miſericordiæ ſuæ voluit eſſe ingens auctarium. Cur enim Judęorum tantum miſereri debuerit Deus, & non aliorum etiam hominum, qui æque à Deo ſunt creati atque Judæi, æque ex miſericordia illis exhibita gloriam maximam conſequi poteſt, atque ex miſericordia Judæis exhibita, imo tanto majorem ac illuſtriorem, quanto aliæ gentes videbantur eſſe remotiores à Dei gratia ac miſericordia quam Judæi? Doluit hoc procul dubio vehementer Judæis non credentibus, Gentes à Deo in gratiam ſuſcipi, ipſos rejici ac repudiari; ſed quis illis vera iſtius rei cauſa fuit, niſi ipſi ſibi? Deum certe ab omni injuſtitia & culpa vindicavit Apoſtolus ut vidimus. An enim Deus Judæorum gentem repuliſſet, ſibi ſacram & peculiariter dilectam? qui profanas Gentes non tantum admiſit, ſed etiam ultro vocavit & invitavit ad gratiam & gloriam, niſi ipſa ſibi hoc tantum bonum invidiſſet, & animum à divina vocatione avertiſſet, ideo quod non ad illorum mentem inſtituta eſſet; ob id ipſum, ut animum ſuum proderent, & ut cujuſque probitas ac improbitas tanquam in lapide lydio patefieret?

Verſ. 25. *Sicut & in Oſea dicit*; (Oſe. 2. 23,24.) *Vocabo non populum meum, populum meum, & non dilectam, dilectam.* Citat oraculum Dei per Oſeam editum, quo ſe & Judæos & Gentes in gratiam ſuſcepturum prædicit.

Sicut: quaſi dicat, ſic fecit Deus, ſicut etiam ſe facturum dicit, *in Oſea*, id eſt per Oſeam, vel in libro & Prophetia Oſeæ, *dicit*. Id eſt dictum reliquit. Citat autem hoc oraculum, ut vocationi divi-

Digitized by Google

næ per Euangelium factæ, fidem adſtruat, tanquam oraculis divinis jam olim prænunciatæ.

Vocabo non populum meum. Dei verba ſunt, id vero eſt, Judæos ob mores, & multo magis Gentes profanas & penitus à me alienas, *vocabo*, id eſt appellabo pòpulum meum, poſtquam nimirum & Judęos ab illorum malis moribus ac peccatis ad juſtiriam, & Gentes profanas ad me convertero, quod per Euangelium factum eſt. Eadem verba Petrus Apoſtolus etiam de Judæis ad Chriſti fidem converſis accipit 1 Petr. 2. ℣ſ. 10.

Et non dilectam. Per alluſionem ad uxorem à viro non dilectam. *Dilectam*, intellige vocabo, λὰν ἐγνῶ. Vocabo aurem & appellabo ob rem ipſam, quia qui populus meus non erat, quemque ego pro populo meo nnn agnoſcebam, populus meus reipſa erit, & à me agnoſcetur, & quæ mihi dilecta non ęrat, reipſa à me diligetur.

Verſ. 26. *Et erit in loco ubi dictum eſt ipſis non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis*, Oſe. 1. 10. Hoc vere ſub Euangelio & per Chriſtum evenit ac impletum eſt. Omnes enim quibus antea ob illorum peccata & vitioſos mores ne populi quidem Dei nomen dabatur, imo populi Dei nomen negabatur, per fidem in Chriſtum facti ſunt filii Dei, & filiorum Dei nomen ſunt adepti. Nam & ſpiritum adoptionis acceperunt, per quem clamant Abba Pater; nec ullis hominibus ſuetum ac familiare, imo perpetuum eſt, Deum Patris nomine compellare, pręterquam credentibus in Chriſtum, idque ſine ullo Judęorum & Gentium aliarum diſcrimine.

Viventis. Epitheton uſitatum quo Deus à falſis Diis diſtinguitur, qui omnes non magis vivunt quam illorum ſtatuæ ac ſimulacra. Porro Dei viventis ac veri, qui ſolus habet vitam & immortalitatem, quatenus illius fons eſt, filium eſſe & vocari quanta dignitas, & quantum quamque immenſum bonum?

Verſ. 27. *Eſaias autem clamat ſuper Iſraële; ſi ſit numerus filiorum Iſraëlis ſicut arena maris, reliquia ſervabuntur*, Eſai. x. 22. Aliud oraculum ex Eſaia citat de Iſraële, quo pręidicitur ex innumera Iſraëlitarum mulritudine, paucos conſervatum iri, nempe ob rejectum ac repudiatum ab ipſis Euangelium.

Eſaïas autem. Quaſi dicat, illa quidem in Oſea dicuntur;

Eſaias autem clamat. Id eſt magna & elata voce pronunciat, ut res tanto ſit notior & teſtatior.

Super Iſraële. Id eſt de Iſraële, Euangelio ſcilicet non credente, opponit enim credentibus non credentes Iſraëlitas, & illorum quidem conditionem beatam ex Oſea, iſtorum vero miſeram & calamitoſam ex Eſaia oſtendit. Iſrael autem ponitur pro Iſraëlitis ſeu Iſraëlis univerſa gente.

Si ſit, id eſt etamſi ſit, *numerus filiorum Iſraël.* Quos Propheta filios Iſraëlis appellat, Paulus appellavit Iſraëlem. Filii autem Iſraëlis ſunt omnes Iſraëlis poſteri.

Sicut arena maris. Id eſt tam magnus tamque copioſus quam arena maris.

Reliquiæ ſervabuntur. Τὸ ὑπόλειμμα, reliquum. Deus nullum numerum, nullam multitudinem Iſraëlitarum curabit, reliquias illorum tantum ſervabit, ne penitus gens Iſraëlitica intercidat. *Servabuntur.* Nempe ex communi Judaicæ gentis excidio, quo Deus illos ob rejectum Meſſiam & ſpretum Euangelium afficiet. Eventus reſpondit.

Verſ. 28. *Rationem enim conſummans & concidens in juſtitia, quia rationem conciſam faciet Dominus ſuper terram.* Cauſam affert propheta dicti ſui. *Rationem* enim, id eſt computationem, numerum, *conſummans & concidens*, intellige Deus, id eſt conſummat & concidit, in parvam ſummam redigit, participia pro verbis præſentis temporis, Hebręorum more. Intelligitur autem numerus filiorum Iſraël.

In juſtitia. Id eſt cum juſtitia, juſte, jure, ac merito, quod ſcilicet ſic commeriri eſſent filii Iſraël. Loquitur autem Propheta de Dei decreto. Nam quod Deus facere decernit & conſtituit, ea jam facere dicitur, propter eventus certitudinem. *Quia rationem conciſam faciet Dominus.* Cauſam decreti iſtius divini adfert; quia id reipſa facturus eſt Deus.

Super terram. Id eſt in terra: ideo iſtius rei decretum facit in cælo. *Rationem conciſam*, id eſt computationem valde abbreviatam faciet Dominus, ad exiguum numerum & parvam ſummam Iſraëlitas rediget. *Dominus.* Nomen hic eſt τετραγράμματον, quod voce Domini reddere ſolent Græci LXX Interpretes. *Super terram.* Cum ſcilicet faciet, ut ſuper terram pauci reſtent Judæi ex univerſali & internecina illorum clade, quæ per Romanos evenit, per quos Deus Judæorum contumaciam, ſicut prænunciavit fore, ultus eſt.

Verſ. 29. *Et ſicut prædixit Eſaias*, (Eſai. 1. 9.) *niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti fuiſſemus, & ſicut Gomorrha aſſimilati fuiſſemus.* In eundem ſenſum alterum adducit ejuſdem Prophetæ oraculum.

Et ſicut prædixit Eſaias. Intellige, ſic evenit.

Niſi Dominus Sabaoth. Id eſt exercituum, nimirum unus ille Deus, qui cæleſtes habet Angelorum exercitus, quibus imperat, cujus proinde potentiæ nulla gens mortalium reſiſtere poteſt.

Reliquiſſet nobis ſemen. Loquitur Propheta de re futura tanquam jam facta, ob immutabilem Judæorum malitiam ac contumaciam, quam Deus probe noverar. Id eſt niſi paucos Judæorum reliquiſſet inſtar ſeminis ad gentis pene deletæ reſtaurationem.

Tanquam Sodoma &c. Id eſt tam ad unum omnes interiiſſemus, quam Sodomitæ & Gomorrhæi interierunt, ne uno quidem ſuperſtire. Loquitur Propheta ſub perſona Judæorum. Sic igitur Apoſtolus oraculis Oſeæ docet, eos qui ex Judæis & Gentibus Euangelio crediderunt, vaſa miſericordiæ effectos eſſe; oraculis autem ex Eſaia allatis docet Judæorum gentem, quod non crediderit, factam eſſe vaſa iræ interitui deſtinata.

Verſ. 30. *Quid igitur dicemus? quod Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide.* *Quid igitur dicemus?* Id eſt quid ex dictis, nimirum de Judæorum indurarione ac rejectione, de Gentium vocatione & ad Chriſtum converſione, de gentis Judaicæ, quod futurum prædicitur, univerſali excidio, concludemus?

Quod

Quod Gentes quæ non ſectabantur. Exprimit id quod ex dictis inferendum eſt, nempe quod Gentes profanæ, Judæorum genti oppoſitæ, quæ juſtitiam non conſectabantur, id eſt non curabant ut juſtæ coram Deo eſſent, quippe Dei veri ignaræ.

Apprehenderunt juſtitiam. Sicut brabeum ſolent, qui curſus certamine vincunt, id eſt juſtitiam ſunt adepti, ſeu id ut coram Deo juſti ſint. Res profectò mira brabeum apprehendere abſque certamine & curſu ullo.

Juſtitiam vero quæ ex fide. Rem explicat, & docet quam juſtitiam apprehenderint. *Juſtitiam vero*, inquit, non quæ ex operibus Legis proveniat; hanc enim profanæ gentes, Legis divinæ ignaræ, adipiſci qui poterant? Sed juſtitiam *quæ ex fide*, intellige provenit, quæ hominibus à Deo gratis imputatur, propter id quod ipſi credant ac fidem habeant. Hanc juſtitiam gentes apprehenderunt, cum per Euangelium vocatæ Deo crediderunt, quæ fides illis in juſtitiam ſeu pro juſtitia eſt reputata. Hæc eſt una pars illius quod ex dictis inferendum eſt.

Verſ. 31. *Iſraël autem ſectans Legem juſtitiæ, ad Legem juſtitiæ non pervenit.* Hæc altera pars eſt ejus, quod ex ſuperioribus colligendum & dicendum eſt.

Iſraël autem. Id eſt Iſraëlis poſteritas, Judæorum gens, Deo alioqui præ ceteris gentibus omnibus ſacra & dilecta.

Sectans. Id eſt toto curſu petens atque conſectans.

Legem juſtitiæ. Id eſt Legalem juſtitiam, per duo ſubſtantiva pro adjectivo & ſubſtantivo, Hebræa phraſi.

Ad Legem juſtitiæ. Id eſt ad Legalem juſtitiam: ſic 2 Theſſ. 2. 17 myſterium iniquitatis, id eſt occulta iniquitas 1 Cor. 1, 21, ſtultitiæ prædicatio, id eſt ſtulta prædicatio.

Non pervenit, οὐκ ἔφθασεν. Ad tantum faſtigium haudquaquam evaſit, ut omni peccato & crimine vacuus pronuntietur. Hæc enim eſt juſtitia Legis, quæ impletur in iis qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum cap. viij. 4.

Verſ. 32. *Propter quid? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus Legis: offenderunt enim ad lapidem offendiculi.* Interrogat Apoſtolus, quid in cauſa ſit rei dictæ; quia, inquit, non ex fide &c. Reſpondet ad interrogationem, & cauſam exprimit. *Quia non ex fide.* Id eſt quia id ut omni peccato & crimine vacui pronuntientur, non ex fide, id eſt non per fidem petit, quam Deus pro perfecta & omni labe vacua juſtitia reputare conſtituit.

Sed quaſi ex operibus Legis. Non dicit Apoſtolus ex operibus Legis. Nam qui Legis opera haberet, haud dubie Legalem conſequeretur juſtitiam, ſed dicit, quaſi ex operibus Legis; ſignificans Judæos ſimulacrum quoddam & imaginem, ſeu verius larvam quandam operum Legis habere, non ipſam veritatem, & ex hoc ſimulacro ſeu larva, nihilominus juſtos coram Deo eſſe & cenſeri velle. Hæc igitur eſt cauſa propter quam Iſraël, ſeu Judæorum populus, ad id non pervenit, ut juſtus coram Deo ſit & habeatur. Hic videmus Judæorum gentem non propter aliquod Dei decretum de ſingulis Judæorum nominatim ab æterno factum, rejectam ac damnatam eſſe, ſed propterea quod & ipſa fidem in Chriſtum rejecerit ac damnaverit.

Offenderunt enim. Cauſam adfert ob quam negaverit Judæos ex fide juſtitiam petere & conſectare, per occupationem. Poterat enim aliquis excipere, Judæos fidem in Deum habere, & ob hanc fidem legis divinæ obſervationi tanto ſtudio deditos eſſe. Non fruſtra hoc dixi, reſpondet Apoſtolus. *Offenderunt enim ad lapidem offendiculi:* quaſi dicat, quid juvat Judæos ipſorum fides, ſi hæc fides non ſit conjuncta cum fide in Chriſtum, per quem nunc Deus in ſe credi vult, aliter in ſe eredi non vult, nec fidem in ſe ſine fide in Chriſtum accipit? Si non per fidem in Chriſtum illiuſque fructus, ſed per opera, vel potius quaſi per opera Legis, id quærunt, ut juſti coram Deo ſint & habeantur; cum Deus neminem nunc pro juſto haberi velit, niſi qui fidem in Chriſtum habeat, quam Judæi non habent.

Offenderunt enim ad lapidem offendiculi. Lapis offendiculi Chriſtus eſt; quod promtum fuit hominibus carnalibus, quales Judæi, & imprimis eorum proceres erant, quorum exemplum vulgus imitatur, ad Chriſtum, tanquam ad lapidem in via vel pone viam poſitum offendere. Venit enim ſecundum carnem pauper, humilis, nulla mundi potentia munitus, nullo ſeculi ſplendore commendatus, nihil eorum in ſe habens quæ Judæi in Meſſia Rege à Deo ſibi promiſſo imaginabantur. Venit ſic ut obnoxius eſſet injuriis & contumeliis, ac tandem etiam ageretur in crucem, quod maximo ſcandalo & offendiculo Judæis erat, quibus plane abſonum videbatur, ut Meſſias ille figeretur cruci, multo vero etiam magis ut crucis ſupplicio enectus fieret ille Dei Meſſias. Venit etiam cum tali ſermone ac ἀδιαγωγίᾳ, quæ prorſus diſpliceret animis hominum carnalium, inprimis eorum qui alios docere ſueti erant, & pro maximis habebantur magiſtris ac viris ſanctiſſimis; quibus profecto acerbum erat ex tanto deſcendere faſtigio, & ex ſummis doctoribus pauperis Jeſu fieri diſcipulos, ac veram Dei cognitionem, veram ſanctitatem ab ipſo diſcere, & quæ ſibi videbantur ſanctiſſima & perfectiſſima perdenda fateri. Vere igitur Chriſtus Judæorum genti lapis erat offendiculi, ad quem etiam miſeri graviter *offenderunt* & impegerunt, id eſt animos ſuos penitus ab ipſo alienarunt, & ſic fide, per quam ſolam juſtitiam conſequi poterant, proinde & juſtitia, exciderunt. Hic videmus Judæorum gentem non ideo à fide animum avertiſſe, quod ad id faciendum ab æterno deſtinata eſſet, ſed quod ad lapidem offendiculi impegerit, id eſt iis in Chriſto offenſa & à Chriſto abalienata ſit, quibus minime offendi & alienari debuerat, & quibus nunquam offenſa & abalienata fuiſſet, (cum altera ex parte tot divinitatis invicta argumenta Chriſto adeſſent) ſi quid probitatis & candoris in animo habuiſſent. Per quæ etiamſi à Deo indurata ſit; (reſpicit enim ad ſuperiora Apoſtolus, & modum indurationis explicat) tamen quiſque intelligit hanc indurationem propria illorum culpa & improbitate eveniſſe, ſine qua nullam indurandi vim habitura fuerant illa omnia, per quæ indurati

ſunt. Sed quid mirum Judæos offendiſſe ad hunc lapidem Chriſtum, cum Chriſtiani ipſi non multo poſt prædicationem Apoſtolicam, tam graviter ad eum offenderint? Nam Chriſti hominis, ejuſque crucifixi, confeſſionem ac cultum dedignati, Chriſtum non colunt ut hominem à Deo ex mortuis ſuſcitatum, & Dominum ac Chriſtum factum, ſed ut eundem cum Patre Deum, ex illius ſubſtantia ab æterno genitum, quem niſi Chriſtum eſſe crederent, eodem loci Chriſtum haberent quo Judæi, id eſt idolum & falſum Deum; divino cultu & honore indignum Chriſtum eſſe dicerent. Quandoquidem eos qui Chriſtum ut Chriſtum colunt, & colendum dicunt, Chriſtiano nomine indignos & idololatras pronunciant, & Patria proſcribunt.

Verſ. 33. *Sicut ſcriptum eſt; Ecce pono in Sione lapidem offendiculi, & petram ſcandali, & omnis qui credit in ipſo, non pudefiet.* Eſai. viij. 14. xxviij. 16. Scripturæ teſtimonio docet Chriſtum Prophetarum oraculis conformiter lapidem offendiculi fuiſſe, ne cuiquam id mirum videretur.

Ecce pono in Sione. Ipſa Scripturæ, ſeu potius Dei verba per Scripturam conſignata, recitat. *Ecce.* Rem futuram quaſi in conſpectum producit, propter eventus certitudinem. *Pono.* In præſenti loquitur eadem de cauſa, pro *ponam*. Poſiturum autem ſe dicit, quia id lapidi convenit. *In Sione.* Populum Judæorum ſignificat, quod in monte Sion regia ſedes eſſet; ſed *Sionem* dicere maluit, quod ponere lapidem & petram congrue Sioni monti dicatur, ut ſolet in metaphoricis & allegoricis ſermonibus.

Lapidem offendiculi. Id eſt lapidem ad quem Judæi offendent, per genitivum effecti.

Et petram ſcandali. Id eſt petram quæ ipſis ſcandalo futura eſt, eadem phraſi, in quam incurrendo exitium ſibi afferent, ſicut ſcandalum ac decipula ſolet muribus. Verba hæc de Chriſto intelligenda eſſe ponit Apoſtolus. De quo enim potius? cum illum loquerentur omnia Prophetarum oracula, & quæ fiebant in Dei populo inſignia, illum præfigurarent. Inprimis David Rex, Chriſti typum geſſit, qui etiam lapis offendiculi & petra ſcandali Iſraëlitico populo, regnum ejus abnuenti, diu multumque fuit; ſed nihilominus à Deo in Regem conſtitutus, & in Regia Sionis ſede collocatus, manſit immotus, concuſſis & confractis adverſariis, in ipſum incurrentibus. Verbis autem iſtis ad Chriſtum ſenſu primario ac principali relatis, dicit Deus ſe Chriſtum in cæleſti Sione Regem conſtituturum eſſe, qui ſit tanquam lapis immotus & petra inconcuſſa, cui quiſquis illidatur, id eſt adverſetur, nullum ipſi detrimentum, ſed ſibi certiſſimum exitium afferat. Simul etiam in Rege Chriſto multa talia apparitura eſſe, quæ malis & improbis hominibus occaſionem datura eſſent illum non recipiendi, ac rejiciendi, & ſic in æternum pereundi.

Et omnis qui credit ſuper ipſo. Non ſatis habuit Apoſtolus Scripturæ teſtimonio docere, eos qui in Jeſum Chriſtum non credant, ad juſtitiam coram Deo non pervenire; ſed etiam ejuſdem Scripturæ ſuffragio comprobat, eos omnes qui in ipſum credant, fidei ſuæ effectu potituros, id eſt juſtitiam ac vitam æternam adepturos eſſe. *Et omnis,* quiſquis ſit, ſive Judæus, ſive Græcus, ſive Barbarus, ſive fuerit Legi deditus, ſive fuerit impius, *qui credit in ipſo.* Id eſt qui ſuper ipſo tanquam ſuper lapide à Deo poſito & petra firmiſſima fidem ſuam collocat, proinde ipſi ſe regendum in omnibus tradit.

Non pudefiet. Id eſt non excidet fidei ſuæ fructu & effectu, per metonymiam effecti. Solent enim non mediocri pudore affici, quorum ſpes, qua gloriabantur, decollavit. Non ergo fruſtrabitur ſua fiducia, quæ eſt, fore ut nobis Chriſtus vitam æternam largiatur, & quamvis interea moriamur, nos ex mortuis reſuſcitet; quicquid Judæos & alios cædere nolentes Chriſti pudeat, quod homo fuerit, quod in crucem actus, & infami ſupplicio enectus fuerit. At qui illum à Deo ex mortuis ſuſcitatum, & Dominum ac Chriſtum factum credunt, illique confidunt, non pudefient; contra vero maximo afficientur pudore, quos Chriſti puduit. Hebraicus textus habet, *non feſtinabit*, quo exprimitur veræ in Chriſtum fidei qualitas, quæ eſt nulla mora, nulla temporis diuturnitate, & quam temporis diuturnitas ſecum afferre ſolet, nulla rerum mutatione, ac ne morte quidem ipſa moveri. Deus enim & Chriſtus æternus eſt, æternæ ac immenſæ potentiæ, quam nulla res impedire poteſt; de fide etiam illius ac veracitate nullum poteſt eſſe dubium; quod qui ſciunt, Deo & Chriſto tamdiu ſpes ſuas credunt, quamdiu ipſi earum effectum differre videatur, de eventu plane ſecuri ſunt. At qui feſtinant, qui Deo tempus præfiniunt, non ſatis ejus potentiam ac fidem expendunt, proinde nec ipſi ſolidam Deo & Chriſto fidem habent, ſed eam quæ cum tempore facile, ut infirma & ruinoſa ædificia ſolent, collabatur.

CAPUT. X.

Verſ. 1. FRatres, *beneplacitum quidem mei cordis, & precatio ad Deum pro Iſraële eſt in ſalutem.* Poſtquam oſtendit Apoſtolus Judæorum gentem merito induratam eſſe, & quod in Jeſum Chriſtum credere nolit rejectam, eos vero qui credunt, ſive ſint Judæi ſive Græci, juſtitiæ & ſalutis participes eſſe factos; redit ad conteſtationem ſui ſumme benevoli in Judæorum ſalute promovenda affectus: quanquam tacite ſignificet magis optandum quam ſperandum eſſe, ut Iſraël illo tempore fidem in Jeſum Chriſtum ſuſciperet.

Fratres. De hac appellatione, qua ſeſe Chriſtiani omnes mutuo compellare ſolent, jam aliquoties egimus.

Beneplacitum quidem mei cordis. Intellige eſt, Iſraëlem juvare totis viribus, ut contumaciam deponat, & fidem in Jeſum Chriſtum ſuſcipiat.

Et precatio ad Deum. Id eſt quam ad Deum facere ſoleo.

Pro Iſraële eſt. In bonum & commodum Iſraëlis fit.

In ſa-

In ſalutem. Exprimit hoc bonum, ut ſcilicet ſalutem æternam conſequatur, proinde credat in Jeſum Chriſtum, quo ſine ſalutem æternam non datur adipiſci. Particula *quidem* in Apoſtoli verbis adverſativum aliquid requirit, quod intelligendum relinquere maluit quam exprimere. Videtur hoc ſignificare voluiſſe, ſed effectum mei beneplaciti, mei omnis conatus ac laboris, mearum precum Deo relinquo: mihi ſufficiat me officio meo nulla in re defuiſſe. Unde patet Iſraëlis indurationem nequaquam talem fuiſſe, ut non poſſet, ſi vellet, ad ſaniorem mentem redire, nequaquam illius rejectionem ab æterna & immutabili prædeſtinatione, de ſingulis nominatim facta, pependiſſe. Alioquin enim id conatus, id precatus eſſet Apoſtolus quod fieri nullo modo poſſet. Paulo non conſtabat, inquies, an & qui inter illos reprobati eſſent. Imo vero conſtitit. Pro Iſraële enim orat refractario & indurato. Et cur oraret ac contenderet pro abſolute ac nominatim prædeſtinatis ſive ad ſalutem ſive ad exitium?

Verſ. 2. *Teſtor enim ipſis quod zelum Dei habeant, ſed non ſecundum cognitionem.* Cauſam exprimit quæ ſe movebat ad hoc beneplacitum cordis ſui, & precationem pro Iſraële in ſalutem.

Teſtor enim ipſis, inquit. Quaſi dicat, non enim poſſum negare, quin potius ipſis teſtimonium perhibeo.

Quod zelum Dei habeant. Zelus Dei, eſt zelus erga Deum, per genitivum objecti, qui in eo poſitus erat, quod ardenter Dei gloriam cuperent, eamque promoverent ac propugnarent.

Sed non ſecundum cognitionem. Quatenus ſcilicet non cognoſcebant, qua in re vera Dei gloria & voluntas poſita eſſet, & quomodo promoveri ac propugnari deberet. Zelus illis non deeſt, cognitio deeſt, ſine qua zelus cœcus eſt, & plus gloriæ Dei officit, quam prodeſt. Exiſtimabant illi Dei gloriam ac voluntatem in eo poſitam eſſe ut Lex Moſis obtineret, & Chriſti Euangelium concideret, exiſtimabant ſe Dei gloriam promotum ac propugnatum ire, cum Chriſti diſcipulos omnibus perſequerentur modis & occiderent: cum plane contrario modo ſeſe res haberet, & ipſi gloriam Dei maxime oppugnarent, non propugnarent. Cognitionem igitur illis à Deo impetrare voluit, quæ zelum ipſorum dirigeret.

Verſ. 3. *Ignorantes enim Dei juſtitiam, & propriam juſtitiam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Probat illis cognitionem deeſſe, notans in illis ſummam & valde pernicioſam ignorantiam. *Ignorantes Dei juſtitiam*, id eſt juſtitiam quam Deus ex gratia imputat & adſcribit credentibus.

Et propriam juſtitiam. Id eſt juſtitiam quæ operibus ipſorum continebatur valde mancis & imperfectis.

Quærentes ſtatuere. Id eſt firmare, validam coram Deo reddere, vaniſſimo ſtudio & conatu.

Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti, οὐχ ὑπετάγησαν. Non ceſſerunt ut ei ſe ſubderent, eamque pronis animis exciperent. Suam juſtitiam ſtatuere, Dei juſtitiam evertere conantur, ſuis operibus juſti eſſe fruſtra contendunt, dandi ſibi & ex gratia imputari juſtitiam à Deo recuſant: quanta hæc ipſorum inſipientia, imo inſania eſt?

Verſ. 4. *Finis enim Legis Chriſtus in juſtitiam omni credenti.* Rationem reddit cur dixerit eos juſtitiam Dei ignorare, per prolepſin: quaſi dicat, nam ne mihi quis Legem objiciat, quod Lex operum juſtitiam exegerit, *finis Legis Chriſtus*, intellige eſt. Chriſtus longe major ac perfectior juſtitiæ magiſter, Legi finem attulit, Chriſto adveniente Lex ceſſit.

In juſtitiam omni credenti. Docet quo fine Chriſtus venerit, intellige enim qui venit, *in juſtitiam*, id eſt ut juſtitia imputetur, *omni credenti*, intellige in Chriſtum, quiſquis ſit, etiamſi nulla opera habeat, etiamſi impius fuerit, quacunque ex gente, cujuſcunque ſtatus & conditionis, ſive ſit mas, ſive fœmina, credit in Chriſtum, juſtitia illi protinus à Deo imputatur & donatur, ita ut juſtus ſit coram Deo, & juſtus eſſe cenſeatur, & ſi fide ſua ac Dei gratia tanta digne vivit in poſterum, juſtus ſemper coram Deo manet & pro juſto habetur.

Verſ. 5. *Moſes enim ſcribit juſtitiam quæ ex Lege, quod qui fecerit illa homo, vivet in eis.* Probat Chriſtum Legi finem impoſuiſſe, quatenus omni credenti juſtitiam attulit. Moſes enim, inquit, qui Legis eſt lator, longe aliter juſtitiam quæ ex Lege ſit deſcribit, quam eſt ex fide juſtitia à Chriſto allata & prædicata.

Scribit. Id eſt deſcribit, ſimplex pro compoſito, per Hebraïſmum.

Juſtitiam quæ ex Lege. Intellige ſit. *Quod qui fecerit illa homo.* Ipſam deſcriptionem ponit verbis Moſis expreſſam.

Qui fecerit illa. Nempe Legis mandata, proinde qui contra Legem non deliquit, Legem tranſgreſſus non eſt.

Homo. Quiſquis ſit.

Vivet. Senſu aperto, quem literalem vocant, vivet longævus & beatus, beatus, inquam, ſecundum rationem vitæ præſentis; ſenſu myſtico vivet in æternum.

In illis. Id eſt per illa: juſtitia igitur quæ ex Lege ſit, eſt ſine vero aliquo peccato ac delicto eſſe.

Verſ. 6. *Quæ vero ex fide juſtitia ſic dicit, ne dicas in corde tuo, quis aſcendet in cælum? hoc eſt Chriſtum deducere.* Allata deſcriptione juſtitiæ quæ ex Lege ſit, nunc docet quæ & quam diverſa ſit ratio juſtitiæ ex fide per Chriſtum annunciatæ.

Quæ vero ex fide juſtitia. Intellige eſt, quæ à Deo propter fidem in Chriſtum donatur & imputatur.

Sic dicit. Ipſam ex fide juſtitiam per proſopopœïam, ut ipſa ſuam naturam ac rationem explicet, loquentem inducit, idque Moſis verbis, quæ de Lege à Moſe enunciata Deut. xxx. 12, 13, 14, ipſa ſibi accommodat.

Ne dicas in corde tuo &c, Monet & alloquitur (juſtitia ſcilicet quæ ex fide) quemque nondum credentem, ne difficultatem cauſetur cognoſcendi id quod credendum eſt ad ſalutem conſequendam. *Ne dicas*, quiſquis es qui nondum credis, *in corde tuo*, id eſt in animo tuo, ne tecum cogites.

Quis aſcendet in cælum? Difficile eſt in cælum aſcendere, nemo in cælum aſcendit, nec aſcendere poteſt.

Hoc eſt Chriſtum deducere. Exponit cujus rei cauſa aliquis in cælum aſcendere debeat, nempe ut Chri-

ſtum inde deducat, ſi Chriſtus in cælo ſit, qui ſcilicet doceat qui credendum ſit.

Verſ. 7. *Aut quis deſcendet in abyſſum, hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere?* *Aut*, intellige, ne dicas & cogites tecum, *quis deſcendet in abyſſum.* Non humanarum hoc eſt virium in abyſſum vivum & incolumem deſcendere, in immenſam profunditatem. Per abyſſum hoc loco infernus deſignatur, in quem mortuos deſcendere dicit Scriptura, dicitur enim mox Chriſtum è mortuis reducere, nempe ex hac abyſſo. Alias vox abyſſi de maris voraginibus ac profunditate ſolet accipi;

Hoc eſt Chriſtum è mortuis educere? Exponit & hic qua fini aliquis in abyſſum deſcendere debeat, ut ſcilicet Chriſtum ex mortuis reducat, ſi adhuc ſit inter mortuos, & in inferno; eadem de cauſa, nempe, ut doceat quid credi oporteat, ad juſtitiam & ſalutem obtioendam. Senſus eſt: neminem debere exiſtimare ex locis longinquis & diſſitis petendum eſſe ſermonem, cui credere debeamus ad juſtitiæ & ſalutis adeptionem, & ſic difficultate aliqua non exigua conſtare, juſtitiam ex fide. Voces *hoc eſt*, ſimiliter mox exponendi cauſa adhibentur.

Verſ. 8. *Sed quid dicit? prope te verbum eſt in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* Quaſi dicat Apoſtolus; audivimus juſtitiam ex fide dicentem; non opus eſſe notitiam rei quæ credita juſtitiam & ſalutem afferat, ex locis diſſitis & inacceſſis petere: *ſed quid*, eadem juſtitia ex fide, *dicit*, ubi ſermo ea de re ſit, & quam nobis propinquus ſit.

Prope te verbum eſt. Dicit porro juſtitia ex fide, alloquens eum qui ambigat & quærat ubi ſit ſermo, qui creditus juſtitiam & ſalutem protinus adſerat, *prope te eſt*, oon eſt tibi longe quærendus, in propinquo, imo in proximo eſt; *verbum* ῥῆμα pro λόγῳ, id eſt pro ſermone, ut & mox. Sic & 1 Pet. 1. 25: & uſitate verbum Dei dicitur pro ſermone Dei.

In ore tuo. Docet quam prope ſit quemlibet, *in ore tuo*, vicinum eſt ori tuo, ingerit ſeſe io os tuum, nihil aliud requiritur, quam ut os aperias & illod in os tuum recipias. Nam quæ loco alicui proxima ſunt, ea per hyperbolen quandam ipſo illo in loco dicimus eſſe, præſertim quæ ori aut oculis ſunt vicina & propinqua, dicimus alicui eſſe in ore & in oculis. Nam juſtitia ex fide, ut diximus, hominem alloquitur, nondum verbum hoc de quo agitur, in ore hactenus habentem, quatenus illud jam confiteatur & verum eſſe agnoſcat, quod & ſequens comma docet.

Et in corde tuo. Vicinum eſt cordi tuo, ingerit ſeſe in cor & in animum tuum, hoc tantum reſtat, ut cor tuum aperias, & illud intra animi tui peoetralia recipias.

Hoc eſt verbum fidei &c. Exponit Apoſtolus quid per verbum, de quo juſtitia ex fide loquitur, intelligendum ſit: *Hoc eſt*, inquit, *verbum fidei quod prædicamus*, id eſt ſermo quem prædicamus nos Apoſtoli, & alii Euangelii præcones & adminiſtri. ὃ κηρύσσομεν, cujus præcones ſumus, quod vocat *verbum fidei*, per genitivum adjuncti occupati, verbum ſeu ſermo cui fides ſit adjungenda, ſeu qui credendus, ſit non opere aliquo exequendus, licet credi non poſſit quin efficaciſſimus ſit in opera.

Verſ. 9. *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & credas in corde tuo quod Deus illum ſuſcitavit ex mortuis, ſalvaberis.* Probat verbum hoc quod prædicabant Apoſtoli & alii Euangelii adminiſtri, eſſe verbum quod creditum ſalutem adſerat, ſimulque tale quod prope quemlibet ſit hominem in ore & in corde cujuſque: quaſi dicat, quia nos prædicamus & annunciamus Jeſum eſſe Dominum à Deo factum, & eo fini ex mortuis à Deo ſuſcitatum. At qui hoc oro confitetur & corde credit, juſtitiam protinus adipiſcitur, proinde ſervabitur. Jam vero hoc verbum, hic noſter ſermo, nonne prope te eſt, in ore tuo & in corde tuo, quiſquis noſtram audis (audiunt autem omnes verſ. 18) prædicationem? Aperi tantum os & confitere, aperi tantum cor & crede. Nihil aliud ad tuam ſalutem requiritur, quam ut os aperias ad confitendum, & cor ad credendum, quo facto ſalus tua erit confecta. Qua in re maximum ac præcipuum oſtendit Apoſtolus diſcrimen inter juſtitiam ex fide, & inter juſtitiam ex Lege. Magnum quidem in eo diſcrimen eſt quod multo facilius cognoſcantur, quæ Euangelium proponit credenda, quam quæ Lex præcipit operanda, quæ propter ſuam multitudinem oon facilè memoria comprehendi poterant, ideoque multo meliori jure, verba quæ de facilitate cognoſcendi mandata Legis Moſes protulerat, juſtitia ex fide, de facilitate cognoſcendi verbum fidei uſurpat, ut vidimus. Sed longe majus diſcrimen in eo eſt, quod juſtitiam ex fide ſumma facilitate quiſque conſequi poſſit; juſtitiam autem ex Lege conſequi tam arduum & difficile fuerit, ut nullus homo (ſi Chriſtom excipias, qui unus ſine peccato fuit) eam ſit conſequutus. Quid enim facilius quam confiteri & credere? At quid magis arduum ac difficile, quam omnia præcepta Legis exequi, & ſioe peccato ſeu Legis tranſgreſſione eſſe?

Si confitearis in ore tuo. Confiteri prius ponit quam credere, quia reſpicit ad juſtitiæ verba, quæ, Moſen imitata, prius os poſuit, quam cor: nam etiam quæ prope oos ſunt, ori ſunt propiora quam cordi, cum os extra ſit, cor intra. *In ore tuo*, id eſt ore tuo. Particula *in* redundat ex Hebræorum idiotiſmo, ideo nec verſu ſequente apponitur.

Dominum Jeſum. Id eſt Dominum eſſe Jeſum, per ellipſin verbi ſubſtantivi uſitatam. Sic 1 Cor. xij. 3. Philip. 2. verſ. 11 & alibi. Intelligitur autem Dominus à Deo factus, id eſt Chriſtus ille Dei, quem Deus unxit in Regem & judicem vivorum ac mororum, & hoc ſenſu Deum fecit. Uſitatum enim eſt Hebræis & Scripturæ, Judices ſummos, Deorum titulo Elohim inſignire. Unde & Pſalmo XLV de Chriſto ſenſu myſtico, de Solomone Chriſti typo ſenſu literali canitur: *Thronus tuus, ô Deus, in ſeculum ſeculi* &c. *Unxit te, ô Deus, Deus tuus.* Intelligitur, inquam, Dominus ille, quem Jeſum eſſe Apoſtoli annunciarunt, & ubique ab uno illo Deo, qui Pater eſt, diſtinguunt. Sic Apoſtolus Petrus Iſraëlem alloquens: *Certo*, inquit, *ſciat univerſa domus Iſraëlis, quod Dominum & Chriſtum Deus fecit hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis* Act. 2. 36. *Nobis unus eſt Deus*, inquit Apoſtolus Paulus, *Pater ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia* &c. 1 Cor. viij. 6.

Et credas in corde tuo. Ad cor venit Apoſtolus, ad juſtitiæ ex fide verba verſ. 8 reſpiciens. Confeſſioni ſubjungit fidem, quia ex ſide oriri debet confeſſio. *Credidi, ideo & locutus ſum* Pſal. cxvj. 10, & 2 Cor. iv. 13, alioquin enim hypocriſis hæc ſoret, non confeſſio. *In corde tuo*, id eſt in animo tuo. Cordi enim competit credere, ſicut ori confiteri.

Quod Deus ipſum ſuſcitavit ex mortuis. Hoc de Jeſu credendum dicit Apoſtolus, quia niſi hoc credatur, neque credi poſſet Jeſum eſſe Dominum: credito autem illo, etiam iſtud conſequenter creditur. In hoc enim Jeſum Deus ex mortuis ſuſcitavit, ut eum Dominum & Chriſtum faceret cap. xiv. 9. Et Jeſus prædicavit ſe Chriſtum illum Dei eſſe. Fieri igitur aliter non potuit, ſi vera erat illius prædicatio, (quam veram fuiſſe innumera quæ fecit miracula docebant) quin ex mortuis revocaretur in vitam, & in vitam revocatus, Dominus & Chriſtus ille Dei efficeretur, id eſt regnum cæleſte adiret, quod ſibi à Deo erat deſtinatum. Nam etſi Apoſtolus diverſum quiddam tribuit confeſſioni oris, diverſum fidei cordis, hoc tamen ideo facit, quod utrumque inter ſe connexum ſit, & unum trahat alterum. Alioquin enim nihil debet eſſe in confeſſione oris, quod non ſit prius in fide cordis, & quod eſt in fide cordis, ſi creditu ſit ad ſalutem neceſſarium, etiam debet eſſe in confeſſione oris. Itaque & Jeſum eſſe Dominum non minus corde credendum eſt, quam ore confitendum, & eundem ex mortuis à Deo ſuſcitatum eſſe, non minus ore confiteri debemus, quam corde credere.

Salvaberis. Id eſt juſtitia tibi protinus imputabitur, & conſequenter ſalus æterna dabitur. *Quos enim juſtificavit, eoſdem & glorificavit* Rom. viij. 30. Salutem enim Apoſtolus intelligit veram & perfectam, quæ ideo ſalus abſolute dicitur, *ſalutem illam animarum* 1 Pet. j. 6, qua à morte liberati vitæ immortalis & regni cæleſtis efficiemur hæredes, ubi nihil amplius erit triſte, nihil adverſum, ſed mera eaque ſempiterna gaudia. Etſi vero Apoſtolus duo tantum expreſſit, quorum unum ore confitendum ſit, alterum corde credendum; tamen ſimul & alia omnia intelligi debent, quæ ex iſtis dependent, aut cum illis naturæ vinculo ita cohærent, ut nec illa ſine iſtis, nec iſta ſine illis credi poſſint. An igitur, inquies, ad ſalutem ſufficit ore confiteri & corde credere? An non requiritur & operari? Qui ſit ut Apoſtolus tam præciſe tribuat ſalutem cuilibet qui ore confiteatur & credat corde? Reſpondeo, primum quod juſtitiam protinus adipiſcatur quamprimum quis ore confitetur & credit corde, ut ſi eum contingat ſtatim poſt hanc fidem & confeſſionem migrare è vita, habiturus ſit ſalutem æternam. Deinde ſi ſupervivat, ut communiter fieri ſolet, requiruntur quidem & opera, quæ niſi ſequantur quid juvet oris confeſſio, ſi factis fiat abnegatio, & confeſſionis iſtius refutatio? Quid juvet corde credere, ſi fides ſit ſine fructibus & ſuis effectis? Sed opera fidem, ſi vera ſit, ſi hæc ſit quam hic definit Apoſtolus, ſua ſponte ſequuntur, non minus quam fructus naſcuntur ex arbore bona ac fructuoſa. Nam qui credit Jeſum ex mortuis à Deo ſuſcitatum eſſe, & conſequenter Dominum ac judicem effectum vivorum & mortuorum, is ſimul concipit ſpem æternæ ſalutis certiſſimam: at *qui ſpem iſtam habet, purificat ſeipſum ſicut Deus purus eſt* 1 Joh. iij. 3. Cum non tantum expreſſum Dei verbum, ſed etiam ipſa ratio doceat, impuris cum Deo puro nullum eſſe poſſe conſortium; vita autem æterna incomparabile ſit purificationis pretium. Alia quidem fides id nullo modo effecerit, præſertim ſi falſa ſit. Adde quod juſtitia ex ſide opera non exigat ad Legis rigorem, ſed ad ſummam ac paternam æquitatem; quæ tamen ob id ipſum tanto uberiora ex ſe producit fides, & ex fide juſtitia, quod non tractemur duriter ut ſervi, ſed habeamur liberaliter ut Dei Filii & hæredes. Antequam hinc abeamus, notandum eſt id quod Apoſtolus jubet de Jeſu confiteri & credere; quæ etiamſi ipſa per ſe non ſint omnia quæ de Jeſu confitenda ſunt & credenda: profecto tamen neceſſe eſt ut ſint principialia, & talia, quæ cætera omnia ſecum naturæ nexu trahant. Nam ſi aliquid magis principale de Jeſu confitendum ac credendum eſſet; cur id potius non exprimeret Apoſtolus? Cur non diceret, ſi confitearis Jeſum eſſe eundem cum Patre Deum, Patri conſubſtantialem, ab æterno ex Patris ſubſtantia genitum, & nihilominus hominem in tempore factum? Cur non diceret, ſi credas eundem, ut hominem mortuum, ſemet reſuſcitaſſe ex mortuis, ut eundem cum Patre Deum? Certe hoc omnino dicendum erat, ſi verum erat. Sic & Paulo Apoſtolo conſentiens alter Apoſtolus Johannes: *Omnis*, inquit, *qui credit Jeſum eſſe Chriſtum ex Deo natus eſt* 1 Johan. v. 1. Cur non dixit eum qui Jeſum credat eſſe eundem cum Patre Deum, & hactenus, non Chriſtum Dei, ex Deo natum eſſe? Cur uterque de Jeſu ut homine, ejuſque ut hominis divinitate loquitur? & de ipſo, ut de eodem cum Patre Deo, in fide & confeſſione ſalutari tradenda prorſus tacet? Neque dixerit quiſpiam in eo quod Jeſus ſit homo, & ut homo ſit Dominus & Chriſtus ille à Deo effectus, & hunc in finem à Deo ex mortuis ſit excitatus, natura includi, Jeſum eſſe eundem cum Patre Deum, ipſumque ſemet ex mortuis ſuſcitaſſe. Adeo enim hæc inter ſe conjuncta & conſentanea non ſunt, ut nihil magis diſſonum & à ſe invicem diſcrepans cogitari poſſit. Ad fructus etiam bonorum operum producendos, & ad doctrinam quæ ſecundum pietatem eſt, adeo hæc diſſentanea non pertinent, ut nihil ſit quod illi magis adverſetur, & magis ad paradiatribas pertineat. Hinc etiam patet quam pie & Chriſtiane agant, qui eos qui fidem hanc & confeſſionem habent, cui Apoſtolus ſalutem attribuit, hæreſeos damnant, & eum Regno Dei, imo & è regnis hujus mundi proſcribunt, qui etiam diſſentaneorum illorum egregius fructus eſt.

Verſ. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Cauſam intexit in parentheſi ob quam & corde credendum & ore confitendum ſit. *Nam*, inquit, *corde creditur ad juſtitiam*, id eſt ad id ut juſtitia à Deo imputetur. Fides enim imputatur ad juſtitiam ſeu pro juſtitia. Hic Apoſtolus primo loco ponit fidem, quia confeſſio fidei debet eſſe declaratio.

Ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Id eſt ad id ut ſalutem conſequamur. Docet Apoſtolus ſalutem obtineri non poſſe, niſi fidem ſequatur fidei confeſſio. Merito. Sicut enim fidei fructus & effectus eſt confeſſio, ſic juſtitiæ fructus & effectus eſt ſalus. Si

igitur

igitur fidem non ſequitur ſuus fructus & effectus, neque etiam juſtitiam ſuus conſequetur fructus & effectus, ſalus æterna; & quia fides inanis fit & irrita ſine ſuis fructibus & effectis, ideo & juſtitia amittitur, nec ad ſalutem matureſcit ac pervenit, ſine iiſdem fidei fructibus. Nimirum Deus juſtitia nobis propter fidem imputata & donata, protinus quidem nobis confert jus ſalutis, ſed ipſam ſalutem non protinus confert, ut ſpatium & tempus relinquat fidei, & tantæ ſuæ gratiæ nobis exhibitæ, ad fructus quam uberrimos edendos, fructus, inquam, juſtitiæ, charitatis, ſanctitatis; qui niſi conſequantur, imputatam nobis ex gratia juſtitiam Deus expungit, & jus ſalutis nobis adimit, & pro ſalute damnationi & exitio æterno ſubjicit. Confeſſio oris primus fidei fructus & effectus eſt, quem jure ac merito Deus à nobis exigit. Per fidem enim cordi incluſam, & ſeſe per confeſſionem in apertum non exſerentem, nec Deus habet gloriam, ac nominis ſui, quæ ore fit, celebrationem, nec alii ædificationem, cum ad alios fides propagari nequeat, niſi per illius confeſſionem. Idipſum locum habet & in aliis fidei fructibus, ſine quibus & fides & confeſſio, nec in Dei gloriam ac laudes, nec in aliorum ædificationem ac ſalutem exire poteſt. Opera enim & facta niſi fidei & confeſſioni tam ſanctæ reſpondeant, illius conſpurcandæ potius ac revincendæ vim habent, quam exornandæ & aſſerendæ; cum quiſque factis magis & rebus fidem adhibeat quam verbis: ſpecioſa enim loqui nullam difficultatem habet, idq; etiam facere poſſunt hypocritæ. Etſi vero confeſſio, non minus requiritur ad juſtitiam quam ad ſalutem, ſicut & fides non minus ad ſalutem quam confeſſio, quia tamen alterum alteri tribuere voluit Apoſtolus, conveniens erat, ut fidei quæ prior eſt, tribueret id quod prius eſt, nempe juſtitiam, & confeſſioni quæ poſterior eſt, tribueret id quod poſterius eſt, nempe ſalutem. Etſi etiam non minus confitendum eſt Jeſum à Deo ex mortuis eſſe ſuſcitatum, quam credendum, & Jeſum Dominum eſſe non minus credendum quam confitendum, tamen quia fidei & confeſſioni res diſtinctas tribuit Apoſtolus, congruebat ut & hic fidei tribueretur, quod prius eſt & cæterorum fundamentum; confeſſioni quod plenius, imo quod plenum ac perfectum eſt.

Verſ. 11. *Dicit enim Scriptura. Omnis qui credit in ipſo non pudefiet.* Abſoluta parentheſi, confirmat Scripturæ teſtimonio quod aſſeruit, nempe ſalvatum iri quemvis qui credat in corde ſuo Jeſum à Deo ſuſcitatum eſſe ex mortuis.

Omnis qui credit &c. Ipſum teſtimonium recitat, quod etiam ſupra cap. IX verſu ultimo attulit, ubi explicationem vide.

In ipſo. Id eſt Jeſu, de Jeſu enim agitur, ut ex verſ. 9 apparet, in quo Jeſus Dominus prædicatur, & verſiculus hic tanquam confirmatio ad verſ. 9 refertur. Merito autem Apoſtolus de eo qui credit Jeſum à Deo ſuſcitatum ex mortuis, uſurpat hoc Scripturæ dictum, quod agit de credente in ipſum, vel in ipſo. Nemo enim credere poteſt Jeſum ex mortuis à Deo ſuſcitatum eſſe, quin protinus credat, Jeſum eſſe Dominum & Chriſtum à Deo factum; qui vero hoc credit, conſequenter etiam in ipſum, tanquam Dominum ſuum & Chriſtum Dei credit, cui omnis in cælo & in terra poteſtas à Deo conceſſa eſt, ipſiuſque mortis & inferni claves. Videmus hinc, Apoſtolum ſæpe unum expreſſe ponere, ſed ſimul includere & intelligere omne quod cum illo connexum eſt. Sic & fidem in Jeſum hic expreſſe ponit, ſicut & ſupra confiteri & credere; ſed tacite includit & intelligit, omnia quæ cum illis naturæ vinculo cohærent. Nempe hæc inſtar catenæ ſunt cujus unum annulum qui trahit, totam trahit: & cum fidei in Chriſtum ſalus tribuitur, non minus cum fide intelligendi ſunt fructus fidei, quam cum de arbore & agro dicitur quod cultorem ſuum alat ac ditet, intelliguntur ſimul fructus & proventus arboris aut agri.

Non pudefiet. Id eſt quod verſ. 9 dixit, ſalvabitur.

Verſ. 12. *Non enim eſt diſtinctio & Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in eos qui invocant ipſum.* Cauſam affert, ob quam omnis qui credit in Jeſum, non confundetur. *Nam*, inquit, *non eſt diſtinctio & Judæi & Græci.* Intellige, hac in parte. Æque Græcus ac Judæus, ſi credat in Jeſum, non confundetur. Solum Græcum nominat, ſed & alium, cujuſcunque gentis hominem includit, per ſynecdochen ſpeciei præcipuæ pro genere. Neque enim ulla cauſa eſt ut non eadem hic ratio ſit aliarum omnium gentium, quæ Græcorum: *In Chriſto Jeſu non eſt Judæus neque Græcus, neque ſervus neque liber, neque mas neque fœmina* Gal. iij. 28. *Neque Barbarus neque Scytha, ſed omnia in omnibus Chriſtus* Col. iij. 11. Id eſt omnia in omnibus valet, *fides in Chriſtum per charitatem efficax* Gal. v. 6: ubi enim hæc eſt, ibi Chriſtus eſt, & qui hanc habet, Chriſtum induit Gal. iij. 27. *Nam idem Dominus omnium* &c. Rationem addit propter quam nulla ſit diſtinctio, nullum diſcrimen hac in parte & Judæi & Græci: quaſi dicat, nam qui eſt Dominus Judæi, idem etiam eſt Dominus Græci & cujuſvis hominis. Nulla igitur cauſa eſt, ut non ex æquo omnibus in ipſum credentibus ſalus debeat obtingere. Videmus Jeſum, Dominum eſſe omnium à Deo effectum, & Jeſu dominatum tam late patere, quam patent omnes: *Omnia enim ſubjecit pedibus ejus*, eum enim qui ſubjecit omnia excipi, per ſe manifeſtum eſt 1 Cor. xv. 27.

'Ο αὐτὸς, ille ipſe, unus idemque, *Dominus omnium*, intellige *eſt*, *dives in omnes qui invocant ipſum.* Deſcribit hunc Dominum, ut tanto magis appareat, nullo apud ipſum diſcrimine haberi, qua quis ex gente ſit, dummodo in ipſum credat, & ipſum pro Domino ſuo agnoſcat & colat.

Dives, inquit, *in omnes.* Id eſt divitem ſe exhibens omnibus; qua in re ſimul & opes ipſius inexhauſtæ ſignificantur, & ſumma bonitas ſeu omnibus ex æquo bene faciendi voluntas.

Qui invocant ipſum. Docet quid ex parte hominum requiratur, ſi velint erga ſe divitem experiri hunc Dominum. Id nimirum requiritur, ut ipſum invocent, id eſt precibus ſupplicibus compellent tanquam ſuum Dominum, in cujus manu Deus omnia poſuit. Ratio enim ipſa docet invocandum eſſe Dominum ſi ab ipſo velis juvari, & petendum quod expetis. Congruenter Apoſtolus hoc loco invocationem repoſuit pro fide. Invocatio enim proxime reſpondet benefaciendi voluntati & poteſtati, & ſimul fidem includit. Nam qui in Jeſum non credit, nec invo-

care illum poteſt, qui vero credit, illumque pro Domino ſuo cœleſti, & rerum omnium, ex gratia Dei potente agnoſcit, etiam illum invocat, & in ſuis neceſſitatibus opem ejus implorat, cum intelligat hunc ipſum in finem hominis Jeſu poteſtati omnia à Deo ſubjecta eſſe, ut homines tanto majore fiducia ad ipſum & per ipſum ad Deum confugiant. Videmus hic fidei in Jeſum Dominum & Chriſtum effectum & conſequens eſſe invocationem Jeſu, Domini & Chriſti. Hæc enim tanquam concatenata & ſeſe invicem naturæ vinculo conſequentia poſuit Apoſtolus; quod & res ipſa loquitur. Ideo mirum non eſt Chriſtianos deſcribi ab invocatione Jeſu Chriſti 1 Cor. j. 2. 2 Tim. 2. 22, & alibi; neque enim ulli alii homines Jeſum Chriſtum invocant præter Chriſtianos; quippe qui ſoli credant Jeſum eſſe Chriſtum Dei, & Dominum omnium ab ipſo effectum; unde etiam fit ut invocatione Jeſu Chriſti ab invocatione ipſius Dei non recedant, ſed in Chriſto invocent ipſum Deum, ad quem tanquam ad auctorem omne redundat quidquid honoris Jeſu Chriſto tribuitur. Perinde autem eſt ſive preces & invocationem ad ipſum Chriſtum nominatim dirigamus, quod & Stephanus protomartyr fecit Act. vij. 59, & Apoſtolus 2 Cor. xij. 8, & eccleſia primitiva in more habuit; hinc et Plinius de Chriſtianis ad Imperatorum Trajanum, Chriſto carmen dicunt, ut Deo; quæ aperta & directa Chriſti invocatio eſt; ſive ad Deum in Chriſti nomine, id eſt ſic ut in precibus teſtemur ac declaremus nos in Jeſum Chriſtum credere, illumque pro Domino nobis à Deo dato agnoſcere, & ideo quæ petimus à Deo, idque per ipſum adepturos eſſe, quæ tacita quædam eſt Chriſti invocatio, eaque communiter in Chriſti eccleſia fieri ſolet. Sicut enim aperta Jeſu Chriſti invocatio, ad Dei gloriam tota refertur & ſpectat; ſic non minus & tacita ad Dei gloriam dirigitur, eamque illuſtrat. Dum enim preces communiter & plerumque in Chriſti nomine ad Deum fiunt ac diriguntur, eo ipſo is & Chriſti Domini noſtri Deus, & omnium bonorum ſummus & unicus auctor ac fons eſſe agnoſcitur & oſtenditur. Res hæc pendet à ſpiritu cujuſque hominis pii, & ex rerum ac temporum occaſionibus & cauſis.

Verſ. 13. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini ſalvabitur.* Probat Scripturæ dicto Dominum iſtum divitem eſſe in omnes qui ipſum invocent. Quaſi dicat, quæ majores divitiæ eſſe poſſunt, quam ſalutem adipiſci? At hanc adipiſcetur à Domino omnis qui nomen ejus invocaverit. *Omnis*, quiſquis ſit, reſpicit enim ad id quod dixerat, *dives in omnes &c.*

Qui invocaverit nomen Domini. Id eſt Dominum. *Nomen Domini* ponitur pro ipſo Domino. Hæc verba ex Joële ſumta ſunt Joël. 2. 32, quibus ratio ac modus oſtenditur effugiendi exitii, de quo iſtic illuſtre vaticinium eſt: & ſenſu myſtico deſignatur excidium gentis Judaicæ, maxime vero totius mundi. Ad quod utrumque & quodvis aliud effugiendum Chriſtus à Deo datus eſt. Quæ res etiam facit, ut hæc verba de Deo dicta, ad Chriſtum referat Apoſtolus, deq; Chriſto uſurpet, quandoquidem & Chriſtus Dominus eſt, & in hoc ipſum à Deo Dominus effectus, ut invocetur, & ut omnis qui nomen ejus invocet ſalvetur; & in quo Deus ipſe invocatur & invocari vult. Eſt enim lapis in Sione à Deo poſitus, in quem quicunque credat non confundatur. Quæ verba de Chriſto dicta, paulò ante attulit Apoſtolus, illiſque invocationem Chriſti, & verborum de D[illegible] dictorum accommoditionem ad Chriſtum jure ac merito ſuperſtruit. Quo enim alio fine Deus in Chriſtum credi, & conſequenter nomen ejus invocari vellet, niſi ut omnis qui in ipſum crederet, & conſequenter ipſum invocaret, ſalvaretur per ipſum? Hic locus aperte docet non minus neceſſarium eſſe ad ſalutem conſequendam ut Chriſtum invocemus, quam ut in ipſum credamus. Nam in omnibus enunciationibus quibus alicui actioni vel operi ſalus tribuitur, ſemper ſignificatur abſque hac actione vel opere ſalutem non dari. Sic cum fidei, cum charitati, cum variis virtutibus & bonis operibus, Scriptura ſalutem pollicetur, eo ipſo docet neminem alia ratione ſalutem adipiſci poſſe. Neque eſt ut dicas præcepta jubentia ſemper hominem obligare, quotieſcunque illorum exequendorum facultas detur, proinde ſemper nobis ad Chriſtum preces eſſent dirigendæ. Nam ne repetam quæ de Chriſti invocatione aperta & tacita paulo ante diximus, verum quidem eſt quod de præceptis jubentibus aſſeritur; ſed negatur tum præcepti alicujus jubentis exequendi facultatem eſſe, cum alterius præcepti jubentis executio illam potiori aliquo jure occupat, ac ſibi vindicat. Eſt Chriſtus aperte & directe invocandus; ſed eſt etiam eodem modo invocandus Deus. Nihil igitur peccatur cum Chriſti directa & aperta invocatio, propter directam & apertam ipſius Dei invocationem, viciſſimque hæc propter illam ab opere ſuſpenditur. Cuique ſuum bono operi tempus eſt, ſibi mutuo cedunt, prout res & occaſio magis invitat. Sunt directe coram Chriſto genua corporis flectenda, ſed ſunt etiam directe flectenda coram Deo. Proinde non peccatur ſi altera genuum flexio ob rei aliquam exigentiam pro tempore ceſſet propter alterum: cum utraque bonum opus ſit, & in Dei honorem cedat. Porro invocatio Chriſti, cui ſalus adſcribitur, intelligenda eſt quæ tempore accepto & in die ſalutis fiat. *Tempore enim accepto*, dicit Deus ipſe Eſa. XLIX. 8, *exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. Quærite Dominum*, inquit Propheta, *dum inveniri poteſt, invocate ipſum dum prope eſt* Eſa. LV. 6. Multi enim Chriſtum invocabunt, ſed quia ſero & in die iræ ac pœnæ, fruſtranea erit illorum invocatio. Dicetur enim illis: *Abite operatores iniquitatis, non novi vos.* Invocationi vero ſalus adſcribitur eo modo quo fidei aut charitati, aut alii alicui virtuti; propterea quod omnia quæ ad officium noſtrum ſpectant, ſic inter ſe nexa ac concatenata ſint, ut unum trahat ſecum alterum. Quis poteſt Chriſtum invocare, quin ipſum Dominum ſuum agnoſcat, et in ipſum credat? quis autem audeat invocare, aut ſe ab illo exauditum iri ſperare, quin ſeſe totum mandatis ejus exequendis dedat? *Peccatores enim non exaudit Deus* Johan. IX. 31, dicebat cæcus ille natus Phariſæis, innocentiam Chriſti defendens; ſed illos audit qui voluntatem ejus faciunt. *Voluntatem facit timen-*

rentes, quo Legem everterent, quam ab ipſo datam eſſe ſciebant, & hominis divinum cultum falſo inducentes, ut Lex de ſolo Deo divinis honoribus aſficiendo penitus concideret! Concideret enim ſi homo toleretur ad divinos honores à Deo non evectus. An vero nunciabant quę hominibus probabilia viderentur, & quę ipſa per ſe facile fidem invenirent? An Philoſophorum morę agebant & ſua dogmata adſtruebant argumentis? At quid omnium hominum, & præſertim principum ac ſapientum hujus ſeculi, quos reliqui ſequi ſolent, animis ac cogitationibus magis abſurdum, & ab omni fide alienum videri poterat, quam Chriſtum Dei, ſervili ſupplicio fuiſſe affectum, & cum qui ſervili ſupplicio ſit affectus, & ſuſcitatum eſſe ex mortuis, & Chriſtum Dei, id eſt cæleſtem Regem ac Dominum eſſe effectum? Solam ex mortuis reſurrectionem credere quam arduum erat? quanto magis tantam poſt mortem dominationem ac divinitatem? Quid vero magis diſſimile Philoſophis & Philoſophorum eruditioni ac doctrinæ, quam primi illi Euangelii præcones? Ponamus tamen unum aliquem adeo inſanum reperiri potuiſſe impoſtorem; at ut multi eſſent, & tot quot erant Jeſu præcones qui ſe illius & Dei dicebant Apoſtolos, id vero prorſus erat ἀδύνατον. Et inter tot mendaces ac impoſtores qui potuiſſet latere dolus? Unus ſaltem ex tanto numero repertus ſuiſſet, qui terrore mortis ac tormentorum admoto, aut alia aliqua ex cauſa conſpirationem & fraudem detexiſſet. Conjuraverant ſcilicet tot homines inter ſe ut pro mendacio vitam ponerent, nec ulla ratione ſeſe ab eo dimoveri paterentur. An vero tantus prædicationis conſenſus, tam in omnibus conſonans omnium ſermo eſſe potuiſſet? Et cum negari non poſſit omnes Jeſu præcones viros alioqui fuiſſe probos, & quorum moribus ac vitæ nullum flagitium ineſſet, fierine poterat, ut in probis tanta reperiretur ſeductionis nequitia & improbitas? *Nonne ex fructibus arbor cognoſcitur? An ex ſpinis colliguntur uvæ? & ficus ex tribulis?* Matth. vij. Impoſtorum & hominum mendaciſſimorum boni & probi mores eſſe nullo modo poſſunt. Sed fuerint tot fatui impoſtores, iique vita ac morum probitate à ſeipſis, id eſt, à ſua improbitate ac nequitia penitus diſſidentes, cui obſecro perſuadere potuiſſent, res tam longe ab omni ſenſu remotas, nullis naturæ argumentis innixas, niſi, ſicut ſe dicebant, Dei legatos, ſic ab ipſo Deo cæleſtibus argumentis ac divino ſpiritu ad faciendam legationi & prædicationi ſuæ fidem fuiſſent inſtructi? Quem obſecro inducere potuiſſent, ut propter Jeſum in crucem actum omnia terrena & præſentis vitæ bona ſperneret? ut ſeſe, quæ tum erat omnium nomen Jeſu profitentium conditio, hominum odiis & diris perſecutionibus & acerbiſſimæ morti objiceret, ſola in Jeſum fiducia, ſore ut ab ipſo ſuſcitaretur ex morte, & cæleſtis vitæ bona ac præmia capeſſeret, niſi diviniſſimis miraculis in Jeſu nomine patratis, & cæleſtis ſpiritus largitionibus, & quæ alia memorant qui primi & & oculati teſtes literarum monumentis Chriſtianæ fidei exordia nobis tradiderunt, convictum? Nam qui hæc facta unquam fuiſſe negant miracula, ipſi miracula hæc negando, omnibus iſtis miraculis longe majus inducunt miraculum: mundum videlicet ad fidem in Jeſum, nullis armis, nulla humana vi munitam, imo totius mundi viribus oppugnatam & exercitam, ſine iis quæ facta fuiſſe aſſeruntur miraculis potuiſſe converti; ad fidem, inquam, à qua hominum animi adeo ſunt, propter ſummam quam præcipit ſanctitatem & innocentiam, averſi, ut pauciſſimi eſſent qui eam à principio, quamdiu ſcilicet manſit pura & incorrupta, ſuſciperent, præ innumerabili cæterorum multitudine, qui eam contemnerent, nedum ut ipſam ulli potuerint amplecti, niſi maximis divinitatis illius documentis adducti. Ipſa denique ſumma ſanctitas & innocentia Chriſtianæ ſidei, ne nunc de admirabili ſapientia in illa recondita dicam, divinam illam & à Deo profectam eſſe arguit. Et, ſi nihil eſt quod hominem magis Deo commendet & acceptum ſaciat, quam fides in ipſum, & ex illa profecta ſanctitas ac juſtitia, quæ fides, quæ ſanctitas, quæ juſtitia ac obedientia Deo dignior & glorioſior dari poteſt, quam Chriſtiana? Chriſtiana, inquam, vera, & qualis à Chriſto & Apoſtolis ejus tradita eſt, hominum inquinamentis ac depravationibus amotis. Pro illa mori, eſt vere pro Deo mori. Et ſi quis miracula quæ illi confirmandæ ſunt edita ad dæmones referat, rem dicat multo minus credibilem, quam vere divinis eam ſtabilitam fuiſſe miraculis. An enim dæmones ac mali ſpiritus fidem confirmarent, quæ omnis bonitatis, ſanctitatis, innocentiæ, juſtitiæ, charitatis, pietatis in verum Deum efficaciſſima magiſtra eſt? quæ tota in veri Dei gloriam & in dæmonum deſtructionem tendit, & per quam dæmonum regnum plane everſum, Dei regnum validiſſime inter omnes gentes adſtructum eſt. Summa igitur ratione Apoſtolus ullo modo fieri potuiſſe negat, ut Jeſum ulli hominum prædicarent, niſi ad id faciendum à Deo ſuiſſent miſſi, & iis rebus, quibus ad tantam legationem digne & cum ſructu obeundam opus eſt, inſtructi. Sunt qui hæc Apoſtoli verba, quæ de primis Euangelii præconibus protulit, ad omnes alios Euangelii præcones ac miniſtros reſerant, ad illos inquam, qui à primis eundem Euangelii ſermonem acceperunt, eumque aliis annunciant. At obſecro quid iſtis, ut à Deo mittantur, opus eſt? Miſſio enim hæc fiebat à Deo vel Chriſto immediate per vocem ac ſermonem ejus, quo itio ad homines diſerte injungebatur; nec ulli alii cum Euangelio hoc pacto mittebantur, niſi qui oculati teſtes eſſent Jeſum poſt mortem vivere, & in cælos evectum eſſe; & qui ſic mittebantur, cæleſti ſpiritus virtute præ cæteris omnibus inſtruebantur. Miſſione hac opus eſt quoties Deus rem aliquam novam, nec antea publicatam, nunciare vult hominibus, aut legatis & nunciis cum rei novæ publicatione jam dimiſſis alios adhuc adjungere; ſicut duodecim illis Apoſtolis additi ſuere Barnabas, & præcipue Paulus, ut tanto majorem Euangelio fidem ſaceret, ex acerrimo illius oppugnatore ſactus acerrimus propugnator. Nec ſane mirum additos fuiſſe, nam & res plane nova illis injuncta ſuit, nimirum ut Gentibus ſine ullo diſcrimine annunciarent ſalutem per ſolam in Jeſum Chriſtum fidem, ſine circumciſione,

& ullis Legis Moſaicæ ritibus obtinendam. Atqui ſermonem Euangelii ab aliis edocti, ipſi per ſe ad prædicationem illius, ſolo Dei & Chriſti amore incitati, feruntur, & ad id faciendum idonei ſunt, nec ſibi tanquam αὐτοπίστοις credi, ſed ſuam prædicationem omnem ad eorum qui αὐθένται erant, id eſt Apoſtolorum exigi volunt, nulla alia re opus habent ordinis in eccleſia conſervandi, & confuſionis aut abuſus alicujus evitandi cauſa, quam ut ab eccleſia illiuſque ſenioribus ordinentur; cujus rei & exempla in prima eccleſia, ab Apoſtolis fundata, & in Apoſtolicis ſcriptis præcepta habemus 1 Timoth. iij. 1 & ſeqq. iv. 13, 14. Tit. j. 5 &c. Quod tamen ſic intelligendum eſſe res ipſa loquitur, ut ſi eccleſia illiuſque Seniores in varios errores & corruptelas deveniant, nec ulla ordinatio ſperanda ſit iis qui errores & vitia redarguant, & eccleſiam in rectum ſtatum reſtituant, imo omnis perſecutio & inſectatio iis ſit metuenda, liberum maneat cuilibet ad hanc rem idoneo manum operi tam ſancto & Deo grato admovere, ut errores commonſtret, vitia taxet, & puram veritatem ab Apoſtolis traditam annunciet, ac pro virili eccleſiæ reſtaurandæ operam navet. Nec Philippus Act. viij eccleſiâ Hieroſolymitana, poſt Stephani lapidationem, gravi perſecutione diſſipata, & ipſe profugus, exſpectavit ut in miniſtrum verbi ex menſæ miniſtro ordinaretur, ſed cum ſe ea facultate inſtructum videret, ubique circumtulit Euangelium, & Samariam ad Chriſtum convertit. Republica conturbata & convulſa non exſpectandæ ſunt Leges, quæ tum ſilent, ſed cuilibet civium liberum eſt, imo cujuſque officium eſt, ut Rempublicam & patriam juvet quantum poteſt. Eodem plane modo res ſeſe habet in eccleſia, cui juvandæ tanto plus quiſque debet, quanto plus in eccleſiæ incolumitate ſitum eſt quam in patriæ.

Sicut ſcriptum eſt, Eſa. lij. 7. Nahum. j. 15. &c. Scripturæ teſtimonio confirmat Euangelii de Jeſu præcones à Deo miſſos eſſe. Nam etiamſi non omnes qui Euangelium aliquod afferant à Deo mittantur, cum & pſeudo-prophetæ cum Euangelio aliquo venire ſoleant: tamen verba iſta ſenſu myſtico neceſſario de Jeſu præconibus intelligenda eſſe mox patebit.

Quam ſpecioſi. Id eſt ô quam ſpecioſi, per exclamationem: quaſi dicat, quid illis poteſt eſſe ſpecioſius, proinde gratius & acceptius?

Pedes. Quaſi dicat, non tantum ipſi homines, ſed etiam illorum pedes, quibus ad nos delati ſunt cum Euangelio. Quare autem adeo ſpecioſi & accepti? Non tantum quia cum Euangelio veniunt, ſed etiam quia veniunt cum Euangelio vero, proinde quia veniant à Deo miſſi. Loquitur enim de Euangelio, quod Dei nomine affertur.

Euangelizantium &c. Nullis magis hæc verba convenire poſſunt, quam Jeſu præconibus. Nulli enim unquam majorem ac veriorem pacem, nulla majora ac veriora bona annunciarunt quam Jeſu præcones. Quid enim majus ac melius eſſe poteſt quam regnum cælorum, cujus nuncii ſunt præcones Jeſu, qui Jeſum factum eſſe cæleſtem Regem prædicabant, ut omnes in ipſum credentes in ejuſdem regni poſſeſſione collocet? Unde conſequitur per Euangelizantes iſtos pacem & bona, nullos magis ac potius, quam Euangelium de Jeſu afferentes intelligendos eſſe. Nam ſi non deberent intelligi, ideo non deberent quod à Deo miſſi non eſſent. At ſi iſti à Deo miſſi non ſunt, ſeductores fuerunt, qui ſe dicerent à Deo miſſos eſſe, cum miſſi non eſſent, quod fieri non potuiſſe oſtenſum eſt. Ergone ſeductores eam pacem, ea bona, nomine Dei nunciarent, quibus ipſe Deus nulla majora ac veriora, imo nulla alia tanta ac tam ſolida nunciare queat? Hoc ſane nimis abſurdum ſit. Dubium ergo non eſt Scripturæ hoc dictum de Euangelii Jeſu præconibus potiſſimum intelligendum eſſe: quod & ipſa Euangelizantium vox arguit, quæ ipſis, ut & nuncio quod afferebant, vox Euangelii, propter excellentiam, facta eſt propria.

Euangelizantium pacem. Id eſt bonum nuncium afferentium de pace, de perfecta liberatione à malis omnibus, etiam ab ipſa morte.

Euangelizantium bona. Id eſt bonum nuncium afferentium de bonorum omnium affluentiſſima copia in regno cæleſti, ubi Jeſus eſt Dominus noſter & caput noſtrum. Senſu primo verba iſta agunt de illis qui nunciaturi erant populo Judaico liberationem ex captivitate Babylonica, & reductionem in terram ipſorum, lacte & melle & omnium terræ bonorum copia abundantem; ſed myſtico ſenſu, & qui per figuram illam deſignabatur, agunt de Apoſtolis Jeſu, qui perfectiſſimæ pacis ac felicitatis, nempe cæleſtis & æternæ, nuncium erant allaturi.

Verſ. 16. *Sed non omnes obediverunt Euangelio: Eſaias enim dicit* (Eſai. liij. 1) *Domine, quis credidit auditui noſtro? Sed non omnes obediverunt Euangelio.* Intellige, quamvis Euangelii iſtius præcones à Deo miſſi venerint. Quæ verba addit Apoſtolus, quod in illis ſignum contineatur prædicationis Meſſiæ & illius miniſtrorum; ut vel ex hoc ipſo, quod non omnes Euangelio Jeſu crediderint, quiſque colligat Jeſum & alios Euangelii ejus præcones à Deo miſſos eſſe; tantum abeſt ut inde dubitationem aliquam de eorum fide ac miſſione animo concipiat.

Non omnes. Per meioſin ſignificat longe plures ac potiores Euangelio Jeſu non obediviſſe. Omnes ſumma cum animi alacritate ac lætitia obedire debebant, & cauſas obediendi ampliſſimas habebant.

Sed non omnes *obediverunt*, ὑπήκουσαν. Nempe ut crederent Euangelio, id eſt tam bono, tam læto nuncio, quo nullum melius, nullum lætius ac certius mortalibus afferri unquam poſſit.

Eſaias enim dicit. Eſaiæ teſtimonio confirmat prædicationi Meſſiæ, & ejus miniſtorum, non omnes, imo valde paucos, credituros fuiſſe. Nam ſi verborum iſtorum ſenſum myſticum ſpectes, qui in Prophetarum, & inprimis Eſaiæ oraculis, totus ad Meſſiam ſpectat & attendi debet, loquitur Eſaias ſub perſona Meſſiæ, & ejus in prædicando Euangelio miniſtrorum.

Domine. Deus hoc titulo, ex Veteris Fœderis Græca tranſlatione compellatur; ſed poſtquam venit Meſſias ille, quem Deus omnium Dominum effecturus erat, titulus Domini Meſſiæ ceſſit; Deo autem, abſolutus Dei titulus, quippe auguſtior, relictus eſt. *Nobis*, inquit Apoſtolus,

unus

unus Deus, Pater &c, & unus Dominus Jeſus Chriſtus 1 Cor. viij. 6.

Quis credidit. Quotuſquiſque, pauci admodum, comparati cum iis qui non crediderunt. Loquitur autem de populo Judęorum.

Auditui noſtro. Τῇ ἀκοῇ. Non ipſam audiendi facultatem naturalem hac voce deſignat, ſed facultatis iſtius actum, ſeu auditionem ipſam, quam ſuam dicit Propheta, quatenus eam ſua prædicatione in auribus auditorum effecerat. Ideoque ſuam includit prædicationem, per metonymiam effecti ſynecdochicam, id eſt prædicationi & Euangelio noſtro, ſeu à nobis audito. Hebræa phraſi λόγος τῆς ἀκοῆς alibi dicitur. Non eſt vero putandum prænotionem & prædictionem divinam ullo modo cauſam fuiſſe contumaciæ Judæorum. Neque enim Deus decretum ullum fecit ut Judæi contumaces eſſent; ſed cauſas illorum contumaciæ, id eſt vitia ac malos mores (qui ſoli hominibus ad fidem Euangelio adhibendam vere obſtant) prævidit, ex quibus & effectum prævidere ac prædicare facile potuit, qui ex cauſis ſuis ſponte ſequitur. Præviderat nimirum Deus Judæorum poſteros nequaquam meliores fore majoribus ſuis, aut ſeculum illud quo Meſſias exoriturus erat, ſeculo quo vivebat Eſaias & alii Prophetæ incorruptius. Degenerare enim ſolent in pejus homines & deteriores ſubinde naſci. *Ætas parentum pejor avis, Tulit nos nequiores, Mox daturos progeniem vitioſiorem,* canit ille. Prędictio non eſt cauſa ejus quod eventurum eſt, ſed potius id quod eventurum eſt cauſa eſt prædictionis. Id autem quod eventurum eſt, ſuas itidem habet cauſas ob quas eſt eventurum, idque tam certo quam cauſæ ſunt certæ.

Verſ. 17. *Igitur fides ex auditu, auditus vero per verbum Dei.* Ex hoc Eſaiæ dicto inſert Apoſtolus idipſum quod ſupra affirmaverat, nempe fidem in Jeſum eſſe ex prædicatione, & prædicationem iſtam eſſe ex verbi Dei prædicatione; quandoquidem in Jeſu, ſicut alia omnia, Meſſiæ, qui olim venturus erat, ſigna ſunt impleta; ſic & hoc non minus, quod pauci eſſent qui prædicationi ejus crederent.

Igitur fides eſt ex auditu. Quaſi dicat, quandoquidem Eſaias fidem ad auditum tanquam effectum ad ſuam cauſam refert.

Fides. Non de quavis fide loquitur Apoſtolus: licet enim quælibet fides ſit ex auditu; tamen non quilibet auditus eſt per verbum Dei, ut ſtatim additur. Loquitur ergo Apoſtolus de fide quæ ſit ex auditu tali, qui fiat per verbum Dei: ea vero eſt fides Jeſu, vel ob id ipſum, quod etiam hoc, ſicut & alia omnia quæ de Meſſia prædicta ſunt, in Jeſu evenerit, ut pauci Judæorum Euangelio ejus fidem adjungerent. Ad prædicationem pſeudo-prophetarum certatim accurrunt homines, quippe quod placentia ipſis loquantur; ſed prædicationi verbi Dei & nuncii ab ipſo Deo miſſi, vix quiſquam eſt qui obſequentes aures animumque præbeat. Ideo & articulus voci *fides* in Græco additus, vim ſuam hic retinet, ut fidei vocem ad rem ſubjectam, nempe ad Euangelium Jeſu reſtringat. Nam & Euangelio Jeſu credere, omnium excellentiſſima fides eſt; unde & fides abſolute dicitur.

Ex auditu. Intellige eſt vel oritur: ex auditione ſeu audiendi actu, ut diximus. Poteſt etiam ex lectione, aut aliis ſignis oriri fides, ſed Apoſtolus id dicit quod fit communiter, ac verbis Eſaiæ ſignificatur, & lectio aliave ſigna auditioni reſpondent, ſeu loco illius ſunt.

Auditus vero per verbum Dei. Intellige & hic, *eſt* vel oritur. Vox *auditus* eodem modo accipitur quo prius.

Per verbum Dei. Id eſt prædicationem verbi Dei: ſubjectum occupans ponit pro adjuncto occupato. Prædicatio enim verbi Dei excitat & efficit auditionem verbi Dei.

Verſ. 18. *Sed dico, num non audiverunt? imo vero in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* Hæc adverſativa particula ſuperiori concluſioni opponitur: quaſi dicat Apoſtolus. Igitur hoc certum eſt, Euangelium Jeſu eſſe verbum Dei, & præcones Euangelii iſtius ad illud prædicandum à Deo miſſos eſſe.

Sed ut cauſam inobedientiæ Judæorum explicem, *dico, num non audiverunt? Dico,* per interrogationem nimirum: quaſi dicat, num idcirco οὐχ ὑπήκουσαν ὅτι οὐκ ἤκουσαν, non obediverunt quia non audiverunt. Nam & obedire Latinum, ad ſignificationem & formam Græci ὑπακούειν obedire, quaſi obaudire factum videtur. Num non in Judæis eſt culpa, ſed in Euangelii præconibus, aut in Deo ipſo qui non omnibus curavit Euangelium prædicari?

Imo vero. Negat in Deo aut in Euangelii præconibus culpam ullam eſſe: quaſi dicat, tantum abeſt ut non omnes Judæi audiverint Euangelium, ut in omnem terram exiverit ſonus Euangelii præconum &c. Verba hæc ſumit ex Pſal. xix. 5, quæ de cælis eorumque admirabili opificio dicta, eleganter & proprie uſurpavit de Euangelii præconibus. Sic & verba de Deo dicta, ſæpe ſolent accommodari ad Chriſtum. Ut & de Chriſto dicta ad Apoſtolos, idque propter ſubordinationem, non ob ſolam metaphoram, ut hic. Sicut enim cæli & ſydera, eorumque motus & effecta, auctorem ac opificem Deum ubique terrarum docent, ejuſque ſapientiam, potentiam, bonitatem ac providentiam infinitam enarrant, nec ulla gens eſt quæ verba illorum non audiat, non intelligat, omnium gentium lingua loquuntur, id eſt omnes Gentes ex tam admirabili opificio agnoſcere poſſunt ac debent opificem: Sic præconum Euangelii Jeſu in omnem terram dimiſſorum ſermo ubique inſonuit, & in ipſis extremitatibus terræ verba eorum audiuntur & intelliguntur, cum per Spiritus Sancti virtutem cujuſque gentis propria lingua loquantur. Non fruſtra Apoſtolus verbis iſtis de Euangelii Jeſu præconibus uſus eſt, nempe ut ſignificaret illos non minus ab ipſo Deo fuiſſe miſſos, & ad hanc legationem peragendam inſtructos, quam cælos & ſydera eorumque motus & effectus à Deo ſunt creati. Unde enim obſecro hominibus idiotis, indoctis, piſcatoribus, tanta & tam repentina ſapientia, ut cujuſque gentis ad quam venirent lingua loqui & Euangelium prædicare poſſent? Quę iſta foret tanta vis mendacii, ut tot homines in omnes orbis partes diverſos ageret, nulla humana ſapientia præditos, nullo hominum præſidio munitos, omnium injuriis & vexationibus obnoxios, ad prædicandum, tanta animorum contentione, dogma non mendaciſſimum tantum, ſed ſimul etiam invidioſiſſimum, omnium hominum opinionibus ac

moribus plane adverſum; quamvis optime ſcirent ſe ad certiſſimas cruces & mortes ire: quæ inquam, tanta vis ſeu furor verius ac rabies mentiendi eſſet, ut maximo ſibi bono ducerent pro dogmate quod à ſe nequiter confictum eſſe ſcirent, diriſſima quæque perpeti, & atrociſſimam etiam mortem oppetere? Hæc igitur tam publica, tam univerſalis, tam in omnes terras repente diffuſa per tales, quales diximus, homines, & talibus cum circumſtantiis Euangelii Jeſu prædicatio, cælitus ſeſe profectam ac veluti delapſam arguit, & non minus quam Sol & ſydera omnes terras luſtrantia & illuſtrantia, auctorem Deum præſert. Adde quod ſonus & verba proprie competant ac tribuantur hominibus: cælis ac ſyderibus per metaphoram.

In omnem terram. Continens pro contento, id eſt ad omnes homines ubicunque terrrarum habitantes.

Exivit. Nempe per homines,

Sonus. Id eſt prædicatio quæ fit cum ſono,

Illorum. Id eſt Euangelii Jeſu præconum, quorum duces erant Apoſtoli, peculiariter ſic dicti, cæteri illorum adminiſtri ac internuncii, Euangeliſtæ appellati.

Et in fines orbis terræ. Iterum continens pro contento, id eſt ad extremas uſque gentes, ultra quas nulli ſunt homines. *Orbis terræ*, τῆς οἰκουμένης, ab habitando, quod orbem terræ hnmines inhabitent.

Verba eorum. Ex quibus nimirum prædicatio conſtat. Dicat aliquis: non ad omnes omnino gentes pervaſiſſe Euangelii Jeſu præcones. Primùm id nihil refert. In talibus enim locutionibus ſpectatur non plane univerſum, ſed prope univerſum ac præcipuum: quo ſenſu idem Apoſtolus dixit Euangelium eſſe prædicatum omni creaturæ quæ ſub cælo eſt Col. j. 23. Deinde, Gentes illæ ad quas non penetrarant Euangelii præcones, vel plane tum erant incognitæ, & immenſo Oceano abditæ, ideoque in cenſu Gentium poni tum non poterant; vel erant immanitate barbaræ, & feris potius quam hnminibus ſimiliores, ideoque inter homines vix numerandæ, donec tempore miteſcerent & ad humanitatem pervenirent, ſine qua prædicatio Euangelii nullum habet locum; vel, ſi quæ non incapaces Euangelii reſtabant, ab Euangelii præconibus non aditæ, hoc ex accidenti factum eſt, non quod eas adire nollenr Euangelii præcones, ſed quod aliqua de cauſa impediri non poſſent; vix tamen ulla gens erat, ad quam ſi non ipſi Euangelii præcones, tamen prædicationis illorum fama & verba non perveniſſent.

℣ſ. 19. *Sed dico, num non cognovit Iſraël? Primus Moſes dicit*, (Deut. xxxij. 31.) *ego ad æmulationem provocabo vos ſuper non gente: ſuper gente inſipiente ad iram provocabo vos.* Iterum particula adverſativa *ſed* opponitur ſuperiori aſſerto: quaſi dicit, non poſſunt ergo Judæi cauſam inobedientiæ ſuæ prætexere, quod non audiverint Euangelium Jeſu ſibi prædicari; ſed ut tandem cauſam inobedientiæ illorum demonſtrem, *dico*, interrogando ſimiliter ut prius, id eſt quæro,

Num non cognovit Iſraël? Quaſi dicat, num hoc ideo factum eſt, quod Iſraël quidem, Euangelium ſibi à Deo miſſum prædicari audivit, & tot tantaque divinitatis argumenta circa prædicationem illius conſpexit. Sed hæc divinitus fieri, & Euangelium ſibi auctore Deo prædicari nnn cognovit, non intellexit, quod hoc abſconditum ſit, quanquam propria illius culpa ac vitio, coram oculis ejus. Non addit Apoſtolus hanc ipſam eſſe inobedientiæ Judæorum cauſam, ſed eam vult intelligi, quod non ſolum res ipſa docet, ſed etiam Scripturæ quod ſubjungit teſtimonium: & Chriſtus ipſe hanc eandem cauſam commemorat Luc. xix. 42. Joh. xvj. 3. & Apoſtoli Actor. iij. 17. 1 Cor. 2. 8, & alibi. Id tamen, quod non cognoverint Meſſiam promiſſum, graviſſimum illorum includit peccatum, ut infra dicemus.

Primus Moſes dicit. Nempe hoc quod Judæi Meſſiam non eſſent cognituri. *Primus*, quia ante Moſen nemo hoc dixir, ſaltem ita, ut hoc Scripturæ mandaretur: ſed poſt ipſum dixit Eſaias, cujus verba ſecundo loco citat Apoſtolus, dixerunt & alii Prophetæ, tempore poſteriores Moſe, quorum verba tanquam in re nota citare inſuper habuir.

Moſes dicit. Deus quidem eſt qui verba quæ ſequuntur dixit; ſed ea Moſen dicentem facit Apoſtolus, quod ea Moſes literarum monumentis conſignata ſemper loquatur ac dicat.

Ego ad æmulationem &c. Verba ipſa ex Moſe refert Apoſtolus. *Ego*, nempe Deus veſter, *ad æmulationem provocabo*, παραζηλώσω, efficiam vos zelare, id eſt invidia uri ac rumpi. Zelus enim hic ponitur pro invidia, per ſynecdochen generis pro ſpecie. Nam & invidia zelus quidam eſt, ſed malus & injuſtus. Dei quidem conſilium erat Judæos ad æmulationem ſanctam accendere cap. xj. 11, quod & Apoſtoli propnſitum erat ibid. verſ. 14; ſed effectus, Judæorum vitio ac malitia, cecidit in invidiam.

Super non gente. Id eſt ex cauſa & occaſione non gentis, ſeu per nnn gentem: particula ἐπὶ, *ſuper*, hoc loco cauſæ efficientis ſignificarionem haber.

Non gentem, vocat Deus gentem in oculis Iſraëlitanım vilem & abjectam, reſpectu gentis Iſraëliticæ, quæ ſibi maximæ coram Deo dignitatis videbatur, & certo ſenſu erat, quaſi non gentis ratinnem habentem. Intelligit Deus gentes profanas, veri Dei ignaras, quas Judæi præ ſe contemnebant & nihili ducebant. Ponitur numerus ſingularis pro plurali, per enallagen, gens pro gentibus. Nam & omnes profanæ gentes in uno genere conveniunt, quatenus quælibet illarum profana gens eſt. Zelum autem ac invidiam Iſraëli movit Deus, cum profanas Gentes ad fidem in Meſſiam convertit, cum iis juſtitiam imputavir, cum eas per ſpiritum ſuum ſanctificavit, cæleſtibus donis implevit, veri Dei, id eſt ſui ipſius cultores effecit, à vitiis purgavit, & ad communionem regni Meſſiæ vocavit; breviter: illa omnia in eas contulir quæ Iſraëli per Meſſiam erant conferenda. Nam Deum loqui de re quæ per Meſſiam eventura eſſet, ponit Apoſtolus, tum quod verba iſta per Moſen Prophetarum principem referantur, quorum ſpiritus totus ferebatur in Meſſiam, Moſis inprimis, qui inſuper & Meſſiæ typus erat, tum quod Gentium profanarum ad Deum converſio, de qua verbis in iſtis agitur, non per alium quam per Meſſiam & Meſſiæ tempore futura eſſet.

Super gente inſipiente. Rem eandem aliis verbis exprimit Deus, ut eam tanto magis Iſraëlirarum animis inculcaret (quo ſibi tanro diligentius caverent) & ut unum per aliud exponeret. Gens inſipiens, ſunt Gentes pro-

Digitized by Google

tes profanæ, vere inſipientes, quamvis ſibi ſapientiſſimæ viderentur, quod pro Deo vero, rerum omnium & ſuo creatore, idola colerent cap. 1. 21, 22.

Ad iram adducam vos. Iraſci ſeu ira vos ringi faciam, veſtro tamen vitio, non mea culpa. Quibus invidemus, iis & iraſcimur, eoſque amotos ac ſublatos cupimus. His autem verbis minatur & ſignificat Deus, fore ut ſi Iſraël Meſſiam olim venturum agnoſcere ac recipere nolit, bonis per Meſſiam allatis excidat, & Gentes profanæ iis gaudeant, & Iſraële rejecto ac repudiato, ejus in locum apud Deum ſuccedant, & à Deo ſuſcipiantur. Nam ſi Iſraëlitæ participes eſſent Meſſiæ & bonorum per ipſum allatorum, nullam cauſam haberent zelandi ſeu invidendi & iraſcendi gentibus, ad eandem Meſſiæ participationem admiſſis, ſed potius iis congratulandi, & una cum illis lætandi, eaſque amandi cauſam haberent maximam. Primus ergo Moſes ſignificavit & prædixit fore, ut Iſraël non cognoſceret Meſſiam, gentes autem cognoſcerent.

Verſ. 20. *Eſaias autem audet & dicit; inventus ſum iis qui me non quærunt, manifeſtus factus ſum iis qui me non interrogant.* Citat alterum eandem in rem teſtimonium: quaſi dicat, illa quidem quæ protuli verba Moſes dicit.

Eſaias vero. Moſe poſterior

Audacia utitur, ἀποτολμᾷ. Nihil veretur. Non quod Moſes vereretur: nam nec Moſes quidquam eſt veritus verba Dei referere & prodere; ſed quod hoc in Moſe minus mirandum eſſet, qui Rex quidam erat Iſraëliterum; at pauper Eſaias, quia tantam habuit audaciam, ut hęc quæ ſequuntur, Dei verba Iſraëli referret & in os diceret; eo ipſo ſeſe divino juſſu & inſtinctu loqui oſtendit.

Et dicit. Exprimit qua in re audacia ſit uſus, nempe in dicendo Iſraëli quæ ſequuntur verba, quamvis illis Iſraëlem graviter offenſum iri facile perſpiceret, & ſe Iſraëlitarum injuriis opportunum videret. Sed qui ſe à Deo miſſos eſſe ſciunt, talia non curant, Deum magis quam homines reveriti; à quibus ſi aliquam hoc nomine patiantur, Deo permittente, injuriam, maximum à Deo præmium illos manet. Res eodem redit, ſi dicamus Apoſtolum ἓν διὰ δυοῖν ſignificare, id eſt duo verba ponere pro verbo cum adverbio, audacia utitur & dicit, pro audacter vel intrepide dicit. *Dicit*, ſimiliter ut Moſes, id eſt Dei verba, ſcriptis ſuis prodita, perpetuo loquitur.

Inventus ſum. Ipſa verba Dei refert Apoſtolus ex Eſaia cap. LXV. 1. Inveniunt Deum, qui ipſum, oculis hominum inconſpicuum, & longe ab omni ſenſu remotum, ejuſque voluntatem cognoſcunt. Hoc modo ſe inventum dicit Deus iis qui ipſum non quęrunt. *Inventus ſum*, id eſt inveniar, per enallagen temporis prętériti pro futuro. Loquitur enim Deus de re tum adhuc futura, quæque per Meſſiam olim implenda erat: ſed rem eventuram prævidens, tanquam in præſente & facta verſatur.

Iis, id eſt ab iis, *qui me non quærunt.* Quærere dicuntur Deum, qui omnem dant operam ut ipſum & voluntatem ejus cognoſcant, & cognitam exequantur. Deum igitur non quærunt qui plane non curant, nec cogitant ut Deum cognoſcant, & hæ tum erant gentes profanæ, idolis ſuis penitus deditæ, iiſque acquieſcentes. His inventum ſe iri Deus dixit, quod ipſe ad eas nihil tale curantes, nihil cogitantes, Euangelium de Meſſia ejuſque regno miſſurus eſſet, per cujus efficaciſſimam & cæleſtiſſimam prædicationem, ad veram & perfectam Dei ac voluntatis ejus cognitionem perventuræ eſſent. Significatur enim minime fruſtraneam fore inter gentes prædicationem Euangelii, ſed cum effectu ſuo conjunctam.

Manifeſtus factus ſum. Idem dicit Deus aliis verbis. Deus fit manifeſtus cum cognoſcitur, tantoque fit manifeſtior, quanto cognoſcitur perfectius; perfectiſſimam autem Dei cognitionem, quæ hoc in ſeculo dari poteſt, Meſſias attulit.

Iis qui me non interrogant. Id eſt iis qui de me non interrogant, ἐμὲ pro περὶ ἐμοῦ. Solent enim de aliquo diligenter interrogare, qui aliquem videre & cognoſcere cupiunt. Vel, ut Gentes tacite Judæis opponat, qui oraculum, vel Urim & Thumim interrogare ſolebant. Loquitur Deus utrobique in præſenti, *non quærunt*, *non interrogant*, quia Gentes conſiderat quales tum erant cum hæc diceret, & futuræ erant cum iis lux Euangelii affulſura eſſet. *Populus* nimirum *ſedens in tenebris vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione & umbra mortis lux exorta eſt eis* Matth. IV. 8.

Verſ. 21. *Ad Iſraëlem autem dicit; totam diem expandi manus meas ad populum inobedientem & contradicentem.* Hęc verba itidem ex eodem apud Eſaiam loco verſ. 2 addit Apoſtolus, quia per priora Eſaiæ verba, res de qua agitur, nondum erat confecta, in quibus id tantum dicitur, fore ut Gentes ad Dei cognitionem & cultum per Meſſiam deveniant: quod vero Iſraël Meſſiam non agniturus & repudiaturus ſit, in illis non dicitur, ſed dicitur ac ſignificatur in iſtis, idque eſt de quo nunc agitur.

Ad Iſraëlem. Id eſt de Iſraële: πρὸς τὸν Ἰσραὴλ, pro περὶ τοῦ Ἰσραήλ. Sic Hebr. 1. 8, πρὸς τὸν υἱὸν pro περὶ τοῦ υἱοῦ.

Autem. Quaſi dicat, illud quidem de Gentibus profanis dicit, de Iſraële autem dicit id quod ſequitur.

Dicit. Verba Dei iterum Eſaiæ tribuit Apoſtolus, eadem qua ſuperius de cauſa.

Totam diem. Id eſt à mane ad veſperam, nullo diei tempore intermiſſo. Significat Deus ſe ſumma diligentia uſum in convertendis ad ſe per Meſſiam Judæis, & ad fidem in Meſſiam adducendis. Nam Deum de Meſſiæ temporibus inprimis loqui, Gentium docet converſio, cui Judæorum contumacia opponitur, & Deo cauſam erat datura, ut Euangelium de regno Meſſiæ ad Gentes mitteret. Neque ſperandum erat, ut Judæi, qui omnes Prophetas, Meſſiæ prodomos, & de illo vaticinantes, perſecuti fuerant, ipſi Meſſiæ, ſi illorum injuriis opportunus veniret, illiuſque miniſtris æquiores ſeſe præberent, quod egregie declarat parabola Luc. XX. 9 & ſeqq. Ponitur autem per enallagen numerus ſingularis pro plurali. *Totum diem.* Id eſt totos dies, ſicut ſupra cap. viij. 36. Hoc ipſum plane docet hiſtoria de Jeſu Chriſto, qui totos dies in templo docebat, & noctibus ſeſe recipiebat in vicinum urbi montem olivarum, unde ſummo mane redibat in urbem & in templum, docendi cauſa Luc. XXI. 37, 38.

Expandi manus meas ad populum. Invitando nimirum ad me & vocando populum Judæorum. Iſti enim

enim manum expanſioni adjunctus erat ſermo populum vocans & invitans; ſed ſolent qui cum animi affectu aliquem vocant & invitant, etiam geſtibus & manuum expanſione affectum ſuum teſtari. Ita Deus non tantum ſumma diligentia, ſed etiam ſummo conatu & affectu utebatur in convertendis ad ſe per Meſſiam Judæis. Loquitur & hic in præterito de re tum adhuc futura, qui Prophetarum mos eſt.

Expandi. Id eſt expandam: Deus enim futura tam videt ac novit, quam ſi jam fierent aut facta eſſent. Expandebat autem Deus manus ſuas per Meſſiam ejuſque miniſtros Apoſtolos, qui nomine Dei Judæos alloquebantur, illis regnum cæleſte annunciabant, dummodo in Meſſiam crederent & peccatorum pœnitentiam agerent.

Non credentem & contradicentem. Declarat quo eventu tantam curam populo iſti ad ſe & ad fidem in Meſſiam convertendo impenderit. Omnis effuſus labor & opera cecidit in irritum. Quæcunque afferebantur fidei argumenta non credebant, nec perſuaderi ſibi ulla ratione ſinebant ut Meſſiam agnoſcerent & in eum crederent; neque hoc ſolum, ſed etiam contradicebant iis quæ à Meſſia illiuſque miniſtris dicebantur & fiebant, diviniſſima, quæ per illos patrabantur opera, ad Diabolum auctorem referebant, & cum verbis contra veritatem nihil proficerent, ad verbera converſi ſunt, id eſt ad perſecutiones ac cædes, tum Meſſiæ ipſius, tum ejus in Euangelii prædicatione miniſtrorum, tum denique & omnium diſcipulorum nomen ipſius profitentium. Vox enim *contradicentem* ἀντιλέγοντα tam late accipi debet, ut etiam facta contraria quæ poſt verba ſequi ſolent includat Hebr. xij. 3. Hoc nimirum eſt quod Meſſias ipſe dixit; *Jeruſalem Jeruſalem, quæ occidis Prophetas &c* Luc. xiij. 34, 35. Patet hinc maxima Judæorum culpa in eo quod non agnoverint Meſſiam, & ignorantiam iſtam plane eſſe inexcuſabilem, tantum abeſt ut ipſa excuſare poſſit alia quæ inde profecta ſunt peccata. Quidquid prætendant, Gentium profanarum ad Meſſiam, & per Meſſiam ad Deum converſione, convincuntur. Neque enim profanis Gentibus convertendis major opera impenſa eſt quam Judæis, imo Judæis duodecim Meſſiæ Apoſtoli inſudarunt, Gentibus unus fere Apoſtolus Paulus: nec Gentes ipſum Meſſiam viderant, cujus adſpectu Judæi quotidie fruebantur. Et ſicut omnis culpa penes Judæos eſt, ſic extra omnem culpam Deus ponendus eſt. Quid enim vineæ iſti ſuæ amplius facere potuit ut fructus ferret, quam quod fecit? quas majores machinas, ſalva probitatis & improbitatis declarandæ facultate, populo iſti admovere, ut Jeſum eſſe Meſſiam agnoſceret? Aliquot annos ipſis Meſſias prædicavit, tanta diligentia, tanto animi affectu, ut manus ad illos protenderet, & totos dies à mane ad veſperam iis docendis & ad ſe invitandis daret, tot tantaque inter illos opera diviniſſima patravit, ut eorum numerus iniri non poſſet, Gentes denique Deus, per Euangelium Meſſiæ, ad ſe convertit, ut eorum animos ad æmulationem accenderet, ne ſibi à Gentibus profanis decus & gloriam ſuam præripi paterentur. Sed quidquid Deus pro illis convertendis fecit, id omne ipſi in contrarium rapiebant, magiſque per id indurabantur, & à Deo avertebantur, zelum & æmulationem ſanctam verterunt in zelum amarum & iram adverſus Gentes, & qui ipſis prędicabant Apoſtolos. Hinc recte & vere de Judęis Apoſtolus, *qui*, inquit, *& Dominum occiderunt Jeſum, & proprios Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus ſunt contrarii, qui prohibent nos Gentibus loqui ut ſerventur, ut impleant ſua peccata ſemper, venit autem ſuper ipſos ira in finem* 1 Theſſ. 2. 15, 16. Ipſi igitur noluerunt, ut Chriſtus dicit, non Deus noluit. Sed indurati fuerunt à Deo, inquies, ne crederent: Sic eſt. Sed quomodo Deus indurat, niſi quatenus malitiæ & improbitati locum & occaſionem relinquit? Hoc Deum facere omnino decet, ut inter probos & improbos diſcrimen eſſe poſſit, & ne cuiquam vis inferatur faciendi quæ Deus jubet. Tolleretur enim omnis & virtutis & vitii, & conſequenter pręmii ac pœnæ locus. At enim dices, Deus pręvidit & prędixit Judęos Meſſiam rejecturos eſſe. Quid tum? ſed ut rejicerent minime prędeſtinavit. Pręſcientia, inquies, & prędictio Dei falli non potuit. Sane non potuit. Nam Deus nunquam hominum malas actiones & malefacta ſic pręnovit & prædicit, ut iis facultatem & poteſtatem non agendi male eripiat, qui ſi male agere nollent, libenter illis ſuam in talibus pręnotionem ac prædictionem remitteret, quæ ſemper hominum culpam, qua, ſi vellent, carere poſſent, ſupponit.

CAPUT. XI.

Verſ. 1. D*ico igitur, num repulit Deus populum ſuum? Abſit. Etenim ego Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraham, tribu Benjamin.* Ex ſuperius dictis infert interrogationem Apoſtolus.

Dico? Interrogando videlicet, ut ſupra cap. x. ℣ſ. 18, 19, & infra verſ. 11.

Igitur. Quaſi dicat, quandoquidem Iſraël Meſſiam non cognovit, illi non credit, ſed contradicit ac repugnat, & Gentes profanæ in locum Iſraëlis à Deo propter fidem in Meſſiam ſuſceptæ ſunt.

Num repulit Deus populum ſuum? Hoc interrogat Apoſtolus; num, quia illa quæ aſſeruit facta ſunt, Deus repulerit populum ſuum? Abſurdum enim omnino ſit, Deum populum ſuum repuliſſe & abjeciſſe. Quem enim potius Deus amet, foveat, beneficiis afficiat ac ſalvet quam populum ſuum? Certe alienum nec ſuum populum ſuo non præferet, nec ſuo repudiato, alienum amandum ac ſalvandum ſuſcipiet Ἀπώσατο, *rejecit, repulit*, nempe à gratia ſua & ſalute æterna.

Abſit. Reſpondet ad interrogationem Apoſtolus negando id factum eſſe. Abſit ut hoc Deus fecerit & feciſſe dicatur.

Etenim ego, vel *nam & ego &c.* Vel ſuo exemplo manifeſtum facit, Deum non rejeciſſe populum ſuum: quaſi dicat, ſi Deus populum ſuum, Iſraëlem ſuum, rejeciſſet; etiam me rejeciſſet.

Nam & ego Iſraëlita ſum. Id eſt ex Iſraële genus duco.

Ex ſemine Abraham. Id eſt ex Abrahami ortus poſteris, qui ſoli in ſemen ſeu pro ſemine & filiis Abrahami reputandi erant.

Tribu

Tribu Benjamin. Etiam tribum oſtendit ex qua ortus eſſet, ex tribu nimirum Benjamini, quæ cum tribu Judæ ex Babylonica captivitate in Judæam reducta eſt, & Regibus Judæ adhæſit ex Davide prognatis, cæteris tribubus à Davidis ſtirpe avulſis, & in captivitate ac ſervitute, in quam abductæ fuerant, relictis.

Verſ. 2. *Non repulit Deus populum ſuum, quem prænovit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura, quomodo interpellat Deum contra Iſraëlem dicens.* Repetit negationem, ſed addit, *quem prænovit.* Quibus verbis limitat appellationem populi Dei, & conſequenter Iſraëlis: quaſi dicat, non intelligo populum Dei & Iſraëlem qui nominetenus tantum, non reipſa, populus & Iſraël eſt Dei, ſed qui vere ac reipſa Dei populus & Iſraël eſt, nempe quem Deus prænovit, is autem eſt qui in Jeſum Chriſtum credit. Hunc enim Deus ante ſecula prænovit, id eſt probavit, dilexit, elegit, & pro ſuo populo, poſt Chriſti adventum, habendum, amandum, fovendum, & cæleſti gloria afficiendum conſtituit; cæteris omnibus quocunque tandem ex ſemine cretis, quoſcunque parentes præferentibus, ſi in Jeſum Chriſtum credere nolint, rejectis ac repudiatis. Nimirum ex Deo per fidem in Jeſum Chriſtum naſci oportet, ſi quis Dei filius & regni cæleſtis hæres eſſe velit. *Non & ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* ſicut alter Apoſtolus Johannes loquitur Joh.j. 13.

An neſcitis in Elia &c. Docet idem nunc factum eſſe quod Eliæ temporibus evenerat, ne quis miretur, ex tanta Iſraëlitarum multitudine ſolos in Jeſum Chriſtum credentes Dei populum ac Iſraëlem verum eſſe. *An neſcitis?* quaſi dicat, optime ſcitis. Propterea id quod de Iſraëlis in Jeſum Chriſtum credere nolentis repulſione ac rejectione dico, mirari, quaſi rem novam & incredibilem, non debetis.

In Elia. Id eſt in hiſtoria de rebus Eliæ, per metonymiam ſubjecti vel cauſæ.

Quid dicit. Id eſt id quod dicit.

Scriptura. Scripturæ dictio tribuitur, per metaphoram, literis enim aliquid conſignare idem præſtat quod voce ſignificare.

Quomodo interpellat. Exprimit id quod Scriptura dicit. *Quomodo*, qua ratione, quibus verbis *interpellat Deum*, ἐντυγχάνει τῷ θεῷ. Deo videlicet reſpondens ac colloquens 1 Reg.xix. 9,10.

Contra Iſraëlem. Accuſando Iſraëlem, ut ſcilicet Deus Iſraëlem puniat, & ſuas injurias ſuæque divinæ majeſtatis graviſſimam læſionem pro meritis ulciſcatur, nec ſinat impunitam, gloriæ ſuæ vindicandæ cauſa. Qui zelus in Chriſtiano homine manſuetudine & charitate, quoad ejus fieri poteſt, temperandus eſt. Nimirum & Dei gloriam & hominum ſalutem amare debemus; ſic tamen utrumque facere, ne alterius per alterum ulla fiat diminutio.

Dicens. Verba ipſa Eliæ refert.

Verſ. 3. *Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.* *Domine.* Deum compellat, nam Græci Veteris Teſtamenti interpretes, vocem τετραγράμματον, Deo propriam, quam pronunciare, aut, quod proprie ſonat interpretari, Judæis religio erat, voce Domine ſolent reddere.

Prophetas tuos occiderunt. Nempe quod ipſos à cultu Baalis dehortarentur. Tale pretium referre ſolent Dei ſervi ab illis quibus conſtitutum eſt ſuæ obſequi voluntati.

Et altaria tua. Id eſt tibi conſecrata.

Suffoderunt. Proinde à fundamentis everterunt, ne ſcilicet ullæ victimæ & oblationes tibi fiant, ut tui cultus plane negligatur & intercidat, & pro te vero Deo idolum colatur.

Et ego relictus ſum ſolus. Quſi dicat, & univerſus Iſraël à te defecit, atque ad Baalis cultum tranſivit, ego ſolus tui cultor ſum relictus. Eo malorum res devenit, ut ex omni Iſraële me unicum cultorem reliquum habeas.

Et quærunt animam meam. Quaſi dicat, & hoc ferre non poſſunt, etiam me unicum ſuperſtitem extinctum cupiunt, idque unice & omni conatu agunt, ne unum quidem tui cultorem exſtare volunt; quod me non occiderint, non eo factum eſt quia nolint, ſed quia non poſſint, non quia non quærant animam meam, ſed quia non inveniant. Tu enim es qui me procul ab illorum oculis abdis & amoves, ac mei curam geris.

Animam meam. Id eſt vitam meam, per metonymiam cauſæ, ut eam mihi ſcilicet adimant, vel me, ut me occidant. Hactenus Eliæ interpellatio.

Verſ. 4. *Sed quid dicit ipſi divinum reſponſum? ὁ χρηματισμός: Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu ante Baal.* Interrogat Apoſtolus, quid à Deo reſponſi acceperit Elias, ut reſponſum iſtud ſubjiciat ac referat. *Sed*, particulam adverſativam apponit Apoſtolus, quia Elias opinioni ſuæ contrarium reſponſum accepit.

Dicit ipſi divinum reſponſum. Id eſt ſignificat, cognoſcendum declarat, reſponſum enim ipſa dictio eſt, vel divinum reſponſum ponit pro ipſo Deo, per metonymiam effecti, quo pacto Thargum & Onkelos mem-rah ſeu ſermonem, Dei nimirum, uſurpant pro ipſo Deo.

Reliqui mihi ipſi. Refert Dei, quem Elias alloquebatur, reſponſum. *Reliqui.* Tu dicis, te ſolum relictum eſſe mei cultorem, ſed ego tibi viciſſim dico, quod reliquerim mihi ſeptem milla virorum qui non flexerunt genu imagini Baalis. Reliquit autem illos Deus efficacia Legis ſuæ, quippe quod animi illorum cæteris eſſent probiores.

Mihi. Id eſt meo cultui ac ſervitio.

Septem millia. Numerus quidem per ſe non exiguus, ſed ſi cum Iſraëlitarum, qui à Deo defecerant, multitudine conferretur, vere reliquiæ.

Virorum. Vel homines ſimpliciter ſignificantur, ſive viri ſint ſive fœminæ, Hebræorum more, vel ſi proprie ſoli ſignificantur viri, numerus erit hominum major: credibile enim foret viris, ſi non omnibus, multis ſaltem adhæſiſſe uxores & liberos, qui ſcilicet uxores & liberos habuerint.

Qui non flexerunt genu. Deſcribit iſtos viros, id eſt qui ne minimum quidem cultum idolo exhibuerunt. Nam genu flectere inter minimos cultus eſt. Docemur iſtorum exemplo, à Dei cultoribus ne minimum quidem cultum idolo alicui exhibendum eſſe. Idolum autem eſt omne ſimulacrum quod alicui, ſive vero ſive falſo cæliti, ſive is vocetur Deus, ſive ſanctus,

Quod quærit Iſraël &c. Subjicit id quod ex dictis concludendum ac ſtatuendum eſt. Hoc duas habet partes; una eſt, Iſraëlem quod quęrit adeptum non eſſe.

Iſraël, intellige ſecundum carnem, *quod quærit*. Nempe ut juſtus pronuncietur à Deo ad vitæ æternæ adeptionem. Quęrebat autem per Legis, ut putabat, obſervationem.

Hoc non eſt aſſecutus. Quia neutiquam Legem obſervabat eo ſenſu quo eam obſervari par erat, ſi quis per illam juſtificari vellet ac vitam æternam obtinere. Externa quędam opera ſectabatur & ritus ac Ceremonias, ſed à vera ac ſolida juſtitia & charitate & animi puritate longe aberat.

Electio autem aſſecuta eſt. Hęc altera pars eſt iſtius quod concludi ac ſtatui debet: quaſi dicat, Iſraël quidem non eſt adeptus hoc quod quærit, electio autem hoc quod non quæſivit, nempe antequam ad Chriſtum confugeret, adepta eſt. *Electio*, id eſt electi, nempe à Deo, abſtractum pro concreto, ſeu ſubſtantivum pro adjectivo, Hebræorum more, quibus pauca ſunt adjectiva. Hi autem ſunt omnes in Jeſum Chriſtum credentes.

Aſſecuta eſt. Nempe juſtificationem ac vitam æternam: quamvis plærique ex illis peccatores eſſent. Nam cum in operibus ſuis nullam fiduciam haberent, ad Euangelium & Jeſum Chriſtum converſi ſunt, ut omnem in gratia illius collocarent. At qui ſibi videbantur juſti, ſuis operibus confidebant. Ita factum eſt ut electi quidem juſtitiam & ſalutem per Jeſum Chriſtum adipiſcerentur; Iſraëlitæ vero, quia nec opera habebant, præſertim ad Legis verum ac perfectum ſenſum exacta, nec ad Jeſum Chriſtum ſtulta ſui fiducia ire volebant, juſtificatione & vita æterna exciderent.

Reliqui vero occalluerunt. Ἐπωρώθησαν, animo ſcilicet, per metaphoram à corpore, occalluerunt, inquam, ne quis miretur eos Euangelio, cui tot tantaque veritatis ac divinitatis argumenta adſint non credere. Obduruerunt autem & occalluerunt, quod cum jam per ſe mali eſſent, & à facienda Dei voluntate per Chriſtum annunciata animum averſum gererent, à Deo ſint indurati. Neque enim ullos alios Deus indurat. Nam illos à Deo induratos fuiſſe & cap. IX & ſequentia docent. Indurati ſiquidem ſunt Chriſti humilitate, paupertate, ſermone, qui cum illorum opinionibus, affectibus, moribus non conveniebat; indurati ſunt Chriſti perpeſſionibus & ipſa tam infami morte; indurati ſunt ipſis Chriſti diviniſſimis operibus, quæ eos in livorem ac invidiam, proinde in odium erga Chriſtum capitale agebant: indurati denique ſunt ipſa Dei ſumma longanimitate ac patientia. Ita homines jam per ſe mali & improbi per illa ipſa indurantur ac deteriores fiunt, per quæ debuerant ad meliorem mentem ac frugem revocari. Eædem indurationis cauſæ manſerunt in Chriſti Apoſtolis, qui fere omnes idiotæ, & conditione piſcatores, aut publicani, omnes injuriis expoſiti, nihil ſua divinitus ſibi data ſapientia, & operibus admirandis, apud ſuperbos ac tumidos, & ab eorum ſermone averſos proficiebant, niſi ut tanto magis animo obdureſcerent & callum obducerent, quanto familiarior illis eſſet Apoſtolorum prædicatio, non aliter quam ſicut corporis membris aſſiduitate laborandi callus obducitur.

Verſ. 8. *Sicut ſcriptum eſt* (Eſai. vj. 9, & XXIX. 10) *dedit ipſis Deus ſpiritum ſoporis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque ad hodiernum diem.* Ne quis miretur hoc quod dicit Iſraëli eveniſſe, inſerit Scripturæ teſtimonium: quaſi dicat, ſic iis plane evenit ſicut ſcriptum eſt.

Dedit ipſis Deus &c. Ipſa Scripturæ verba recitat, quibus Deus populo Iſraëlitico dicitur dediſſe ſpiritum ſoporis, oculos ut non videant. Nam quod olim Deus fecit cum Prophetæ prædicarent, quid mirum eſt illum feciſſe cum prædicavit Meſſias? præſertim cum illa quæ ante Meſſiæ adventum fierent, typi quidam eſſent eorum quæ Meſſiæ tempore eventura erant. *Dedit ipſis Deus &c*, nempe per illa quæ diximus.

Spiritum ſoporis. Per genitivum effecti ſignificatur animi ſopor, iſque vehemens, ne Chriſti & Apoſtolorum tam divina prædicatione, tot operibus admirandis excitaretur ad credendum. Sic dicitur ſpiritus ſapientiæ, fortitudinis, charitatis & ſimilium: qua loquendi ratione ſignificatur ſapientia, fortitudo, charitas &c, ultra conſuetum ac naturalem modum. Græci codices habent πνεῦμα κατανύξεως. *Spiritum compunctionis.* A verbo κατανύττω compungo, κατανύσσω. Sed ſpiritus compunctionis, vim illos excitandi potius, & expergefaciendi habuiſſet; quam divinæ prædicationis & vocationis inſenſibiles reddendi. Ideo illi qui Petri concione audita compuncti fuerunt corde, protinus ſeſe ad quærenda ſalutis remedia convertunt. Niſi quis per compunctionem intelligat occultas conſcientiæ lancinationes, cum homines ſeſe male & improbe facere intelligunt, & tamen malefacere pergunt, & ſuis malefactis defenſiones quærunt. Nam & hic ſpiritus multos haud dubie exagitavit Judæorum; ſed hoc loco de induratione, & conſequenter de animo agitur qui Euangelii efficaciam non ſentit, nec ea quidquam afficitur. Ideo lectio Græca ad Hebræam exigenda eſt, ubi eſt vox quæ ſignificet mentis alienationem & ſtuporem. Hinc docti putant κατανύζειν, hoc loco eſſe à veteri κατανεύω, *nuo*, *nuto*, ut ſolent quos ſomnus urget, & quos ſtupor invaſit.

Oculos ut non videant, & aures ut non audiant. Id eſt impedivit illorum oculos ne videant, & aures ne audiant, quod fit cum oculi fruſtra vident opera, aures fruſtra audiunt verba diviniſſima, animo ad fidem Deo habendam nihil moto. Ita factum eſt, ut videntes non viderent, audientes non audirent. Nam qui vident & audiunt, ſine illo qui conſequi debet fidei effectu, perinde eſt atque ſi non videant, nec audiant, quæ profecto maxima cœcitas eſt. Impediti autem fuerunt illorum oculi & aures iis rebus quas diximus; nimirum quia prius interna animi improbitas oculos & aures ipſorum obſtruxerat.

Uſque ad hodiernum diem. Addit hoc Apoſtolus poſt inſerta Scripturæ verba, quod Judæorum animi tanto tempore emolliri & excitari, oculi & aures aperiri non poſſent, ſummam profecto illorum malitiam fuiſſe neceſſe eſt, quam Deus etiam conſtanti induratione ulciſcebatur, quo tandem meritas pœnas darent. Referuntur enim hæc verba ad verbum *occalluerunt*.

Verſ. 9. *Et David dicit; Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem*

tionem ipſis. Aliud ex Davidis Pſalmo LXIX. 23, dictum recitat eandem in ſententiam. *Fiat menſa eorum in laqueum*. Verba ſunt Davidis, quibus malis & improbis, Dei & Chriſti ejus (qui David erat typico ſenſu, veri illius Chriſti typus ac figura) adverſariis, ſpiritu Dei actus diras imprecatur, proinde eventuras prænunciat.

Fiat menſa illorum in laqueum. Senſu ad Chriſtum relato, menſa Judęorum, per metaphoram, quæ & in ſeqq. continuatur, erat illa multiplex ſpiritualium bonorum copia, quam Deus genti Judęorum paraveverat & exhibuerat per Chriſtum, ut illis maxima cum animi voluptate fruerentur ad vitæ æternæ adeptionem. Hęc ſunt illa altilia mactata ad nuptias Matth. xxij. 4. Menſa per metonymiam continentis, ponitur pro dapibus in menſa appoſitis, pro pane illo filiorum Dei, quem canibus projiciendum eſſe Chriſtus negaverat Matth. xv. 26.

Fiat in laqueum. Id eſt fiat laqueus, Hebræa locutione; cujus ſimilem inter alia habes 1 Cor. xv. 45. Eadem loquendi ratione in ſequentibus.

In captionem, in ſcandalum, in retributionem. Laqueus accipitur pro perditione, per metonymiam cauſæ. Feris enim, à quibus hæc metaphora ducta eſt, laqueus tendi ſolet, ut illaqueentur & pereant. Imprecatur igitur David Dei & Chriſti ejus adverſariis, ut menſa eorum, quam diximus, fiat ipſis pernicies ac perditio, id eſt perniciei & perditionis cauſa, dum tantam Dei gratiam ac tanta Dei beneficia ſpernunt, per metonymiam effecti pro cauſa, non antecedens tantum perditionis, ut in Achitophele, Abſolone, Juda evenit. Manet autem in metaphora, cum menſæ ſeu cibis in menſa appoſitis, laqueum opponit. Nam etiam cum feris laquei tenduntur, paſtus apponi ſolet, per quem ducantur in laqueum.

Et in captionem. Captio, quæ laquei effectus eſt, ſimiliter pro perditione ponitur. Feræ enim capiuntur, ut pereant. Res eadem alio modo exprimitur. Menſa eorum fiet ipſis captio, id eſt captionis cauſa; ſicut per eſcam animalia ineſcari & capi ſolent ac perdi.

Et in ſcandalum. Alia metaphora rem eandem deſignat. Scandalum enim lignum ſignificat in decipula, cui eſca alligata eſt, ut illius tactione mures capiantur. Scandalum ſimiliter pro perditione ſumitur, quia perditionis eſt cauſa. Precatur David, ut menſa illorum id ipſis fiat, quod ſcandalum & eſca ſcandalo alligata fit muribus. Nempe ut iis perniciem & exitium pro vita ac ſalute afferat; quamvis à Deo hæc menſa ad vitam ac ſalutem ipſis adferendam inſtructa ac poſita eſſet.

Et in retributionem ipſis. Etiam hîc manet in eadem metaphora. Nam noxiis animalibus eſca ponitur, ut iis fiat retributio pro damnis quæ attulere. Precatur David ut menſa ipſorum fiat ipſis cauſa pœnæ; quam malis & improbis ſuis factis mereantur. Pœna enim eſt retributio pro male factis.

Ipſis. Id eſt Judæis, Chriſti adverſariis. Ex his omnibus patet Dei & Chriſti adverſarios plane commeritos eſſe diras ac pœnas iſtas, quas ipſis David imprecatur. Commeritos, inquam, quod menſam quam illis maximis ac cæleſtiſſimis bonis inſtructam Deus per Chriſtum paraverat, ſpreverint ac contempſerint, imo pro tantis Dei beneficiis ſumme in Deum & Chriſtum, ejuſque Apoſtolos injurii fuerint. Quam ipſorum impietatem ac malitiam Chriſtus ipſe parabola illa apud Matth. xxij. 2 declaravit. Apparet igitur illos nequaquam ſic fuiſſe à Deo induratos, ut ullam propter hoc malitiæ & improbitatis ſuæ excuſationem poſſent prætexere.

Verſ. 10. *Obtenebrentur oculi ipſorum, ut non videant, & dorſum eorum ſemper incurva*. Modum ac rationem exprimit, qua menſa ipſorum fiat cauſa ipſorum exitii, & bona maxima, quibus à Deo cumulati fuerant, verterent ipſis in extrema mala. Hic autem modus & ratio eſt, *ut obtenebrentur oculi eorum ne videant*. Id vero eſt, ut à Deo indurentur. Obtenebrantur enim oculi ne videant, cum menti & animo intus caligo offunditur, ne divina beneficia & gratiam & veritatem agnoſcat ac intelligat. Nam caligante mente fruſtra vident oculi, & perinde eſt atque ſi non videant, cum ex illorum viſu nullus ad animum fructus, nullus effectus redit; quod Judæis uſu venit, qui tot divina opera in Euangelii prædicatione conſpicientes, nihil per illa movebantur ut Euangelio crederent. Quo autem pacto obtenebrata fuerit Judæorum mens, & conſequenter oculi, jam explicavimus; per illa ipſa nimirum per quæ vel maxime debuerant aperiri, ſi mica probitatis in animis eorum fuiſſet.

Et dorſum eorum ſemper incurva. Pœnam inter cæteras exprimit ipſorum contumaciæ apprime convenientem: pœnam nimirum duræ & perpetuæ ſervitutis, per quam contumax illorum animus frangatur & contundatur; quam etiam Judæorum genti à Deo irrogatam conſpicimus. Solent ſervorum terga oneribus impoſitis inflecti & incurvari. Imprecatur igitur illis Propheta tam triſtem ac duram ſervitutem, ne unquam dorſo eorum onera decedant, neve terga oneribus ſoluta unquam poſſint erigere, & ſi ab onere ac labore unquam ceſſent, congeſtis, inclinato tergo, plagis ac verberibus mulctentur.

Inclina, vel *incurva*. Id eſt fac inclinari, vel incurvari. Deum enim alloquitur Pſaltes, qui pœnas iſtas infligat Judæis. Ita Judæi cum filii Dei ac vere liberi eſſe poſſent, & regali menſæ Patris ſui cæleſtis perpetuo accumbere, in triſtem ac perpetuam, & animi, & corporis, & tandem æterni exitii ſervitutem extrema ſua malitia ac contumacia incidere. Ex his Davidis verbis videmus dari aliquando meritas imprecationes, & à Spiritu Sancto profectas, quas ſcilicet non proprias ac privatas injurias ulciſcendi inconſulta cupiditas ſuggerat, ſed divinæ gloriæ ardentiſſimus amor exprimat; cum videmus aliter illi conſuli, aliter illam vindicari non poſſe, niſi improborum & in malitia obſtinatorum exitio ac pœna. Itaque non omnes imprecationes cum Chriſti lege & Chriſtiana charitate pugnant; ſed inconſultæ ac indebitæ. Nam & Apoſtolus Alexandro illi fabro ærario, qui ex Chriſtiano apoſtata factus Apoſtolo multa mala exhibuerat, & ſermonibus ejus, qui haud dubie ſermones Euangelii fuerant, valde reſtiterat, imprecatur ut ipſi Dominus reddat ſecundum opera ejus: quod quid aliud eſt, quam ut hominem tam malum male tractet, & ſic gloriam ſuam ab ipſo vehementer læſam & conculcatam efferat & attollat 2 Tim. IV. 14, 15.

iv. 14, 15. Nec eccleſia ipſa imprecationibus abſtinuit in apoſtatas, præſertim qui non ſolum à fide Chriſtiana defecerant, ſed illam etiam omnibus modis oppugnabant; & anatbema illud Maranatha dictum, quod ipſe Apoſtolus ſtrinxit in illos qui Dominum Jeſum Chriſtum non diligunt 1 Cor. xvj. 22, divinæ ultionis juſtiſſimam imprecationem continet, quo vel blaſphemare ſanctiſſimam veritatem apoſtatæ dediſcant & reſipiſcant 1 Tim. j. 20; vel ſi nolint, blaſphemias ſuas debitâ pœna luant, ne aliis ſcandalo ſint. Nihil hoc pugnat cum Chriſtiana manſuetudine & charitate. Omnes enim virtutes certo modo & certis finibus continentur, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum. Nunquam ita charitas extendenda eſt, ut non relinquatur locus & pœnis meritis.

Verſ. 11. *Dico igitur, num impegerunt ut cadant? Abſit; ſed ipſorum lapſu ſalus Gentibus, ut ad æmulationem provocentur.* Ex ſuperioribus movet quæſtionem: quaſi dicat, oſtendi Judæos graviter impegiſſe quod rejecerint Euangelium Jeſu Chriſti:

Dico igitur? Id eſt quæſtionem igitur hanc infero. Sic ſupra verſ. 1, & cap. ix. 18, 19.

Num impegerunt? Id eſt peccarunt. Nam qui peccant, per metaphoram impingere dicuntur, quod qui impingunt corpus affligant, ſic qui peccant pœnæ ſe reddent obnoxios. Metaphora hæc manavit ex alia metapbora, qua vitæ actiones ambulatio dicuntur. Quod enim in ambulatione eſt impingere vel offendere, hoc in actionibus eſt peccare.

Ut cadant. Id eſt ut plane corruant, non revocato & reſtabilito greſſu, & quod Deus nolit eos unquam ad ſaniorem mentem redire. Nam alioquin jam niſi reſipiſcerent, ceciderant; quod & infra dicit Apoſtolus verſ. 22. Sic cadere pro interitu abſoluto capitur 1 Cor. x. 12.

Abſit. Reſpondet Apoſtolus; abſit ut hoc fiat, & à nobis exiſtimetur. Hinc videmus, Deum ſic Judæos induraſſe, ut ea per quæ indurabantur, potuerint ac debuerint in ſalutem ſuam vertere, idque Deum, quam ut in ſua permanerent contumacia, maluiſſe, & multo magis ac verius ſalutem eorum, quam exitium, quæſiviſſe. Nam & hoc ipſum quod Deus Gentibus ſalutem daret, ut mox dicitur, ad illos convertendos, à Deo inſtructum erat; quo tamen illi ſuo vitio indurati ſunt, & magis etiam adverſus Euangelium & fidem Jeſu Chriſti animum obſtinarunt; qua de re cap. x. 19.

Sed ipſorum lapſu, παραπτώματι. Rem ei quod negavit contrariam aſſerit, nempe illorum lapſu ſalutem Gentibus contigiſſe, eo fine ut ipſi ad zelum & æmulationem provocarentur, ac reſipiſcerent. Ita docet. Judæos peccaſſe ut & Gentibus, & ſibi deinde per Gentes, ſalutem adferrent. Hoc Dei conſilium erat. *Ipſorum lapſu*, vel *tranſgreſſione*, id eſt ex cauſa & occaſione illorum peccati, quod Euangelio nollent credere, illudque à ſe repellerent, ſalutem Gentibus obveniſſe. Deus enim illorum contumacia & ingrato animo offenſus, Euangelium miſit ad Gentes, cui dum Gentes credunt, ſalutem adeptæ ſunt.

Salus Gentibus. Intellige, obvenit vel data eſt.

Ut ad æmulationem provocentur. Id eſt ut Judæos zelus & æmulatio ſancta invadat, non patiendi ut ipſis Gentes profanæ ſalutem & regnum Dei præripiant, proinde ut & ipſi converſis animis ad Servatorem mundi Jeſum Chriſtum accurrant.

Verſ. 12. *Si vero lapſus eorum divitiæ mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum?* Docet Apoſtolus, ut tanto magis confirmet quod dixit, Judæos ſcilicet non impegiſſe ut caderent ſi delictum Judæorum & diminutio: tantam bonorum copiam mundo & gentibus omnibus attulit, quanto magis illorum converſio ad Chriſtum & plenitudo allatura ſit? Ne forte Gentes exiſtimarent, ſi Judæi converterentur, fore ut ipſæ detrimentum aliquod accipiant, ſicut ex eorum averſione maxima commoda acceperunt.

Lapſus eorum divitiæ mundi. Id eſt cauſa divitiarum mundi, per metonymiam effecti. Mundus enim ditatus eſt per delictum & tranſgreſſionem Judæorum, ut paulo ante explicatum eſt. Divitiæ iſtæ ſunt ſpirituales, proinde veræ ac ſolidæ, cognitio veri Dei & Chriſti, fides in Deum per Chriſtum, donum juſtitiæ, donum Spiritus Sancti, cum variis ac multiplicibus illius effectis, ſanctificatio, qua omnes continentur virtutes, & ab omnibus vitiis repurgatio, ſpes certiſſima vitæ æternæ, & illius ſenſus ac guſtus quidam, & quod hinc conſequitur, gaudium animi perpetuum & inenarrabile, & tandem ipſa vita æterna; quæ omnia voce ſalutis complexus eſt paulo ante verſ. 11.

Et diminutio eorum. Id eſt quod valde ſint imminuti & ad reliquias redacti, cæteris omnibus, quorum innumerabilis multitudo, à Deo rejectis.

Divitiæ Gentium. Id eſt cauſa fuit ut ad gentes tantæ divitiæ transferrentur, quæ Iſraëlitarum genti fuerant deſtinatæ; quo tanta Iſraëlitarum clades & diminutio Gentium aliarum converſione penſaretur.

Quanto magis, id eſt multo magis, *plenitudo eorum?* Intellige erit divitiæ mundi & Gentium omnium, cum ſcilicet univerſus Iſraël ad Chriſtum convertetur. Plenitudo eorum opponitur diminutioni, & ſignificat univerſam Iſraëlitarum multitudinem ſeu univerſum Iſraëlem verſ. 26. Sic plenitudo Gentium accipitur pro univerſitate Gentium infra verſ. 25.

Verſ. 13. *Vobis enim dico Gentibus, in quantum quidem ſum ego Gentium Apoſtolus, miniſterium meum glorifico.* Interrumpit contextum parentheſi, ſermone ad Gentes converſo. Dixit mundo & Gentibus ſalutem ad divitias contigiſſe; quod quia per ſuum miniſterium factum erat, videri poterat aliquid in laudem ſuam dixiſſe, & gloriam inanem affectare. Inſerit igitur cauſam cur id dixerit, ut oſtendat ſeſe id haudquaquam timere, ſed juſtiſſima de cauſa dixiſſe, non ut laudem ac gloriam ſuam captaret, ſed ut ſalutem quæreret Gentium pariter ac Judæorum. Quaſi dicat, nam quod dico, *Vobis dico Gentibus.* Id eſt qui Gentes eſtis origine, fide Chriſtiani: cur vero mihi non liceat id dicere coram vobis, qui id verum eſſe agnoſcitis?

In quantum quidem. Quaſi dicat, quid in eo abſurdi, aut inconvenientis eſt, quod quatenus quidem ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum glorifico;

ſico. Non fruſtra dicit, *in quantum*, vel, *quatenus:* quaſi dicat, nam & Judæorum Apoſtolus ſum ego.

Gentium Apoſtolus. Id eſt Apoſtolus ad Gentes, per genitivum objecti.

Miniſterium meum. Quod eſt Gentibus annunciare ſalutem per fidem in Jeſum Chriſtum.

Glorifico. Id eſt gloria & laudibus extollo, dum per illud mundo & Gentibus ſalutem ac divitias maximas contigiſſe prædico. Non hæc mea laus & gloria eſt, ſed miniſterii mei, proinde Dei & Chriſti (qui mihi miniſterium hoc demandavit, & me ad illud digne obeundum inſtruxit, & ut tam efficax eſſet effecit) & veſtra, in quorum gratiam totum hoc miniſterium directum eſt.

Verſ. 14. *Si quomodo ad æmulationem provocem meam carnem, & ſervem aliquos ex ipſis.* Non ſatis habuit oſtendiſſe jure ſe coram Gentibus Apoſtolatum ſuum ad Gentes vera gloria efferre, cum hoc ad illorum utilitatem & ædificationem pertineat; ſed etiam addit cauſam ad Judæos & ſalutem eorum ſpectantem: quaſi dicat, non quæro in hoc ullam meam gloriam, ſed Judæorum ipſorum ſalutem, Apoſtolatum meum ad Gentes ex tanto inter Gentes effectu gloria attollendo. *Si quomodo &c.* Omnes honeſtos modos adhibeo ad Judæos convertendos, etiam hoc modo utor, ut Apoſtolatum meum ad Gentes gloria extollam, quo eos ad zelum & æmulationem provocem. Hunc ipſum finem conſector, quem Deus habuit propoſitum in danda Gentibus ſalute. Id quæro ut Judæi zelo & æmulatione Gentium accendantur veniendi ad Jeſum Chriſtum, videntes ſuam ſalutem, ſuas opes ac divitias à ſe ablatas, & ad Gentes tranſlatas eſſe, propterea quod ipſi in Jeſum Chriſtum credere noluerint, Gentes autem fidem in ipſum amplexæ ſint.

Particula *ſi* docet eventum fuiſſe incertum, quamvis Apoſtoli ſtudium & conſilium eſſet certum.

Meam carnem. Id eſt Gentem, mecum iiſdem ex majoribus ortam, cujus caro eſt mea caro, cujus ſanguis eſt meus ſanguis. Cauſam inſerere voluit tantæ ſuæ de ipſorum ſalute ſolicitudinis, & ſimul ut mutuum illorum amorem ac benevolentiam eliceret.

Et ſervem aliquos ex ipſis. Ulteriorem exprimit finem ad quem zelus & æmulatio illa duceret; nempe Judæorum ſalutem. *Et ſervem*, id eſt ſalutis cauſa ſim; qui facit ut aliquis ſervetur, hactenus eum & ſervare dicitur.

Aliquos ex ipſis. Si non omnes (quod quidem illo tempore ultra ſpem omnem erat) ſaltem aliquos ex ipſis, animi ſcilicet probioris & minus ab Euangelio averſi. Etiam aliquorum ſalutem magno ponerem in lucro. Idem dicit & 1 Cor. ix. 22. Hinc quoque patet indurationem nemini ad converſionem obſtitiſſe, qui non ultro ac ſua ſponte vellet indurari. Alioquin enim fruſtraneus eſſet omnis Apoſtoli conatus, & Deus ipſe contra ſe pugnaſſet, qui Judæos à ſe induratos nihilo minus converſione Gentium ad zelum & ęmulationem, proinde ad converſionem, provocare & adducere conabatur.

Verſ. 15. *Si enim rejectio eorum reconciliatio mundi, quæ receptio, niſi vita ex mortuis?* Abſoluta parentheſi repetit orationis ſuæ filum Apoſtolus, confirmans quod dixit, multo magis plenitudinem Judæorum divitias Gentibus & mundo allaturam eſſe. Si enim, inquit, rejectio eorum reconciliatio mundi, intellige eſt. Rejectionem Judæorum reconciliationem mundi dicit, per metonymiam effecti, quod ſit cauſa & occaſio reconciliationis mundi, eodem modo quo ſupra verſ. 12. Deus enim rejectis ob contumaciam Judæis, Euangelium miſit ad Gentes, per quod ſibi Gentes ac mundum reconciliavit.

Mundi. Id eſt omnium Gentium. Ponitur continens pro contento, per metonymiam. Mundus erat inimicus Deo, colens idola & creaturas præter Deum creatorem ſuum, quem ſolum colere debuit, diabolo, Dei adverſario ſerviebat, & totus malis operibus deditus, Dei Legem & populum oppugnabat; hunc Deus ſibi reconciliavit, & ex inimico amicum ſuique cultorem effecit. Neque enim Apoſtolus reſpicit tam ad effectum ipſum, quam ad efficaciam divinæ vocationis & Euangelii, quæ tanta fuit, ut ſicut multos ex variis Gentibus Deo reconciliavit, ſic omnes reconciliare potuerit. Si igitur rejectio Judæorum tantum bonum attulit, idque non uni alicui aut alteri Genti, ſed univerſo mundo, ut is Deo ſit reconciliatus;

Quæ receptio? Id eſt quid erit receptio Judæorum? Pronomen fœmininum imitans genus nominis pro neutro. Τίς pro τί.

Niſi vita ex mortuis. Hoc eſt niſi cauſa vitæ ex mortuis; eadem qua in ſuperioribus omnibus metonymia: quaſi dicat, nihil aliud afferre poterit quam vitam ex mortuis. Mundus enim jam omnibus ſpiritualibus ac cæleſtibus bonis per Judæorum rejectionem ditatus eſt, quæ in hac mortali vita locum habere poſſunt; jam Deo eſt reconciliatus: hoc unicum reſtat, ut reconciliationis & bonorum quæ adeptus eſt, conſequatur effectum, id eſt ut vitam recipiat ex mortuis, ut, inquam, ex morte ad vitam immortalem ſuſcitentur omnes credentes; atque id ſecum feret receptio Judæorum, quod bonum quia omnibus bonis aliis longe majus eſt illorumque finis, conſequitur hinc plenitudine & receptione Judæorum multo magis ditatum iri mundum, quam ditatus fuerat diminutione & tranſgreſſione & rejectione: Non meminit Apoſtolus vivorum immutationis, quia ipſam in mortuorum ad vitam reductione, tanquam conſequens ſeu adjunctum neceſſarium includit, hoc ſolum nominat quod primum ac præcipuum eſt. Sane ſicut Judæorum receptio Gentium plenitudinem exſpectat verſ. 25. Luc. xxj. 24, ſic mundi conſummatio, & conſequenter juſtorum reſurrectio (quam ſolam etiam Chriſtus nominat) exſpectat Judæorum receptionem, qua facta mundi finis & vita ex mortuis aderit. Ideo Chriſtus poſt Judaicæ Gentis calamitatem, quę hucuſque durat, & durabit donec à Deo recipiatur abjecta, mox ſeſe venturum prædicit Matth. xxiv. 29. Luc. xxj. 25. *Receptio,* id eſt cum Deus recipiet in gratiam Judæos, quos nunc rejecit.

Verſ. 16. *Si vero primitiæ ſanctæ, & maſſa, & ſi radix ſancta, & rami.* Probat Judæos à Deo receptum iri. Quaſi dicat, nemo dubitat primitias Judæorum ſanctas eſſe; jam vero ſi primitiæ ſunt ſanctæ, etiam maſſam ex primitiis conſectam oportet eſſe ſanctam.

ſanctam. Primitiæ Judæorum, ſunt patres illi ſancti, Abraham, Iſaac, Jacob ſeu Iſraël, quos Deus ſibi peculiariter ſacraverat, & amandos ac beneficiis afficiendos ſuſceperat, quibus & mundi ac regni ſui hæreditatem deſtinavit.

Primitiæ ſanctæ. Intellige ſunt. Alludit ad primitias frugum quæ Deo conſecrabantur & offerebantur ex Legis præſcripto.

Et maſſa. Intellige, ſancta eſt: nimirum quæ ex primitiis ſanctis conficitur. Sic igitur & Judæorum gens ex primitiis illis ſanctis orta, ſancta eſt, & peculiariter Deo ſacra, proinde iterum in gratiam recipienda, idque etiam vi pactorum divinorum, quæ cum gentis iſtius patribus fecit.

Et ſi radix ſancta, & rami. Intellige, ſancti ſunt. Alia ſimilitudine rem eandem declarat & confirmat. Radix enim ſunt iidem illi patres ſancti, rami ſunt ex iſta radice enati Judæi. Eadem ellipſis verbi ſubſtantivi in utroque membro. Hanc alteram ſimilitudinem de induſtria attulit, ut eam perſequeretur in ſequentibus.

Verſ. 17. *Si vero quidam ramorum defracti ſunt, tu vero cum oleaſter eſſes, inſertus es illis, & particeps radicis & pinguedinis oleæ factus es.* Similitudinis iſtius occaſione, monet quemlibet ex Gentibus ad Chriſtum converſis, ne ſeſe adverſus Judęos rejectos efferat, & illorum caſui inſultet, ſed modeſte agat, & ſibi quoque metuat ac diligenter caveat.

Si vero quidam &c. Quaſi dicat, quamvis omnes ſancti eſſent.

Defracti ſunt. Id eſt ſi quidam Judæorum à Deo rejecti, & à ſua radice & olea (ab olea enim ſpeciatim ſimilitudinem ſumit) defracti & ſeparati ſunt,

Quidam. Nempe qui ex illis Euangelio non crediderunt, quamvis abſque comparatione plures eſſent.

Tu vero cum oleaſter eſſes. Id eſt, ex gente profana & Dei veri ignara ortus.

Oleaſter. Id eſt ramus oleaſtri, per ſynecdochen totius pro parte.

Inſertus es, per fidem videlicet in Jeſum Chriſtum, *in ipſis.* Id eſt inter ipſos, nimirum Judæos credentes.

Et particeps factus es radicis. Id eſt, factus es filius Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis.

Et pinguedinis oleæ. Olea enim plena eſt pinguedinis, inde olea dicta quod oleum producat. Olea eſt eccleſia credentium Judæorum, cujus radix ſunt patres illi ſancti, pinguedo iſtius oleæ ſunt omnia ſpiritualia ac cæleſtia eccleſiæ bona, quibus unà cum Judęis credentibus ex æquo communicant, quotquot ex Gentibus crediderunt. Non refert autem quod oleaſter in frugiferam oleam inſeri non ſoleat; cum id ex uſu non ſit. Tanto magis enim Dei gratia & potentia celebratur, quod rem fecerit inſolitam, oleaſtrum inſerendo oleæ bonæ, & effecerit ut inſertus miteſceret ac fructum ferret. Et quod hoc non fiat nec fieri ſoleat, ad rem & argumentum Apoſtoli ex accidenti eſt; Apoſtolo ſufficit quod hoc Deus fecerit, qui naturâ longe potentior eſt.

Verſ. 18. *Ne gloriare contra ramos; ſi vero contra gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.* Quaſi dicat, gloriare quidem de tanto Dei beneficio, de tanta tua beatitate; ſed non adverſus ramos, non ita gloriare, ut Judæis à Deo rejectis inſultes, illos ignominia afficias, & dictis procacibus lædas & exacerbes. Noli, inquit Lex, hædum coquere in lacte matris ejus. Satis ſuperque malorum habent Judæi ſua radice, ſua olea, ſua pinguedine privati, Gentibus profanis eorum in locum inſertis, & ad bonorum, quæ ipſorum erant propria, poſſeſſionem admiſſis; contumeliis inſuper & mordaci gloriatione, idque ab illis ipſis qui eorum in bona venere, non ſunt aggravandi.

Si vero contra gloriaris. Intellige, contra ramos naturales oleæ effractos, id eſt Judæos à Deo rejectos.

Non tu radicem portas, ſed radix te. Vanitatem ac ſtultitiam hominis oſtendit, obliti, nullum commodum ex ipſo ad radicem redire, ſed omne ex radice ad ipſum proficiſci, & radicem ſine illo eſſe poſſe, at illum ſine radice eſſe & ſubſiſtere non poſſe. Quaſi dicat, poterit radix ſine te conſiſtere, at tu ſine radice non poteris, cave igitur tibi & modeſte age, nihil te pereunte decedet radici.

Verſ. 19. *Dices ergo, defracti ſunt rami ut ego inſererer. Dices,* tu quem alloquor & moneo. *Ergo,* id eſt, anſa hinc arrepta quod in locum defractorum ramorum inſertus es.

Defracti ſunt rami &c. Id eſt rejecti ſunt Judæi, ut ego illorum in locum à Deo reciperer.

Verſ. 20. *Bene, incredulitate defracti ſunt, tu vero fide ſtas. Ne altum ſapias, ſed time. Bene &c:* quaſi dicat, laudo & approbo dictum, ſed cauſam & illorum defractionis & tuæ inſitionis volo ut ob oculos habeas, quominis animo efferaris & ſuperbias.

Incredulitate defracti ſunt. Id eſt, ideo ſunt defracti quod Euangelio credere noluerint.

Tu vero fide ſtas. Ἕστηκας, præteritum in ſignificatione præſenti, Hebræa phraſi: id eſt, ideo ſtas quod Euangelio credis. Defractioni ramorum recte opponit ſtare, rami enim defracti jacent in terram dejecti, inſerti & inoculati in arbore firmiter conſiſtunt. Intelligit autem ſtatum illius beatum. Hic videmus rejectionis Judæorum & receptionis Gentium cauſam fuiſſe, non divinum aliquod de ſingulis nominatim ab æterno factum decretum; ſed rejectionis quidem voluntariam cujuſque ἀπιστίαν & contumaciam, receptionis autem fidem & obedientiam. Nam niſi & illa voluntaria fuiſſet, quo pacto defractione ac rejectione puniri potuiſſet, & hæc niſi voluntaria eſſet, quo pacto quiſque ſibi cavere juberetur ne ab illa deficiat.

Ne altum ſapias, ſed time. Quaſi dicat, ex cauſa & illorum defractionis & tuæ inſertionis diſce altum non ſapere, ſed timere, idque ut facias te moneo. *Ne altum ſapias*, noli exiſtimare te nullo modo perire & à Deo rejici poſſe, te ſolum eſſe gallinæ filium albæ, ut ajunt, proinde noli gloriari adverſus ramos defractos.

Sed time. Ne ſcilicet tibi idem eveniat quod illis evenit, ideoque tibi diligenter cave. Nam ſi eandem in culpam incidas, quæ illos à Deo abegit, id eſt in ἀπιστίαν, idem te manet exitium; ſi id amittas quod te divinæ gratiæ aſſeruit, etiam gratia divina tibi carendum erit. Huc pertinet illuſtris ejuſdem Apoſtoli admonitio 1 Cor. x. 1, & ſeqq. Quorſum vero iſtæ admonitiones, ſi verum eſt electos non poſſe fieri non credentes & reprobos? Cur vero non debeam

beam altum ſapere, eur non debeam adverſus reprobos gloriari, cur debeam timere, ſi perire & ſalute excidere, ab æterno ad illam de nomine & cognomine immutabili decreto deſtinatus, nullo modo poſſim? Nemn id certo ſcire poteſt, inquies: certe non poteſt, quia nec verum eſt. Quid ergo me juverit etiamſi mihi vel maxime timeam, & modeſte me geram, ſi ab æterno rejectus ſim? Quid item noceat etiamſi vel maxime ſim ſecurus & ſuperbus & arrogans, & alios præ me contemnam, & adverſum illos me efferam ac glorier, ſi ab æterno electus & ad ſalutem immutabiliter prædeſtinatus ſim? Qui tales ſunt, inquis; electi & prædeſtinati non ſunt. Sane non ſunt, ſed ſi in mea poteſtate & arbitrio non eſt ut talis ſim vel non ſim, quid moneor ut talis non ſim, utque ne talis ſim diligenter mihi caveam? Si ſato iſto, quod volunt, res agitur, omnes profecto admonitiones, omnes promiſſiones, omnes comminationes, & quæ alia hominibus vel incitandis, vel dehortandis, vel deterrendis etiam ab ipſo Deo adhibentur, mera ſunt crepundia.

Verſ. 21. *Si enim Deus iis qui ſecundum naturam ſunt, ramis non pepercit, ne forte neque tibi parcat.* Rationem affert cur iſti quem alloquitur timendum ſit, & eadem res quæ Judæos perculit, ſummopere vitanda. Argumentatur Apoſtolus à majori ad minus. Majus enim erat parcere naturalibus oleæ ramis, quam ex oleaſtro natura differente inſitis; & tamen illis non pepercit Deus id commeritis, quantominus parcet iſtis idem merentibus?

Si enim Deus iis qui ſecundum naturam, id eſt naturalibus, *ramis*. Judæis ſcilicet, qui ſecundum naturam ſive naturaliter ex ſancta illa radice & olea orti ſunt, ejuſdem ſunt gentis & generis,

Non pepercit. Quominus illos defringeret & abjiceret, id eſt quominus Judæos, naturalem ſanctorum illorum Patrum ſtirpem ac progeniem, puniret & à ſalute rejiceret, ideo quod Euangelio refractaria eſſet.

Ne forte neque tibi parcat. Intellige, time & diligenter cave. *Ne forte*, μή πως, ſignificat hoc evenire facile poſſe, ſi quis ſibi non caveat, & poſſe etiam non evenire, imo eventurum haud eſſe, ſi caveat.

Neque tibi. Qui ex profana & aliena gente radici & oleæ ſanctæ inſertus es, id eſt qui ad Judæorum credentium eccleſiam es advena.

Parcat. Id eſt quin te inſertum propter fidem, propter apoſtaſiam à fide, aut alia vitia, quæ cum fide tam ſancta conſiſtere non poſſunt, à radice & olea defringat, id eſt æterna ſalute privet.

Verſ. 22. *Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei, ſuper eos quidem qui ceciderunt ſeveritatem, ſuper te autem bonitatem, ſi maneas in bonitate, alioquin & tu excideris.* Pergit in admonendo homine. *Vide*, id eſt, animo contemplare & perpende.

Ergo. Quandoquidem te Deus agreſtem ramum olea bonæ inſeruit, naturales autem ejus ramos defregit & abjecit.

Bonitatem & ſeveritatem Dei. Habes in hoc Dei facto ſpeculum illuſtre & bonitatis & ſeveritatis Dei.

Super eos quidem qui ceciderunt ſeveritatem. Intellige vide. *Qui ceciderunt*, id eſt qui tam graviter peccarunt, ut Euangelium & Meſſiam & tantam Dei gratiam, qua nulla major mortalibus obvenire poteſt, rejicerent. Hunc tam magnum illorum lapſum magna etiam, ut par erat, ſeveritate ultus eſt Deus, à gratia, à ſalute illos rejecit, in hac contumacia, reliquit, induravit, pœnis deſtinavit, ſine ullo ad id reſpectu, quod gens ſancta, electa, peculiariter Deo dilecta, ſanctorum illorum Patrum naturalis progenies eſſent. Hanc igitur Dei ſeveritatem ſemper ob oculos habeto.

Super te vero Dei bonitatem. Vide ſcilicet & contemplare quam ſevere quidem cum Judæis credere nolentibus egerit, tecum vero quam benigne quam clementer, quam paternè egerit & agat. Vocavit te hominem Ethnicum per Euangelium ſuum, vocavit ad gratiam & regni cæleſtis hæreditatem, ad fidem te hac vocatione ſua adduxit, juſtitiam tibi protinus imputavit, pro filio te ſuſcepit & adoptavit, Spiritu Sancto te in diem redemptionis obſignavit, in ſumma, radicis illius & oleæ ſanctæ ramum effecit, & ſic tibi bona omnia ſanctis illis Patriarchis & eorum poſteris, fidem ipſorum imitantibus, deſtinata communicavit.

Si maneas in bonitate. Docet Deum non ita ſimpliciter & abſolute, aut ſine ulla in poſterum conditione benignum fuiſſe & eſſe & benignum fore erga hominem iſtum, proinde erga quemvis alium credentem, ſed ſi maneat in benignitate. Ἐπιμένῃς: quaſi dicat, Deus tibi tanta dona communicavit, tamque benignum ſeſe tibi exhibuit & exhibet, quia & tu bene egiſti dum Euangelio credidiſti, & Deo vocanti obſequentem te præbuiſti. Si igitur maneas in bonitate, id eſt, ſi porro bonus eſſe pergas, ſi non tantum in fide ſis conſtans, ſed etiam charitate & fructibus fidei abundes, (quæ hominem vere bonum ac χρηστὸν faciunt) & in hac bonitate ad extremum perſiſtas; tum neque Deus unquam bonus ac benignus erga te eſſe deſinet. Χρηστότης, in priore membro ad Deum relata, bonitatem ejus maximis beneficiis teſtatam ſignificat, in poſteriore ad hominem relata, bonitatem ſignificat in omni bono opere, & inprimis in fide ac charitate poſitam. Non fruſtra Apoſtolus conditionem hanc exprimens pro fide χρηστότητα, id eſt bonitatem poſuit, ut oſtenderet fidem eſſe debere per charitatem efficacem Galat. v. 6. Fides enim niſi eam charitas & bona opera conſequantur, mortua eſt, & omnem vim in concilianda nobis juſtitia ac juſtificatione amittit.

Alioquin & tu excideris. Id eſt niſi in bonitate permanſeris. *Et tu excideris*, id eſt, non minus quam Judæi, qui bene agere noluerunt, exciſi ſunt. Excideris ex olea divina, ex eccleſia, ex numero electorum Dei. Quid enim faciat inter ramos arboris frugiferæ ramus inutilis? Poſſunt igitur excidi electi, & poſſunt etiam non excidi; poſſunt in bonitate permanere, poſſunt etiam ab illa deficere. Nam ſi utrumque non poſſent, quorſum eſſet tam ſolicita Apoſtoli admonitio?

Verſ. 23. *Et illi autem, ſi non manſerint in incredulitate, inſerentur, potens enim eſt Deus rurſus inſerere ipſos.*

ipſos. Annectit de Judæis rejectis rem exciſioni contrariam, ut tanto magis doceat adverſus illos animum attollendum & gloriandum non eſſe, cum hactenus par ſit illorum & noſtra conditio, quatenus & nos excidendi ſimus, ſi in bonitate non permaneamus, & illi ſint inſerendi, ſi non permaneant in incredulitate. Ex hac oppoſitione apparet bonitatem, in qua permanere debeamus, de bonitate quæ in fide noſtra & fidei fructibus conſiſtat, intelligendam eſſe.

Et illi vero. Id eſt illi vero etiam : quaſi dicat, tu quidem excideris ſi in bonitate non perſeveres: illi vero etiam non minus, quam tu inſertus es, in ſuam inſerentur oleam, ſi non permaneant in incredulitate, id eſt ſi ad Chriſtum convertantur, & in ipſum credant; ſua igitur propria culpa, quamvis indurati eſſent à Deo, in ἀπιστίᾳ permanebant, nec induratio ullam contumaciæ ipſorum excuſationem habebat. Sed & futura Judæorum converſio talis non fore ſignificatur, ut iis liberum futurum non ſit incredulitate permanere. Cur enim alias hanc conditionem adderet Apoſtolus, ſi in ea permanere vel non permanere arbitrii illorum non eſſet?

Inſerentur. Suæ nimirum naturali & propriæ oleæ, id eſt Judæorum credentium eccleſiæ, & ſic in Dei gratiam recipientur, bonorumque divinorum fient conſortes.

Potens enim eſt Deus. Rationem dicti affert per prolepſin, ne quis objiciat Judæos adeo induratos, adeo ab Euangelio averſos eſſe, ut nullo modo poſſint credere & eccleſiæ inſeri: reſpondet Apoſtolus, quod dixi, non temere dixi: *Potens enim eſt Deus rurſus inſerere ipſos:* quaſi dicat, habet Deus hanc potentiam & poteſtatem, ut eos rurſus inſerat, proinde & inſeret. Hæc enim vis iſtius eſt phraſæos, ut cauſa nominata includatur ſimul & illius effectus. Nam effectum includi docet ſequens Apoſtoli argumentatio. Sic cap. iv. 21. & xiv. 9. Heb. xj. 19. & alibi.

Rurſus inſerere ipſos. Non quod & antea ipſos inſeruiſſet, ſed quod antea naturaliter oleæ ſuæ inſiti eſſent, ex qua defracti iterum ſuæ arbori reſtitui à Deo poſſint, & reſtituendi ſint. Sic eadem vox πάλιν, *iterum* vel *rurſum*, accipitur Galat. iv. 9, & v. 1. *Inſerere ipſos*, proinde ipſos ad fidem in Jeſum Chriſtum adducere. Neque enim aliter inſeri poſſent, niſi per fidem in Jeſum Chriſtum. Et hic ponitur effectus qui eſt inſertio, ſed ita ut ſimul includatur inſertionis cauſa, nempe fides in Jeſum Chriſtum.

Verſ. 24. *Si enim tu ex eo, qui ſecundum naturam eſt, exciſus es oleaſtro, & præter naturam inſertus es in bonam oleam; quanto magis hi qui ſecundum naturam ſunt inſerentur propriæ oleæ.* Confirmat quod dixit argumento à majori ad minus. *Si tu*, inquit, *ex &c*, id eſt ſi tu ex oleaſtro ſeu olea ſilveſtri, quæ tibi naturalis & ejuſdem tecum generis eſt, exciſus es, ut ſcilicet in bonam oleam inſerereris, non tuo malo ſed tuo bono.

Qui ſecundum naturam eſt. Id eſt naturali, ſicut ſupra verſ. 21: quaſi dicat, ſi tu per diviniſſimam vocationem à gente tua profana, ex qua naturaliter, prodiiſti ſeparatus es, abjectis falſis opinionibus & idolis, & omni profana converſatione,

Et præter naturam. Id eſt præter naturam & oleæ bonæ, et tuam, alia enim eſt natura, aliud genus bonæ oleæ quam ſilveſtris.

Inſertus es in bonam oleam. Id eſt in eccleſiam Judæorum credentium, quæ eſt olea vere bona ab ipſo Deo plantata & electa, cujus fructus omnium ſunt optimi ac præſtantiſſimi, cujus radix ſanctiſſima: inſertus, inquam, es origine & gente diſpar, cæleſtiſſima vocatione & admirabili Dei ipſius opera.

Quanto magis hi qui ſecundum naturam. Intellige ſunt, id eſt hi qui ſunt naturales rami, qui naturaliter ex Abrahamo, Iſaaco, Iſraële, & gente Dei electa nati ſunt.

Inſerentur propriæ oleæ. Ad quam ſcilicet naturaliter pertinent, & cum qua ejuſdem generis ſunt.

Quanto magis. Id eſt multo magis, quatenus id ipſi naturę multo convenientius eſt, & quatenus naturales rami multo plus juris habent ad propriam oleam quam alieni, idque etiam divinæ bonitati multo magis convenit, ut ſi gentes profanas ad fidem in Meſſiam adduxit, eaſque ſancto & electo ſuo populo inſeruit, & gentem illam electam & dilectam ad eandem fidem adducat, & populo, ad quem naturaliter & ſecundum carnem pertinet, etiam ſecundum ſpiritum inſerat. Et ſane ſi Deus ut profanas Gentes ad ſe converteret, tam divinam vocationem inſtituit & inſtruxit, tanta, tam admiranda opera patravit, Spiritus Sancti multiplicia dona cælitus profudit, quid putamus illum eſſe facturum, ut gentem ex ſanctis illis majoribus ortam, & fœdere æterno cum ipſis inito ſibi peculiariter conjunctam, ab errore tam pertinaci, tam diuturno revocet, & in viam ſalutaris reducat? Efficiet nimirum Deus ut omnes indurationis cauſæ ceſſent, nec quidquam illis ad fidem obſtet, utque credendi cauſæ pondere & magnitudine ſua omnes non credendi, ſi quæ adhuc reſtent, cauſas obruant. Salvo tamen volendi & nolendi arbitrio ac libertate, ut verſ. 21 dictum eſt. Et ſi Deus Gentes converſas in gratiam ſucepit, quanto magis & promptius converſos Judæos ſuſcipiet.

Verſ. 25. *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, ne ſitis apud vos ipſos ſapientes, quod obduratio ex parte Iſraëli facta eſt, donec plenitudo gentium intret.* Rationem affert cur hæc de futura Judæorum converſione dicat. Nam, inquit, *nolo vos ignorare*, proinde volo vos ſcire, *fratres*, nimirum in Chriſto, *myſterium hoc*, arcanum hoc divini conſilii, quod mihi revelatum eſt per Spiritum Sanctum.

Ne ſitis apud vos ipſos ſapientes. Inſerit cauſam cur eos myſterium hoc ignorare nolit, nempe ne falſam opinionem animo concipiant de perpetua Judæorum rejectione, & ſic ſapiant, ſed apud ſeipſos, non apud eos qui vera ſapiunt, id eſt ſibi quidem videantur ſapere, reipſa autem hactenus deſipiant; quæ falſa opinio etiam illos in animi elationem & Judaicæ gentis contemptum poſſet agere. Id enim habent falſæ opiniones inprimis, ut tumidos reddant homines & aliorum contemtores. Qui vere ſapiunt

ſapiunt & veras animo de re qualibet fovent ſententias, modeſte ſolent agere. Veritati enim cum modeſtia arcta intercedit familiaritas & amicitia.

Quod induratio &c. Exponit hoc myſterium. *Induratio Iſraëlis facta eſt*, per illa nimirum quæ diximus ſupra verſ. 7, & cap. IX. 18 & ſeqq.

Ex parte. Non ex toto. Multæ enim Iſraëlitarum myriades crediderunt, nempe ut ex iſtorum exemplo appareret omnes credere potuiſſe, & ſufficientiſſimas credendi cauſas habuiſſe, & credituros etiam fuiſſe, ſi eadem in omnibus animi fuiſſet probitas, quę non permiſiſſet ut illa ad ſui indurationem arriperent, per quæ potius emolliri & ad fidem in Jeſum Chriſtum flecti debebant; proinde ut omnibus conſtaret, Deum fœderi cum majoribus illorum inito ſatiſfeciſſe, nec Iſraëlis rejectionem ex ſe, ſed ex ipſo Iſraële eſſe; quem tamen pro ſua immenſa miſericordia in hac contumacia non eſt in perpetuum relicturus.

Donec plenitudo Gentium intret. Docet quamdiu induratio iſta duratura ſit, & quamdiu Deus manum ſuam peculiariter non admovebit, ut Iſraëlem univerſum ad fidem in Jeſum Chriſtum convertat, & illa per quæ (etſi immerito) induratur, amoveat.

Donec, inquit, *plenitudo Gentium intret.* Id eſt, donec univerſæ Gentes intrent, nempe in eccleſiam; ſuſcepta nimirum fide in Jeſum Chriſtum. *Plenitudo* univerſitatem ſignificat. Non eſt autem neceſſe ut hoc tam de effectu accipiatur quam de efficacia. Sufficit enim ut Gentibus univerſis cauſæ & occaſiones dentur in Chriſtum credendi, & in eccleſiam ejus intrandi. Apud Lucam eandem rem ſignificans Chriſtus ipſe ait: *Et Jeruſalem*, proinde Judæorum gens univerſa, per ſynecdochen, *calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium*, nempe à Deo Gentibus omnibus convertendis deſtinata Luc. XXj. 24.

Verſ. 26. *Et ſic omnis Iſraël ſervabitur, ſicut ſcriptum eſt; Veniet ex Sione qui liberat, & avertet impietates à Jacobo.* Docet quam primum univerſitas Gentium fuerit ingreſſa, fore ut etiam univerſus Iſraël ſervetur. *Et ſic*, id eſt hoc peracto, alio modo id non fiet, *omnis* vel *univerſus Iſraël*, non ut nunc pars tantum Iſraëlis, eaque multo minor, & ne comparanda quidem cum cæteris, ſed Iſraëlitæ univerſi. *Servabitur*, id eſt ad fidem in Jeſum Chriſtum adducetur à Deo, & ſic ab æterno exitio ſervabitur, & regnum majoribus ſuis & majorum ſuorum fidem imitantibus à Deo deſtinatum, adipiſcetur.

Sicut ſcriptum eſt. Demonſtrat hoc quod aſſerit Scripturæ teſtimoniis: quaſi dicat, ſic nimirum eveniet, ſicut ſcriptum eſt. *Veniet ex Sione &c.* Verba Scripturę recitat. *Is qui liberat*, id eſt Deus, qui dicitur *ex Sione venturus*, quod in Sione monte Regia ſedes eſſet Pſal. XIV. 7. Eſa. LIX. 20. Hinc ex Sione dicebatur Deus auxilium mittere, & ipſe venire, cum populo ſuo liberationem & ſalutem per Regem ſeu unctum ſuum procurabat. Sed hæc verba Apoſtolus myſtico ſenſu ad Meſſiam refert, in quo omnia ejuſmodi Prophetarum vaticinia ſenſum habent multo pleniorem ac perfectiorem. *Ex Sione venturus*, quod in Sione Regia ſedes eſſet. Hinc ex Sione dicebatur Deus auxilium mittere, & ipſe venire cum populo ſuo liberationem & ſalutem per Regem ſeu unctum ſuum procurabat &c. *Uſque ad perfectiorem.* Sion enim intelligitur cæleſtis, cujus ille mons typus quidam erat. Ex cælo igitur ipſo dicitur venturus is qui liberat, id eſt Deus per Chriſtum. Alii legunt, *veniet ad Sionem* vel *Sioni*, id eſt populo Judaico, qui Sion appellatur à Sione monte, in quo Regia ipſorum erat, & cui Jeruſalem adjacebat Eſa. LIX. 20. Hebraicus textus ipſis Judæis converſionem à tranſgreſſionibus tribuit, ſed hoc iſti quem Apoſtolus ſequitur ſenſui nihil præjudicat. Niſi enim Deus ipſe divina ſua gratia & opera converſionem eorem procuraret, ipſi ſua ſponte non converterentur unquam; ſimul tamen etiam ſignificatur Deum ſic homines convertere, & impietates eorum avertere, ut & ipſis arbitrium agendique quod velint facultatem relinquat.

Is qui liberat, ὁ ῥυόμενος. Is cujus eſt liberare, qui ſolus liberare poteſt & ſolet; veniet & populum ſuum peculiarem, quamvis illum ad tempus puniat, & ut meretur tractet, tamen omnino liberaturus ac ſervaturus eſt.

Et avertet impietates à Jacob. Id eſt tollet pœnæ & rejectionis cauſas; impietates nimirum in Chriſtum Dei, & hactenus etiam in ipſum Deum, proinde & auferet omnes pœnas. *A Jacobo.* Id eſt ab univerſa Jacobi poſteritate. Patris nomine deſignatur univerſa poſteritas. Idem fit & Iſraëlis nomine eidem Jacobo à Deo impoſito. Nam & decem illas tribus convertet Deus ad Chriſtum.

Verſ. 27. *Et hoc ipſis à me fœdus, quum auferam peccata illorum.* In eodem Scripturæ teſtimonio inducitur Deus porro loquens? *Hoc ipſis à me fœdus.* Id eſt in hoc me ipſis fœdere obſtringo, venturum ſcilicet liberatorem.

Cum auferam peccata illorum. Id eſt & pœnas peccatorum, rejectionem ſcilicet & damnationem, & peccata ipſa, id eſt, ἀπιστίαν & contumaciam adverſus Chriſtum. Hæc poſteriora verba alio ex Eſaiæ loco ſumit Apoſtolus, nempe ex cap. XXVij. 9.

Verſ. 28. *Secundum quidem Evangelium inimici propter vos, ſecundum electionem autem dilecti propter Patres.* Cauſam adſert tantæ Dei erga Judæos gratiæ per occupationem. Poterat aliquis dicere; Judæi ſunt Chriſti & conſequenter Dei hoſtes & inimici, quomodo igitur Deus illos tanta gratia dignabitur? Reſpondet Apoſtolus, ſunt quidem hoſtes & inimici Dei, proinde & Deo viciſſim inviſi.

Secundum Evangelium. Id eſt quatenus Euangelio non credunt. *Propter vos*, id eſt ut vobis bene eſſet, & ut vos fieretis Dei amici; illorum enim à Deo averſione, veſtra accelerata eſt ad Deum converſio. Non notat hic Apoſtolus finem & intentionem Judæorum, ſed eventum & effectum qui ex illorum hoſtilitate adverſus Chriſtum & Deum conſecutus eſt. Notat tamen Dei conſilium qui Judæos paſſus eſt ſuos fieri hoſtes, ut nos fieremus ipſius amici, miſſo ad nos Euangelio à Judæis repudiato. Quod de induſtria commemorat Apoſtolus, non oppoſitionis tantum gratia, verbis iſtis. *Inimici propter vos*, opponens in ſequentibus verba, *dilecti propter Patres*, ſed etiam ut nos Judæis à Deo & Chriſto averſis tanto reddat æquiores; quandoquidem

Digitized by Google

quidem illorum inimicitia erga Deum & Chriſtum factum ſit, ut nos Deo reconciliaremur, & ad tam beatum perveniremus ſtatum.

Secundum vero electionem dilecti. Quaſi dicat, certo quidem reſpectu ſunt hoſtes Dei, idque propter vos, certo autem reſpectu ſunt dilecti Dei. Ita ſunt Deo inviſi, ut ſimul etiam ſint dilecti. *Secundum electionem*, id eſt quatenus à Deo inter omnes gentes ſunt electi ad peculiarem Dei gratiam.

Propter Patres. Cauſam adfert propter quam Deo ſunt dilecti, & conſequenter ab ipſo electi, *propter Patres*, inquit, id eſt propter Abrahamum, Iſaacum, Jacobum patres ipſorum, qui Deo ita chari fuerunt, ut illorum poſteritatem peculiariter amandam ac fovendam, & in poſſeſſionem regni ipſis promiſſi inducendam ſuſceperit, idque etiam æterno pacto ipſis firmarit. Quod adeo verum eſt, ut etiam aliæ gentes non aliter ad Dei gratiam & regnum perveniant, quam quatenus inter Patrum iſtorum filios cooptantur, & poſteritati eorum inſeruntur.

Verſ. 29. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.* Rationem dicti affert per prolepſin: quaſi dicat, nam ne mihi quiſpiam objiciat, Deum pœnitere ſacti, & propter tantum Judæorum malitiam revocaſſe ſua quæ ipſis addixerat dona ac munera, eorumque gentem penitus ex amore ſuo ejeciſſe. Sciendum eſt dona *Dei eſſe ſine pœnitentia*, ἀμεταμέλητα, id eſt, Deum donorum ſuorum & vocationis ſuæ nunquam pœnitere, proinde nec revocare unquam, quæ alicui abſolute addixit ac pollicitus eſt.

Dona, χαρίσματα. Beneficia & gratiæ divinæ effecta. Donavit Deus Abrahamo & poſteritati ejus regnum, quatenus id illi & poſteritati ejus promiſſione ſua, idque etiam cum juramento addixit. Ideo Deum nunquam iſtius doni pœnitebit. *Juravit Dominus*, inquit Pſaltes Pſal. cx. 4, *& non pœnitebit eum*, canens de Sacerdotio, Chriſto ſimiliter ex Dei dono conferendo. Effectum quidem promiſſionis iſtius ac juris denegare poteſt Deus multis ex ſemine Abrahami ortis; qui ſcilicet paternæ fidei & virtuti non reſpondeant, & tanta Dei gratia indigne ſe gerant; ſed promiſſio ac jus regni promiſſi Abrahamico ſemini ſemper apud Deum manet integrum ac illibatum; cujus vi tandem etiam fiet, ut Deus univerſum Abrahami ſemen, nunc quidem propter contumaciam ſuam merito punitum ac rejectum, tandem ad ſe convertat, & in regnum promiſſum aſſerat, ne reliquias tantum ſolas ſervaſſe videatur. Adhibebit nimirum ea media, quibus etiam contumaciam animi ſrangant, & ſuſcipiant in Chriſtum fidem, omni induratione ſublata, exceptis forte paucis extreme contumacibus & improbis.

Et vocatio Dei. Vocavit Deus Abrahamum & ſemen ejus ad regnum capeſſendum; hujus vocationis Deum nunquam pœnitebit. Proinde iſtius vocationis efficacia, poſteritatem Abrahami in contumacia & rejectione non relinquet. Pereunt & pereant, qui perire ſunt commeriti, ut ſecuturæ ſuæ poſteritati exemplo ſint Deum inobedientia irritandum non eſſe, & hac ipſa ſua clade & calamitate illius ad Deum converſionem promoveant. Cujus rei illuſtris fuit Iſraëlitarum univerſalis in deſerto clades, filiis quos Deus conſervavit, in documentum, ne animos diffidentia & inobedientia erga Deum indurarent: quam tamen univerſalem cladem duobus tantum ex tam ingenti numero exceptis, ſecuta eſt univerſalis Iſraëlitarum in terram promiſſam introductio. Dicet aliquis, Deum pœnituiſſe quod hominem creaverit; nimirum quia homini ut ipſum crearet nullo promiſſo ſeſe obſtrinxerat; at Abrahamo amico ſuo, qui amicitiam ſumma fide & obedientia ad extremum uſque coluit cum Deo, promiſſione ſeſe obligavit, idque juramento firmavit, fore ut ipſum & ſemen ejus hæredem mundi & regni faciat; nunquam igitur hoc revocabit, nunquam iſtius ſui facti ac doni & vocationis pœnitudo animum ejus inceſſet ac ſolicitabit. Adde, quod Deus humanum genus ſemel à ſe conditum, tamen non exterminaverit, quamvis illud ad exiguas redegiſſet reliquias, ex quibus iterum genus humanum reſtituit.

Verſ. 30. *Sicut enim & vos quondam inobedientes fuiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis iſtorum inobedientia.* Iterum rem confirmat per prolepſin: quaſi dicat, nam ſi quis mihi inobedientiam Judæorum objiciat, & inde colligat Judæos plane à Deo neglectum & ſemper rejectum iri, veſtro Gentium exemplo facile refutabitur. Nonne & vos quondam inobedientes fuiſtis Deo? nunc vero, nonne miſericordiam eſtis conſecuti iſtorum inobedientia? Sicut ergo veſtri miſertus eſt Deus, & vos ex inobedientibus iſtorum inobedientia obedientes ſibi effecit, ſic & iſti nunc ſunt inobedientes, ut & ipſi eandem quam vos miſericordiam à Deo conſequantur.

Sicut & vos, id eſt Gentes, *quondam*, id eſt ante auditum & ſuſceptam Euangelium, *inobedientes fuiſtis Deo.* Idola colentes, dæmoniis ſervientes, & omni injuſtitiæ ac impuritati dediti, quamvis Lex divioa exſtaret, & Deus populum ſuum ſui cultorem inter vos haberct, cujus monitis & exemplo locum dare debebatis, quamvis & mundi totius opificium ac fabrica vobis Deum rerum omnium factorem ac Dominum exhiberet.

Nunc autem, id eſt hoc præſenti tempore, *miſericordiam conſecuti*, vel experti *eſtis*. Nempe Dei, quatenus vobis Euangelium miſit & prædicari curavit, vocans vos una cum populo ſuo ad regni cæleſtis hæreditatem, quatenus vos ad fidem adduxit, quatenus vobis fidem reputavit in juſtitiam, pro Filiis vos adoptavit, ad jus regni ſui cæleſtis admiſit, ſpiriru ſuo obſignavit, ſanctificavit & à vitiis omnibus repurgavit, ſpe certiſſima & guſtu quodam cæleſtium bonorum affecit, & inenarrabili gaudio replevit; quod tandem in ipſam cæleſtium bonorum poſſeſſionem ac hæreditatem deſinet.

Iſtorum inobedientia. Id eſt, ex cauſa & occaſione iſtorum, nempe Judæorum, inobedientiæ. Quia enim Euangelio obedire, id eſt illi credere nolebant, Deus illorum contumacia irritatus, vobis Gentibus illud miſit, & ad omnia quæ continet bona, poſtquam illi crediditis, vos admiſit.

Verſ. 31. *Sic & iſti nunc non obediverunt, veſtra miſericordia, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.* *Sic & iſti*, id eſt ſimili ratione,

licet ordine inverſo. *Nunc non obedierunt*, nempe Deo, dum Euangelio ejus credere nolunt, eique pertinaciam ſuam opponunt.

Veſtra miſericordia, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Quaſi dicat, non ideo inobedientes facti ſunt, ut ſemper extra Dei gratiam & miſericordiam ſint, ſemper rejecti & inobedientes maneant, ſed ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Hæc Dei intentio eſt, & inobedientiæ illorum eventus. *Veſtra miſericordia.* In verbis iſtis tranſpoſitionis quædam figura eſt, quorum proprius ſitus eſſet in fine commatis iſtius, hoc modo: ut & ipſi miſericordiam conſequantur veſtra miſericordia. Opponuntur enim ſuperioribus verbis, *iſtorum inobedientia:* quaſi dicat, vos miſericordiam adepti eſtis Judæorem inobedientia, Judæi autem miſericordiam adipiſcentur, non veſtra inobedientia (abſit enim ut vos unquam inobedientes fiatis) ſed veſtra miſericordia. Multo ſane potiori jure Judæorum inobedientia cauſam & occaſionem Deo dedit, illumque impulit ut vobis inobedientibus miſericordiam exhiberet, & vos ad ſe converteret, quanto magis

Veſtra miſericordia. Id eſt miſericordia vobis Gentibus exhibita, Deum impellet, ut & Judæis genti ſuæ peculiari, & tantis decoratæ privilegiis, ex tam ſanctis & Deo dilectis ſatæ patribus, miſericordiam eandem quam vobis exhibeat?

Ut & ipſi, non minus quam vos Gentes, *miſericordiam conſequantur.* Id eſt miſericordiam Dei experiantur, & ſic effectu ejus potiantur, per converſionem ſcilicet ad Chriſtum, & admiſſionem ad bona illis proprie à Deo deſtinata; quos etiam idcirco regni filios appellavit Chriſtus Matth. viij. 12.

Verſ. 32. *Concluſit enim Deus omnes in inobedientiam, ut omnium miſereatur.* Rationem affert cur Deus etiam Judæorum ſit miſerturus: quaſi dicat, nam Deus non idcirco omnes in inobedientiam concluſit, ut omnes perdat, ſicut ſolet fieri maleficis, aut ut alios perdat, alios non perdat; ſed ut omnium ex æquo miſereatur, omnes ex æquo è teterrimo inobedientiæ carcere, in lucem, in libertatem, in vitam & ſalutem ęternam educat.

Omnes. Non in individuo & ſingulari, ſed in ſpecie ac genere. *Omnes*, nempe & Judæos & Gentes.

Concluſit in inobedientiam. Id eſt in carcerem inobedientiæ condidit ac detruſit, in eoque clauſit, non quod ulli peccandi auctor eſſet; (abſit enim ut de Deo ſanctiſſimo & optimo talia opinemur; & quæ eſſet iſta miſericordia, inſontem aliquem in barathrum præcipitem agere, ut illius poſtmodum miſerearis, eumque inde extrahi cures?) ſed quod permiſerit paſſuſque ſit & Gentes & Judæos, ſic volentes, omni fræno quo à Deo continebantur excuſſo, ire ac ruere quo vellent præcipites, & in omnem inobedientiam effundi, adhibens etiam eos cum ipſis agendi modos, quos alendæ contumaciæ injuſtò arriperent, & in ſua inobedientia animum obſtinarent. Nimirum ſic Deus homines in inobedientiam concludit, quo pacto eos in mentem reprobam tradidit, ut facerent quæ non conveniunt. Quæ de re dictum eſt cap. j. verſ. 26, 28. Hoc præterea ſignificatur homines à Deo deſertos & derelictos & induratos in eum peccandi ſtatum devenire, ut non magis ſeſe inobedientiæ eximant, quam profundo aliquo carcere demerſi & clauſi in libertatem, niſi dimittantur, evadunt: hi quidem quod non poſſint, illi vero quod id facere nihil curent, nihil cogitent; niſi Deus ipſe hunc inobedientiæ carcerem aperiat, & homines ex illo educat, actum eſt de eorum ſalute. An enim unquam Gentes ad Deum converſæ fuiſſent, niſi Deus ipſe eos tanta tamque divina vocationis ſuæ efficacia convertiſſet? Certe non magis quam mortui reviviſcerent, niſi à Deo revocarentur in vitam. Unde etiam illorum converſio mortuorum comparatur reſuſcitationi. Non quod converſio peccatorum, reſuſcitationi mortuorum in omnibus reſpondeat. Reſuſcitatio enim eorum eſt qui eſſe deſierunt, converſio eorum qui ſunt. Mortui reſurgere non poſſunt, peccatores non curant; mortui ut reſurgant nullum adhibent arbitrium, nullam operationem; peccatores niſi adhibeant ſemper in peccatis manebunt. Sic igitur & Judæorum tanta eſt erroris & ἀπειθείας obſtinatio, ut nunquam ad Chriſtum converti curarent, niſi Deus ipſe ex hoc inobedientiæ carcere eos eriperet.

Ut omnium miſereatur. Id eſt non Gentium tantum, ſed etiam Judæorum, quo & Judæi eandem cum Gentibus habeant glorificandi Dei cauſam.

Verſ. 33. *O profunditatem divitiarum, & ſapientiæ & cognitionis Dei! Quam imperſcrutabilia judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus?* Hoc myſterio & Dei conſilio expoſito, exclamat Apoſtolus, Dei ſapientiam & cognitionem admirans.

O profunditatem divitiarum. Id eſt ô profundas divitias, per duo ſubſtantiva, pro ſubſtantivo cum adjectivo. *Divitias*, id eſt copiam, quam profundam dicit, ſimilitudine ſumta ab aqua profunda, quæ tanto copioſior eſt, quanto profundior,

Et ſapientiæ & cognitionis Dei. Exprimit cujus rei profundas divitias & immenſam copiam admiratur, nempe & ſapientiæ & cognitionis Dei; *ſapientiæ*, quod omnia ſummo conſilio faciat; *cognitionis*, quod ea cognoſcat ad quorum cognitionem nemo penetrare poſſit, niſi Deus illa revelet.

Quam imperſcrutabilia judicia ejus. Judicia, id eſt decreta; quæ *imperſcrutabilia* dicit, quod eorum cauſam ac rationem, & illa ipſa, nemo perſcrutari poſſit.

Et imperveſtigabiles viæ ejus? Viæ ejus, id eſt actiones Dei judiciorum, ſeu decretorum ejus executiones, quas *imperveſtigabiles* dicit, propter eandem cauſam, quod nemo poſſit perveſtigare finem ac rationem viarum Dei. Cui unquam hominum in mentem venire potuiſſet, Deum & Gentes olim, & poſtea Judæos in inobedientiam concluſiſſe, ut & Gentium miſereretur, & tandem etiam miſereatur Judæorum? Quis contraria verſum iri cognoſceret in contraria, & quæ peſſima ſint, in bona, imo optima? Idem ille qui ſolus hæc poteſt facere, ſolus etiam poteſt cognoſcere.

Verſ. 34. *Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Rationem affert cur Dei judicia ſint imperſcrutabilia, & viæ inperveſtigabiles: quaſi dicat, nam nemo cognovit mentem Domini, id eſt cogitationem & conſilia Domini, proin-

proinde nec cauſas ac rationes aſſequi decretorum & actionum ejus. *Domini*, id eſt Dei: ſumuntur enim hæc verba ex Veteri inſtrumento, in quo nomen τετραγράμματον Græci interpretes reddunt voce Domini.

Aut quis conſiliarius ejus fuit? Solent homines conſiliariis uti, quibus propter hoc mens & conſilia conſultorum nota ſunt; at quia Deus neminem adhibet in conſilium, quippe nullius conſilii indigus, nemini etiam mens & conſilia Dei nota eſſe poſſunt.

Aut, hęc particula ſignificat rem eandem alio modo efferri.

Verſ. 35. *Aut quis prior dedit ei & viciſſim retribuetur ei?* *Aut.* Hęc particula aliam rem, nempe priore generaliorem, dici hoc loco ſignificat.

Quis prior dedit ei? Ullam rem quam vel ex Deo non haberet; vel ad quam Deo dandam & exhibendam non prior fuerit divinis beneficiis obſtrictus?

Et viciſſim retribuetur ei. Et cui viciſſim retribuetur, nempe à Deo, per enallagen pronominis αὐτῷ pro ᾧ, *ei* pro *cui*, vel enallagen modi indicativi pro ſubjunctivo, ut viciſſim retribuatur ei. *Viciſſim retribuetur*, tanquam priori, Deo aliquid quod Dei non erat, aut illi non debebatur danti. Nam alioquin Deus præſtitam ac ſervatam ſibi fidem magnis retribuere ſolet præmiis ac beneficiis. Sed fides & obedientia & cultus omnis qui Deo pręſtatur, Deo debitus eſt, & omnis illius pręſtandi facultas ac voluntas ex Deo eſt.

Verſ. 36. *Quia ex ipſo & per ipſum & in ipſum omnia. Ipſi gloria in ſecula Amen.* Probat nullum eſſe qui prior aliquid Deo det. *Quia ex ipſo.* Nempe omnia, ut in fine ſententiæ additur. Quiſquis eſt & quicquid eſt, ex Deo eſt, quomodo igitur prior aliquis dare Deo quidquam poſſit, cum & ipſe ex Deo ſit, & omnia quæ habet, ex Deo habeat?

Ex ipſo. Id eſt ex Dei conſilio ac voluntate.

Et per ipſum. Nempe omnia, id eſt illius ipſius vi & efficacia: quia de prima ac veteri creatione hic agitur, in qua omnia in univerſum à Deo facta ſunt, quod ad Apoſtoli argumentum firmiter concludendum requiritur, ſignificar Apoſtolus nullam cauſam mediam, à Deo ſcilicet perſona ſeparatam, in rerum omnium creatione Deo adſuiſſe, nec quidquam pręter Deum qui creavit, & creaturam quæ creata eſt, dari; ſignificat, inquam, Deum per ſeipſum omnia feciſſe, nullius operam ac miniſterium adhibuiſſe, ne quiſquam exiſtimet non omnia Deo, ſed etiam alii alicui perſonæ præter Deum aliquid deberi. Quanquam & in nova creatione per Chriſtum facta, & in aliis omnibus operibus, quæ Deus, ſive per Angelos, ſive per homines, ſive per ullus alias res facit, hactenus omnia per Deum fiunt, quatenus & ipſæ cauſæ intermediæ, quarum opera ac miniſterio Deus utitur, & omnis illarum operandi vis ac efficacia ex Deo eſt, ut hactenus perinde ſit atque ſi Deus per ſeipſum omnia faciat.

Et in ipſum omnia. Tanquam in ſuum finem ac ſcopum, id eſt in ipſius uſus ac gloriam, cum nihil ſit quod ſe totum Deo non debeat. Unde apparet nihil à quoquam Deo dari poſſe, cujus debitor Deo non fuerit.

Omnia. Intellige ſunt; & vox *omnia* τὰ πάντα ad omnia tria membra refertur, ut monuimus. Articulus τὰ voci πάντα in Gręco additus, nullam hoc loco reſtringendæ vocis iſtius vim habet, qui more loquendi Gręco ſępe redundat. Qui hic in uno Deo perſonarum diſtinctionem ſignificari putant, certe niſi aliunde Deum illum unum tres perſonas eſſe demonſtrent, ex hoc loco id non oſtendent; quin potius hoc loco coargui poſſunt. Neque enim ulla ratio patitur ut non in illam ipſam perſonam ſint omnia, ex qua ſunt omnia, & ut per illam ipſam perſonam ex qua ſunt omnia, ſeu per illius vim & efficaciam, non ſimul etiam ſint omnia. Nam ſi per ullius alicujus perſonæ vim & efficaciam quidquam eſſet, ita ut hęc vis & efficacia non eſſet illius ipſius perſonæ, ſeu ex illa ipſa perſona, ex qua omnia, falſum foret ex illa eſſe omnia. Et Spiritum Sanctum quem illi tertiam faciunt unius ejuſdemque Dei perſonam, dici potius in quem omnia, quam Patrem non minus abſurdum & Scripturæ ignotum, imo contrarium eſt, quæ alibi etiam ſoli Patri omnia iſta tria tribuit 1 Cor. viij. 6. Hebr. 2. 10, ubi verbis *propter quem omnia*, idipſum indicatur quod verbis *in quem omnia*, Deum Patrem nimirum ultimum finem ac ſcopum eſſe rerum omnium. Verba autem *per quem omnia* tam late accipiuntur, ut etiam includant *ex quo omnia*.

Ipſi gloria. Hoc priorum eſt conſequens. Ipſi tanquam rerum omnium auctori & creatori, & quidem ſoli, quippe unico auctori & creatori, *gloria*, id eſt laus, celebratio, cultus, honor, ei ſcilicet debitus ac conveniens, intellige competit, vel ſit, ac tribuatur ab omnibus. Chriſti non fecit hoc loco mentionem, quia de prima ac vetere creatione loquitur, cujus reſpectu ita ſoli Deo gloria divina competit, ut illius nulla alia perſona ſit particeps, cum nec creationis particeps ulla fuerit. At ubi de rebus agitur ad novam creationem ſpectantibus, cujus Chriſtus Jeſus cauſa eſt intermedia, iſtic Deo per Chriſtum Jeſum gloria tribuenda eſſe docetur, & Chriſtus tanquam finis & ſcopus noſtri intermedius non minus ſtatuitur, quam intermedia eſt cauſa omnium rerum in creatione nova factarum, & bonorum in eadem nobis à Deo exhibitorum 1 Cor. viij. 6. Epheſ. iij. 21. Neque tamen ſoli Deo gloria tribui deſinit, quamvis & Chriſto Jeſu tribuatur; cum omnis gloria quæ Chriſto tribuitur, in Chriſto non terminetur, ſed in Deum redundet, tanquam in Chriſti auctorem ac Patrem, cui Chriſtus & ſeipſum & ſua omnia debet. Ideoque hęc gloria quæ Chriſto tribuitur, ipſi Deo per Chriſtum, ſeu in Chriſto tribui dicitur, tanquam in Dei Filio & viva imagine.

In ſecula. Id eſt quoad ſecula erunt; erunt autem ſemper. Nam etſi hæc ſecula ceſſabunt, non ceſſabunt futura illa, proinde nec gloria Dei unquam ceſſabit & ceſſare debet.

Amen. Vox addi ſolita poſt laudes Deo dictas, aut Dei ſermonem habitum, de qua vide cap. IX. verſ. 5.

CAPUT XII.

Verſ. 1. R*Ogo igitur vos fratres per miſerationes Dei, ut exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, placentem Deo, rationalem cultum veſtrum.* Ex ſuperioribus infert adhortationem Apoſtolus, qua Romanam Eccleſiam excitat ad ea facienda quæ ipſorum erant in Chriſtiana pietate ac religione officii.

Igitur. Quaſi dicat, quandoquidem ſe res ſic habet, ut in ſuperioribus expoſui.

Rogo vos. Παρακαλῶ, quod & rogare & adhortari ſignificat, & hoc loco utrovis modo accipi poteſt, vel etiam utroque accipi debet; niſi quod rogandi verbum magis cum ſequenti obteſtatione per miſerationes Dei convenire videatur, & majorem quandam vim habeat, rogari à tanto viro, idque ea quæ non ad ipſius commodum ullum, ſed ad noſtrum proprium officium & emolumentum unice ſpectant. An enim patiemur ut ulli magis noſtrum bonum, noſtra ſalus æterna cordi curæque ſit quam nobis ipſis? An rogari ſuſtinebimus in iis, quæ ſi facimus, noſtram ſalutem quærimus, ſi non facimus noſtram ſalutem amittimus?

Fratres. Hęc amabilis compellatio & roganti & adhortanti patulas prębet aures animumque aperit.

Per miſerationes Dei. Quaſi dicat: Si vos animumque veſtrum tangunt & movent Dei miſerationes, nam ſi non tangunt nec movent, indigni illis eſtis; proinde & fructu earum, id eſt æterna ſalute excidetis. Intelligit autem Dei miſerationes quas nobis, prę̨ſertim vero Gentibus, per Chriſtum Jeſum exhibuit, de quibus egit tota Epiſtola; paulo ante vero una miſerendi & miſericordiæ voce complexus eſt cap. XI verſ. 30, 31, quo lectorem remittimus. Docet & ſignificat Apoſtolus Dei tantas miſerationes, quæ plane ſunt immenſæ, iis tantum prodeſſe ac profuturas eſſe, qui per eas ad omne obſequium Deo præſtandum, ad omnem juſtitiam ac ſanctitatem permoventur & adducuntur, & niſi hoc fiat, nullum cuiquam in Dei miſerationibus præſidium eſſe, quin potius paratam ac certam perniciem & exitium.

Ut exhibeatis corpora veſtra. Exprimit id quod illos rogat & ad quod hortatur. Alludit autem ad victimas ex Legis præſcripto offerri Deo ſolitas. Exhibent Judæi Legis ſectatores Deo varia animantia bruta, dum ea coram ſacrario conſtituunt, & ſic Deo adducunt, exhibent, inquam victimam ſeu hoſtiam, id eſt ut ſint victima & hoſtia, ut mactentur in honorem & cultum Dei; vos Euangelii ſectatores, non bruta animalia; (neque enim hoc cultu Deus amplius delectatur) ſed corpora veſtra propria exhibete, id eſt offerte & addicite Deo.

Hoſtiam. Id eſt ut ſint Deo hoſtia, ut tota cedant in Dei cultum & honorem, facite illa mori peccato & iis omnibus quæ Deo ſunt ingrata & adverſa.

Viventem. Animalia quæ Judęi offerunt in victimam Deo, ex vivis fiunt mortua, veſtra autem corpora ſint quidem mortua peccato, ſed ſimul vivant juſtitiæ, vivant Deo.

Sanctam. Animantia illa quæ exhibebantur & immolabantur Deo erant ſancta, id eſt Deo conſecrata, ab omni profano uſu ſepoſita; etiam vos corpora veſtra Deo ſiſtite victimam ſanctam, ut ſint Deo conſecrata, & ab uſu profano, id eſt peccato omni ſeparata.

Placentem Deo. Id eſt talem hoſtiam quæ nullum habeat vitium, nullam peccati maculam ac labem, ſed quæ omni ex parte Deo placeat; ſicut & animalia in victimam Deo offerri debebant, quæ ſana, integra, & omni labe vacua eſſent. Vel hoc addit, ut ſignificet talem hoſtiam placere Deo, non qualem ex Legis præſcripto Judæi offerant. *Deo.* Hæc vox ad omnia ſuperiora referri poteſt. Non eſt igitur nobis longe quærenda hoſtia; habet quiſque in promptu animal quod Deo offerat, corpus ſuum, imo ſeipſum.

Rationalem cultum veſtrum. Quaſi dicat, qui eſt rationalis cultus veſter, per appoſitionem, quæ eodem cum ſuperioribus caſu effertur. Docet Apoſtolus cultum Chriſtianorum, quem Deo exhibent, longe præſtantiorem eſſe quam Judæorum; quorum cultus in animalium oblationibus & cædibus non multum rationis habebat. An enim Deus carne animalium veſcitur? an ſanguinem eorum bibit? an adipis accenſi, aut totius animalis combuſti nidore delectatur? Rudimenta hæc erant cultus divini, per quæ homines exercebantur ad verum ac ſpiritualem & rationi omni ex parte conſentaneum Dei cultum, quem Chriſtus, matureſcentibus ſeculis, adveniens, docturus erat; nimirum ut non animalia in honorem Deo occiderent, ſed ut ſua propria corpora viva Deo offerrent ac præberent, ad omnis boni operis exequutionem.

Cultum veſtrum. Vobis Chriſtianis proprium, quo vos Deum colitis & colere debetis. Cultus enim (λατρεία) de Dei intelligitur cultu. Notandum eſt, in Chriſtiana religione nihil eſſe debere quod rationale non ſit; proinde quod cum manifeſtis rationis principiis non congruat. Omnes contradictiones & opiniones adverſa fronte in ſeipſas incurrentes, procul ex Chriſtiana religione faceſſant. Omnes item externi ritus & regulæ ab hominibus repertæ ab eadem exulent. Pietati & religioni à Chriſto perfectiſſimo ac cæleſtiſſimo Magiſtro traditæ, ſicut demi ſic nec addi quidquam poteſt. Quid enim addi poſſit ad fidem per charitatem efficacem & ad novam creaturam, qualis in Chriſti diſciplina deſcribitur, quæ ſola in Chriſto Jeſu valet omnia? Et cum Apoſtolus dicat; *Reliquum fratres quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate* Phil. IV. 8. Obſecro quid amplius præcipi poſſit quod ad veram perfectionem & ſpiritualem Dei cultum ac obſequium pertineat? An ut quiſque poſſeſſiones quas habet vendat & pauperibus deſtribuat? Sane ſi vocetur ad munus aliquod, quale Apoſtolorum erat, aut ad talem vitæ ſtatum cui cum poſſeſſionibus nihil commune eſt, qualis eorum erat qui perpetui Chriſto comites aderant, ad quem vocabatur & adoleſcens ille qui poſſeſſiones ſuas omnes vendere, & pauperibus diſtribuere juſſus, neque enim uxorem ac liberos habebat, quorum cuique prior & antiquior

Digitized by Google

antiquior cura debet eſſe quam pauperum,)contriſtatus diſceſſit ; aut ſi poſſeſſiones habeat injuſte quæſitas ; aut ſi tanta ſit vère pauperum multitudo, ut niſi tu poſſeſſiones tuas vendas & illis diſtribuas, ali & vivere non poſſint ; tu vero etiamſi tibi nihil ex poſſeſſionibus tuis relinquas, alium vitæ tolerandæ honeſtum habeas modum. Nam alioquin perfectionem id ſimpliciter & abſolute à quolibet requirere, falſum eſt. Denique vendere omnia & dare pauperibus præceptum eſt, quatenus hoc ad eximiam quandam pietatis perfectionem & peculiarem in cælo mercedem pertinet, quamvis etiam citra id aditus in cælum hominibus divina benignitate pateat. An ut nihil unquam habeas in pera aut in zonula, proinde ne peram quidem ullam ac zonulam? Id vero faciendum eſt ſi Chriſtus id ſpeciatim requirat & præcipiat. Alioquin enim nec in Chriſti comitatu defuit marſupium, nec Apoſtolus Paulus protinus egeſſit, quæ propriarum manuum labore ſuſtentandæ vitæ plures in dies congeſſerat. Nec ſemper Paulus eguit, aliquando etiam abundavit. *Scio*, inquit, *& humiliari & abundare, in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari & eſurire, & abundare & deficere* Phil.iv.12. An ut omnia in commune conferamus? Quidni? ſi id temporum ac rerum requirat ratio? Alioquin enim non defuerunt qui ex propriis ac privatis facultatibus, nec in commune elargitis, Chriſto miniſtrarunt. Et in pauperum uſus conferre Eccleſiis Apoſtolicis ſolitum fuit Luc.viij.3. Actor.xi.29,30. Rom.xij.13. 1 Cor.xvj.1. 2 Cor.viij.ix. An ut omnibus diſtributis, ipſi deinde ſtipem quotidianam ex aliorum manu exſpectemus? Id vero nihil ad perfectionem pertinet; cum perfectius ſit quemque ſuarum opum diſpenſatorem eſſe, dummodo eas fideliter diſpenſet, & perinde eſt atque ſi nihil dederis, ſi id quod dediſti, vel etiam multo plus quam dediſti iterum recipias. Multo vero minus perfectionis in ſe habet cum nihil in commune attuleris nec afferas, ex communi vivere, & panem alienum, fucorum inſtar, comedere. An ut communitatem inſtituamus, in qua privatim quiſque pauper ſit, cæterum quæ publice ſit dives, ut ex illius divitiis quiſque ad ſatietatem accipiat? Id vero idem eſt privatis cujuſque divitiis, modus tantum habendi diverſus eſt. An ut victum emendicemus? Hoc vero vel vitium eſt, vel miſeria, non perfectio ac virtus; vitium, ſi manuum ſuarum labore victum quærere nolit, ne aliis ſit òneri 2 Theſſ.iij.10,11,12, miſeria, ſi id facere non poſſit. *Beatius eſt dare quam accipere*, dixit Chriſtus Actor.xx.35. Nam dationi remuneratio in cælis eſt, acceptioni nulla. An ut affligamur jejuniis? imo, ſi jejunandi tempus & cauſa ſit. An ut à carnibus & à vino abſtineamus? Sane, ſi per id fratri ſcandalum poni debeat. An ut quam ſimpliciſſimo & viliſſimo corporis cultu ac victu utamur? Nos vero quidquid hic faciamus, à pecudibus vincimur; quo pertinet, ſine induſio, ſine caligis, ſine calceis incedere, miſeriores, non perfectiores aſinis, quorum extrema pedum, natura munivit ungulis. Sane contentum eſſe aqua & polenta, & nuditatem ac egeſtatem quieto animo tolerare, perfectionis eſt; ſed honeſtiorem veſtitum, & donorum Dei frugalem ac moderatum uſum recuſare, ſuperſtitionis eſt, non perfectionis ullius. An ut corpora noſtra flagris concidamus? Id vero peccatum & à Deo vetitum eſt, quippe naturæ ipſi contrarium, ab idolorum cultoribus factitatum, non à ſervis Dei veris. An ut in ſolitudinem ſecedamus? Id vero ferarum eſt, non hominum. An ut in populoſis urbibus clauſtra habeamus, quibus includamur? Id vero contra ſures & invaſores egregium munimentum eſt, non contra vitia. An ut ſemper inermes incedamus, & neque adverſus canes aut lupos irruentes nos defendamus? Hoc eorum fuerit qui ordinariis tuendæ vitæ mediis relictis, extraordinaria maleconſulti & ſuo ſæpe cum damno expectent, tentantibus Deum quam Deo confidentibus propiores. An ut Johannem Baptiſtam duritie & auſteritate vitæ imitemur? Nos vero imitabimur potius Chriſtum Dei Filium, multo perfectioris vitæ exemplum & magiſtrum. Nec Johannes Baptiſta ultro ac ſua ſponte in deſerto egit, & locuſtis victitavit: a Deo id facere juſſus eſt, cui conſilii ſui ratio conſtabat, nec quiſquam noſtrum idem facere recuſaverit, ſi idem a Deo mandatum accipiat. Neque ullus ex iſtis, qui Johannis imitatores eſſe volunt, locuſtis pro cibo uſus eſt, aut vino abſtinuit, à quo tamen diſciplina Machometis ſuos continet. Chriſtus vera ſapientia rerum omnium uſum permittit, abuſum omnem arcet. An ut elingues ſiamus, & uſu ſermonis nobis interdicamus? Id vero eorum eſt qui dum vitant vitia, in contraria currunt. An ut cælebs quiſque maneat? Hoc quoque perfectionis non eſt, ſi quis uri malit quam nubere. Et quidquid in cælibatu perfectionis eſt, etſi a Chriſto non imperetur, tamen peculiari in cælis commendatur præmio, ut cui ea animi vis inſit, ad hanc perfectionem ultro, non coactus contendat. An ut alios doceat, & miniſtrum Eccleſiæ agat? Enimvero, ſi ad hoc faciendum idoneus ſit, idque res requirat. An ut gratis, Apoſtolum imitatus, Euangelium prædicet? Quidni? ſi aliunde victum poſſit acquirere, & tantas iſtius rei cauſas habeat, quantas Apoſtolus habuit. An ut omni ſeſe ſeculari ſtatu abdicet? Id vero facere non cuique neque ſemper convenit. Cum etiam in ſeculari ſtatu ſancte & juſte verſari non minoris, imo majoris etiam perfectionis eſſe poſſit. Ut in Joſepho, Daniele, Eſthere, Mardochæo & aliis videmus. Hæc omnia & his ſimilia ſpecialia ſunt & ex generalibus pendent præceptis, quorum præceptorum generalium ſpecialis executio non ſemper eſt eadem & æqualis, ſed ex rerum ac temporum circumſtantiis tota dependet; nec uſquam majorem locum habet, quæ paulo poſt ſequitur, Apoſtoli admonitio, de probando quæ ſit voluntas Dei, quid ſit bonum & acceptum & perfectum, quam in talibus, in quibus id quod bonum & acceptum & perfectum eſt, proinde quod Deus vult ex variis rerum, locorum, temporum, perſonarum circumſtantiis ſæpe variat. Cujus moniti ſi memores fuiſſent qui tot regulas condiderunt, & in Chriſtianum orbem invexerunt, nunquam ſanctiſſimam & perfectiſſimam, ac plane ſpiritualem Chriſti religionem, ad diſciplinam in externam quandam pietatis ſpeciem & larvam, vi ac virtute illius exſtincta, deformaſſent. Quicquid ergo uſquam perfectionis eſt, id omne a Chriſto, vel præceptum, vel commendatum eſt.

Verſ. 2.

Digitized by Google

Verſ. 2. *Et ne configuremini ſeculo huic, ſed transformemini renovatione mentis veſtræ, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona & accepta & perfecta.* Hoc monet Apoſtolus, ne quis ſeculi mores objiciat. *Ne configuremini.* Nempe ratione morum, *ſeculo huic*, id eſt hominibus in hoc ſeculo viventibus, per metonymiam continentis pro contento; quibus Dei & Chriſti nulla eſt cognitio. Idem præceptum alibi ſic effert.

Ne ſitis, ἑτεροζυγοῦντες infidelibus. Id eſt ne, cum ſitis multum diſpares infidelibus, vitiorum jugo iis connectamini 2 Cor. vj. 14 & ſeqq. Idem præceptum extat & Epheſ. v. 7, 11, & alibi. Nimirum Chriſtiani non debent ſpectare, quid omnes alii homines faciant, ſed quid ipſos facere deceat, & vocationi eorum conveniat; nec hominum curare debent offenſam, ſed Dei, propter quem homines offendere, beatum eſt; at Deum propter homines, miſerum & exitioſum. Sæpe enim Deus etiam per illos ipſos homines populum ſuum graviſſime punit, quos ne offenderet, aut ut gratiam illorum demereretur, Deum offendere maluit. At vero quis unice in Dei gratiam intentus eſt, Deum ſemper defenſorem habet, qui facile hominum animos probis conciliat, vel etiamſi mali bonis nocere velint, ne id facere poſſint, efficit, vel ſi quid malis in bonos permittat, habet quo piorum patientiam, fidem & conſtantiam large remuneretur.

Sed tranſformemini. Id eſt in aliam formam tranſmutemini, quam eſt hominum hujus ſeculi & veſtra antehac fuit, morum nimirum reſpectu, ut ſcilicet malos mores & vitia penitus abdicetis.

Renovatione mentis veſtræ. Medium illis oſtendit, per quod in aliam formam mutari debeant, in formam ſcilicet novam, vetere penitus abolita. Ne quis diceret, difficile eſt veterem formam deponere, & quibus à teneris aſſueveris relinquere, difficile eſt ſeculo obniti & reluctari, inter homines vivimus, cum hominibus etiam, id eſt eorum more vivendum eſt, ne tanquam exprobrantes aſpiciamur. Non difficile hoc vobis eſt, reſpondet Apoſtolus. Mentem enim & animum per Dei & Chriſti cognitionem habetis plane renovatum, quo renovato, facile eſt & vitam ac mores omnes renovare. Animus veſter antehac terrenis bonis intentus erat, neque enim alia noverat; nunc in cælum evectus eſt, ubi Patrem ſuum, ubi Chriſtum videt à dextris Dei ſitum, & unde adventum illius haud dubia ſpe exſpectat.

Ut probetis quæ voluntas. Finem proximum exprimit renovationis mentis Chriſtianorum. *Ut probetis*, id eſt ut re bene explorata cognoſcatis, nec vobis inani aliqua ſpecie imponi patiamini. Res enim probantur, ut cognoſcantur. Ponitur cauſa cum effectu; per metonymiam ſynecdochicam.

Quæ voluntas Dei. Intellige ſit, id eſt quid ſit id quod Deus vere vult.

Bona & accepta & perfecta. Non hæc dicuntur ad diſtinctionem voluntatis divinæ, quod detur etiam Dei voluntas, bona quidem, & accepta, & perfecta, ſed pro temporum ſtatu ac conditione, non vero ſimpliciter & abſolute, ſeu quæ καθ' ἑαυτὸ bona, accepta, & perfecta non ſit, quales erant ritus in Lege traditi, & juſtitiæ ac ſanctitatis prima elementa. Nam huc Apoſtolum nunc reſpicere, ſequentia non docent, quamvis iis ratio & cauſa iſtorum contineatur. Hæc igitur dicuntur ad declarationem ejus quod Deus velit, nempe id quod vere bonum eſt, vere acceptum, vere perfectum: quaſi dicat, ut probetis quid ſit id quod Deus vult, quod ſcilicet vere bonum, vere Deo placens, vere perfectum eſt, non quod eſſe videatur & appareat, cum non ſit. Non enim protinus aurum eſt, quod auri ſpeciem habet, probandum eſt. Ideo & Apoſtolus ut probemus præcipit. Unde hoc idem preceptum Eph. v. 10, ſic breviter & ſimpliciter effertur: *Probantes quid ſit acceptum Domino.* Et hicquidem finis proximus eſt renovationis mentis noſtræ, ſed non ultimus. Ulterius tendendum eſt, & id quod vere bonum, & acceptum & perfectum cognovimus, exſequendum, quod falſa imagine imponit, vitandum. *Acceptum*, εὐάρεστον. Intellige Deo.

Verſ. 3. *Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omni qui eſt in vobis, ne plus ſapiat quam quod oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, unicuique ſicut Deus partitus eſt menſuram fidei.* Novo precepto cauſam ſuperioris moniti exponit: quaſi dicat, non fruſtra dixi quæ de probatione voluntatis Dei, & ejus quod bonum eſt monui. *Dico enim omni qui in vobis eſt ne plus ſapiat.* Significat Apoſtolus facilem hic eſſe lapſum, niſi quis id cognoſcat quod Deus vult, quod vere bonum & acceptum & perfectum eſt. Multi enim ſunt qui res abſolutè, & in abſtracto, ut dicitur, conſiderant, non reſpicientes ad id quid ſibi conveniat, ſuarum virium, ſuæ vocationis & officii ſit; ita fit ut dum ad ea connituntur, quibus ſatiſfacere non poſſunt, neque id quod præſumunt exſequantur, niſi perperam, & quod ſui muneris erat, omittant & negligant.

Dico. Id eſt præcipio

Per gratiam quæ data eſt mihi. Id eſt muneris mei Apoſtolici vigore; quod gratiam, nempe Dei & Chriſti, vocat, quia per ſummam Dei & Chriſti gratiam illi commiſſum erat, per metonymiam cauſæ pro effecto. Qua de re vide 1 Cor. xv. 9, 10. 1 Timoth. 1. 12 & ſeqq.

Omni qui eſt in vobis. Id eſt inter vos, *in* pro *inter*. Omni quiſquis ſit inter vos, quibuſcunque Dei donis, quocunque munere inſignis. Nemo eſt qui hoc monito non indigeat, & cui ego muneris mei auctoritate non poſſim præcipere id quod rectum ac verum eſt, quiſque mihi obtemperare non teneatur.

Ne plus ſapiat. Μὴ ὑπερφρονεῖν, per infinitivum, Græca phraſi. Ne ſit ſapientior, id eſt ne ſibi ſapientior eſſe videatur quam revera eſt.

Præter quod oportet ſapere. Explicat quid ſit ὑπερφρονεῖν, nempe ſapere ultra ſapientiæ ſuæ modum.

Sed ut ſapiat ad ſobrietatem, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Idem præceptum exprimit per affirmationem contrarii, id eſt tantum ſibi ſapere videatur quantum revera ſapit, ſobrius ac moderatus ſit in ſapientiæ ſuæ opinione. Proinde ne talia præſumat & occipiat quibus par eſſe non poſſit.

Unicuique. Explicat quid ſit ſapere ad ſobrietatem, nempe ſic ſapere ſicut unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei ſapere, & conſequenter agere ſecundum menſuram à Deo acceptam. *Unicuique ſicut*, pro, ſicut unicuique.

Deus

Deus partitus eſt menſuram fidei. Id eſt menſuram donorum divinorum, ſicut cuique Deus dona ſua admenſus eſt: quæ dona fidem vocat, per metonymiam cauſæ, quod fides in Chriſtum variis ſpiritualibus donis eos locupletaverit Gal. iij. 2. Intelligit autem non quantitatis tantum, ſed etiam qualitatis menſuram.

Verſ. 4. *Sicut enim in uno corpore membra multa habemus; membra vero omnia non eandem habent actionem.* Rationem affert propter quam Deus non eadem menſura & quantitatis & qualitatis dona ſua credentibus diſtribuerit, quam ſimilitudine à corpore noſtro ducta explicat.

Sicut in uno corpore &c. Protaſin ſimilitudinis ponit: quaſi dicat, unum corpus eſt, ſed membrum non unum.

Multa membra habemus. Ex quibus ſcilicet corpus noſtrum compoſitum eſt.

Membra autem omnia non eandem habent actionem. Quaſi dicat, quædam quidem habent eandem, ut oculi, ut aures &c, ſed non omnia. Nam oculi diverſum habent actionem ab aurium actione, manus ab actione pedum, & ſimilia.

Verſ. 5. *Sic multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alii aliorum membra.* Apodoſin ſimilitudinis ſubjicit. *Multi* οἱ πολλοὶ: articulus certos multos deſignat, nempe in Chriſtum credentes.

Unum corpus ſumus. Multa enim membra unum corpus ſunt.

In Chriſto. Id eſt per Chriſtum, qui nos fide in ſe & ſpiritu ſuo ita conjunxit, ut ex nobis multis unum corpus, unam ſocietatem, unam eccleſiam effecerit.

Singuli autem, ὁ δὲ καθ' εἷς. id eſt quod ad ſingulos attinet, *alii aliorum membra,* intellige ἐσμὲν, *ſumus.* Proinde non unam & eandem actionem omnes habemus, ſed diverſam, ut ſcilicet alii aliis ſua quiſque actione inſervire poſſimus, ſicut in unum corpus conjuncti debemus. Merito igitur non eadem tam quantitate quam qualitate dona accepimus, ſed quiſque ſecundum membri, quod illum Deus in eccleſiæ corpore fecit, rationem & conditionem.

Verſ. 6. *Habentes autem dona, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis diverſa, ſive prophetiam, ſecundum rationem fidei.* Explicata ſimilitudine, explicat ſuperius præceptum. *Habentes autem.* Intellige ut dixi. *Habentes,* nempe inter nos,

Dona diverſa. Quorum aliqua mox enumerat.

Secundum gratiam, nempe Dei & Chriſti, *quæ data eſt nobis.* Id eſt quæ nobis eſt exhibita propter fidem in Jeſum Chriſtum. Sic gratiam nobis datam, id eſt exhibitam dixit 2 Tim. I. 9.

Sive prophetiam. Intellige aliqui veſtrum habent. Nominat dona quædam credentibus data. Primo loco ponit *prophetiam,* tanquam primum & præcipuum, Apoſtolico (quod hic in cenſum non venit,) munere excepto. In eccleſia donum Prophetarum erat non tantum futura prædicere, ſed quod majus erat, arcana Chriſtianæ fidei dogmata revelare, inprimis vero veterum Prophetarum abditos & latentes ſenſus in apertum producere, ad fidei Chriſtianæ confirmationem & eccleſiæ inſtitutionem ac ædificationem. Cujus doni inſigne ſpecimen in auctore Epiſtolæ ad Hebræos apparet.

Secundum rationem fidei, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Intellige quiſque prophetet, id eſt quæ ſibi revelata non ſunt, ea docere & annunciare ne præſumat, intra ſuæ prophetiæ limites ſeſe contineat. *Propheta,* inquit alibi Apoſtolus, *duo aut tres loquantur, & alii dijudicent: Si vero alteri reveletur ſedenti, primus taceat* I Corinth. XIV. 29, 30. *Fidei* voce iterum, ut ỳſ. 3, intelligit donum ob fidem collatum, quod hic eſt Prophetia. Præcipit igitur Apoſtolus ut quiſque ſecundum analogiam ac proportionem Prophetiæ ſibi collatæ prophetet. Neque enim cuivis omnia revelavit Dominus, quiſque Prophetarum in hoc tam inſigni dono partem ſuam accepit, qua contentus eſto.

Verſ. 7. *Sive miniſterium, in miniſterio, ſive qui docet, in doctrina.* *Sive miniſterium.* Διακονίαν. Intellige veſtrum aliquis habet. Secundum poſt Prophetiam miniſtrandi donum nominat, quod donum conſtituebat Diaconos, quorum erat Eccleſiæ miniſtrare in iis quæ ad corpus pertinerent, ſicut Prophetæ miniſtrabant in iis quæ pertinebant ad ſpiritum. Etſi vero miniſterii nomen ſua natura generale eſt, adeo ut etiam Apoſtolis & Prophetis & eccleſiæ Senioribus ſeu Doctoribus ac Rectoribus competat, qui ſermone opus ſuum in eccleſia peragunt; uſus tamen obtinuit ut peculiariter Diaconi vocentur qui pauperum ac viduarum, aliarumque rerum ad corpus ſpectantium, communi eccleſiæ ſumptu curam gerunt.

In miniſterio. Intellige maneat; ne ſibi Prophetiam arroget, ſi non aliud quam miniſterii donum accepit, ſicut auris in corpore oculi ſibi non arrogat officium. Recte Apoſtolus de hoc & ſequentibus donis præcipit, ut quiſque in illorum quolibet maneat, id eſt altius donum ſibi ipſe non arroget: quod de dono Prophetiæ non dixit, ſed tantum ut quiſque intra ſuæ Prophetiæ modum ſeſe contineat; quia donis iſtis alia erant ſublimiora; at Prophetiæ dono, Apoſtolis exceptis, nullum erat ſublimius, menſura tantum intra ſeipſum differebat.

Sive qui docet. Ὁ διδάσκων, per participium. Tertium nominat donum eorum qui docent, nempe in eccleſia, qui ſcilicet ab Apoſtolis & Prophetis tradita, eccleſiæ inculcant, illuſtrant, exponunt.

In doctrina. Intellige maneat. Spartam quam nactus eſt ornet, ut dicitur.

Verſ. 8. *Sive qui exhortatur, in exhortatione, qui impertit, in ſimplicitate, qui præeſt, in ſtudio, qui miſeretur, in hilaritate.* Quartum nominat donum eorum qui exhortantur in eccleſia. Sunt enim qui peculiariter exhortandi & excitandi & conſolandi pollent facultate. Exhortantur autem ad fidem, charitatem, patientiam, & alia Chriſtianæ pietatis officia.

In exhortatione. Intellige maneat. Hoc faciat ad quod peculiari dono inſtructus eſt, ea quæ aliis data ſunt, aliis relinquat.

Qui impertit &c. Donis aliquot præcipuis enumeratis, ex quibus judicium fieret de cæteris, pergit ad alias pietatis Chriſtianæ actiones, & docet quo pacto in illis quiſque ſe gerere debeat. *Qui impertit.* Nempe ex ſuis facultatibus, indigenti,

In ſimplicitate. Intellige impertiat. *In ſimplici-*

tate, id eſt cum ſimplicitate (*in* pro *cum*) ſimpliciter, liberaliter, non parce, non reſtricte, ſine probris ſeu exprobratione. Sic Jacobus de Deo; *dat*, inquit, *omnibus ſimpliciter, & non exprobrat* Cap. 1. 4. Sic Apoſtolus liberalitatem ἁπλότητα, id eſt ſimplicitatem appellat 2 Cor. viij. 2 &c. ix. 13. Merito. Nam qui vere liberales ſunt, & in ipſa datione fructum collocant, minime ſunt in dando ſcrupuloſi ac difficiles, aperti ſunt & candidi. Niſi ſimplicitate animum muniamus, nunquam nobis non dandi cauſæ deerunt, & ſicut ad res noſtras augendas ac retinendas induſtria ac ſagacitate, ſic ad elargiendas ſimplicitate ſed ſancta & ſapiente eſt opus. Ingenioſa eſt tenacitas, liberalitas ſimplex.

Qui præeſt, in ſtudio. Intellige præeſt. *Qui præeſt*, ὁ προϊστάμενος, eccleſiæ nimirum, qui eccleſiæ præfectus eſt, eamque regit, ut omnia in eccleſia decenter fiant, & quiſque officium ſuam faciat, qui in eccleſia, id eſt quod paterfamilias in domo, citra dominationem tamen. *In ſtudio*, id eſt cum ſtudio, cum cura, ſtudioſe, diligenter & curate id faciat, rem ſibi commiſſam cordi habeat, ne ſua incuria aliquid peccetur in eccleſia.

Qui miſeretur, in hilaritate. Intellige miſereatur. *Qui miſeretur*, ὁ ἐλεῶν, nempe hominis in miſeria aliqua conſtituti, eique fert opem; miſeratio enim intelligitur cum effectu. *In hilaritate*, id eſt cum hilaritate opem ferat, ne contriſtetur ideo quod ſibi aliquid ex facultatibus decedat, aut onus aliquod & moleſtia ſit ſubeunda in juvandis miſeris & afflictis, ſed lætetur eo nomine, ſciens miſericordibus paratam eſſe apud Deum miſericordiam. Hilari & exporrecta fronte, non triſti & adducta miſerum & calamitoſum juvet, ne auxilium ſuum ipſi ingratum & inſuave reddat, ſed afflictum ac triſtem, non ope tantum, verum etiam ipſa in ferenda ope hilaritate exhilaret.

Verſ. 9. *Dilectio non ſimulata, odio habentes malum, adhæreſcentes bono. Dilectio non ſimulata*, ἀνυπόκριτος. Intellige *ſit*, nemo hypocritam agat in charitate, vere & ex animo amet, non inanem amantis ſpeciem ac larvam ſumat & gerat, quod faciunt qui verbis & externa ſpecie charitatem oſtentant, cum vero rebus ac factis demonſtranda eſt nulli ſunt.

Odio habentes malum. Intellige *ſitis*. Per participia omnia efferuntur, ex Hebræorum & Atticorum idiotiſmo. *Malum*, τὸ πονηρόν, in genere neutro. Præcipit ut omne factum malitioſum quo cuiquam noceatur, aut quiſquam malo aliquo afficiatur, proinde charitati contrarium, non tantum vitemus, ſed etiam penitus averſemur & odio maximo proſequamur: odium omne ab hominibus convertendum eſt in mala & improba facta.

Adhæreſcentes bono. Id eſt bono operi ac facto; opponitur enim operi malo. Præcipit, ut ſi ſe boni alicujus operis, quo cuiquam bene facere poſſimus, offerat occaſio, protinus id præſtemus, bono operi ſemper adhæreſcamus & adglutinati ſimus. Huc pertinet quod idem Apoſtolus monet 1 Theſſ. v. 13. Recte hoc jubet poſt præceptum de charitate non ſimulata. Hic enim veræ ac ſinceræ charitatis effectus eſt, nemini nocere, omnibus prodeſſe ac benefacere, quoties datur facultas & occaſio.

Verſ. 10. *Fraterna charitate alii in alios amore propenſi, honore alii alios prævenientes.* Poſt charitatis quam cuique debemus, peculiare addit præceptum de charitate quam fratribus in Chriſto ſcilicet debemus. Fratrum enim amabili nomine ſeſe invicem Chriſtiani compellant & compellare debent, multo majori jure quam qui ex iiſdem ſecundum carnem parentibus nati ſunt, cum multo plus ſit ex Deo naſci ſecundum ſpiritum, quam ex iiſdem hominibus ſecundum carnem.

Fraterna charitate, id eſt per fraternam charitatem, *alii in alios*, id eſt Chriſtiani in Chriſtianos, *propenſi*, φιλόστοργοι. Id eſt ſic alii alios amate, ſicut ſolent qui inſito per naturam amoris affectu in aliquem feruntur. Id vult ut Chriſtiani invicem vehementer amemus: ἐκτενῶς, intenſe, ut Petrus loquitur 1 Petr. 1. 22, ubi idem φιλαδελφίας præceptum inculcat. Dilectio erga alios patitur aliquam amoris remiſſionem, at dilectio erga fratres nullam, pro quibus etiam animam ponere debemus.

Honore alii alios prævenientes. Præcipit ut fratres in Chriſto alii alios honorent, idque ſic ut non exſpectent prius honorari ab aliis, ſed ipſi honore antevertant & præveniant alios. Seipſum honorat qui alium honore prævenit. Per honorem autem intelliguntur non tantum nuda honoris ſigna, per quæ nemini quidquam deperit, & quæ ſine ullo labore ac moleſtia veniunt, ſed etiam varia officia. Certare nos vult Apoſtolus invicem officiis & contendere ut in hoc tam pulchro certamine victores evadamus, aliorumque veluti duces ſimus. Sic honoris vox accipitur in præcepto de honorandis parentibus, viduis veris, iis qui bene præſunt eccleſiæ Senioribus 1 Tim. v. 3, 17. Magis enim honorantur homines officiis quam geſtibus Actor. xxviij. 10.

Verſ. 11. *Studio non pigri, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes. Studio non pigri.* Intellige *ſitis*. Præcipit ut quibus rei alicujus ſtudium & cura incumbit ac demandata eſt, ignaviam omnem excutiant, ne per ignaviam & pigritiam male rem ſuam adminiſtrent, vigilantes ſint, excitati, mobiles, intenti.

Spiritu ferventes. Hic fervor ignaviam omnem expellit. *Spiritu*, id eſt per ſpiritum, quem ex fide in Chriſtum hauſiſtis. *Ferventes*, nimirum animo. Spiritus enim iſte quem hauſimus ex Chriſto, ignis quidam cæleſtis ac divinus eſt, fervor animi Spiritu Sancto excitatus hominem quieſcere non patitur, quoties ſeſe bene agendi, & inprimis Dei gloriam præmovendi offert occaſio. Hunc vero ſpiritum tanquam ignem excitare in nobis debemus 2 Tim. 1. 6. Fervor iſte tepori opponitur, quem Chriſtus magis averſatur in ſuis, quam frigus in extraneis Apoc. iij. 15, 16.

Domino ſervientes. Τῷ κυρίῳ. Alii codices legunt, τῷ καιρῷ, *tempori*, multo veriſimilius. Quid enim tam generale præceptum faceret inter præcepta ſpecialia? Nam Domino ſervire univerſam continet pietatem Chriſtianam. Niſi quis dicat hactenus hoc ſpeciale mandatum eſſe quatenus præcipiatur, ut non tantum Deo ſed etiam Chriſto, qui peculiariter Dominus ſub Novo Fœdere appellatur, religioſe ſerviamus. Id enim Chriſtianorum proprium eſt, ſervire non tantum uni Deo; ſed etiam

uni

uni Domino ab ipſo effecto. Verum haud ſcio an fuerit neceſſe ut hoc præciperetur Chriſtianis idipſum haud dubie facientibus, nec ullo hac in parte moniiore ac præceptore indigentibus. Credibilius eſt Apoſtolum, poſtquam eos ad fervorem animi excitaſſet, addidiſſe præceptum prudentiæ, ut ſcilicet tempori ſerviant, id eſt ſuum fervorem ac zelum ex temporum ac rerum ratione moderentur: ne dum ardent cupiditate Dei gloriæ, intempeſtivo fervore plus illi noceant & obſint quam proſint. Nempe non omnia, etiam alioquin optima, cuilibet tempori conveniunt. Inter alia ſapienter dicta, nihil ſapientius dixiſſe mihi videtur Salomon, quam cum monuit; ſuum cuique rei tempus eſſe; quod qui intelligit & obſervat, inoffenſo pede in omnibus & Deo & hominibus & ſibi ipſi debitis officiis decurret. Suo enim tempore rem unamquamque aget, & ſæpe quæ ſibi invicem videntur contraria, temporis diverſitate conciliabit. Nam non pauca quæ uno tempore ſunt illicita, alio tempore fiunt licita, & quæ uno tempore ſunt mala, alio tempore fiunt bona.

Verſ. 12. *Spe gaudentes, afflictione patientes, orationi attendentes. Spe gaudentes*, id eſt per ſpem, nempe nobis Chriſtianis propriam, ſpem nimirum certam, minimeque dubiam ac fallacem vitæ æternæ. Præcipit igitur ut per hanc ſpem perpetuum & indeſinens gaudium in animis noſtris exundet. Ideo alibi monet ut ſemper gaudeamus Phil. iv. 4. 1 Theſſ. v. 16. Spes enim noſtra fons eſt veri gaudii nunquam exareſcens, quod gaudium ſemper ex iſto fonte manat, quamvis interdum adverſitatibus turbetur, fluere tamen non deſinit, & mox ſubſidente triſtitia ſuæ limpiditati ac nitori redditur.

Afflictione patientes, τῇ θλίψει ὑπομένοντες. *Afflictione*, id eſt per afflictionem, ſeu afflictionis occaſione & cauſa, *patientes*, intellige *ſitis*. Hortatur ad patientiam quam afflictio operatur, ut cap. v. 3 dixit. Ubi enim nulla eſt afflictio, ubi nec patientiæ ullus eſt locus. Recte ſpei & gaudio ex illa mananti patientiam adjungit, quia ex ſpe & gaudio patientia magnum capere poteſt robur & allevamentum. De patientia egimus loco memorato.

Orationi attendentes, προσκαρτεροῦντες. Aſſidui & perdurantes in precibus: quod præceptum patientiæ præcepto merito ſubjungitur, quia patientibus & afflictis unicum eſſe debet in precibus refugium, per quas aut liberamur ab afflictionibus, aut in illarum patientia corroboramur & recreamur.

Verſ. 13. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes.* Et hoc precibus congrue additur. Nam ſicut nos precamur, ut Deus noſtris ſuccurrat neceſſitatibus, ſic & nos aliorum hominum inprimis Sanctorum neceſſitatibus ſubvenire debemus.

Neceſſitatibus Sanctorum. Id eſt ſanctis in neceſſitate aliqua conſtitutis, per metonymiam adjuncti pro ſubjecto. *Neceſſitatibus*; id eſt indigentiæ rerum neceſſariarum ad vitæ ſuſtentationem. Alii vertunt *uſibus*, ſenſu eodem; intelliguntur enim uſus non ſuperflui ſed neceſſarii.

Sanctorum. Id eſt credentium in Chriſtum Jeſum, quippe qui per hanc fidem Deo ſanctificantur; uſitatum de credentibus in Jeſum Chriſtum nomen, quo docemur ſicut fide, ſic & moribus totaque vitæ converſatione ſanctis eſſe 1 Petr. 1. 15.

Communicantes. Id eſt impertientes. Hactenus enim omnia nobis cum ſanctis debent eſſe communia, ut ad eorum participationem illos admittamus, cum neceſſitatibus noſtris aliquid ſupereſt, illorum deeſt.

Hoſpitalitatem ſectantes, διώκοντες. Hæc virtus pars liberalitatis ac beneficentiæ eſt. Intelliguntur enim hoſpites qui peregre veniunt, & hoſpitalitatis officiis indigent. Præcipit autem ut hoſpitalitatem ſectemur, non exerceamus tantum, quia nos ipſi peregrinos & advenas prævenire debemus; qui cum ad ignotos veniunt, ſæpe neſciunt quo ſe vertant, nec facile quenquam adeunt verecundia prohibiti, niſi ultro in domum inviteniur ac deducantur. Sic Abrahamum & Lotum hoſpitalitatem ſectatos eſſe legimus, dum peregrinos iter facientes obſervant, aut in porta ſedent ut venientibus occurrant, eoſque ad ſe deductos hoſpitalitatis officiis reſoveant. Quam virtutem illis Deus ſic remuneratus eſt, ut Angelos pro hominibus ſuſceperint, à quibus maximis beneficiis affecti ſunt Hebr. xiij. 1.

Verſ. 14. *Benedicite perſequentibus vos, benedicite & non imprecamini.* Docuit quo pacto nos gerere debeamus erga ſanctos, docuit quo pacto erga peregrinos, docet etiam quo pacto erga perſecutores & adverſarios. Jubet ut illis benedicamus, id eſt bene precemur, votis bonis proſequamur. Neque enim aliis officiis erga perſecutores exercendis tum locus eſt. Intelliguntur autem illi qui propter veritatem & Chriſti nomen nos perſequuntur, id eſt injuriis quibus poſſunt inſectantur, his pro omnibus injuriis bene precari jubemur, id eſt precari ut Deus illis tantum peccatum remittat, plerique enim neſciunt quid faciant. Quo argumento Chriſtus ipſe in crucem actus uſus eſt, Patrem rogans ut tantum crimen interſectoribus ejus remitteret. Chriſtum igitur Dei Filium & Dominum noſtrum imitari debemus. Adeo enim perſecutores noſtri, in commune loquendo, neſciunt ſe malefacere, ut exiſtiment ſe nihil melius, nihil Deo gratius poſſe facere, quam ſi modis omnibus id agant, ut nos extermiment & occidant. Tanto vero magis bene illis precari officium eſt noſtrum, quod dum nos perſequuntur, revera nos maximis beneficiis afficiant, præter mentem quidem ſuam, ſed Deus illorum maleficia convertit in ſumma beneficia. Cauſa enim nobis ſunt patendi pro Chriſto, & afflictionibus ejus communicandi, quarum communicationem & gloriæ cæleſtis communicatio ſequitur. Dum vero precamur ut Deus illis peccatum hoc remittat, ſimul precamur ut Deus tantæ cæcitatis illorum miſertus oculos illis aperiat, & mentem ſaniorem largiatur, quo ex perſecutoribus Chriſtianorum, & ipſi fiant Chriſtiani. Cui rei etiam multum inſervit hæc tanta Chriſtianorum, qualis hic præcipitur adverſus perſecutores manſuetudo ac benignitas.

Benedicite & non imprecamini. Repetit hoc præceptum & inculcat, idque etiam per contrarii remotionem amplificat & illuſtrat. Multum enim Chriſtianæ

pietatis intereſt ut hoc fiat, nec quidquam magis Chriſtianam fidem ex cælo profectam eſſe, & Deum auctorem, defenſorem ac remuneratorem habere arguit. *Non imprecamini, μὴ καταρᾶσθε.* Imprecationem benedictioni opponit. Quia vero καταρᾶσθαι ſignificat imprecari & diris devovere, ideo benedicere hoc loco, benepreçari deſignat.

Verſ. 15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Græcus textus per infinitiva hoc præceptum exprimit, Græca phraſi. Pars humanitatis & benevoli erga alios affectus eſt, ex illorum gaudio affici gaudio, ex illorum triſtitia affici triſtitia. Quæ virtus adverſatur invidiæ & malevolentiæ, cujus eſt ex aliorum gaudio contriſtari, ex triſtitia autem lætari. Nimirum Chriſtiani aliorum bona & mala pro ſuis & ſe quoque tangentibus bonis ac malis ducunt. Omnes enim homines amant, omnibus bene volunt ac cupiunt, omnium mala & adverſa ad ſe etiam revocant & pertinere putant. Homo ſum, inquit ille, humani à me nihil alienu puto.

Et flete cum flentibus. Id eſt triſtamini cum triſtantibus. Neque enim omnes æque proni ſunt ad lachrymas. Effectus ponitur pro cauſa. Hic videmus Chriſtianam ſapientiam haud eſſe, nullis commoveri affectibus, non gaudio, non triſtitia. Nolt enim affectus omnes à natura, proinde ab ipſo Deo inditos eſſe, nec lachrymas ipſas homini fruſtra eſſe datas. Epictetus, Stoïcus Philoſophus, permittit quidem lachrymas ſapienti, in amici fletu ac luctu, ut ex noſtris lachrymis conſolationem aliquam capiat, ſed cave, inquit, ne ex animo hoc facias, alioquin enim & tu deſipies. Imo vero tu Stoïce deſipis, qui neminem, niſi opinione ſua, affligi exiſtimas. Affectus innati non ſunt exſcindendi, ac ne poſſunt quidem; ſed ex rerum ratione ac modo temperandi, id eſt vel intendendi, vel remittendi.

Verſ. 16. *Idem inter vos ſentientes, non alta ſapientes, ſed cum humilibus abducimini, ne ſitis ſapientes apud voſmetipſos. Idem inter vos,* εἰς ἀλλήλους, *in* pro inter, *ſentientes,* φρονοῦντες, ſapientes, id eſt ſapite, participia ponuntur more Hebræorum. Præcipit ut idem inter ſe fratres ſentiant, nec ſit inter illos ſententiarum ulla diſſenſio, ex qua facile oritur diſcordia, & ex diſcordia tantum malorum, quantum ex concordia bonorum. Conſenſio vero facile poterit in omnibus obtinere, ſi quiſque veritatem unice ſpectet, nec vanam gloriam aut privata emolumenta conſectetur.

Non alta ſapite. φρονοῦντες ſapientes, itidem per participium. Alta ſapiunt, qui id cogitant, id agunt, ut ſupra cæteros emineant, laudibus, gloria, ſplendore, dignitate, honore, aliiſque rebus carnalibus. Dehortatur Apoſtolus hoc præcepto ab omni ambitione. Ambitioſi enim omnes alta ſapiunt, honores, opes, dignitates, & ut in ſublimi ſint quærunt. Quæ cura & cogitatio Chriſtianorum animos tangere non debet, qui ad vere alta ac ſublimia, id eſt ad regnum cæleſte vocati ſunt & unice adſpirant. Recte autem ſuperiori præcepto hoc ſubnectit Apoſtolus, quia diſſenſionum præcipua cauſa eſt vanæ laudis cupiditas & ambitio.

Sed cum humilibus abducimini, τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. Hic quoque participium. Dehortatur à vitio, hortatur ad virtutem contrariam. *Cum humilibus.* Nempe hominibus, qui procul ſunt ab omni ambitione. *Abducimini.* Id eſt eandem cum illis viam pergite, idem quod illi cogitate, idem facite, eorum exemplum imitamini, humilibus vos permiſcete, una cum illis vos dedite, eorum obſequimini ſtudiis, nunquam præponentes vos illis. Nam qui ipſe ſe humiliat, extolletur, qui ſe extollit aut extolli ambit & poſtulat, humiliabitur. Chriſtiano ſufficit ut dignus ſit honoribus, ut autem honores gerat & ſupra cæteros exſtet, adeo non curat, ut etiam id fugiat. Intelligit autem Apoſtolus ſtatu & conditione humiles, quos Chriſtianus animo & moribus debet imitari, quamvis ſtatu & conditione non ſit humili, tamque apertam habeat ad alta ac ſublimia viam & campum quam alii.

Ne ſitis ſapientes apud voſmetipſos. φρόνιμοι, præcipit ut vere ſapiant, id eſt veras de rebus ſententias habeant, non ut ſapiant apud ſeipſos tantum, id eſt ſua opinione, non reipſa, nec Dei & eorum qui vere ſapiunt judicio ac ſententia, proinde ne ſibi placeant ac fidant, moneri ſe ac corrigi facile ac libenter patiantur. Vitium iſtud à quo hic dehortatur Apoſtolus, proprio nomine vocatur αὐθάδεια, ut merito præceptum hoc ſuperiori attexuerit. Ambitioſi enim omnes ſolent etiam eſſe αὐθάδεις, & αὐθάδεια ambitionis fons eſt.

Verſ. 17. *Nemini malum pro malo reddentes, providentes bona coram omnibus hominibus.* Merito hoc vetat Chriſtianis; à quibus omnis malitia longiſſime debet abeſſe, quique nihil aliud eſſe debent, quam ipſa bonitas & innocentia. Nam qui malum reddit pro malo, æque malus eſt quam ille qui dedit, niſi quod hic prior malus fuerit, ille poſterior. Chriſtianus igitur male accepti & illatæ injuriæ meminiſſe non debet, & injurias obliviſci non ulciſci, quamvis ulciſcendi ſeſe offerat occaſio. Pertinet huc præceptum Legis Levit. xix. 18, *Ne ulciſcaris, neve ſis memor injuriarum proximi tui.*

Nemini. Quiſquis ſit, etiamſi multo nobis minor & inferior, etiamſi alienus, & gente & religione, quod jam ſupra Legis Moſaicæ diſciplinam eſt. Non includuntur autem hic pœnæ legitime illatæ, quæ malæ non ſunt ſed bonæ, pertinent enim ad conſervationem pacis ac tranquillitatis publicæ.

Providentes bona &c. Προνοούμενοι, id eſt, animo & cogitatione & cura in id intenti eſtote, id providete ut ea faciatis & agatis quæ coram omnibus hominibus ſunt bona, quæ omnes homines laudant & probant, inter quæ etiam eſt malum pro malo non reponere, quamvis id faciendi facultatem & occaſionem habeas, & cum quiſque videt te non ideo ab injuria retalianda abſtinere quod facere id non poſſis nec audeas, ſed quod nolis, & ab omni malitia abhorreas. Alibi Apoſtolus ipſe de ſe, *providentes* vel *procurantes,* inquit, *bona, non tantum coram Domino, ſed etiam coram hominibus* 2 Corinth. viij. 21. Significans

cans etiam ab illis abſtinendum eſſe quæ vituperium habeant aut habere poſſint apud homines, quamvis ipſa per ſe coram Domino vacent crimine. Hactenus enim & ipſi Domino improbantur, quatenus in illis hominum debita ratio non habetur, ad quorum ædificationem omnis Chriſtianorum cura & providentia debet dirigi.

Coram omnibus hominibus. Docet rationem habendam eſſe cujuſque hominis, nullum hominem eſſe contemnendum, nulli ne minimo quidem offendiculum ponendum.

Verſ. 18. *Si fieri poteſt, quod ex vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Præcipit ut cum omnibus hominibus pacem colamus & habeamus, id eſt cum omnibus hominibus in pace ſimus acverſemur. Merito, non tantum quod id res per ſe ſit pulchra & bona & laudabilis; ſed etiam quod homines erga nos non pacati, protinus cauſam fidei Chriſtianæ mundo exoſæ admiſceant, & ex hac occaſione non tantum nos magis infeſtent ac premant, ſed etiam ipſam fidem ſanctiſſimam traducant & infament, ejuſque incrementis omnibus modis obſiſtant. Itaque non noſtri ſolum cauſa, ſed multo magis divinæ veritatis ac gloriæ cauſa pax nobis cum omnibus hominibus colenda & habenda eſt.

Cum omnibus hominibus. Non tantum cum potentioribus, ſed etiam cum minoribus, & quibuſcunque, ut appareat nos ipſam per ſe pacem, non hominum potentiam colere, omnes homines non aliquos tantum in pretio ac honore habere, omnium gratiam ac benevolentiam magni facere & æſtimare, imo hæc res tanto laudabilior eſt, quanto magis apparet nos non ullo alio quam ſolius virtutis reſpectu pacem cum hominibus exercere.

Præmittit Apoſtolus hæc verba, *ſi fieri poteſt, εἰ δυνατόν.* Merito. Neque enim ſemper in noſtra poteſtate eſt in pace eſſe cum hominibus, ut puta, ſi nos per ſummam malitiam & injuriam infeſtent, nulla à nobis provocati injuria, quin potius beneficiis affecti, tantum quod nos injuriis opportunos videant, & noſtrarum fortunarum ſint avidi, ſi ob id ſolum nos impetant quod Chriſtiani & veritatis divinæ profeſſores ſimus, quod moribus & ſanctitate vitæ ab illis differamus, quod ſciant nos injuriarum eſſe patientiſſimos. Hæc & talia obſtare poſſunt, quominus pacem cum hominibus habere poſſimus. Niſi enim alter pacem velit, fruſtra eſt omnis mea de pace cura & conatus. Nemo, ajunt, pacem diutius habere poteſt, quam ſuus vicinus velit. Nec tum ego magis ſum in culpa, quam agnus ille in culpa fuit longe infra lupum ex fluento bibens, cui tamen à lupo ipſum invadente crimini datum eſt, quod aquam ſibi bibenti in fluento turbaſſet.

☛ Ideo addit Apoſtolus, *quod ex vobis*, τὸ ἐξ ὑμῶν. Quantum in vobis ſitum eſt: quaſi dicat, ſi id fieri non poſſit nec liceat per adverſam partem in pace eſſe, ſaltem ex veſtra parte nullum ſit pacis impedimentum, vos ſaltem, quantum ex vobis fieri poteſt, omnia facite quæ ad pacem habendam pertineant, omni ratione cavete ne turbandæ aut arcendæ paci ullam juſtam cauſam & occaſionem detis, non magis quam oves innoxiæ in culpa ſunt ut infeſtentur à lupis. Pertinent huc verba Apoſtoli Petri. *Et quis vobis malum faciet, ſi bonum ſectemini? Sed etiamſi patiamini propter juſtitiam, beati eſtis* 1 Pet. iij. 13, 14.

Verſ. 19. *Non voſmet ipſos ulciſcentes dilecti, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: mihi ultio, ego retribuam dicit Dominus.* Non ſatis habuit Apoſtolus in genere dixiſſe, ut omnia ex parte noſtra faciamus quæ ad pacem cum omnibus hominibus habendam ſpectent, etiam in ſpecie præcipit, ut injuria laceſſiti ab omni ultione & vindicta abſtineamus. Nam ſi quid aliud, hoc certe vel maxime eo pertinet ut ex parte noſtra immota pax ſit. Non ſatis habent Chriſtiani nullo maleficio, nulla injuria quenquam afficere & provocare. Non ſatis habent omnibus officiis ac beneficiis animos hominum ſibi devincire; ſed etiam injuriis ac maleficiis impetiti quieſcunt. Hoc vere eſt pacem ſectari cum omnibus, hæ Chriſtianorum comparandæ ac retinendæ pacis artes ſunt. Parum eſt Chriſtiano ne cuiquam noceat, niſi laceſſitus injuria, (quod magnus officiorum auctor Cicero ex Philoſophorum docuit diſciplina) Chriſtianus nemini nocet etiam laceſſitus injuria; neque hoc tantum, ſed etiam, ut mox videbimus, eum qui ipſi nocuit beneficiis afficit cum poteſt. Loquitur autem hic Apoſtolus de ultione quæ poſt acceptam injuriam protinus reponitur ex iræ concitatione, ut ex ſequenti præcepti iſtius affirmativa parte liquet. Sunt enim qui ultionem differunt, ut eam cum lucro reponant, quod Chriſtianos facere ſupra verſ. 17 vetuit. Idipſum hic præcipit Apoſtolus quod Chriſtus Matth. v. 39 & ſeqq. Lex oculum, dentem excutere & vim omnem inferre prohibuit, idque ſevera talionis pœna ſanxit. Chriſtus autem perfectior virtutis & innocentiæ magiſter, etiam vim referre ſeu vim vi repellere adeo vetuit, ut etiam unam maxillam percutienti, alteram obvertere, & pallium eripienti, etiam tunicam dimittere, & ad unum milliare adigenti, etiam alterum cum illo ire, ſi uſus ferat, præceperit. Æquo nimirum & liberali animo ejuſmodi injurias tolerare debemus, ut longe graviora mala & damna evitemus. Optimum enim eſt inimicitias & bella, in ipſis principiis, patientia & animi moderatione exſtinguere, quæ ex parvis initiis orta, majorem vim ſubinde ſumunt, & tandem in exitium deſinunt. Præclarum eſt ſapientis monitum, ut ſcintillam conſpuamus, antequam habilem igni concipiendo materiam nacta in magnum erumpat incendium. *Veterem injuriam ferendo invitas novam*, dixit profanus auctor. Imo vero vitas injuriam novam, ſi veterem eo quo decet modo feras. Cæterum Chriſtus, per hæc exempla Legem ſuam declarat, ne vitæ & fortunarum omnium defenſionem nobis prohiberi putemus.

Voſmet ipſos. Non negat Apoſtolus ultionem deberi iis qui inſontes & paci deditos injuria afficiunt, ſed negat eam à nobis ipſis debere fieri: quaſi dicat, erit qui veſtras injurias ulciſcetur, veſtrum autem eſt injuriam pati, non ulciſci, ne peccetis, & id quod malum eſt, ne multo fiat deterius.

Dilecti. Blanda & amabili appellatione animos illorum demulcet, ut præceptum adeo affectibus & moribus hominum contrarium tanquam ab homine ipſorum amantiſſimo amanter accipiant.

Sed date locum iræ. Quaſi dicat, ſed rem contrariam facite. Superius enim præceptum per negatio-

nem prolatum, per contrarii affirmationem illuſtrat & effert. Sunt qui putant hic iram Dei intelligi, cui locus non detur, ſi ira noſtra ultionem occupet. Imo vero datur, & in eum qui nos læſit, & in nos ipſos. Non tollitur enim locus iræ divinæ per noſtram ultionem; cum domini ſoleant utrumque ſervum punire, & eum qui læſit, & eum qui non exſpectata Domini vindicta, ſeſe ultus eſt. Rectius & Chriſtianæ manſuetudini convenientius, ut ira noſtra hic intelligatur. Neque enim admodum laudandus eſt qui ipſe ſuam non ulciſcitur injuriam, ut eam longe major ac potentior gravius pro ipſo ulciſcatur. Chriſtiani potius deprecantur Deum, ut perſecutoribus ipſorum parcat, quam ut eos iræ Dei ſua patentia objectos relinquant. Jubet igitur Apoſtolus ut iræ noſtræ locum ac ſpacium demus, nimirum ne accenſa, protinus in vindictam & ultionem erumpat. Metaphora ſumpta à materia, quæ accenſa locum & ſpacium quærit, quod niſi inveniat, per obſtantia quævis violenter prorumpit, ſi inveniat, ſine noxa diffunditur & ſenſim exſpirat. Senſus eſt, ne iram patiamur erumpere in ultionem & vindictam, ſpatium aliquod interponamus, quo ſenſim ira in vindictam ardens, langueſcat & exſtinguatur. *Ira furor brevis eſt*, dixit quidam: quocirca nihil conſultius quam ita animum continere & aſſueſacere, ut in hoc furore nihil faciat, nihil loquatur, donec à furore iſto mox abituro liberetur. Sic Quinctius Conſul apud Livium, concitatos adverſum Patres orans tribunos ut Concilium dimitterent, *darent*, inquit, *iræ ſpacium, non vim illis tempus ademturum, ſed conſilium viribus additurum.* Et paulo poſt Hiſtoricus ipſe de Patribus, *quo magis ſpacio interpoſito ab impetu, ad conſultandum advocabantur, eo plus abhorrebant à certatione animi* lib. 2.

Scriptum eſt enim. Rationem affert cur nos ipſi injurias noſtras ulciſci non debeamus.

Nam ſcriptum eſt, inquit, *mihi vindicta, ego retribuam.* Ipſius Dei verbis rem demonſtrat, Scriptura veteri Deut. xxxij. 35 conſignatis, quibus Deus ſibi vindictam & ultionem reſervat. Merito. Neque enim nos juris noſtri ſumus, Dei ſumus quanti quanti. Proinde noſtra injuria, non eſt noſtra ſed Dei. Neque igitur & nobis jus ulciſcendi competit, ſed Deo; quod cum arripimus, jura majeſtatis divinæ invadimus, nec minori crimine noſmet involvimus, quam qui nos læſerunt. Non patitur herus ut ſervi ſeſe invicem injuriis afficiant, aut eas inter ſe ulciſcantur; injurias & pœnas ſervorum ad ſe revocat. Idipſum & Deus facit qui noſtrum omnium herus ac Dominus abſolutus eſt.

Mihi ultio. Intellige competit, ac relinquenda eſt, proinde nemo id ſibi ſumat ut ipſe ſuam ulciſcatur injuriam.

Ego retribuam. Non tantum jus vindictæ ſuum eſſe dicit Deus, ſed etiam juris iſtius pollicetur effectum. Sunt multi qui cum ultionem ac pœnam hominum effugiunt, exiſtimant ſe jam in vado eſſe, & impunitos ſore, ſed valde decipiuntur. Nam multo gravior illos à Deo ultio exſpectat, quam non datur effugere. Videmus ultionem & vindictam rem per ſe haud malam eſſe, neque enim Deus jus & poteſtatem rei per ſe malæ ſibi reſervaret, eamque etiam inferret, ſed malam eſſe in illo qui jus & poteſtatem ulciſcendi non habet. A Deo ſeparari hac in parte non debent illius miniſtri, quibus à Deo puniendi poteſtas eſt data, propter bonorum defenſionem & publicam tranquillitatem, à quibus etiamſi non ultionem ac retaliationem, ſaltem damnorum reparationem & defenſionem, ne mali ultra noceant, Chriſtianis aliquando petere conceſſum eſt, ſi impetrandi ſpes ſit.

Dicit Dominus. Hoc addit Scriptura, ut eum qui verba memorata locutus eſt exprimat. Is autem eſt Deus ille altiſſimus, qui ſolus vere Dominus eſt, quatenus eſt creator & auctor omnium, & Dominus dominantium, Rex regnantium. Hujus igitur jus involare, ſummum nefas; ſed nec minus eos qui injuria afficiunt, certa & merita pœna manet.

Verſ. 20. *Si igitur eſurit inimicus tuus, ciba eum, ſi ſitit pota illum, hoc enim faciens carbones ignis coacervabis ſuper caput ejus.* Ex ſuperiore præcepto & Dei dicto infert præceptum novum, quod Sapiens inter ſua dicta & monita poſuit Proverb. xxv. 21. Nempe ut inimico etiam benefaciamus, ſi res ferat, tantum abeſt ut ei ultionem pro injuria reponamus.

Igitur. Quaſi dicat, igitur adeo à vindicta & repoſitione mali pro malo abſtinete, ut etiam ei qui vobis maleſecit, benefaciatis cum opus eſt. Quod facile eſt perſuadere iis à quibus jam obtinueris, ut ab ultione & vindicta ſibi temperent.

Si eſurit. Quaſi dicat, noli cibare inimicum ſi cibo tuo minime indiget, proinde nec ulla alia officia illi exhibe, ſi ea minime requirat. Neque enim per id emolliveris animum inimici, ſed ferociorem ac inſolentiorem reddideris. Tum demum ciba inimicum tuum cum eſurit, cum ad eam venit inopiam, ut cibo alieno & miſericordia indigeat; tum demum illum officio aliquo juva, cum id pro magno beneficio non pro puſillanimitate tua habiturus eſt.

Inimicus tuus. Qui factis te læſit & injuria affecit, quique inimico in te fuit animo, nec tibi pro injuriis unquam ſatiſfecit aut ſatiſfacere curavit.

Ciba eum. Etiam ſæpius ſi ſit opus.

Si ſitit pota eum. Hoc eodem modo intelligendum eſt quo prius. Etſi vero cibatio tantum & potatio nominatur, tamen hoc intelligi debet de omnibus aliis officiis ac beneficiis quæ indigenti præſtantur.

Hoc enim faciens &c. Cauſa redditur iſtius apud Sapientem moniti, apud Apoſtolum præcepti. Nam, inquit, hoc faciens ſummum dolorem inimico tuo inures, ſed innoxium, & ſic injurias tuas maxima vindicta ulciſceris, ſed generoſſima, & viro bona ac ſapiente, qualis Chriſtianus eſſe debet, digniſſima.

Carbones ignis &c. Quis vindictæ cupidus non libentur carbones ignis coacervaret in caput inimici ſui, præſertim non leves injurias inferentis, ſi poſſet? At hoc facies, inquit Sapiens, & ex Sapiente Apoſtolus, ſi inimico tuo in neceſſitate conſtituto opem feras, ſi eſurienti cibum, ſitienti potum præbeas. Sentiet enim exinde ingentem animi dolorem, videns quanto tu vir ipſo ſis melior, & quam non debueris te læſiſſe, & quam graviter à Deo ſit punitus, & quo rerum ſuarum redactus, ut ab eo beneficium accipere cogatur, quem affecerat maleficiis. Et ſolet Deus non raro malos in manus piorum hoc pacto cruciandos tradere. Simile ponitur pro ſimili: quaſi dicat,

dicat, hoc faciens perinde erit atque ſi non cibum, non potum illius ori ac ventri ſamelico & ſitienti ingeras, ſed carbones ignis congeras & coacerves in caput ejus, unde acutiſſimum dolorem oriri neceſſe ſit. *Carbones ignis*, id eſt ignitos, per duo ſubſtantiva, pro ſubſtantivo cum adjectivo.

Verſ. 21. *Ne vincaris à malo, ſed vince in bono malum.* Hoc addit Apoſtolus ad confirmandum præceptum ſuperius. *Ne vincaris a malo.* Vinci turpe eſt ac pudendum, præſertim *à malo*, id eſt à maleficio alieno. Malum enim hic in neutro poni genere ſequentia docent verba, in quibus expreſſe dicitur τὸ κακόν, & bonum quod malo opponitur ſignificat beneficium, & malum à quo vinci non debemus, idem eſt cum eo quod debemus vincere. Vincitur autem à maleficio, quiſquis ad animi impotentiam, & conſequenter ad ſumendam vindictam & ultionem adducitur, etiamſi malum hominem vincat & proſternat, animumque ſuum ultione exſatiet, tamen victus eſt. Vincitur enim, quiſquis ad peccatum & divinæ majeſtatis offenſionem eamque gravem adductus eſt. Nam non ſolum Deus injuriam ipſi illatam vindicabit, ſed etiam ipſum longe graviori malo afficiet, quam ab inimico fuerat affectus, & niſi maxima ac tempeſtiva pœnitudine ducatur, etiam Regni ſui exhæredem faciet. Quis igitur magis & miſerabilius vinci poſſit quam qui ſic vincatur? Abſit igitur ut quiſquam noſtrum ſic ſe vinci ſinat. Nam ne hoc pacto vincamur, in noſtra Deus manu eſſe voluit.

Sed vince. Quaſi dicat, illud cave ne fiat, ſed contrarium ſac. *Vince malum*, id eſt tolle, perime, ut victores ſolent adverſarios, ne ſit amplius effice: *malum*, id eſt maleficia, injurias. Ea demum pulcherrima eſt victoria, oon hominem tollere, ſed ſolam tollere malitiam & maleficia, id eſt efficere ut homo illæſus, nec ullo malo affectus, non amplius maleſaciat, nec amplius nocere ac maleſacere velit. Hoc vero quo pacto fiat docet. *In bono.* Id eſt per bonum, per beneficia, quibus non ex vivo mortuum, ſed ex inimico facies amicum, ex injuſto, malo, nocente, facies virum bonum, juſtum, innocentem, ſine ulla illius læſione ac noxa, facies inquam ut nocere amplius nolit, non, ut mortuus, aut pœnis coërcitus, non poſſit. *In* ponitur pro *per*.

CAPUT XIII.

Verſ. 1. O*Mnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.* Pergit in tradentis Chriſtianæ pietatis officiis, inter quæ eſt poteſtatibus ſubjectio. Quod præceptum ſumma cura tractat Apoſtolus, maxima ratione. Quia enim Chriſtianorum religio non tantum nova tum erat, ſed etiam Jeſum pro Rege colendum docebat, videri poterat Regibus & poteſtatibus terrenis adverſari, idque etiam Chriſtianis objiciebant inſipientes & malevoli homines. Hanc igitur criminationem & ſuſpicionem ut penitus elueret ac tolleret Apoſtolus, nihil reliqui fecit ad ſubjectionis iſtius inculcationem. Idem fecit & alter Apoſtolus Petrus eandem ob cauſam 1 Pet. 2. 13, 14 & ſeqq. Occaſionem autem Apoſtolo dederunt præcapta ſuperiora de ſumma Chriſtianorum modeſtia & patientia & benignitate adverſus privatos homines, quibus expoſitis docet etiam quam modeſte, quam pacate ſeſe gerere debeant adverſus publicas poteſtates, quod vel maxime Romanis inculcandum erat.

Omnis anima. Id eſt omnis homo, per ſynecdochen partis pro toto, & generis pro ſpecie.

Poteſtatibus ſupereminentibus, ὑπερεχούσαις. Id eſt hominibus qui ſuper ipſum & alios poteſtatem habent jubendi & imperandi, per metonymiam adjuncti pro ſubjecto.

Subjecta eſto, ὑποτασσέσθω. Id eſt pareat, obtemperet, iis non reſiſtat inobedientia vel contumacia, multo vero minus vi & oppoſitione armorum.

Non enim eſt poteſtas &c. Cauſam & rationem iſtius officii reddit graviſſimam. *Non eſt poteſtas*, nempe in civili ſocietate & gubernatione. Poteſtatis nomine ipſum per ſe gubernandi ſeu jubendi ac imperandi officium & ſacultatem deſignat, proinde poteſtatis vocem nunc proprie accipit.

Niſi a Deo. Id eſt, niſi Deo auctore & duce conſtituta, qui ſicut omnium civilium ſocietatum eſt primus auctor, ſic & omnium poteſtatum quæ ad civilium ſocietatum gubernationem & conſervationem inſtituuntur. Nam quod ad homines ipſos attinet quibus poteſtas per ſe bona & Deum auctorem habens committur, ii non ſemper Deo auctore ad poteſtatis iſtius adminiſtrationem adhibentur, quanquam ſemper non ſine Dei permiſſu, qui poteſtatem per ſe utilem ac ſalutarem non raro in manus hominum malorum, aut illi adminiſtrandæ minime idoneorum, devenire patitur, ut puniat peccata populi.

Quæ vero poteſtates. Intellige *ſunt*. Rem eandem quam per negationem extulerat, nunc effert per affirmationem, Hebræo more, ad rem validius aſſerendam; ideo addit particulam adverſativam δὲ, *vero* vel *autem*. *Quæ vero ſunt poteſtates*, id eſt officia ac ſacultates imperandi in republica, ſive ſint ſummæ, ſive intermediæ, ſive ſint penes unum, ſive penes plures, ſive penes univerſum populum, ſive ſint annuæ, ſive perpetuæ, ſive electæ, ſive hæreditariæ, ſive abſolutæ, legibus circumſcriptæ, & quocunque vocentur nomine.

A Deo ordinata ſunt. Id eſt Deo duce & auctore, tanquam ſupremo Dominatore omnium, qui hominum animos occulta inſpiratione regit, eorumque conſilia & conatus juvat ac promovet, ad talem reipublicæ formam conſtituendam, qualem publico & communi bono expedire videt. Quod etiam recens in Republica Romana per Julium Cæſarem & Auguſtum uſu venerat. Recte dixit ordinatas; pertinet enim ad ordinem ut alii præſint, alii ſubſint, alii regant, alii regantur, eo quo par eſt & quo reipublicæ conducit modo. Deus autem omnis boni ordinis eſt inſtitutor & auctor.

Verſ. 2. *Itaque qui ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui vero reſiſtunt, ſibi ipſis judicium accipient.* Ex allata ratione manifeſtam inſert conſequentiam. *Qui ſe opponit*, nempe non obediendo, multo magis vim opponendo.

Poteſtati, cuicunque civili. *Dei ordinationi reſiſtit.* Non hominum reſiſtit ordinationi, ſed Dei ipſius, id eſt non tam hominum quam potius Dei ordinationi, quo auctore ordinatio iſta ab hominibus facta eſt. Abſolute dicit, quæ comparatę intelligi debent. Nihil hic Apoſtolus loquitur de eo, an liceat reſiſtere iis qui poteſtate abutuntur ad perniciem civium. Sed hoc tantum hic docet, non licere reſiſtere poteſtati & ordinationi divinæ, proinde nec iis qui poteſtate legitime, & ut par eſt, utuntur. His enim qui reſiſtit, haud dubie ipſi Deo reſiſtit, nec hominibus ſed Deo bellum movet, & ideo quem exitum habiturus ſit, facile ſibi ominari poteſt.

Reſiſtit, ἀνθέστηκε. Præteritum pro præſenti, ex Hebræorum idiotiſmo. Sic Col.j verſ. 17 συνέστηκε præteritum, pro præſenti *conſiſtunt*.

Qui vero reſiſtunt, οἱ δὲ ἀνθεστηκότες. Iterum præteritum ponitur pro præſenti. Docet quid eos maneat qui divinæ ordinationi reſiſtunt.

Sibi ipſis judicium accipient. Id eſt gravem pœnam ferent. *Judicium*, pro pœna gravi & capitali, per metonymiam cauſæ pro effecto. *Sibi ipſis*, in caput hoc ipſorum recidet. *Accipient.* Accommodate ad vocem judicii, quod damnatoriam includit ſententiam, quam accipere dicuntur qui damnantur. Accipient autem ab ipſo Deo, vel etiam ab ipſa poteſtate civili cui reſiſtunt, Deo id procurante, & poteſtati civili vires ad plectendos refractarios & rebelles concedente: cujus rei innumera extant exempla.

Verſ. 3. *Nam principatum habentes non ſunt timor bonorum operum, ſed malorum. Vis vero non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex ipſa.* Cauſam aliam affert ob quam pœnam non effugient, qui poteſtati reſiſtunt. Οἱ ἄρχοντες, quos antea vocavit ἐξουσίας. Intelliguntur ii qui inter alios cives principium ducunt, ut eos regant ac judicent.

Non ſunt timor bonorum operum. Id eſt non metuntur ab iis qui bene agunt, per duplicem metonymiam. Nam & timor ponitur pro eo qui timetur, aut metum ac timorem incutit, illiuſque eſt cauſa, & bona opera pro iis qui bona opera faciunt ſeu bene agunt.

Sed malorum. Intellige operum timor ſunt, eodem quo diximus ſenſu. Merito igitur plectentur qui principatum habentibus reſiſtunt. Reſiſtunt enim iis qui malis hominibus, non bonis, metum incutiunt. Proinde qui illis reſiſtunt, malorum operum ac hominum patroni ac defenſores, bonorum adverſarii ſunt, nec ipſi boni eſſe poſſunt. Docemur ab Apoſtolo principatus & poteſtates non debere adverſari bonis operibus, nec timorem incutere iis qui bene agunt, ſed iis tantum qui male: proinde ſi contrarium faciant, poreſtate abutuntur, & Dei judicio reddunt ſe obnoxios, cujus rei exempla, in Davide, in Roboamo, in Tarquiniis, in Decemviris apud Romanos, & in aliis quamplurimis videmus. Apoſtolus non reſpicit ad id quid fiat, ſed quid fieri debeat, quodque officium principum ac poteſtatum ſit, & quo fine à Deo & hominibus ſint inſtitutæ. Loquitur autem Apoſtolus de operibus bonis ac malis, quæ ad civilem ſocietatem pertinent, non quæ mere ad conſcientiam & religionem ſpectant; cui civiles poreſtates dominari nulla ratione debent. Nam ſi quibuſdam in rebus ſub Lege olim dominatæ ſunt, id cum Judæorum republica & carnali illo religionis ſtatu antiquatum eſt. Unde nec in hæreſes ac hæreticos civilibus poteſtatibus ullum eſt jus, quod dum affectant, ſæpe, opinionis errore, non in hærericos, ſed in veritatis profeſſores graſſantur. Quod & Judæorum olim & Gentium poteſtatibus, Chriſtianam veritatem ac pietatem oppugnantibus uſuvenit, & hodie Chriſtiani nominis poteſtates, dum ſe hæreticos perſequi putant, non raro veritati Chriſtianæ adverſantur. Imo nunquam fit aliter. Neque enim unquam Chriſtiana veritas gladio aut coactione aliqua civili ſeſe armat contra errores civili ſocietati minime noxios. Hæreſes exſtirpandæ ſunt, ſed non homines ſub hæreſeos ſive vero ſive falſo crimine. Angelorum hoc officium erit, non hominum, qui dum conſcientiis dominari volunt, jura majeſtatis divinæ invadunt. Quid ergo, inquies, faciendum eſt, ſi dominantes veritati & pietati Chriſtianæ ſint infeſti, eamque graviſſimis pœnis conſtitis prohibeant? Nonne erunt metus bonorum operum? Erunt quidem, ſed eſſe non debebant, jam contra ſuum officium facient. Hic vero locum habet illud: *Deo obediendum eſſe magis quam hominibus* Act.iv. 19. v. 29. Et illi quidem id agunt, ut ſint terror Chriſtianæ veritatis & pietatis, hactenuſque etiam vere bonorum operum; ſed Chriſtiani nihil ſibi hoc nomine metuunt, ſciunt Deum ſuum eſſe protectorem ac defenſorem, ſciunt non tantum capita ſua, ſed etiam capillos in cujuſque capite, in numerato eſſe apud Deum, ſciunt ſi quid Dei permiſſu pro veritate & juſtitia patiantur, ſe beatos fore, ſciunt veritatem divinam opprimi non poſſe, quantoque magis prematur, tanto magis inſurgere. Ideoque propter perſecutiones quas pro conſcientia Dei patiuntur, nullas rebelliones inceptant, ſola patientia & conſtantia vincunt. Sic Chriſti eccleſia decem graviſſimis perſecutionibus, ſub Romano Imperio, ſumma patientia toleratis, vicit, & univerſum Imperium cum Imperatoribus ipſis Chriſtiano nomini ſubjecit.

Vis vero non metuere. Solent homines adverſus poteſtates inſurgere, ne eas metuere habeant neceſſe. Docet igitur Apoſtolus veram rationem, quà quiſque ſeſe hoc timore ac metu poſſit exſolvere. *Vis vero*, per apoſtrophem ad quemlibet: quaſi dicat, vin' tu vero quiſquis es, & inprimis Chriſtiane, non metuere poteſtatem, id eſt extra omnem mali alicujus tibi à poteſtate inferendi metum eſſe? Metum, inquam, qui ex mali operis perpetratione oritur, non qui à malo opere cohibet; ille ab omnibus exſulare debet, utque exſulet, modus ab Apoſtolo oſtenditur; hic vero debet omnibus ineſſe, ut verſ. 7 docetur.

Quod bonum eſt fac. Quod civili ſocietati conducit, & à legibus civilibus præcipitur ac honeſtum eſt, hoc ſemper fac & exſequere. Hic videmus poteſtatem civilem nullum pœnæ infligendæ jus habere in illos, qui ſecundum civiles leges bene & honeſte ſeſe gerunt in omnibus. Nam ſi ultra civilem honeſtatem, jutiſdictionem ſibi uſurparet in cu-

Digitized by Google

in cujuſque conſcientiam, valde falleret hæc Apoſtoli regula. Quam ſæpe enim metuenda eſſet civilis poteſtas divinæ cultoribus veritatis & pietatis, quamvis omnem civilis bonitatis & honeſtatis laudem merentibus. Bonus vir, inquiebat ille, Cajus Sejus, tantum quod Chriſtianus. Ita Cajo Sejo Chriſtianum eſſe nocuit, quamvis vir bonus eſſet. Nimirum quia Magiſtratus jus ſibi in conſcientiam aliorum uſurpabat, & ſub ſuæ conſcientiæ Leges alienam cogere volebat conſcientiam. Quid ergo mihi profecerit vel optimum virum eſſe, ſi magiſtratui fas ſit civiles in me pœnas, conſcientiæ cauſa, ſtringere, idque etiam ob talem conſcientiam quæ me multo meliorem virum facit quam ipſę Leges civiles poſſint facere? Quoties enim Magiſtratus impietatem aut hæreſim eſſe putabit quod verum ac pium eſt, ut fere fit, toties ego cum omni mea bonitate & probitate pœnas dabo. Magiſtratus igitur intra civilis honeſtatis metas manere debet, ubi nullus errori locus eſt. Conſcientiarum judicium ac pœnam Deo, qui errare non poteſt, relinquat. Quod ſi obſervatum fuiſſet à poteſtatibus civilibus, tot ſanctiſſimi viri, tot innocentiſſimi Martyres occiſi non fuiſſent. Nec adverſus hæreſes alioſque in religione errores hac ratione quidquam proficitur, quos niſi vis veritatis ex hominum animis exſtirpet, fruſtra ferrum adhibetur, quod corpora ferit, ad animos non pertingit. Hypocritæ per vim corporibus illatam fieri multi poſſunt: at ut veritatem ex animo quiſquam amplectatur, vis corporalis non efficiet. Solet quidem Deus etiam per bella idololatras & hæreticos punire & delere; ſed aliis ex cauſis, quam eo nomine quod idololatræ & hæretici ſint, aut habeantur, exorta. Alioquin enim nullus bellorum foret finis. Et ſi qui hoc nomine bella intulere hactenus, haud Chriſtianè egerunt, & contra hæreſin pro alia hæreſi pugnaverunt. Nec Turcicum Imperium ulla res magis adverſus Chriſtianos promovit, quam quod hominum conſcientias liberas eſſe patiantur. Quod dum Chriſtiani non faciunt, non tantum Turcis Chriſtianam religionem exagitandam tradunt, ſed etiam ipſi inter ſeſe infinitas cædes patrant, & continuis bellis colliduntur.

Et habebis laudem ex ipſa. Quaſi dicat, non tantum eris extra metum omnis mali, ſed etiam laudem habebis ex ipſa, id eſt poteſtate. Quis enim virum bonum non laudet? quis bonitati ac probitati meritum non reddat teſtimonium? Etiam à malis laudari ſolent boni. Sed illuſtrior eſt laus, ſi ab illuſtribus viris, id eſt poteſtatibus proficiſcatur. Tanto igitur magis ab omnibus bonis colendæ ſunt poteſtates, ut ſint qui ſua claritate bonorum laudem clariorem faciant.

Verſ. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, ſi vero malum facias, time, non enim fruſtra gladium gerit. Dei enim miniſter eſt vindex in iram, ei qui malum agit.* Rationem reddit dicti ſui. *Dei miniſter eſt*, id eſt Deus ad ſuum miniſterium poteſtatem ordinavit & ordinari fecit. *Tibi*, qui ſcilicet facis id quod bonum eſt.

In bonum. Id eſt ut tibi bene ſit, non ut te lædat ulla in re, ſed ut te protegat, defendat, ab injuria vindicet, ut te laudet, & pro meritis tractet. Hic videmus poteſtatem hactenus eſſe Dei miniſtrum, quatenus per illam bonis bene non male eſt. Aliter ſi faciat, non amplius Dei miniſtrum agit. Ideo Apoſtolus alibi finem inſtitutarum poteſtatum oſtendit eſſe, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honeſtate 1 Tim. 2. 2.

Si vero &c. Docet è contrario quid illi faciendum ſit qui malum faciat.

Malum facis. Id eſt id quod civilem ſocietatem lædit, quod legibus civilibus, quibus pax & tranquillitas & honeſtas publica continetur, contrarium eſt.

Time. Id eſt non reſiſte, non rebella, ſed time ac metue. Merito pœnas Legum metuit ac metuere debet, qui contra Leges delinquit.

Non enim fruſtra gladium gerit. Cauſam reddit cur male agentes malum & pœnam, etiam capitis, ſi malum tantum ſit, à Magiſtratu metuere debeant.

Non fruſtra. Id eſt habet jus & poteſtatem etiam gladio feriendi, id eſt vita privandi maleficos, quorum ſcilicet maleficia pœnam hanc mereantur. Nam ſi jus & poteſtatem hanc Magiſtratus non haberet, fruſtra omnino gladium gereret, qui inſtrumentum eſt capitis detruncandi, & hominem vita privandi. Unde autem hoc jus & poteſtatem habet niſi ab ipſo Deo cujus miniſter eſt, præſertim cum tale miniſterium gerat, quod ſine gladii jure ac poteſtate obiri non poſſit. Neque enim aliter bonis bene eſſet, id eſt boni à malis per Magiſtratum tuti ac ſecuri eſſe ullo modo poſſent.

Dei enim miniſter eſt. Rationem affert cur poteſtas gladium gerat, proinde jus vitæ ac necis habeat: quaſi dicat, Deus habet jus vitę ac necis, ac poteſtas ſeu Magiſtratus ipſius eſt miniſter, per quem Deus hoc ſuum jus cum opus eſt exſequitur. Non ſe poteſtas in hoc miniſterium ingeſſit, ſed ab ipſo Deo ad illud eſt ordinata, ut verſ. 1 dicitur.

Vindex in iram. Docet qualis Dei miniſter ſit Magiſtratus, vindex, nempe maleficiorum, malefactorum ultor.

In iram. Id eſt talis vindex & ultor, ut iraſcatur, proinde plectat ac pœna etiam capitis afficiat maleficum. Ira enim, per metonymiam cauſæ, ponitur pro pœna, eaque gravi & capitali.

Ei qui malum agit. Exprimit hominem cui Magiſtratus debeat iraſci, & conſequenter in quem gladium ſtringere. Non in hominem bonum & Legum civilium cultorem, impacto illi ſeu vero ſeu falſo hęreſeos, aut facti alicujus ad ſolam conſcientiam ſpectantis, crimine; ſed in hominem qui malum agit, id eſt in parricidam, homicidam, veneficum, invaſorem, mœchum, & alium aliquem pacis ac tranquillitatis publicæ turbatorem. At enim, inquies, hæretici, idololatræ & alii Chriſtianæ pietatis adverſarii pejores ſunt homicidis: animas enim hominum occidunt, quod multo pejus eſt quam occidere corpora. Eſto: ſed illi ſeſe tales eſſe ignorant; ideo non occidendi ſed docendi ſunt. At ſeſe doceri non ſinunt. Nimirum quia non idoneis docentur argumentis, ſed minis ac terroribus & corporalibus pœnis. Et etiamſi vel maxime idoneis argumentis non cedant, ſua utuntur, vel ſi mavis abuntur, libertate. Neminem enim Deus ad Chri-

ſtianam veritatem & pietatem adigi vult. Voluntarios requirit cultores: qui vero contumaces ſunt, ſuo tempore ſoli Deo pœnas dabunt. At interea multos ſeducunt. Si quem ſeducunt, non ſeducunt niſi volentem, nemini ut ipſos ſequatur vim corporis adhibent. *Oportet*, inquit Apoſtolus, *etiam hæreſes inter vos eſſe, ut illi qui probati ſunt manifeſti fiant inter vos* 1 Corinth. xj. 19. Chriſtiana veritas nec hæreſes, nec ullos alios ſibi infeſtos errores metuit. Scit eos qui ſibi, ut par eſt, cavent, (cavere autem omnes debent) ſeductum non iri. Tum demum Chriſtianæ veritati ab hæreſibus & erroribus periculum eſſet, ſi ad ipſius propugnationem, & errorum oppugnationem externa vis & civilium poteſtatum gladius advocaretur & adhiberetur. Et ſi ſemel permiſſum fuerit gladio civili hæreſes ulciſci, nullus finis erit ſæviendi ſub hæreſeos & impietatis crimine, etiam in ſanctiſſimos homines, & veritatis divinæ profeſſores. Ita pro lolio evelletur triticum, quoties lolium, quod ſemper fit, pro tritico ſe ducit ac gerit, triticum autem ducitur pro lolio. Hoc malum prævidens Dominus, meſſem exſpectare juſſit, per Angelos, non per homines adminiſtrandam. In ſcandalis ejuſmodi tollendis, quę illi ipſi qui ea faciunt, ſcandala & mala eſſe haud putant, (tantum abeſt ut alii ſemper de illis recte ac vere judicent,) non humana, ſed divina & Angelica opus eſt manu & opera. Nimirum hic vel maxime locum habet proverbium illud; falcem mittendam non eſſe in meſſem alienam. Non intelligimus autem homines qui ſe atheos profiteantur, & omnem religionem irriſui habeant: tales enim civili ſocietati vel maxime nocent, quæ nulla re magis quam numinis alicujus religione continetur. Religione enim ſublata, omnis pactorum ac juramentorum fides tollitur, & omnibus clandeſtinis facinoribus lata porta aperitur, perfectiori autem juſtitiæ ac innocentiæ, quam quæ legibus civilibus obtineri poſſit, præcluditur. Nec ſi iſti Legum ac pœnarum civilium metu coërceantur, ulla vis conſcientiis illorum infertur, quippe quas nullo timore numinis habeant obſtrictas. Dicat aliquis, quandoquidem Magiſtratus talis eſt Dei miniſter qui jus gladii habeat, idcirco Chriſtiano fas non eſſe Magiſtratum gerere. Ego vero nullam cauſam video, cur id potius liceat ulli alii homini, quam Chriſtiano. Quis enim Chriſtiano vir poſſit eſſe melior? quis in uſu poteſtatis & gladii moderatior ac juſtior? quis in bonis, & inprimis Chriſtianis, qui Dei peculiaris ſunt populus, defendendis diligentior? quis promovendæ Chriſtianæ veritati & pietati aptior? An ergo, ſi univerſus populus Chriſtianæ profeſſioni ſit addictus, imperium in ſe civile extraneo potius committet, quam ſuo, & religionis Chriſtianæ adverſario, quam ejus ſectatori? Quid ergo, ſi nemo ſit alius quam Chriſtianus? Neque enim Chriſtianæ profeſſionis tam validum unquam erit in omnibus hominibus vinculum, ut civili Magiſtratu non perpetuo ſit opus. Nunquam mali deerunt, nunquam civilis poteſtatis gladius & majeſtas erit inutilis. Et qui Chriſtianę religionis profeſſionem faciunt, non omnes boni ac probi ſunt, imo ut Chriſtus ipſe teſtatur: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Et cum res per ſe minime ſit mala Magiſtratum gerere; (quis enim rem per ſe malam dixerit, Dei quendam, in populis & ſocietatibus hominum regendis vicarium eſſe, idque ab ipſo Deo conſtitutum?) quis ab hoc munere Chriſtianos arcebit, & non potius omnibus votis expetet, ut aut Reges omnes fiant Chriſtiani, aut non alii quam Chriſtiani Reges fiant? Et quid aliud ſibi volunt illæ gratiarum actiones & orationes pro Regibus & poteſtatibus ab Apoſtolo tanta cura præceptæ 1 Tim. 2. 1 &c, quam ut Deo gratias agamus, quod Reges & poteſtates inſtituerit, dederit, eaſque conſervet, & Deum oremus ut eas perpetuo conſervet, & quod Deoglorioſiſſimum & Chriſtianis utiliſſimum foret, ad veritatis ſuæ cognitionem perducat? Tum demum enim maxime tranquillam & quietam vitam agerent in omni honeſtati & pietate. Idque orare bonum & Servatori noſtro Deo acceptum eſſe, inde patet, quod, ut Apoſtolus ibidem addit, *Deus omnes homines ſervari, & ad veritatis agnitionem pervenire velit*, proinde & ipſos Reges. Et cum & Deus & Chriſtus ipſe Rex Regum & Dominus dominantium & ſit & appelletur, quis Regum & dominantium officium ac dignitatem, Chriſtiana religione & pietate minime dignam eſſe pronunciare auſit?

Verſ. 5. *Propter quod neceſſe eſt ſubjici, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ex ſuperioribus infert hanc concluſionem, qua nos validius conſtingit ad ſubjectionem poteſtati. *Propter quod*, nempe propter hoc quod poteſtas Dei miniſter ſit, & ab ipſo Deo gladium acceperit, ut maleficos etiam capite plectat.

Neceſſe eſt, ἀνάγκη, *neceſſitas.* Intellige, *eſt*: ſubſtantivum pro adjectivo, *neceſſitas eſt*, pro *neceſſarium eſt.*

Subjici, ὑποτάσσεσθαι. Proinde nulla in re poteſtati repugnare, quam ſine læſione Dei poſſis facere, cujus ſemper major ratio habenda eſt, quam humanæ poteſtatis. . Etiamſi vero poteſtati hactenus repugnare fas ſit, quatenus non facias quod facere Deus vetat; hactenus tamen repugnare non licet, ut poteſtati idcirco vim longe imparem opponas. Poteſtatis vi, longe ſuperiori ac majori, in obſequiis, præſertim Deo debitis, ſola patientia Chriſtiana opponenda eſt, quæ omnem vim humanam tandem vincit.

Non ſolum propter iram. Id eſt non ſolum propter id ut poteſtatis iram & conſequenter gladium ac pœnam evites.

Sed etiam propter conſcientiam. Id eſt ne conſcientiam lædas; proinde ne te peccato, quod contra ipſum Deum ſit, alliges: ipſius Dei miniſtro, licet poteſtate ſua abutenti, & ſic ipſi Deo, temet non ſubjiciendo; ideoq; non tantum Magiſtratus iram, ſed etiam ipſius Dei iram incurras, nec tantum à Magiſtratu, ſed etiam ab ipſo Deo graviſſimam pœnam feras, nec tantum vitâ temporaria à Magiſtratu, ſed etiam æterna à Deo priveris. Peccata enim quibus conſcientia læditur, contra Deum ipſum committuntur, cui ſoli hominum conſcientia obſtricta eſt. Unde qui conſcientiis hominum dominari volunt, id unice agunt, ut ipſorum major ab hominibus habeatur ratio quam Dei, & ut quiſque malit Deum offendere quam homines; quod

qui facit, graviter in Deum peccat, ſed qui id agit & vim omnem adhibet ut homines id faciant, multo etiam peccat in Deum gravius. Nec multum refert, ſive id quod aliquis facere jubetur & cogitur, vere & per ſe ſit contra Deum, ſive tale eſſe judicet illius qui cogitur conſcientia. Quiſquis enim contra conſcientiam aliquid facit, criminis & peccati contra Deum hoc ipſo tenetur; & minus quodammodo peccat, qui malum facit, cum id malum eſſe non videat, imo bonum putet, quam qui vel bonum faciat, cum id malum eſſe exiſtimet: *quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt* cap. XIV. verſ. 23.

Verſ. 6. *Propter hoc enim & tributa ſolvitis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum attendentes.* Argumentum ſubjectionis affert ex effectu. *Propter hoc*, nempe quod ſubjecti ſitis, *& tributa ſolvitis:* quaſi dicat, non tantum alia quæ ſubjectorum ſunt facitis, ſed etiam in ſubjectionis argumentum tributa penditis.

Miniſtri enim &c. Docet jure ac merito tributa pendi poteſtatibus, *nam*, inquit, *miniſtri Dei ſunt:* quaſi dicat, ſuo jure tanquam Dei miniſtri tributa à vobis exigunt.

In hoc ipſum attendentes, προσκαρτεροῦντες. Nempe ut Deo miniſtrent veſtro bono ac commodo, ut vos defendant ab improbis, & improbos plectant & coërceant, quo vitam agere poſſitis tranquillam & quietam, non in deliciis & luxuria, quod Chriſtianos non decet, ſed in omni pietate & honeſtate. An tanti non eſt tributum aliquod pendere? Tanto vero juſtius tributum illis confertur, quod huic miniſterio unice vacent, eique ſint intenti ac toti dediti, idque non ſine multis laboribus & magnis moleſtiis ac curis, quod verbo προσκαρτερεῖν exprimitur.

Verſ. 7. *Reddite igitur omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem honorem.* Ex ſuperioribus hanc concluſionem ac præceptum infert. *Reddite omnibus:* quaſi dicat, non poteſtatibus tantum, ſed etiam omnibus aliis hominibus,

Debita, τὰς ὀφειλάς. Id eſt ea quæ illis jure aliquo debetis. Neminem re ſua defraudate.

Cui tributum, ſcilicet *debetis*, τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον *tributum.* Intellige reddite. Non aliam ob cauſam crebrius populi adverſus poteſtates tumultuantur & inſurgunt quam ob tributa, præſertim ſi ea intendi ſubinde, & male adminiſtrari videant, in uſus imo & abuſus privatorum, non in bonum ac commodum publicum. Chriſtianorum eſt eam quam tributis fortunarum ſuarum impendunt particulam, tanti non ducere, ut ideo publicam pacem & tranquillitatem turbatam velint, quod ſæpe omnium fortunarum & vitæ etiam ipſius conſtat diſpendio, idque non unius alicujus hominis, ſed multorum hominum ac civium. Neque enim ulla bella Rebus-publicis funeſtiora ſunt quam ſubjectorum adverſus proprias poteſtates. Reddi autem tributa debent ei cui jus exigendorum tributorum conceſſum eſt,

Cui vectigal. Id eſt cui debetis vectigal, proinde vectigalium præfectis,

Vectigal. Intellige *reddite.* Vectigal peculiariter tributum illud dicitur quod ex mercibus importatis, aliiſque rebus quæ venditione & emptione diſtrahuntur ſolvitur, quod quia aucto rerum pretio reſarciri poteſt, non ſolet tam grave videri, quam illud quod ſine ulla repenſationis ſpe datur tributum.

Cui timorem, timorem. Id eſt cui debetis ſubjectionem & obedientiam, ſubjectionem & obedientiam reddite. Timor per metonymiam cauſæ ponitur pro effecto. Nam quibus ſubjectionis & obedientiæ jure ſumus obſtricti, ii jus & poteſtatem habent nos, ſi refractarii ſimus, coërcendi & plectendi: iis vero qui hoc jus & poteſtatem in nos habent, debetur à nobis timor, qui ſcilicet nos ab omni inobedientia coërceat, & in officio contineat. Nam qui ex malis actionibus & contumacia oritur, improborum eſt hominum, non Chriſtianorum.

Cui honorem, honorem. Id eſt cui debetis honorem, ei honorem debitum reddite. Non omnes imperandi nobis habent poteſtatem; ideo nec omnibus timorem ac ſubjectionem debemus; ſed ſunt qui vel propter ætatem, vel propter dignitatem ac merita, vel alias ob cauſas peculiarem à nobis mereantur honorem. His igitur etiamſi Magiſtratus non ſint, ſuum tribuamus ac reddamus honorem.

Verſ. 8. *Nemini quidquam debete, niſi ut diligatis alii alios, qui enim diligit alterum, Legem implevit.* Generali præcepto per negationem repetito, ſuperiora concludit præcepta, quibus idem hoc generale præceptum per affirmationem præmiſerat, *Reddite omnibus debita* verſu ſuperiore.

Nemini quidquam debete, μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε. Græcorum more duplicatur negatio. Jubet Apoſtolus ne cuiquam quidquam debeamus, quod fieret ſi cuiquam quidquam, quod ſuum eſt, non redderemus. Merito hoc jubet Apoſtolus, juſtitiæ enim eſt reddere cuique quod ſuum eſt, cujus Chriſtiani acerrimi cultores ac ſectatores eſſe debent, & ab omni injuſtitia penitus abhorrere, non tantum ipſius per ſe virtutis cauſa, ſed etiam ne Chriſti nomen & ſanctiſſimam religionem maledictis objiciant, cui iniquiſſimo hominum judicio adſcribitur quidquid illius profeſſores delinquunt. Debet autem, quiſquis cum reddendi conſtitutum tempus venit, non reddit. Nam antequam conſtitutum tempus veniat, pro non debente cenſetur. Quanquam Chriſtianorum officii eſt non tantum nemini quidquam debere, neminem ſua re, ſuo jure defraudare, ſed etiam omnem debendi obligationem, quoad fieri poteſt vitare, & in debendi periculum ſeſe non conjicere.

Niſi ut diligatis alii alios. Limitationem addit ſuperiori præcepto, eamque talem quæ omnia alia debita prorſus excludit, pugnat enim cum dilectione, alicui quidquam, quod illius ſit, eique debeatur, non reddere: quaſi dicat, cum volo ne cuiquam quidquam debeatis, hoc ſolum excipio ut invicem diligatis, debitum, inquam, dilectionis mutuæ exceptum volo. Omnia alia debita ſolvi poſſunt ac debent, iiſque ſolutis nemo amplius ad eorundem ſolutionem obſtringitur: at charitatis & mutuæ dilectionis debita ſemper durant, nunquam exſolvi poſſunt. Quoties enim ſeſe offert præſtandi amoris occaſio, offert autem continue, toties amoris ac benevolentiæ promte ac libenter præſtanda ſunt officia.

Alii alios. Charitatis debitum debet eſſe mutuum, alia debita mutua non ſunt, ſed officia charitatis mutua ſunt, nec minus à ſummis, quam ab infimis debentur,

Qui enim diligit &c. Rationem affert cur alii alios diligere debeamus: quia qui alterum diligit

Legem implevit. Id eſt rem omnium maximam adeptus eſt, quam vita æterna conſequitur. Legem enim implentibus vita æterna à Deo promiſſa & deſtinata eſt: *Qui diligit.* Nempe vere & ex animo *alterum*, id eſt alium à ſe quemcunque hominem. *Legem*, nempe divinam. Ponitur autem Lex pro Legis parte ad proximum ſpectante, per ſynecdochen totius pro parte, quæ tamen ita eſt comparata, ut qui eam impleat, etiam priorem Legis partem ſancte obſervet & impleat. Ex hujus enim impletione conſequitur & illius impletio. *Implevit*, id eſt implet, præteritum pro præſenti, Hebræorum more. Implere Legem, eſt Legem factis & operibus exſequi.

Verſ. 9. *Hoc enim, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falſum teſtaberis, non concupiſces, & ſi quod aliud (eſt) mandatum, in iſto ſermone ſummatim comprehenditur, in hoc, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Probat eum qui alterum diligat Legem implere, ſpeciali præceptorum Legis enumeratione, quorum ſingula per dilectionem alterius implentur.

Hoc enim. Intellige mandatum.

Non mœchaberis &c, non concupiſces. Nempe rem ullam alterius, ut eam tuam facias, ſi id ſimpliciter nefas non ſit ut eam tuam facias, quocunque iniquo modo præter furtum, quod ſpecialiter prohibitum eſt.

Et ſi quod aliud mandatum. Intellige eſt, nempe ad proximum ſpectans.

In iſto ſermone &c. Omnia ſpecialia mandata in iſto ſermone ſummatim comprehenduntur.

In hoc. Refert ſermonem iſtum, qui eſt, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Diliges. Id eſt dilige, futurum indicativi pro imperativo, ut & in præceptis ſuperioribus. Diligere, eſt animo eſſe benevolo.

Proximum tuum. Id eſt alterum à te hominem quiſquis ſit, ut antea dixit. Nam hoc præceptum ex Novi Fœderis mente ac ſenſu accipiendum eſt, quod parabola illa Chriſti Luc.x, de Samaritano qui omnibus imitandus proponitur, docet, ipſaque Chriſtianæ religionis perfectio requirit. Eſt enim homini cuilibet cum homine quolibet naturalis cognatio, eaque tanta, ut etiam inimicitiæ ratio tum habenda non ſit, cum amicitiæ officium inimicus à nobis poſtulat. Potior nobis eſſe debet humanitatis, quam inimicitiæ reſpectus. Inimicitia enim per beneficia tolli poteſt, ſed humanitatis vinculum inter hominem & hominem ſemper manet.

Sicut teipſum. Merito, eſt enim homo, alter tu. Senſum iſtius præcepti explicavit ipſe Chriſtus, ut ſcilicet ea faciamus alteri, quæ nobis ipſis fieri vellemus Matth.vij. 12. Quilibet ex ſeipſo intelligit facile, quid alteri facere quidve non facere debeat; nam etiam quæ nobis fieri nollemus, nec alteri à nobis facienda ſunt. Hoc igitur eſt mandatum, quod ſummatim complectitur omnia ſpecialia mandata ad proximum ſpectantia.

Verſ. 10. *Charitas proximo malum non operatur: Impletio igitur Legis charitas.* His verbis docet Apoſtolus verum id eſſe quod aſſeruit: quaſi dicat, omnia ſpecialia mandata de proximo id agunt ne proximo malum aliquod fiat. At quia charitatis ea eſt natura, ut proximo malum non operetur; ideo in charitatis mandato omnia Legis mandata ſpecialia de proximo contineri neceſſe eſt.

Charitas, nempe erga proximum, *proximo malum non operatur*. Id eſt malum proximo facere non ſinit. Eſt enim hoc contra naturam charitatis, ei quem ames maleſacere. Chariras ad benefaciendum non ad malefaciendum impellit. Charitati tribuitur quod homini propter charitatem proprie competit. Sic 1 Cor. xiij de eadem charitate loquitur Apoſtolus. Porro mali rationem habet etiam beneficii denegatio, quæ tam charitati adverſatur, quam mali alicujus illatio. Excluduntur tamen hic pœnæ debitæ quæ rationem boni habent & charitatem moderantur, ne plus noceat quam proſit, neve dum uni intempeſtive conſulit, multorum ſalutem prodat. Crudelis miſericordia non minus in vitio eſt quam ipſa crudelitas.

Impletio igitur Legis charitas. Ex ſuperioribus ptincipale aſſertum inſert & concludit, verſ. 8 poſitum, nempe eum qui alterum diligat, Legem implere. *Impletio*, πλήρωμα, id eſt exſequutio, *Legis*, nempe ſpecialia præcepta de proximo continentis. *Charitas*, intellige eſt, quatenus facit ut Lex impleatur & præſtetur, per metonymiam effecti pro cauſa. Fruſtra igitur ſunt qui Legem, à Chriſtianis præſertim, impleri poſſe negant; impleri nimirum eo modo, qui ſufficit ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem ambulantibus.

Verſ. 11. *Et hoc, ſcientes tempus, quod hora (ſit) ut jam ex ſomno excitemur, nunc enim propior nobis ſalus quam quando credidimus.* Pergit Apoſtolus in tradendis Chriſtianæ pietatis præceptis. *Et hoc.* Intellige porro addo vel moneo, vel, facite quod præcipio. *Scientes tempus*, εἰδότες τὸν καιρόν, quandoquidem ſcitis & videtis tempus.

Quod hora &c. Exprimit quale tempus intelligat. *Quod hora*, intellige ſit, quod tempus ſit. Hora ponitur pro tempore.

Ut jam ex ſomno excitemur. Adjungit ſe aliis Apoſtolus, ut ſeſe idipſum ſcire & videre, & eadem re obligari oſtendat. *Nos*, intellige Chriſtiani ſeu Chriſti diſcipuli. *Jam*, ſi forte ab ipſo Chriſtianæ profeſſionis initio id ab aliquo noſtrum factum non eſt. *Ex ſomno.* Nempe animi, qui ſalutis incuria continetur. Nam ſomno conſopiti nullam ſui curam habent.

Excitemur. Id eſt animi ſomnum ac veternum excutiamus eoque liberemur, non amplius jaceamus animo in ſalutis cura, ſed conſurgamus, ut ſolent qui excitantur ex ſomno.

Nunc enim propior nobis. Probat tempus nobis jam eſſe ex hoc animi ſomno expergiſcendi, ſeu, ut alibi loquitur, juſte evigilandi 1 Cor.xv. 34. *Nam*, inquit, *nunc propior nobis ſalus*, intellige eſt,

Quam quando credidimus. Quaſi dicat, debuimus quidem ſtatim, à quo tempore credidimus, ſomnum omnem animi penitus excutere, ſed ſi id non fecimus,

aut no-

aut noſtrum quiſpiam adhuc non fecit, nunc altum tempus eſt ut faciat. Nunc enim propior nobis eſt ſalus quam quando credidimus. Ideoque metuendum eſt, ne ſi adhuc ſomno iſti indulgeamus, dormientes & imparati deprehendamur.

Salus. Id eſt dies ſalutis, dies adventus Chriſti, quo die ſalus continget omnibus vigilantibus & in hunc diem intentis, id eſt ſalutis ſuæ diligentem curam habentibus, proinde iis qui vitia penitus excuſſerunt, & omni ſanctitati operantur. Salus ponitur, per metonymiam, pro ſalutis adjuncto vel cauſa. Intelligitur autem ſalus animarum, ſalus illa perfecta, vindicatio ex morte ac malis omnibus, & aſſertio in hæreditatem regni cæleſtis. *Quam quando credidimus.* Totum enim hoc tempus quod ab initio fidei cujuſque noſtrum effluxit, diſtantiæ iſti quæ ad diem ſalutis reſtabat, jam deceſſit, tantoque brevius factum eſt, quanto plus illius præteriit. *Credidimus*, nempe Euangelio Chriſti.

Verſ. 12. *Nox proceſſit, dies autem propinquavit, abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* Alia ratione per elegantem allegoriam oſtendit tempus jam eſſe, ut ex ſomno excitemur. *Nox*, inquit, *proceſſit, dies vero propinquavit.* Opportunum tempus ex ſomno evigilandi & conſurgendi notat, illis præſertim in regionibus in quibus fere ſemper dies & nox inter ſe æquantur.

Nox proceſſit, προέκοψεν. Id eſt jam multum noctis abiit, dies vero propinquavit, id eſt jam inſtat & noctem pellit, jam diluculum eſt quod homines ad vigilandum vocat. Significat Apoſtolus noctem & tenebras ignorantiæ veri Dei illiusque voluntatis jam abiiſſe, diem vero ac lucem cognitionis veri Dei & voluntatis ejus jam adeſſe, ideoque plane oportunum tempus eſſe ut animo excitemur, & conſurgamus ad habendam ſalutis noſtræ diligentem curam. Ignorantia Dei recte tenebris ac nocti, cognitio autem diei ac luci comparatur; ſicut enim nox & tenebræ, dum omnia tegunt, cauſa ſunt errandi, impingendi, corruendi, ſic & ignorantia Dei, dum tegit ea quæ de Deo ſciri oporteat, cauſa eſt errandi animo & peccandi & pereundi. Et ſicut dies ac lux omnia aperit & oſtendit, cauſaque eſt recte eundi & operandi; ſic Dei cognitio omnia monſtrat quæ vitanda & quæ ſectanda ſunt, ut exitium evitemus, & ſalutem æternam conſequamur. Non eſt autem ſimilitudo hæc ulterius tendenda quam par eſt. Neque enim Apoſtolus ſignificat, nondum Chriſtianis plenam affulſiſſe lucem, ſed tantum, ut diximus, tempus eſſe ex ſomno conſurgendi, quod tanto magis ad evigilandum & ſurgendum invitat, quanto lux major eſt ac provectior.

Abjiciamus igitur &c. Nunc infert admonitionem, cui per ſuperiora viam munivit: quaſi dicat, excitemur igitur ex ſomno animi, & conſurgamus, noctеque jam abeunte, die vero appetente, deponamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Pergit in allegoria Apoſtolus. Nocte enim ac tenebris abeuntibus, ceſſant etiam opera tenebrarum, & luce exorta induuntur veſtimenta luci convenientia. *Abjiciamus.* Non intermittamus tantum, ſed plane omittamus & abjiciamus, nunquam iterum reſumenda. Nox enim ac tenebræ animis noſtris nunquam redeunt, lux animorum noſtrorum ſemper durat, & magis magiſque creſcit & inclareſcit.

Opera tenebrarum. Opera quæ in tenebris fiunt, & quorum tenebræ ſunt occaſio & cauſa, opera pudenda, quæ noctem & tenebras expetunt & quærunt, nox enim & tenebræ pudore vacant. Intelligit quidem Apoſtolus opera quæ ipſam etiam corporis lucem reformidant, quod eorum illos ipſos pudeat qui ea faciunt, quorum operum mox facit mentionem; ſed nobis Chriſtianis etiam illa opera abjicienda ſunt quæ cum ſpirituali luce, qua animi noſtri ſunt colluſtrati, non conveniunt; quorum turpitudo ac fœditas, etiamſi in aliis divinæ veritatis ignaris non appareat, in nobis tamen qui lux ſumus protinus conſpicitur ac notatur, omnia nimirum vitia & opera quæ cum recto & honeſto non omni ex parte conveniunt, & reprehenſionem aliquam merentur. Hæc tanquam indumentum aliquod fœdum ac pudendum, cum quo in lucem prodire ſit nefas, exuenda & abjicienda nobis ſunt.

Et induamur. Turpi ac nocturno vitiorum omnium indumento abjecto,

Induamur arma lucis, ὅπλα τοῦ φωτός. Ὅπλα arma ſignificant, ſed Apoſtolus hoc loco veſtimenta ſimpliciter deſignare videtur, quatenus & illa arma ſunt contra nuditatem & alia corporis incommoda. Arma ſeu veſtimenta lucis ſunt, veſtimenta quæ luci conveniunt, quæ honeſta ſunt, in quibus conſpici nullus ſit pudor, nulla turpitudo. Intelligit omnes ſanctos Chriſtianorum mores, qui Chriſtianis tanta animorum luce colluſtratis nulli ſint rubori, ſed maximo decori & ornamento, quos paulo poſt ipſum Dominum Jeſum Chriſtum eſſe docet. Sunt autem opera tenebrarum ita abjicienda, ne ea unquam reſumamus; opera vero lucis ita induenda, ne ea unquam deponamus, ſed iis ſemper veſtiti ſimus, ſive nox ſit, ſive dies. Nobis enim Sol veritatis nunquam occidit, etſi non conſpiciamur ab hominibus, ſcimus nos conſpici à Deo, qui major eſt cujuſque noſtrum conſcientia. Neque nos ſolis hominibus, ſed multo magis noſtræ conſcientiæ ac Deo ſanctitatem noſtram imus approbatum.

Verſ. 13. *Sicut in die decenter ambulemus, non commeſſationibus & ebrietatibus, non cubilibus & laſciviis, non lite & zelo.* Perſequitur allegoriam Apoſtolus. Solent enim homines interdiu decore incedere.

Sicut in die, intellige fieri convenit, *decenter ambulemus.* Id eſt decenter & honeſte veſtiti incedamus. Nobis enim Chriſtianis ſemper eſt dies, nunquam eſt nox, animi ſcilicet. *Omnes vos*, inquit alibi Apoſtolus, hoc ipſum monitum inculcans, *filii lucis eſtis & filii diei, non ſumus noctis neque tenebrarum. Ergo igitur ne dormiamus ut & reliqui, ſed vigilemus & ſobrii ſimus*, & quæ ſequuntur 1 Theſſ. v. 5 & ſeqq.

Non commeſſationibus. Exprimit Apoſtolus opera quædam tenebrarum à quibus nos longe vult abeſſe.

Non commeſſationibus. Intellige, indulgete aut dediti eſtote, penitus abdicate commeſſationes, id eſt inſtaurationes epularum poſt epulas, & conſequenter omnem in edendo luxuriam. Commeſſationum adjuncta ſunt cantus laſcivi, ſaltationes & tripudia. Videtur nunc Apoſtolus in ſecunda loqui perſona, ut

ſequens comma docet. Neque enim opus erat ut ſeſe commiſceret cum iis, ad quos ab iſtis quæ hic nominantur vitiis dehortatio pertinere poterat.

Et ebrietatibus. Id eſt ab omni in bibendo luxuria abſtinete. Natura enim neceſſariis rebus voluptatem admiſcuit, ut gratiorem illarum uſum voluptatis adderet acceſſio, ſed ſi ſuo veniat jure, luxuria eſt. Chriſtianæ ſanctitatis eſt cibo ac potu moderate & temperanter uti, citraque omnem ἀσωτίαν Epheſ. v. 18.

Non cubilibus. Honeſta circumſcriptione notat omnes concubitus illicitos.

Et laſciviis, ἀσελγείαις Id eſt concubituum illicitorum effectis, intellige ut ſupra, indulgete aut dediti eſtote. Jure iſta duo paria vitiorum ad opera tenebrarum retulit. Nam etiam ebrietas quondam nocturnum erat opus 1 Theſſ. v. 7, cum puderet homines non ſobrios conſpici; nunc quidem vitii iſtius adeo ipſos depuduit, ut inter laudes putent, quam plurimum poſſe bibere.

Non liti & zelo. Vitia nominat prioribus contraria, nec minus hominibus quam illa communia. In illis peccatur amore, in his amoris defectu. Ita homines vel non amant alios, vel male amant. Non amant qui litem & zelum adverſus alios exercent; male amant qui cum aliis comeſſantur, inebriantur, laſciviunt. *Non liti*, μὴ ἔριδι, intellige dediti eſtote, ab omni lite & contentione prorſus abſtinete. Lis, ἔρις verborum pugna eſt acerba, & pertinax ſibi invicem concedere nolentium. *Zelo*, abſit à vobis æſtus animi victoriam in lite obtinere & adverſarium confundere cupientis. Qui per litem ac contentionem accenditur, & viciſſim litem ac contentionem accendit, & vehementiorem, aſperiorem magiſque pertinacem facit. Hoc tertium par vitiorum, etiamſi palam ac media luce exerceatur, tamen ad opera tenebrarum ſpectat, quatenus cum ſpirituali Chriſtianorum luce nihil commune habet.

Verſ. 14. *Sed induimini Domino Jeſu Chriſto, & carnis curam non facite, ad cupiditates.* Docuit quæ abdicare debeant Chriſtiani, nunc è contrario docet quo indumento debeant conſpici, & ſemper veſtiti incedere.

Induimini, inquit, *Domino Jeſu Chriſto*, ἐνδύσασθε τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Indui dicitur perſona alicujus, cum is imitatione quadam & aſſimilatione exprimitur. Sic igitur & nos perſonam Domini Jeſu Chriſti induere debemus, ut ejus ſanctiſſimos mores in omnibus imitemur & exprimamus. De quo inter alia ſanctitatis opera ſcriptum eſt; *Non litigabit neque clamabit, neque audiet quiſquam in plateis vocem ejus, calamum contritum non confringet, & linum fumigans non exſtinguet* Matth. xij. 19, 20. Chriſtianorum eſt Chriſtum omni vita quam maxime referre. Ideoque eum Apoſtolus vocat Dominum, ut nos ad illius excitet imitationem. Nam ſi unquam locum habet quod dicitur, Regis ad exemplum totus componitur orbis, in Chriſtianis vel maxime locum habere debet. Niſi enim Chriſtum fuerimus imitati, fruſtra nos illius eſſe profitemur. Non agnoſcit Chriſtus pro ſuis niſi ſibi ſimiles. Eadem phraſi, induendi Chriſtum, uſus eſt Gal. iij. 27, reſpiciens ad baptiſmum in quo veſtes aliæ exui & aliæ indui ſolebant

Et carnis curam non facite, τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε. Ne quis carnem obtendat, & illius curam, docet qualis & quouſque illius cura ſit habenda: quaſi dicat, curanda quidem eſt caro, cum ſit animi habitaculum & inſtrumentum ac pars noſtri, neque ego cuiquam curationi carnis interdico; ſed hoc volo, ne carnis curam geratis

Ad cupiditates. Ad neceſſitatem carnis curam gerere juſtum ac verum eſt, idque vita mortalis requirit, ſed ad cupiditates, vitioſum ac illicitum. *Ad cupiditates.* Id eſt ut cupiditatibus carnis ſatisfiat. Carnis cupiditates quia neceſſitatibus carnis tacite opponuntur, hinc apparet non intelligi cupiditates rerum neceſſariarum, ſine quibus mortalis vita vel agi ſimpliciter, vel commode agi nequeat, ſed cupiditates rerum, quæ ad ſolam luxuriam ſpectant; à quibus vitiis Chriſtianorum vita longiſſime debet abeſſe. Ideo & cupiditatum vox in vitio poni ſolet, & hic poſita eſt.

CAPUT. XIV.

Verſ. 1. I*Nfirmum autem fide ſuſcipite, non in certamina diſputationum.* Hactenus expoſuit Apoſtolus varia Chriſtianæ pietatis præcepta, quibus rationalis ille cultus Chriſtianorum continetur; nunc etiam agit de nonnullis quæ olim in Lege divina præcepta ad ritus & carnalem illum pertinebant cultum, proinde quæ per ſe quidem nunc illicita non ſint, nec in Lege Chriſti vetita, cæterum ſi fiant, infirmorum ſaluti obeſſe poſſint, & tam levia ſint ut ab iis abſtinere, præſertim infirmorum in conſpectu, nihil oneris habeat, nec libertati Chriſtianæ quidquam præjudicet.

Infirmum autem fide. Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει. *Autem*: quaſi dicat, hæc quidem quæ adhuc dixi Chriſti præcepta ſunt, & vobis omnibus neceſſario exſequenda; quod autem ad fide infirmos attinet, infirmos fide ſuſcipite. Non intelligit Apoſtolus fidem, qua Jeſum credimus eſſe Chriſtum, hac enim nemo infirmus eſſe debet; ſed qua nonnulli qui alioqui firmiter credebant Jeſum eſſe Chriſtum, quia ex Judæis erant converſi; vacillabant in quibuſdam Legis præceptis, nondum ſatis perſuaſi iis ſeſe & alios ſolutos eſſe; quale erat præceptum de non edendis quibuſdam cibis, præſertim idolothytis, idem de Sabbato & aliis diebus feſtis. Docet igitur Apoſtolus quo pacto ſeſe erga tales reliqui Chriſtianorum gerere, imo quo pacto & firmi & infirmi inter ſeſe agere debeant. *Infirmum fide.* Id eſt ratione fidei ejus quam diximus: fides

fides enim ſeu perſuaſio iſta ad ſubjectam materiam reſtringenda eſt.

Suſcipite, προσλαμβάνεσθε. Id eſt pro fratre & membro Eccleſiæ ducite, fraterno amore complectimini, nihil ipſi apud vos obſter illius hæc fidei infirmitas, ſufficiat quod firmiter credat Jeſum eſſe Chriſtum ac Dominum, & multos forte Legis ritus aliis jam remiſerit, licet in quibuſdam adhuc hæſiter; etiam in his per eandem in Chriſtum fidem profecturus, ſi eum veſtra charitas & in eo tolerando benignitas provexerit. Sic idem verbum ſuſcipiendi accipitur mox ℣.3, & cap.xv. 7.

Non in certamina diſputationum. Intellige deſcendite vel venite, abſtinete inter vos ab omni diſputationum certamine. Per ejuſmodi enim certamina alii alios vel contemnunt vel condemnant verſ.3, quod à vobis abſit quam longiſſime. Poteſtis inter vos amice & fraterne colloqui, & argumenta ad veritatem demonſtrandam conſerre, ſi ſit animus; ſed contentiones ſerere, & altercando certare ac diſputare, id vero foret liti & zelo indulgere, quæ opera tenebrarum eſſe modo dictum eſt.

Verſ. 2. *Hic quidem credit manducare omnia, infirmus autem olera edit.* Exponit quem fide firmum, quem infirmum intelligat. *Hic quidem*, ὃς μὲν. nempe Chriſtianorum, *credit manducare omnia.* Id eſt credit licitum eſſe manducare omnia, quamvis quædam in Lege fuerint vetita, quamvis idolis ſint immolata, credit puris omnia eſſe pura, impuris omnia eſſe impura, credit omnem creaturam Dei bonam eſſe, nec quidquam rejiciendum quod cum gratiarum actione ſumitur 1 Tim.iv.4.

Infirmus autem, ὁ δὲ ἀσθενῶν, *olera edit.* Olera opponit carnibus. Olera autem edit quoties veretur ne in carnem incidat idolis immolatam, aut aliam aliquam Lege damnatam & immundam. Nam eorum qui ab omni carne ex diſciplina Pythagoræorum abſtinerent, hic rationem haberi non puto. Ad carnem & ſanguis referendus eſt. Quem hominem infirmum, nempe fide, vocat, quod nondum ſatis perſuaſum habeat omnem cibum, omnem carnem eſſe mundam iis qui cognoverunt veritatem, & fidem habent in Dominum Jeſum Chriſtum.

Verſ. 3. *Qui edit non edentem ne contemnito, & qui non edit, edentem ne judicato, Deus enim illum ſuſcepit.* Docet quomodo ſe alter erga alterum gerere debeat.

Qui edit. Id eſt licitum ſibi putat ut edat, intellige quemvis cibum, libertatis Chriſtianæ optime gnarus.

Non edentem. Nempe cibos, ex Legis diſciplina immundos & vetitos, præſertim idolothyta.

Ne contemnito. Ἐξουθενείτω, nihili pendito. Solent ignorantes & imperiti à ſcientibus contemni. Scientia enim inflat; ut alibi eadem de re loquitur Apoſtolus 1 Cor.viij.1. Includit autem hic contemtus uſum cibi ſine ullo reſpectu fratris infirmi. Nam quos contemnimus, eorum rationem non habemus.

Et qui non edit, edentem ne judicato. Id eſt damnato. Nam ſicut ſcientes ad contemnendos ignaros, ſic ignari & imperiti ad damnandos alios valde ſunt proclives. Ita ſcientia eſt ſuperba, ignorantia ſuperſtitioſa.

Deus enim illum ſuſcepit. Quaſi dicat, ideo tu illum damnare non debes. Deum opponit homini. *Suſcepit*, nempe amandum, ſovendum, ſervandum, propter fidem in Jeſum Chriſtum.

Verſ. 4. *Tu quis es qui judicas alienum domeſticum, proprio Domino ſtat aut cadit, ſtatuetur autem: potens enim eſt Deus ſtatuere ipſum.* Pergit in coarguendo iſto damnante. *Tu.* Alloquitur damnantem.

Quis es. Quæ tua eſt tanta dignitas iſta aut potius præſumtio? quem te eſſe putas?

Qui judicas. Id eſt damnas, & cælo proſcribis.

Alienum domeſticum. Cujus tibi nullum eſt jus, & quidem domeſticum Dei, tu homo, judicas.

Proprio Domino. Urget rem: quaſi dicat, habet ille ſuum proprium Dominum, cui ſtat, aut cadit; ſi ſtat, proprio Domino ſtat, ſi cadit, proprio Domino cadit. Proinde præter Dominum proprium, nemo illius judicandi & damnandi habet arbitrium & poteſtatem.

Stat. Id eſt incolumis eſt.

Cadit. Id eſt interit.

Statuetur autem. Docet Apoſtolus quid de eo futurum ſit. Non cadet ſed ſtatuetur, id eſt non peribit ſed ſervabitur.

Potens enim eſt Deus ſtatuere ipſum. Rationem affert aſſerti: quaſi dicat, nam etiamſi hominibus Legi innutritis videatur id fieri non poſſe, tamen Deus eum ſtatuendi & jus & vires adeoque & voluntatem habet propter fidem in Jeſum Chriſtum, Deus in ſua manu ac poteſtate habet, *ſtatuere ipſum*, id eſt ſervare.

Verſ. 5. *Hic quidem judicat diem, præter diem, hic vero judicat omnem diem, unuſquiſque in propria ſententia plene perſuaſus eſto.* Aliam ſpeciem firmæ & infirmæ fidei commemorat Apoſtolus.

Hic quidem. Ὃς μὲν, ut ſupra verſ.2.

Judicat diem præter diem, ἡμέραν παρ' ἡμέραν. Id eſt unum diem alio ſanctiorem judicat, & conſequenter obſervat. Sabbata ſanctiores per ſe dies judicat, aut novilunia, aut feſta illa ſolennia, aut ſeptennia, quam dies & annos alios Gal.iv.10. Coloſſ.2. 16.

Hic vero judicat omnem diem. Nullum nunc inter diem & diem ſanctitatis diſcrimen eſſe arbitratur, omnes per ſe æque ſanctos & obſervandos judicat. Videntur iidem diſcrimina dierum feciſſe qui faciebant & ciborum, utrumque ex Legis inſtituto.

Unuſquiſque in propria ſententia plene perſuaſus eſto. Unuſquiſque. Nempe de diebus, ut & cibis diverſa judicantium.

In propria, id eſt ſua, *ſententia.* Qua alter ſtatuit diebus ut & cibis promiſcue uti, per ſe peccatum haud eſſe, alter dierum, ut & ciborum diſcrimina obſervare, itidem peccatum non eſſe.

Plene perſuaſus eſto. Ne ſcilicet cum dubitatione aliqua faciat, quod alterutram in partem facit. Vide verſ. 23. Articulus in Græco additus ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ, docet non aliam hic intelligi ſententiam, quam de rebus ſupra expreſſis. Non enim id vult Apoſtolus, ut quiſque in falſa ſententia plene ſit perſuaſus, nec ullum habeat dubium. Imo vero dubitet vel maxime qui falſum ſentit; ſed ut quiſque in vera ſententia quam maxime ſit confirmatus: proinde & is in Judaiſmo natus, qui dies obſervat, & à cibis abſtinet, plene per-

ne perſuaſus eſſe debet, quod hoc faciendo nihil peccet. Hoc Apoſtoli dictum ultra res natura ſua indifferentes & rem ſubjectam, trahendum non eſt. Non agit hic Apoſtolus de diebus qui ex conſtituto & ex recepto uſu eccleſiæ deputati ſunt ad peculiarem vacationem divino cultui; (horum enim obſervatio humanæ inſtitutionis eſt, & ad ſolum ordinem publici cultus divini habendi pertinet) ſed quos Legis diſciplina ſanctitate diſcrevit ab aliis. Hos ſive quis obſervet, ſive minus, adiaphorum per ſe eſſe oſtendit Apoſtolus: dummodo in eo quod eos non obſervet nemo animi ſit dubius. Dicet aliquis, Galatas ab Apoſtolo graviter reprehendi quod dies obſervarent, & menſes, & tempora & annos Gal. iv. 10. Merito: Galatæ enim, ex Gentibus profanis ad Chriſtum erant converſi, nunquam ſub ſervitute Legis fuerant, in quam cum ſeſe ex Chriſtiana libertate vellent dedere, digni erant graviſſima reprehenſione & admonitione ne id facerent, idque cum interminatione privationis divinæ gratiæ cap. v. 1, & ſeqq. Magnum enim omnino bonum eſt Chriſtiana libertas, & Dei quæ in illius largitione apparuit gratia, cujus magnitudinem ac præſtantiam non æſtimant nec intelligunt, quicunque ad Legis ſervitutem deficiunt ultro; ne nunc dicam ſpiritualem Dei cultum per hæc talia impediri, qui ſolus ſub Novo Fœdere attenditur. Ideo & ad Coloſſenſes Apoſtolus; *Nemo vos judicet*, inquit, *in cibo, aut in potu, aut in parte feſti, aut noviluuii, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti* Col. 2. 16, 17. Sed qui ſub Legis ſervitute nati & educati fidem in Chriſtum ſuſceperant, quia non protinus ad tantam libertatem animum attollere poterant, ferendi omnino erant, & firmorem æquitate ac benignitate juvandi & ſublevandi: at qui ex Gentibus ad libertatem Chriſtianam venerant, & jugo rituum Judaicorum implicari volebant, ferendi non erant Gal. v. 2, 3, 4.

Verſ. 6. *Qui curat diem, Domino curat; & qui non curat diem, Domino non curat; qui edit, Domino edit, nam gratias agit Deo, & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.* Docet Apoſtolus non debere fratres ob hæc talia ſeſe invicem condemnare & contemnere.

Primum ob dies. *Qui curat diem*, ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν. Id eſt qui diem obſervat in Lege ſanctificatam.

Domino. Id eſt Chriſto, ut ex verſu 9 patet. Chriſto enim Domini titulus ſub Novo Fœdere factus eſt proprius, quo diſtinguitur ab uno illo Deo.

Curat. Id eſt obſervat, Domino id vult approbare, Domini reſpectu id facit, quod exiſtimet hoc Domino ingratum haud eſſe. Domino in gloriam diem obſervat & feſtum agit.

Et qui non curat diem. Id eſt non obſervat, quem Lex obſervandum & ſacrum peculiariter habendum præceperat.

Domino non curat. Id eſt non obſervat, non celebrat, eodem quo ſupra ſenſu. Exiſtimat enim in Dominum ex eo, quod ipſum in hanc libertatem vindicaſſet, peculiarem redundare gloriam.

Qui edit &c. Nunc docet ob ciborum eſum vel non eſum damnationes vel contemtus ferendos haud eſſe. *Qui edit*, nempe cibos in Lege damnatos.

Domino edit. Domino id facit in gloriam, Domino id vult approbatum.

Nam gratias agit Deo. Probat quod dixit. Quia enim Deo gratias agit pro cibo & carnibus quas edit, proque jure ac libertate iis fruendi ſibi conceſſa, hinc conſequitur ipſum in Dei Chriſtique ejus gloriam id facere.

Et qui non edit. Eos quos diximus cibos.

Domino non edit. Domino in honorem & gloriam à cibis iſtis abſtinet, ut ſuam hac ſubmiſſione erga ipſum reverentiam teſtetur, dum metuit ne eorum uſu peccet.

Et gratias agit Deo. Id eſt & quamvis non edat, nihilominus Deo gratias agit, quod præter hos cibos alios creaverit & affatim ſuppeditet: quaſi dicat, etiamſi ſeipſum cibis iſtis defraudet, Deum tamen gloria & gratiis ipſi debitis non defraudat. Quia igitur utrique Dominum ejuſque gloriam pro ſcopo habent, licet diverſa ratione ad illum contendant, idcirco nullas inter ſe lites ferant, ab omni inter ſe damnatione & contemtu abſtineant.

℣ſ. 7. *Nemo enim noſtrum ſibi ipſi vivit, & nemo ſibi ipſi moritur.* Rationem affert, ſuperiores dicti; quia *nemo noſtrum ſibi ipſi vivit.* Id eſt nemo hominum vivendo ſui juris eſt, ut non debeat omnium ſuorum factorum rationem reddere. Quod quia Chriſtiani optime ſciunt, idcirco omnia quæ faciunt vel non faciunt, Domino faciunt vel non faciunt.

Et nemo ſibi ipſi moritur. Id eſt ne mortuus quidem quiſquam ſui juris eſt, ut non ſit amplius ulli obnoxius, & ut ſit omni legi aut pœnæ veræ & cum ſenſu conjunctæ exemtus.

Verſ. 8. *Namque ſi vivamus, Domino vivimus, & ſi moriamur, Domino morimur, ergo ſi & vivamus, ſi & moriamur, Domini ſumus.* Docet neminem ſive vivum ſive mortuum ſibi vivere, ſibi mori, quia ſi vivamus, Domino vivimus, nemo ergo ſibi vivit. *Domino*, id eſt Chriſto, Domino rationem omnium factorum reddere tenemur.

Si & moriamur, Domino morimur. Id eſt Domino nos ſiſtere cogemur. Nemo ergo ſibi moritur, ſi Domino quiſque noſtrum moritur.

Ergo ſi & vivamus &c. Aſſertum hoc ex proxime dicto conſequitur.

Domini ſumus. Id eſt Dominus in nos habet jus & poteſtatem ſive vivis ſive mortuis imperandi, & ſive vivos ſive mortuos præmiis ac pœnis veris & ſenſibilibus afficiendi.

Verſ. 9. *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuis & vivis dominetur.* Confirmat quod proxime dixit, & ſimul docet quem nomine Domini deſignet, nempe Chriſtum. *In hoc.* Id eſt hunc in finem.

Chriſtus. Ille Dei, qui Jeſus eſt, Dei & Mariæ virginis filius.

Et mortuus eſt. Sic enim Deus decreverat, ut Chriſtus ille, antequam intraret in gloriam ſibi à Deo deſtinatam, mortem ſubiret. *Et reſurrexit.* Divina ſcilicet Dei Patris ſui virtute ſuſcitatus ex mortuis. Niſi enim id factum eſſet, quomodo in gloriam ſibi decretam intrare potuiſſet.

Et revixit. Nempe ſic ut nunquam amplius moreretur Actor. xiij. 34.

Ut &

Ut & mortuus & vivis dominetur. Quia vero mortuis aliter imperare ac dominari non poteſt niſi ut jubeantur reviviſcere, hinc conſequitur Chriſtum habere poteſtatem mortuos revocandi in vitam, eoſque non minus quam qui morti non erant præmiis ac pœnis afficiendi. Quia vero Chriſtus vivis dominatur, ideo ipſi ab omnibus viventibus honor, cultus, adoratio, invocatio, fides, obſequium, non minus quam ipſi Deo, debetur. Apparet porro Chriſtum antequam homo naſceretur Deum haud fuiſſe. Alioquin enim nihil opus fuiſſet illum & mori & reſurgere & reviviſcere, quo mortuis & vivis dominaretur. Videmus etiam poſt mortem demum & reſurrectionem Chriſti, dominatum ejus plenum & perpetuum in mortuos pariter ac vivos initium accepiſſe. Unde nec ante divinis plane ac cæleſtibus religionibus coli cœpit inconſpicuus, quam ex mortuis ſuſcitatus & in cælum evectus, ad regni cæleſtis ſibi à Patre ante ſecula deſtinati poſſeſſionem & hæreditatem perveniſſet.

Verſ. 10. *Tu vero quid judicas fratrem tuum? aut & tu quid contemnis fratrem tuum? Omnes enim ſtatuemur tribunali Chriſti.* Alloquitur eum qui judicat & damnat fratrem ſuum, quod dies in Lege feſtos non obſervet, quod cibo quovis promiſcue contra Legis præceptum veſcatur.

Tu vero. Quaſi dicat, Chriſtus eſt qui judicandi nos omnes habet poteſtatem; Tu vero, Chriſti mancipium,

Quid judicas? Quare tibi judicandi jus ſumis? *Judicas,* id eſt damnas, è regno Dei proſcribis,

Fratrem tuum. Non tuum ſubjectum, non tuum famulum ſecundum ſpiritum, ſed tuum fratrem, tibi jure ac dignitate coram Deo & Chriſto æqualem propter eandem in Chriſtum fidem, quæ nos Dei filios facit, & conſequeuter alios aliorum fratres.

Aut & tu &c. Alloquitur & eum qui fratrem ſuum contemnit, nec ullam illius rationem habet,

Quid contemnis? Quare tibi contemnendi facultatem uſurpas?

Fratrem tuum. Tibi parem, & æque ac tu honore dignum, niſi quod te ſcientia inflet, & ipſe tibi ſcientiſſimus eſſe videaris, quamvis nihil te, ut oportet, ſcire oſtendas.

Omnes enim ſtatuemur. Rationem affert cur nemo ſibi jus ſumere debeat condemnandi vel contemnendi fratris. Quia omnes ſtatuemur coram tribunali Chriſti: quaſi dicat, habemus omnes judicem Chriſtum, coram cujus tribunali ſtatuemur. *Omnes,* nemine excepto, ſive vivi ſive mortui. *Statuemur.* Dei & Chriſti potentia.

Tribunali Chriſti. Id eſt Chriſto in ſuo tribunali conſidenti, cum veniet judicatum vivos & mortuos. Hoc tribunal Chriſtus ipſe appellat thronum gloriæ, in quo ſe dicit ſeſſurum omnibus ſanctis Angelis ſtipatum Matth. xxv. 31. Qui thronus erit in ſublimi æthere elevatus ut ab omnibus poſſit conſpici 1 Theſſ. iv. 17.

Verſ. 11. *Nam ſcriptum eſt, vivo ego dicit Dominus, quod mihi ſe flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Probat Scripturæ Veteris teſtimonio omnes homines ſtatutum iri coram tribunali Chriſti. *Vivo ego &c.* Recitat Scripturæ verba quæ refert Dei hac de re ſermonem.

Vivo ego. Dei ſermo incipit: quaſi dicat, quam certum eſt me vivere, tam certum eſt futurum quod ajo. Modus eſt juramenti divini.

Dicit Dominus. Interſatur Scriptura, auctorem ſermonis nominans, nempe Deum illum unum, Domini nomine ab interpretibus Græcis Veteris Teſtamenti deſignari ſolitum.

Quod mihi flectet &c. Id eſt ſeſe flectet vel flectetur. Exprimit Deus quid juret, fore nimirum ut ipſi flectatur omne genu &c. Quæ Dei ipſius & quidem cum juramento prolata verba, neceſſe eſt in ſenſu quam ampliſſimo & auguſtiſſimo Deoque digniſſimo accipere, ut nemo hominum ſit qui genua ſua non incurvet ac flectat Deo, & cujus lingua non confiteatur Deum. Dabit ergo Deus iſtius rei cauſam neceſſariam hominibus omnibus. At quam aliam niſi Chriſti ad judicandos homines illuſtrem & glorioſum adventum? Sequitur ergo, fore ut coram tribunali Chriſti omnes homines nullo excepto compareant. Nec refert quod Deum ipſum viſuri non ſint homines; ſufficit quod viſuri ſint judicem Chriſtum; cui cum omnes genua flectent tanquam ſupremo ſuo ac cæleſti judici, & linguis confitebuntur, ipſi Deo id facient, cujus nomine & virtute, cujus cum gloria Chriſtus veniet, & omnes judicabit. Sequitur porro etiam mortuos reſuſcitatum iri, ut coram tribunali Chriſti appareant. Niſi enim hoc fieret, quo pacto verum foret quod dixit Apoſtolus, omnes ſtatuemur coram tribunali Chriſti, cum iſti omnes jam pridem ſint mortui? Quo pacto & Dei ipſius jurata verba vera eſſent, cum longe plures ſint & futuri ſint mortui, quam in Chriſti adventu reperientur vivi? Et quo alio fine Chriſtus mortuis dominaretur eorumque judex eſſet, niſi ut eos coram ſuo ſiſteret tribunali pro cujuſque tractandos meritis? Suſcitabit pios ad præmia, cur non ſuſcitaret etiam impios ad pœnas? Potentia illi non deeſt, nec deeſt jus, non tantum promiſſionibus, ſed etiam minis publicatis. Et multum pietatis interfuit promiſſionibus apponi minas pœnarum, ad quas ſubeundas etiam mortui ſint ſuſcitandi. Nec minus veritatis ac gloriæ divinæ intereſt eas haud eſſe inanes & puerilia terriculamenta.

Mihi. Nempe in Chriſto meo & judice à me conſtituto, mea cum gloria, meis cum Angelis ad judicium mittendo & venturo.

Omne genu. Genu tribuitur quod homini proprie competit per genu, ſicut & in ſequenti membro linguæ tribuitur quod hominis eſt per linguam. Flectunt autem genua coram judice non tantum qui bene, ſed etiam qui male ſibi ſunt conſcii, proinde non tantum boni & juſti, ſed etiam mali & injuſti.

Et omnis lingua confitebitur Deo. Id eſt Deum celebrabit & gloria afficiet, Hebræa phraſi. Gloria enim Deo tribuitur confeſſione Dei, confeſſione ejus potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, confeſſione ejus beneficiorum & operum ac factorum diviniſſimorum. In Chriſti ergo adventu omnium hominum, etiam eorum qui nunc Deum non agnoſcunt, lingua confitebitur eſſe Deum, eumq; unicum, qui univerſa creaverit, quiq; omnium ſupremus & abſolutus ſit Dominus, & quemque pro meritis tractet. Difficile enim erit id

non agnoſcere ac confiteri, cujus effecta certiſſima ante oculos omnium verſabuntur.

Verſ. 12. *Ergo igitur unuſquiſque noſtrum de ſeipſo rationem dabit Deo.* Infert hoc ex ſuperioribus. Quo enim alio fine ſtatueremur omnes coram tribunali Chriſti, niſi ut quiſque noſtrum de ſe rationem daret Deo? Metaphora ſumta ab iis qui rationes reddunt dati & accepti. Sic & quiſque noſtrum factorum ſuorum omnium dabit rationem, ut ea vel approbet Deo, & præmium ferat vitam æternam, vel ſi ea approbare non poſſit, pœnas luat.

Deo. Chriſtus enim Dei nomine tanquam Judex ab ipſo conſtitutus ſedebit & judicabit, præmiaqne ac pœnas diſtribuer.

Verſ. 13. *Non amplius igitur alii alios judicemus, ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri aut ſcandalum.* Quaſi dicat: Cum igitur res ita ſe habeat ut omnes ſiſtendi ſimus coram tribunali Chriſti, & quiſque noſtrum de ſeipſo rationem daturus ſit Deo, non amplius alii alios judicemus. Habemus omnes judicem, & quiſque noſtrum ipſe judicandus eſt; proinde ne ſibi judicis partes in alium ſumat.

Nou amplius. Quaſi dicat, ſi forte adhuc alii alios judicavimus, non amplius id faciamus, aut etiam *μηκέτι, ne unquam alii alios,* id eſt fratres firmi infirmos, & viciſſim infirmi firmos

Judicemus. Se quoque admiſcet Apoſtolus in prima loquens perſona per communicationis figuram, ut doceat ſe quamvis tantus ſit Apoſtolus, ab omni fratrum damnatione longiſſime abeſſe. Verbum judicandi hoc loco latius ſumendum eſt, ut non tantum ad illos ſpectet qui fratres damnent, ſed ad illos etiam qui fratres contemnant, ut ex verſ. 10 & 12 colligitur, & ex eo quod mox per oppoſitionem contrarii addit Apoſtolus, ſpectans ad eos qui fratres infirmos contemnebant. Nam & contemnere aliquem non minus quam damnare effectus de illo judicii eſt. Qui aliquem damnat, judicat illum eſſe hominem malum vel impium, qui aliquem contemnit & nihili pendit, judicat illum eſſe hominem nauci vel nihili.

Sed hoc judicate magis. Rem contrariam judicationi fratrum præcipit: quaſi dicat, non fratres judicemus, ſed fratrum judicio omiſſo, *hoc magis judicate &c.*

Judicate. Id eſt conſtituite, decernite & conſequenter agite, per metonymiam cauſæ. Nunc in ſecunda perſona loquitur Apoſtolus, ut oſtendat ſe hoc monito non indigere. *Magis,* id eſt potius. Non comparandi ſenſu, ſed hoc ſimpliciter aſſerendi, illud ſimpliciter negandi.

Ne ponatis, τὸ μὴ τιθέναι, non ponere, *offendiculum.* Metaphora ducitur ab iis qui in via vel ſemita lapidem ponunt, vel offendiculum aliquod, ad quod euntes vel currentes impingant. Hoc faciebant qui idolothyta alioſque cibos per Legem damnatos, ſine ullo infirmorum fratrum reſpectu edebant, quo ſuo facto cauſa erant infirmis fratribus, ut vel factum eorum contra ſuam conſcientiam imitarentur, & ſic peccarent, vel ſaltem animo contriſtarentur, & conſequenter Chriſtianæ libertati ac religioni minus æqui eſſent. Vide verſ. 15, & 1 Cor. viij. 9, 10.

Aut ſcandalum. Hoc gravius quiddam videtur quam offendiculum. Nam offendiculum non protinus concidere facit, id eſt perimit, ſed ſcandalum perimir. Ponebant autem ſcandalum iidem illi, quatenus facto ſuo cauſam dabant etiam à Chriſtiana fide ac religione deficiendi. *Fratri.* Id eſt homini in Chriſtum credenti verſ. 10, proinde peccato tanto graviore. Nimirum ſicut Chriſtianam libertatem & ſpiritualem cultum haudquaquam prodere debemus, ſic eadem libertate moderate uti, & aliorum in gratiam aliquid eriam de jure noſtro interdum, & quoties id citra divinæ gloriæ & Chriſtianæ libertatis ac pietatis jacturam vel detrimentum fieri queat, remittere. Sic in Concilio Jeroſolymitano decretum erat, ut qui ex Gentibus profanis crediderant, in gratiam Judæorum credentium à ſanguine & ſuffocato & idolothytis abſtinerent Actor. xv. 29. Sunt qui putant hæc ab Apoſtolis eſſe decreta, quod ſanguine & ſuffocato veſci per ſe illicitum ſit, propter adjunctam in hoc decreto ſcortationem, quæ per ſe illicita eſt. Sed ſcortatio iſtis adjungi potuit, & haud dubie adjuncta fuit, ideo quod non minus licita putaretur à Gentibus, quam ſanguine & ſuffocatis, & aliis quibuſlibet cibis veſci, licet cauſa abſtinentiæ eſſet diverſa; in ſanguine quidem & ſuffocatis Judæorum ædificatio, in ſcortatione vero ipſa per ſe turpitudo, quod ex Pauli verbis facile colligitur 1 Cor. vj. 12, 13, & ſeqq. Et qui ullis cibis veſci per ſe putant illicitum, Chriſtianæ pietatis naturam non ſatis perſpexiſſe, nec ad varia Chriſti & Apoſtolorum de cibis & eſcis dicta, attendiſſe videntur. Paulus certe nullam uſquam in cibis exceptionem adſert, niſi ſcandali cauſa. Nam qui carnes humanas objiciunt, iidem & alias carnes & cibos objiciant licet, à quibus natura humana abhorret, niſi vel feritate, vel neceſſitate ac fame vincatur. Ipſa ab idolothytis abſtinentia eodem in decreto poſita monere poterat, vetari hæc ſcandali cauſa. Idolothytis enim citra ſcandalum, & extra fana veſci licitum erat. Chriſtiani igitur hanc à cibis iſtis abſtinentiam exercuerunt quam diu ſpes erat ædificationis Judæorum; quæ poſtquam decollavit, ſuam uſurparunt in Chriſto libertatem: cui tamen frænum injiciendum eſt in præſentia infirmorum, qui ſe hoc Apoſtolorum decreto ſimpliciter & abſolute putant obligari. Codices, qui ſuffocatum ejiciunt, & ejus loco ponunt verba, ne aliis faciamus, quæ nobis fieri nolimus, rem inſerunt de qua nulla unquam inter homines, nedum Chriſtianos, erat controverſia. Hac certe ratione nulla cauſa eſſet, quin & alia omnia Chriſtianæ pietatis apponerentur officia. Chriſtiani vero etiam majus quiddam ac perfectius didicerant à Chriſto, ut ſcilicet ea omnia quæ nobis fieri ab aliis velimus, ipſi aliis faciamus. *Hæc,* inquit Chriſtus, *eſt Lex & Prophetæ* Matth. vij. 12.

Verſ. 14. *Scio & perſuaſus ſum in Domino Jeſu quod nihil (ſit) commune per ſe, niſi ei qui putat aliquid commune eſſe, illi commune (eſt.)* Exponit Apoſtolus ſuam de cibis ſententiam.

Scio. Quaſi dicat: non opinor, ſed ſcio pro certo.

Et perſuaſus ſum, πέπεισμαι. Id eſt nullum habeo dubium.

In

In Domino Jeſu. Id eſt pet Dominum Jeſum, qui me id docuit ſpiritu ſuo.

Quod nihil commune per ſe. Id eſt quod nullus cibus per ſe impurus ſit, de cibis enim nunc loquitur. *Commune* pro impuro, quia quæ communi patent uſui, facile inquinantur, per metonymiam cauſæ. *Per ſe*, id eſt in ſua natura ac ratione ſpectatum. Cibi qui impuri dicuntur, ex Lege & inſtituto id habent, non ex ipſa rei natura. *Niſi ei qui putat aliquid commune eſſe: εἰ μὴ, niſi*, ponitur pro ἀλλὰ *ſed*, ut Joh. v. 19. Neque enim limitat quod dixit, ſed potius per contrarii affirmationem confirmat.

Qui putat aliquid commune. Id eſt impurum eſſe, quales erant Judæi Legis diſciplina imbuti, qui varios cibos putabant & credebant eſſe impuros.

Illi commune. Intellige eſt: quaſi dicat, non eſt impurum per ſe & in ſeipſo, ſed illi tantum qui id impurum putat, impurum eſt, quatenus ſi eo contra conſcientiam veſcatur, peccat & conſcientiam ſuam polluit.

Verſ. 15. *Si vero propter cibum frater tuus triſtitia afficiur, non amplius ſecundum charitatem ambulas. Ne cibo tuo illum perde, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Expoſita ſua ſententia, alloquitur quemlibet Chriſtianum eadem hac ſcientia præditum. *Si vero.* Quaſi dicat, bene eſt Chriſtiane eadem, ſi ſcientia es præditus.

Si vero propter cibum. Id eſt propter cibi uſum, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto, frater tuus nempe in Chriſto,

Triſtitia afficitur. Videns te ſine ullo ſui reſpectu cibo veſci, quem ipſe impurum ducit; ſi alium quemvis hominem uſu cibi contriſtares, reprehendendus eras, quanto magis fratrem, cui & animam impendere debebas? Solius contriſtationis meminit Apoſtolus, vel quia etiam offendi & ſcandalizari includit, cum neutrum ſine contriſtatione eſſe poſſit, vel quia ponit id quod minus eſt, ut hinc colligatur quid ſentiendum ſit de offendiculo & ſcandalo, quod multo majus eſt.

Non amplius ſecundum charitatem ambulas. Charitas enim ea ſuadet quæ ad fratrem conſolandum, erigendum, recreandum pertinent. Ut vero frater propter cibum, rem adeo levem, & quæ nullo negotio, nullo detrimento omitti poſſit, contriſtetur, charitas nullo modo permittit. Quid ergo te ſcientia tua juverit, ſi charitas tibi deſit?

Ambulas. Id eſt agis, præſertim ſi quis id facere ſoleat. Ambulandi enim vox conſuetas actiones inprimis ſignificat.

Ne cibo tuo &c. Inſtat & urget Apoſtolus gravitatem facti, quamque longe à charitate abſit oſtendens: quaſi dicat, perdere hoc eſt fratrem, non diligere. *Ne cibo*, re tam levi, eſu idolothyti, aut cibi quem frater tuus impurum ducit, idque in fratris conſpectu, & ſic in ejus contemtum ac vilipendium. *Tuo.* Quaſi dicat, quem tanti facias, tam charum habeas, quem fratri & ſaluti illius præferas. *Perde*, id eſt in æternum exitium præcipitem age, & regno Dei priva, quantum ſcilicet in te eſt. Nam qui fratrem eo contemtu, quo dictum eſt, contriſtat, quid aliud agit, quam ut eum à Chriſto & ab illius Eccleſia alienet, & exigat?

Itaque ne perde illum pro quo Chriſtus mortuus eſt. Dum ſcilicet illi cauſa es perditionis & exitii. Deſcribit fratrem, ut tanto majus crimen eo modo fratrem contriſtantis appareat. Tu illum petdas, idque cibo tuo, re viliſſima, quem Chriſtus ut ſervaret mortuus eſt! Tu illum à Chriſto pellas, quem Chriſtus ut ad ſe pertraheret, ſuum faceret, mori non recuſavit! Vide quanta inter te & Chriſtum ſit diſſimilitudo! Vide quantum tuum, non in fratrem tantum, ſed etiam in Chriſtum ipſum ſit peccatum! 1 Cor. viij. 11, 12. In voce Chriſti peculiaris etiam eſt emphaſis: quaſi dicat, tu fratrem perdis qui cum Chriſto comparandus non es, qui Chriſti viliſſimum es mancipium, & Chriſtus Dei Filius & Dominus tuus pro illo mortuus eſt.

Pro quo Chriſtus mortuus eſt. Id eſt pro cujus ſalute Chriſtus mortuus eſt; ſalutem perditioni opponit. Mortuus autem pro ſalute fratris eſt, quatenus mortuus eſt, ut eum ſuo ſanguine à peccatis purgaret, in jus vitæ æternæ aſſereret, & ad ſe converteret. Dicit autem Apoſtolus Chriſtum pro fratre mortuum eſſe, non quod pro omnibus aliis non ſit mortuus, ſed quod in ſolis fratribus, qui ſunt credentes in Chriſtum, mors Chriſti effectum ſuum habeat.

Verſ. 16. *Non blaſphemetur ergo veſtrum bonum.* Quaſi dicat: cum tantas cauſas habeatis abſtinendi a cibo, quoties uſus illius cum fratris contriſtatione ſit conjunctus, date operam ne blaſphemetur veſtrum bonum. Sic Apoſtolus loqui maluit, quam ſimpliciter dicere, ne libertate veſtra in ciborum uſu abutamini, ut novam cauſam ac rationem huic monito & præcepto ſuo inſereret. Significat enim blaſphemiis & maledictis objici bonum noſtrum, ſi ita promiſcue, & ſine ullo aliorum reſpectu libertate noſtra Chriſtiana utamur.

Non blaſphemetur. Id eſt ne date cauſam & occaſionem ut ab aliis blaſphemetur, per metonymiam effecti pro cauſa. *Blaſphemetur*, id eſt vituperetur, conviciis proſcindatur & exagitetur.

Bonum veſtrum. Id eſt veſtra ſanctiſſima religio, qua nihil melius, quippe quæ ſola ſalutem æternam affert hominibus. Ne dicant homines, fidem Chriſtianam in omnem incontinentiam diſſolvere, ſacra cum profanis miſcere, & omnis impietatis eſſe magiſtram, ventris autem & abdominis miniſtram. Sciant homines, vos eſſe ſumme liberos; ſed ſimul ſciant vos eſſe in ſumma libertate valde temperantes ac modeſtos, & libertatis veſtræ uſum ex Dei gloria & aliorum omnium hominum ædificatione ac ſalute moderari.

Verſ. 17. *Non enim eſt regnum Dei cibus & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Rationem præcepti affert per prolepſin. Poterat enim aliquis objicere, Chriſtianos ſub beato illo Dei regno eſſe, quod pet Meſſiam Regem a ſe effectum exercet, proinde libertatem eorum neutiquam eſſe in cibis & potu conſtringendam, cum & hoc ad beatum regni iſtius ſtatum & effecta pertineat. Hanc objectionem Apoſtolus tollit, ut præceptum ſuum ſtabiliat quaſi dicat; non enim eſt regnum Dei cibus & potus, ne quis forte id mihi objiciat.

Regnum Dei. Id eſt ſtatus ac ratio vel effectus regni Dei, per metonymiam cauſæ. Intelligitur autem regnum Dei per Chriſtum. Regnum enim Chriſti ſingulariter Dei tegnum dicitur, quia in regno Chriſti Deus ſingulari ratione per Chriſtum regnat, eumque regnare apparet.

Non eſt cibus & potus. Non eſt edere & bibere; non

in eo conſiſtit regni Dei ratio & effectus, ut edamus & bibamus, ut genio indulgeamus, & variis corporis voluptatibus perfruamur. Longe majora & veriora ſunt iſtius regni bona & effecta.

Sed juſtitia &c. Docet qua in re regni Dei ratio & effectus, vitæ præſentis reſpectu, conſiſtat: quaſi dicat, ſed regni Dei ratio & effectus eſt *juſtitia*, id eſt ut juſte vivamus, juſtitiam unice colamus, ſuum cuique tribuamus, nemini injuriam faciamus.

Et pax. Id eſt ut pacem cum omnibus conſectemur, pacis cauſa etiam injurias dimittamus, rebus ac jure de noſtro multum cedamus, neminem damnemus, neminem contemnamus, cuivis nos, quoad licet, obligatos & obſequentes præbeamus.

Et gaudium. Id eſt ut gaudio indeſinenti exſultemus.

In Spiritu Sancto. Id eſt per Spiritum Sanctum in animis noſtris excitato, Spiritus enim Sanctus nobis juſtitiam ac pacem ſectantibus certam ſpem facit cæleſtium bonorum, eorumque guſtum ac ſenſum quendam nobis præbet. Unde inenarrabile nec unquam deſinens gaudium, tanquam ex ſonte perenni, manat, & in animos noſtros diffunditur. Hæc ſunt regni Dei per Chriſtum regnantis in hac mortali vita effecta, hæc illius ratio ac conditio eſt. Effectum ac ſtatum regni Dei, qui futura & immortali vita continetur, Apoſtolus non tangit, quia hic de eo nulla erat quæſtio. Ponuntur autem ab Apoſtolo abſtracta pro concretis: *juſtitia, pax, gaudium*, pro juſte vivere, pacate agere, gaudio exſultare.

Verſ. 18. *Qui enim in iſtis ſervit Chriſto, acceptus (eſt) Deo, & probatus hominibus.* Probat in iſtis quæ dixit, rationem & effectum regni Dei conſiſtere.

Qui in iſtis. Id eſt per iſta, per juſtitiam & pacem. Nam gaudium in Spiritu Sancto juſtitiam & pacem conſequitur.

Servit Chriſto. Servire regni correlatum eſt, proinde qui per iſta ſervit Chriſto, Chriſtum in ſe regnare oſtendit. Chriſtum autem ponit pro Deo Apoſtolus, ut oſtendat ſe de regno Dei loqui, quod per Chriſtum in Chtiſtianos exercet. Docemur Chriſto ſerviendum eſſe, & per Chriſtum Deo. Quis enim Domino & Regi ſuo non ſerviat? qui cum à Deo Rex & Dominus nobis datus ſit, quis non intelligat, illi ſerviendo, ipſi Deo ſerviri, & omnem Chriſti cultum in Dei cultum tendere?

Acceptus Deo, εὐάρεστος τῷ Θεῷ. Intellige eſt, valde placet Deo, proinde verum Regni Dei effectum in ſe exhibet. Deus enim idque per Chriſtum in homines regnat, ut eos ſibi quam maxime placentes efficiat. Iterum Deum nominat, ut Chriſtum ad Deum referri oſtendat.

Et probatus hominibus. Id eſt & probatur hominibus, omnes homines illum probant, laudant, amant, quod etiam Deus in Chriſti regno quærit. Chriſtianorum nimirum mores & ſibi maxime placere, & ſimul ab omnibus hominibus probari vult, quo omnes homines, quantum in ſe eſt, Chriſtiani ad veritatem & fidem Chriſtianam alliciant & perducant. Innuit Apoſtolus non illos Deo placere & hominibus pariter probari, qui ſibi in edendo & bibendo indulgent, nec ſuæ libertati ex aliorum uſu ac bono moderantur, non qui per ritus ac ceremonias religionem exercent. Poſſunt illi multis hominibus probari, ſed non omnibus, præſertim ſapientibus, & ſi hominibus probentur, non placebunt Deo. At qui juſtitiam, qui pacem ſancte & religioſe colunt, non poſſunt niſi & Deo valde accepti eſſe, & ab omnibus hominibus vehementer probari.

Verſ. 19. *Ergo igitur quæ pacis ſectemur, & quæ ædificationis aliorum in alios.* Infert hoc monitum præceptum ex ſuperioribus.

Ergo igitur. Quandoquidem pacem ſectari res tam placens Deo eſt, & tam probatur ad hominibus.

Quæ pacis. Intellige ſunt, id eſt quæ ad pacem faciunt, qualia non ſunt damnare vel contemnere alios.

Sectemur. Quaſi dicat: neque ego me exceptum volo, ſectemur omnes, non patiamur quidquam nobis elabi unquam eorum quæ ad pacem efficiendam, augendam, promovendam & conſervandam pertinent, omni contentione ea perſequamur; proinde pacis cauſa cuncta faciamus & patiamur. Maximum bonum conſequemur pacem, cujus comparatione omnia diſpendia pro nihilo ſunt.

Et quæ ædificationis. Intellige ſunt, id eſt quæ ad ædificationem pertinent. Ædificari, per metaphoram, dicuntur, qui ad fidem in Chriſtum adducuntur, in ea confirmantur, augentur, & in omnibus ejus effectis juſtitia, pace, charitate, ſanctitate, ſine quibus fides inanis eſt & irrita, majora ſubinde ſumunt incrementa. Hæc igitur ſectari jubemur omnia quæ iſtorum efficiendorum vim aliquam habent.

Aliorum in alios, τὰ εἰς ἀλλήλους. Hæc verba & ad pacem & ad ædificationrm referri poſſunt. Magnum eſt ea ſectari quæ ad pacem cum aliis & ædificationem aliorum pertinent, idque noſtri omnino eſt officii; ſed multo majus eſt & nobis magis incumbit, ut ea ſectemur quæ ad pacem & ædificationem mutuam inter nos ſeu Chriſtianorum invicem ſpectant & faciunt. Quid enim turpius & magis pernicioſum ſit, quam ſi Chriſtiani, tot ſanctiſſimis vinculis connexi, inter ſe diſcordent & bella gerant, alii alios damnent, contemnant, alii alios non ædificent, ſed deſtruant ac diruant? Quod proh dolor! extincta pridem veritatis, & ejus quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ luce, inter Chriſtianos à tot jam ſeculis fieri videmus. Εἰς ἀλλήλους pro εἰς ἀλλήλους, id eſt quæ pacis & ædificationis ſunt mutuæ.

Verſ. 20. *Ne propter cibum deſtrue opus Dei. Omnia quidem pura, ſed malum homini qui per offendiculum edit.* Generali præcepto ſubjungit ſpeciale ad rem qua de agitur ſpectans, converſa ad Chriſtianum quemlibet oratione: quaſi dicat, quandoquidem alii alios ædificare debemus.

Ne propter cibum deſtrue opus Dei. Propter cibum, ἕνεκεν βρώματος, cibi cauſa, ut eum ſcilicet comedas.

Deſtrue, κατάλυε. Diſſolve, tu Chriſtiane quiſquis es.

Opus Dei. Id eſt fratrem, hominem Chriſtianum ſalutis reſpectu ne deſtrue. Per metaphoram loquitur Apoſtolus, diſſolutionem operis ſeu ædificii Dei opponens ædificationi. Eſt enim Chriſtianus fidei ſuæ, & ejus quæ fidem conſequitur, pietatis reſpectu, Dei opus, Dei ædificium, quod Deus ipſe magna cura per verbum ac ſpiritum ſuum effecit &

cit & conſtruxit: hoc diſſolvit & deſtruit, quiſquis facit ut Chriſtianus peccet, vel à fide in Chriſtum deficiat. Dei hoc opus diſſolvere quacunque de cauſa impium eſt, quanto magis illud diſſolvere ac deſtruere cibi alicujus cauſa, à quo abſtinere res adeo levis eſt, ut propter eam ne tantillum quidem nobis depereat; cum tot alii cibi ſuperſint, quibus ſine ullo offendiculo & ſcandalo poſſimus refici? Diſſolvit autem Dei opus, quantum in ſe eſt, quiſquis id facit ex quo diſſolutio & deſtructio operis Dei facile ſequi poſſit, quamvis effectus ipſe aliunde impediri poſſit. Nam & contriſtare fratrem, ut vidimus verſ. 15, eodem tendit.

Omnia quidem pura. Occupat objectionem prætendentium omnia eſſe pura, ideoque nullius uſu interdicendum eſſe ſub Novo Fœdere. Reſpondet Apoſtolus omnia quidem eſſe pura, ſed nihilominus malum eſſe homini, qui per offendiculum edat. *Omnia pura.* Id eſt omnis cibus & potus per ſe purus & mundus eſt, & per Chriſtum pro mundo declaratus. Vox *omnia* ad ſubjectam materiam reſtringenda eſt. Agitur autem & in antecedentibus & in ſequentibus de cibo & potu, eorumque uſu. *Pura*, quatenus nullus cibus & potus per ſe hominem eo utentem coram Deo immundum & pollutum facit. Olim ſub Lege, propter Dei interdictum, multa erant immunda; nunc Deus interdictum iſtud per gratiam à Chriſto publicatam ſuſtulit, proinde & omnis cujuſcunque cibi & potus immundities ſublata eſt.

Sed malum, intellige eſt, id eſt noxium, malè erit, male expetet, *homini qui per offendiculum.* Id eſt cum offendiculo, *per* pro cum, cum offendiculo nimirum fratris infirmi, *edit:* non cibus ipſe per ſe malum & noxam edenti afferet, ſed quod illum ederit cum fratris infirmi offendiculo, id eſt malo & noxa.

Verſ. 21. *Bonum non edere carnem neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offendit aut ſcandalizatur, aut infirmus eſt.* Per contrarium rem illuſtrat & amplificat. *Bonum*, intellige eſt, id eſt res eſt bona & utilis, & ſingulare præmium à Deo habitura.

Non edere carnem, neque bibere vinum. Neque, intellige, aliquem alium cibum & potum edere & bibere, aut aliud aliquid facere.

In quo, id eſt per cujus uſum, *frater tuus*, id eſt Chriſtianus, *offendit*, id eſt ad peccatum adducitur, *aut ſcandalizatur.* Id eſt à fide in Chriſtum plane recedit, vel eccleſiam Chriſti deſerit. Etſi enim ſcandalum etiam id ſignificat, ad quod aliquis eundo offendit vel impingit, ut in illo Eſaiæ dicto lapis offendiculi & petra ſcandali; vox tamen ſcandali hoc ſenſu cum voce προσκόμματος, offendiculi, conjuncta, quod & iſto fit in loco, graviorem oſtenſam & læſionem deſignat, quam vox προσκόμματος. Unde etiam ab ipſo Chriſto de iis qui deficiunt à fide, uſurpatur Matthæi xiij. 21.

Aut infirmus eſt. Id eſt aut in cujus cibi vel potus uſu infirmam habet fidem. Ideo dicere maluit Apoſtolus ἐν ᾧ, *in quo*, quam δι' ὃ, per quod, ut convenienter omnibus tribus membris loqueretur. Significat Apoſtolus, etiamſi frater nec offendat ſeu impingat, nec ſcandalizetur per cibi aut potus alicujus uſum, ſi tamen fidem habeat infirmam, bonum eſt rationem illius habere, & cibo ac potu iſto non uti, cum facile res ad offendiculum & ſcandalum ex hac infirmitate devenire queat. Non dicit Apoſtolus ſimpliciter & abſolute bonum eſſe carnes non edere & vinum non bibere, quid enim in eo per ſe foret boni? Sed bonum eſſe, ſi id fiat in gratiam fratris, ne inde offendiculum & ſcandalum ob ſuam infirmitatem capiat.

Verſ. 22. *Tu fidem habes, apud temetipſum habe coram Deo; beatus qui non judicat ſeipſum in eo quod probat.* Iterum occupat objectionem. Poterat aliquis dicere: Etſi frater eſt infirmus, at ego infirmus non ſum, ego fidem habeo, & certo ſum perſuaſus cibum iſtum ac potum, ut & omnem alium, eſſe mundum. Cur ergo meo non utar jure?

Tu fidem habes., reſpondet Apoſtolus, *apud temetipſum habe, coram Deo.* Quaſi dicat, quid opus eſt ut hanc fidem facto oſtentes, cum offendiculo, & ſcandalo conjuncto? Sufficit quod ipſe tibi fidei iſtius ſis conſcius, & Deus. *Apud temetipſum*, id eſt penes te, vel in teipſo habe, *coram Deo*, qui inſpector & teſtis eſt cordium & animorum, proinde & fidei, pro qua à Deo præmium exſpecta. Non agitur hic de fide qua Jeſum credimus eſſe Chriſtum. Hæc enim neceſſario confitenda eſt ad ſalutem cap. x. 9, 10.

Beatus qui non judicat &c. Docet quam bonum ſit hanc fidem habere. *Beatus*, intellige eſt, quia tranquillam hac in parte habet conſcientiam, & eſt extra Dei pœnam ac damnationem: *qui non judicat ſeipſum*, id eſt non damnat,

In eo quod probat. Ἐν ᾧ δοκιμάζει pro ἐν τῷ ὃ δοκιμάζει, per ellipſin. Similem infra vide cap. xv. 18. id eſt ob id quod probat, facto nimirum ſuo. Intellige autem in rebus, quæ ſua natura & per ſe ſunt adiaphoræ, id eſt quæ fieri & non fieri citra peccatum poſſunt; de talibus enim hic agitur. Nam alioquin quid juvaret neſcio, quæ fides in iis quæ per ſe mala & vitioſa ſunt? Qui veritatis divinæ profeſſores perſequuntur & occidunt, multi firmiter credunt ſe rem optimam & Deo gratiſſimam facere; ſed an illos hæc tam impia & perverſa fides proteget, aut etiam beatos faciet? Apage cum fide in rebus falſis ac malis, quæ ipſa per ſe pœnam meretur, tantum abeſt ut aliquem, ejus ductum ſecutum, extra pœnam ponere, aut etiam beatum queat reddere.

Verſ. 23. *Qui vero dubitat, ſi edat, damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod non ex fide, peccatum eſt.* E contrario docet quam malum ſit hac fide carere. *Qui vero dubitat*, ὁ δὲ διακρινόμενος, qua ſignificatione Jacobus eandem vocem uſurpat cap. 1. verſ. 6, intellige, dubitat an recte faciat, annon peccet.

Si edat. Nempe animi dubius & incertus, an in eo non peccet.

Damnatus eſt. Id eſt damnationi divinæ ſeſe obnoxium reddidit, damnari meruit. Effectum juris ponit pro ipſo jure. Etſi enim rem fecit per ſe & natura ſua non malam, quia tamen eam fecit dubitans an mala non eſſet, eo ipſo rem fecit malam & ejuſdem criminis tenetur, quo teneretur ſi rem per ſe malam feciſſet.

Quia non ex fide. Intellige edit. Confirmat aſſertum, quia qui dubitans aliquid edit, non ex fide edit, id eſt non ex firma animi perſuaſione, nullum in eo

Qq 3 per ſe

per ſe peccatum eſſe, fides enim & dubitatio inter ſe opponuntur.

Omne vero quod non ex fide &c. Concludit argumentum. *Omne*; non tantum eſus cibi alicujus, ſed quidquid aliud quamvis ſua natura & per ſe indifferens ſit. *Quod non ex fide*, intellige fit vel agitur, ex fide nimirum quam diximus.

Peccatum eſt. Id eſt naturam peccati induit, nec minus pœnæ divinę obnoxium eſt quam ſi per ſe peccatum eſſet. Quæri hic poſſet, an qui primi eccleſiam reformare & à variis abuſibus repurgare cœperunt, non debuerint propter infirmorum ſcandalum abſtinentiam à carnibus aliiſque cibis, diebus huic abſtinentiæ dicatis retinere, à tot ſeculis in eccleſia receptam? Reſpondeo quandoquidem abſtinentia iſta ex hominum inſtituto, non ex divina Lege originem habuit, recte fecerunt quod eam ex eccleſia eliminarint. Nam ſi Chriſtianæ libertati ceſſerunt inſtituta divinæ Legis, quanto magis conveniebat ut eidem cederent inſtituta hominum? Tanto vero magis quod obeſſent veræ ſanctitati & pietati, dum in externis iſtis homines hærent, inque iis partem ſanctitatis collocant, & compenſationem quandam ac ablationem vitiorum, quibus dediti ſunt. Itaque homines ad libertatem & veram ſanctitatem Chriſtianam vocandi erant. Cæterum ſi qui cum hac abſtinentiæ religione eccleſiæ Reformatæ nomina darent, æquum omnino eſſet infirmitatis ipſorum habere rationem, quæ tamen Chriſtianæ libertati & veræ ſanctitati nullum præjudicium ac detrimentum afferat. Idem dicimus ſi ſpes ſit alicujus hac ratione lucrandi aut ædificandi, aut ſi periculum ſit, ne alioquin ad ſuſcipiendam veritatem propenſus, ſcandalizetur & animum ab ea avertat. *Cibus enim nos non commendat Deo: neque enim ſi edamus abundamus, neque ſi non edamus deficimur* 1 Cor. viij. 8, & quæ aliæ ſunt rationes ab Apoſtolo ſuperius aleatæ, quæ huc quoque referri poſſunt.

CAPUT XV.

Verſ. 1. D*Ebemus autem nos qui firmi ſumus infirmitates infirmorum portare, & non nobisipſis placere.* Monet Apoſtolus non ſatis eſſe quod nos ipſi fidem habeamus & firmi ac robuſti ſimus, ſed æquum ac opus eſſe ut nos firmi & robuſti infirmorum ac debilium infirmitates portemus.

Debemus autem. Ex charitatis fraternæ officio.

Nos qui firmi ſumus, οἱ δυνατοί. Potentes, robuſti, qui fidem habemus firmam in adiaphoris,

Infirmitates infirmorum portare. Id eſt æquo animo ferre debilium, & hanc fidem non habentium *infirmitates*, cum ſcilicet abſtinent à rebus natura ſua licitis, & ut ipſorum infirmitati ſuccurramus, etiam ipſi ab iis quandoque abſtinere. Sic enim partem oneris ipſorum in nos recipiemus.

Et non nobisipſis placere. Per negationem contrarii idem monitum effert. Sibiipſis placere dicuntur, per metonymiam effecti pro cauſa, qui ſibi ipſis indulgent & morem gerunt; nullo aliorum reſpectu.

Verſ. 2. *Unuſquiſque enim noſtrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.* Rem contrariam præcipit, per modum rationis & cauſæ. *Unuſquiſque noſtrum*, etiam ego ipſe.

Proximo. Id eſt fratri, ex Legis uſu, in qua proximus, frater, amicus, ſunt ἰσοδυναμοῦσι: Apoſtolus enim hic de fratribus, id eſt de Chriſtianis loquitur, ut vidimus, non excluſis tamen & aliis hominibus, quoties illorum ædificandorum ſpes ſit. *Placeat*, id eſt, morem gerat & obſequatur.

In bonum. Limitat iſtud placere, nimirum ut ſit in bonum, non in malum proximo.

Ad ædificationem. Exprimit iſtud bonum, ut ſcilicet proximus ædificetur, id eſt in fide, charitate, ac pietate Chriſtiana confirmetur & incrementa ſumat, vel etiam ſi extra Eccleſiam ſit, ad eam adducatur.

Verſ. 3. *Nam & Chriſtus non ſibiipſi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, opprobria opprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Chriſti exemplo præceptum ſuum confirmat. *Nam & Chriſtus*, Dux & caput noſtrum, quem imitari, & cujus veſtigiis inſiſtere debemus,

Non ſibiipſi placuit. Id eſt non ſibi ipſi indulſit & morem geſſit.

Sed ſicut ſcriptum eſt. Nempe Pſalmo LXIX verſ. 10.

Opprobria &c. Mutat perſonam tertiam in primam propter Scripturæ ipſius, quæ citat, verba; in quibus David Chriſti typum gerens, & ſic ſub Chriſti perſona ſenſu myſtico, de ſe loquitur. Dicit opprobria ſuper ſe cecidiſſe tanquam onus quoddam valde grave. Unde apparet quod ſibi ipſi morem non geſſerit, nec ſuæ voluntati fuerit obſecutus; alioquin enim operam dediſſet, ut opprobria ac vituperia hominum evitaret. Tacite ſignificat Apoſtolus Chriſtianos non debere curare opprobria Gentium quibus exagitabant Judæos, quod à cibis variis abſtinerent, proinde ut ea effugerent, non debere ſua Chriſtiana libertate uti cum offendiculo & ſcandalo & contriſtatione fratrum infirmorum ex Judaiſmo ad Chriſtum converſorum, ſed una cum illis, & in illorum gratiam ac ædificationem, ſi ſit opus ac res ferat, opprobriis iſtis communicare.

Opprobrantium tibi. Exprimit quorum hominum, proinde & quę opprobria ſuper ſe ceciderint, non hominum bonorum & Dei timentium, ſed hominum Dei inimicorum & adverſariorum, ideoque non opprobria quæ ipſe culpa ſua eſſet commeritus, ſed quæ omnia in Deum referantur, nec ob alia fiant quam ob ea quæ ipſe ex Dei voluntate ac præcepto faciat. Magno nobis debet eſſe ſolatio in probris, quæ ut Chriſtiani patimur, graviſſimis, quod hæc probra non in nos, ſed in Deum ipſum ac Chriſtum jaciantur, quodque non tam nos patiamur, quam Deus & Chriſtus in nobis, in quem impii quia incurrere non poſſunt, in nos propter ipſum incurrunt. *Tibi*, id eſt tibi ô Deus, quem David ſub Chriſti perſona, ſenſu myſtico, alloquitur.

Verſ. 4. *Quæcunque enim ante ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Rationem affert cur veteris Scripturæ dictum citet, ne quis exiſtimet

timet olim ſcripta ad ſe non pertinere. Negat hoc Apoſtolus, & aſſerit omnia quæ *ante*, id eſt olim *ſcripta* & literis mandata ſint, in ſacro nimirum volumine,

Ad noſtrum doctrinam. Id eſt docendi noſtri cauſa jam olim ſcripta ac literis eſſe mandata. Voluit nimirum Deus hæc memoriæ prodi, ut Chriſtiani, Dei populus perfectiſſimus, haberent unde doctiores fierent, & in rebus ad ſalutem pertinentibus erudirentur.

Ut per patientiam. Exprimit quid potiſſimum nos docere, & quibus rebus nos imbuere velit Scriptura. *Ut per patientiam*, id eſt patiendo omnia quæ nobis Deo ſervientibus incidunt adverſa.

Et conſolationem. Id eſt ſolatia in adverſis varia capiendo. *Scripturarum*, id eſt quæ Scripturæ abunde ſuggerunt ac ſuppeditant, per genitivum cauſæ, quorum & hoc non poſtremum eſt, injurias noſtras non noſtras eſſe, ſed Dei ipſius, & probra quibus imperimur eorum eſſe qui in nobis Deum probris afficiunt.

Spem habeamus. Nimirum non liberationis tantum malis ex omnibus, ſed & certiſſimi & maximi præmii. Effectum notat & patientiæ noſtræ & conſolationis Scripturarum, qui eſt ſpes certiſſima, quam diximus.

Verſ. 5. *Deus autem patientiæ & conſolationis det vobis idem ſentire inter vos ſecundum Chriſtum Jeſum.* Præceptis ac moniris addit votum: quaſi dicat, vos quidem ſic facite, *Deus autem det vobis &c.*

Deus patientiæ. Deſcribit Deum ab effectis rei propoſitæ ſervientibus, Deus qui cultoribus ſuis eſt auctor patientiæ, dum non tantum permittit ut adverſis impetantur, in quibus patientiam ſuam exerceant & oſtendant; ſed etiam facit, ne adverſis cedant, eaque conſtanter perferant. Cujus rei illuſtre exemplum, hiſtoria Jobi, & omnium piorum, imprimis Chriſti ipſius, nobis ſuppeditat. Pertinent huc Jacobi verba cap. v. 10, 11.

Et conſolationis. Alter effectus ex quo Deum deſcribit, quod ſimul ſit & auctor conſolationis. Permittit quidem ſuos affligi & malis affici, ſed præſto ſemper eſt cum ſuis divinis ſolatiis, quibus patientiam illorum ſuſtentat, & acerba omnia reddit dulcia: quod & Apoſtolus in ſeipſo expertus eſt 2 Cor. j. 3, 4, 5.

Det vobis &c. Hoc eſt quod ipſis vovet, nempe ut omnes inter ſe idem ſentiant, ne ex ſententiarum diverſitate exoriantur diſcordiæ, diverſa facta, & conſequenter oſtendicula & ſcandala, maximo cum eccleſiæ & gloriæ divinæ detrimento. Dat hoc Deus per verbum & ſpiritum ſuum, accipere volentibus, & Dei gloriam magis quam propriam, publica commoda quam privata, ſalutem æternam quam præſentia & caduca bona amantibus.

Secundum Chriſtum Jeſum. Non ſimpliciter illis eundem ſenſum vovet ac precatur, ſed verum, & qui ſit ſecundum Chriſtum Jeſum, qui ſit conformis & conſentaneus Chriſto Jeſu, quem Chriſtus Jeſus approbet, qui cum ipſa veritas ſit, nullum falſum ſenſum, de rebus præſertim ad religionem ſpectantibus, approbare poteſt.

Verſ. 6. *Ut unanimiter in uno ore glorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Finem & effectum voti iſtius ſui exprimit. *Ut unanimiter*, ὁμοθυμαδὸν, non ſciſſi in partes, *in uno ore*, id eſt uno ore. Particula *in* ex Hebræorum idiotiſmo redundat, ut cap. x. 9.

Uno ore. Id eſt uno eodemque ſermone. Os ponitur pro ſermone, per metonymiam cauſæ.

Glorificetis Deum. Id eſt laudes Deo dicatis. Deum illum unum intelligit.

Et Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Exprimit quis ſit unus ille Deus, non alius quam Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater. Diſtinguitur enim à Jeſu Chriſto.

Verſ. 7. *Propter quod ſuſcipite alii alios, ſicut & Chriſtus ſuſcepit nos in gloriam Dei.* Redit ad monitum. Non ſatis eſt monuiſſe ſemel juvat uſque morari.

Propter quod. Nempe in ſuperioribus explicatum. Intelligit id omne, quod ad hoc perſuadendum in ſuperioribus attulit.

Suſcipite alii alios. Id eſt pro fratribus ducite & complectimini invicem, quamvis circa ciborum ac dierum obſervationem aliqua ſint inter vos ex Lege profecta diſcrimina.

Sicut & Chriſtus. Exemplum Chriſti affert, qui nobis idipſum, imo id quod multo majus eſt fecit.

Suſcepit nos. Id eſt & Judæos & Gentes.

In gloriam Dei. Id eſt in conſortium gloriæ divinæ, quæ cæleſti & æterna beatitate continetur, nos admiſit.

Verſ. 8. *Dico autem Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis pro veritate Dei, ut firmaret promiſſiones patrum.* Ne videretur aſſeruiſſe parem omnino hac in parte Gentium & Judæorum fuiſſe conditionem, explicat dictum ſuum.

Dico autem. Ne quis mea verba ſequius accipiat, & ne quiſquam ex Gentibus ob ſuam firmitatem infletur.

Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis. Id eſt circumciſorum qui ſunt Judæi, ſubſtantivum pro adjectivo. Miniſter illorum fuit Chriſtus Jeſus, quatenus ad illos Apoſtolum Dei egit, iis Euangelium prædicavit, eorum ad ſe, & conſequenter ad Deum, converſioni operam omnem ac denique vitam ſuam impendit.

Pro veritate Dei. Id eſt in rem & uſum veritatis divinæ. Veritas Dei pro veracitate Dei ponitur.

Ut firmaret &c. Explicat quo pacto pro Dei veritate, ut ſcilicet firmaret ſeu ſtabiliret, effectum nimirum præſtando & exhibendo.

Promiſſiones patrum. Id eſt promiſſiones Dei, patribus Judæorum datas, per genitivum objecti, de mittendo Meſſia cum Euangelio.

Verſ. 9. *Gentes autem pro miſericordia glorificarent Deum: ſicut ſcriptum eſt. Propter hoc confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo cantabo.* Hinc eſt diſcrimen inter Judæos & Gentes, quod Judæi jus habuerint venturi Meſſiæ ex promiſſionibus divinis, quibus ſeſe patribus Judæorum obligavit, profectum. Gentibus autem nullis promiſſionibus ſeſe Deus obſtrinxerat; ſola miſericordia Dei effecit, ut & illis Euangelium ſit allatum. Quod ſane Judæorum ſingularem omnino prærogativam continet, de qua capp. j. 11. iij. actum eſt. Sed tamen & Judæi, & Gentes in Dei gloriam

gloriam & regnum à Chriſto ſuſcepti ſunt; quamvis utrique multo minus digni eſſent ſuſcipi, quam ulli ut ab aliis in ſrarrum numerum & ejuſdem Eccleſiæ ſuſcipiantur conſortium. Gentes vero, quæ ſola Dei gratia & miſericordia ſuſceptæ ſunt, minime omnium Judæos infirmos arcere debent ab eccleſia, quibus ſolis jus fuit eccleſiæ.

Sicut ſcriptum eſt (Pſal.xviij. 50.) Docet miſericordiam Gentibus, Scripturis convenienter obveniſſe, ſeu id futurum in Scriptura prædictum eſſe, ut Gentes tanto magis confirmarentur in fide Euangelii, videntes non hominum arbitrio, ſed divina voluntate & conſilio jam olim in Scripturis prænunciato, Euangelium ſibi allatum eſſe.

Propter hoc confitebor. Primum Scripturæ quod allegat teſtimonium hoc eſt, in quo Propheta prædicit, fore ut Deus laudetur in Gentibus. *Confitebor tibi.* Id eſt laudes tibi dicam. Vide cap.xiv. 11.

In Gentibus. Id eſt inter Gentes, in media Gentium eccleſia, quod per Jeſum Chriſtum evenit, tot Gentium eccleſiis factis.

Et nomini tuo. Id eſt tibi. Nomen Dei pro ipſo Deo. *Cantabo*, celebrando tuas virtutes & opera ac beneficia ingentia. Laudibus enim Deo dicendis maxime locus eſt in Eccleſia & piorum congregatione Hebr.2. 12. Epheſ.iij. 21.

Verſ. 10. *Et rurſum dicit; Lætamini Gentes cum populo ejus.* Alterum Scripturæ dictum citat, quo alloquitur & monet Gentes Propheta, ut cum populo Dei lætentur Deuter.xxxij. 43. Quamobrem vero? niſi quod ejuſdem gratiæ ac beneficii divini factæ ſint participes, quod ſimiliter per Jeſum Chriſtum evenit.

Verſ. 11. *Et rurſus;* (Pſal.cxvij. 1) *Celebrate Dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi.* Tertium Scripturæ dictum, quo Gentes omnes excitantur ad laudes Deo dicendas: quam vero aliam ob cauſam, niſi quod per Meſſiam ad communionem cæleſtium bonorum vocatæ ſint? vide ꝟſ.29.

Verſ. 12. *Et rurſum Eſaias dicit;* (Eſai.xi.12.) *Erit radix Jeſſe, & qui exſurgit, dominabitur Gentibus, in ipſo Gentes ſperabunt.* Quartum ex Eſaia producit teſtimonium, quo prædicitur fore ut Meſſias dominetur Gentibus, & Gentes in eo ſpem collocent, quod itidem in Jeſu Chriſto impletum eſt.

Erit, id eſt exorietur, *radix Jeſſe.* Id eſt ſurculus ex radice Jeſſe, per metonymiam cauſæ, cujus ſurculi radix dicitur Jeſſe, per genitivum ſpeciei ſeu differentiæ, radix quæ eſt Jeſſe, qui fuit Davidis Regis pater, & conſequenter Chriſti ſecundum carnem.

Et qui exſurgit. Id eſt exſurget, per enallagen temporis, ſurculus nimirum ille qui eſt Meſſias.

Ut dominetur Gentibus. Ἄρχειν ἐθνῶν, ex verſione LXX interpretum; proinde dominabitur Gentibus tanquam Rex & Dominus omnium Gentium à Deo effectus. Hebræus textus habet: *In vexillum Gentibus.* Ad quod ſcilicet Gentes concurrant, cui ſe addicant, ſub quo vincant omnes ſuos hoſtes, Diabolum, peccatum, mortem, infernum. Interpretes Græci expoſuerunt metaphoram.

In ipſo Gentes ſperabunt. Tanquam in ſuo Rege ac Domino cæleſti & immortali, omnemque in cælo & in terra poteſtatem ex Dei gratia ac dono adepto Matth.xxviij. 18. Ita prædicitur fore, ut Gentes, ſicut ad eandem ſpem in Meſſia cum Judæis, ſic etiam ad eundem ſpei iſtius effectum pertineant: ἐπ' αὐτῷ, *in ipſo*, vel ſuper ipſo ſpem ſuam defigent. Intelligitur autem ſpes ſalutis, ejuſque æternæ.

Verſ. 13. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe, in virtute Spiritus Sancti.* Iterum monito ſubjungit & alternat votum Apoſtolus.

Deus ſpei. Per genitivum effecti, Deus qui auctor eſt ſpei, nempe iſtius de qua loquor & Propheta cecinit, quæ veſtra ſpes eſt.

Repleat vos. Πληρώσαι ὑμᾶς, per infinitivum, more Græco.

Omni gaudio. Nempe ex ſpe ſalutis æternæ proveniente.

Et pace. Ne ullæ ſint inter vos diſſenſiones, ulla diſſidia, ullæ damnationes, ulli contemtus.

In credendo, ἐν τῷ πιστεύειν. Exprimit qua in re maxime pacem omnem illis voveat, in credendo videlicet, ne in credendo ullis diſſenſionibus ac diſſidiis laborent, aut ob diſſenſum aliquem in fide alii alios damnent vel contemnant, multo vero minus oderint & perſequantur; ut omnium ſit eadem in omnibus fides. Loquitur autem de fide ad religionem Chriſtianam pertinente. Hanc pacem ô utinam omnibus Chriſtianis det Deus!

Ut abundetis, εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς, *in ſpe.* Effectum pacis in credendo notat, abundantiam ſpei. Difficile enim eſt ut ſpe abundent, qui pacem, in fide præſertim, cum aliis non colunt, qui fidei cauſa ſeſe invicem vel condemnant vel contemnunt, quique veritati cedere nolunt. Spe abundare non poſſunt, niſi qui fide primum, deinde charitate & fidei ac charitatis fructibus abundant, inter quos non poſtremo loco pax eſt Gal.v.22.

In virtute Spiritus Sancti. Medium exprimit per quod Deus omni gaudio ac pace ſuos repleat. *In virtute*, id eſt per virtutem, efficaciam, potentiam, *Spiritus Sancti*, id eſt afflatus ſui ſancti, cui afflatui virtus ineſt divina & admirabilis, ad omnia ſancta in nobis efficienda, quæ Deus velit, ob quam etiam ipſe Spiritus Sanctus ſeu afflatus Sanctus virtus & δύναμις appellatur.

Verſ. 14. *Perſuaſus ſum autem fratres mei & ipſe ego de vobis, quod & ipſi pleni eſtis bonitate, repleti omni cognitione, qui poſſitis & alii alios admonere.* Quaſi dicat: quamvis vos admoneam, non ex aliqua de vobis diffidentia tam ſolicitus ſum de vobis, & monita & vota mea ſubinde iterando. *Fratres mei.* Amor id facit veſtri, quo vos tanquam fratres meos in Chriſto chariſſimos complector.

Et ipſe ego. Non alii tantum Chriſti ſervi, ſed & ego ipſe. *De vobis.* Qua in re eſſet iſta de ipſis fiducia & perſuaſio ſtatim declarat, addens,

Quod & ipſi pleni eſtis bonitate &c. Quod & ipſi veſtra ſponte, ſine meis monitis, *pleni eſtis bonitate.* Non reſtat in vobis locus bonitate aliqua vacuus. Cui enim adhuc aliqua pars bonitatis deeſt, nondum eſt plenus bonitate: impletur bonitate quiſquis bonitatis omnes partes, omnes ſpecies habet. Vocem bonitatis ἀγαθωσύνης, hic late accipit Apoſtolus de omni virtute ſeu bona actione.

Repleti

Repleti omni cognitione. Nec ad cognitionem & ſcientiam vobis quidquam deeſt, quæ bonitatis eſt directrix.

Qui poſſitis & alii alios admonere. δυνάμενοι, per participium. Adeo vos omni ſcientia repletos confido, ut monitore non egeatis, ſed poſſitis etiam alii alios admonere ſi ſit opus.

Verſ. 15. *Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam commonefaciens vos, propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo.* Ne quis dicat, cur ergo nobis ſcripſiſti? Hoc, inquit, fecit mea audacia. *Fratres,* Opportune iterum hanc appellationem ingerit, ſuum amorem ſubinde conteſtans, & ſimul quem iis habebat honorem. Magnum enim eſt à tanto Apoſtolo titulo fratris honorari, & decet fratres inter ſe confidenter & audacter agere. *Ex parte,* ἀπὸ μέρους: quaſi dicat, non tamen modeſtiæ metas, ut puto, exceſſi, quadantenus audacia ſum uſus.

Tanquam commonefaciens vos, ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς. Nihil novum vos docere volui, ſed tantum vobis veluti in memoriam revocare quæ jam ſcitis. Solent enim interdum effluere ex memoria neceſſaria quædam & utilia, quæ in memoriam alicui revocare magni ſit beneficii.

Propter gratiam &c. Cauſam affert cur etiam hoc ſibi ſumſerit. *Per gratiam* intelligit munus Apoſtolicum, per metonymiam cauſæ: quaſi dicat, propter munus Apoſtolicum, quo nullum in eccleſia erat majus ac præſtantius. Sola enim Dei gratia effecit, ut ipſi, & quidem primo peccatori, tantum munus committeretur 1 Tim. j. 12, 13 & ſeqq.

Quæ data eſt mihi à Deo. Ne quis exiſtimet me munus Apoſtoli ſine Dei ad id vocatione & gratia mihi arrogare, quod ſunt qui dicant, ut Euangelium meum in dubium vocent; ſed fruſtra ſunt.

Verſ. 16. *Ut ſim miniſter Jeſu Chriſti, in Gentes, operans Euangelium Dei, ut ſit oblatio Gentium plane accepta, ſanctificata in Spiritu Sancto.* Exprimit hanc gratiam ſeu munus ex gratia à Deo ſibi commiſſum; εἰς τὸ εἶναί με, per infinitivum, λειτουργόν, quæ vox ſignificat miniſtrum publicum.

Jeſu Chriſti in Gentes, id eſt ad Gentes, *operans Euangelium Dei.* Docet qualis ſit miniſter publicus Jeſu Chriſti, operans, inquit, Euangelium Dei, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, id eſt id agens quod ad ſacrum opus, Euangelii ſcilicet prædicationem & Gentium converſionem pertineat.

Ut ſit oblatio Gentium plane accepta, εὐπρόσδεκτος. Ne quis diceret. Arqui ſunt alii Euangelii inter Gentes præcones, qui etiam nos Romanos converterunt, ideoque tua opera non adeo erat neceſſaria. Datum eſt, inquit, munus hoc mihi à Deo, ut ſit oblatio Gentium plane accepta. *Oblatio Gentium* reſpicit ad participium ἱερουργοῦντα, quod de iis dicitur qui ſacris operantur & oblationes peragunt. Intelligit autem Gentium converſionem, quæ ad fidem Euangelii adductæ, Deo fiebant oblatio.

Plane accepta. Nempe Deo.

Sanctificata in Spiritu Sancto. Exprimit qua ratione Gentium oblatio εὐπρόσδεκτος. *plane accepta* fiat Deo, proinde qua in re opera ſua ſit neceſſaria, ut ſcilicet Gentes ad fidem Euangelii converſæ ſanctificenter inſuper in Spiritu Sancto, tum enim demum fiunt oblatio plane accepta Deo. Sanctificabantur autem in Spiritu Sancto, cum Spiritum Sanctum cælitus accipiebant, quem nonniſi per manuum Apoſtolicarum impoſitionem, aut nonniſi Apoſtoli alicujus interveniente prædicatione poterant accipere, Paulo igitur munus Apoſtolicum ad Gentes erat demandatum, ut non tantum Gentes ad fidem Euangelii converteret, ſed etiam converſas ſanctificaret. *In Spiritu Sancto,* id eſt per Spiritum Sanctum, qui Gentibus converſis Apoſtoli interventu communicabatur. Quanquam & illi qui Romanos converterant, forte ex Apoſtoli comitatu erant, illius cooperarii adminiſtri.

Verſ. 17. *Habeo igitur gloriationem in Chriſto Jeſu in iis quæ ad Deum pertinent.* *Igitur,* quia ſum verus Chriſti Apoſtolus, *habeo gloriationem,* id eſt de quibus glorier, opera ſcilicet & facta admiranda, per metonymiam effecti pro cauſa.

In Chriſto Jeſu. Id eſt per Chriſtum Jeſum, per gratiam ac potentiam ejus. Ideo ad ipſum redit omnis gloria.

In iis quæ ad Deum pertinent. Τὰ πρὸς θεόν. Græco more, per ellipſin duplicem: quaſi dicat, eorum reſpectu, ſeu ſecundum ea quæ ad Deum pertinunt. Loquitur enim de rebus ad Deum ſpectantibus ſeu divinis, non humanis.

Verſ. 18. *Non enim audebo loqui aliquid eorum quæ non perfecit Chriſtus per me in obedientiam Gentium ſermone & opere.* Confirmat quod dixit: quaſi dicat, non enim audebo mentiri & de iis gloriari quæ per me Chriſtus non perfecerit.

Loqui aliquid eorum quæ non perfecit, λαλεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο, Græca phraſi (ſimilem vide cap. XIV. 22) *Chriſtus per me.* Non ſibi ſed Chriſto omnia tribuit, ſe tantum Chriſti inſtrumentum facit.

In obedientiam Gentium. Id eſt eo fine ut ad obedientiam Euangelii Gentes adducerentur. Non ergo meo vel hominum conſilio Gentibus prædicavi Euangelium, ſed duce & auctore Chriſto.

Sermone & opere. Duo notat quorum & vi efficacia homines adducebantur ad obediendum Euangelio, unum erat ſermo, alterum opus. Dabat illi Chriſtus ſermonem quocunque opus eſſet, eumque efficaciſſimum, dabat & opus, ad ſermonis confirmationem diviniſſimum. Significat opera admiranda, ſingulare ponens pro plurali, opus pro operibus.

Verſ. 19. *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute ſpiritus Dei, ita ut ab Hieruſalem & in circuitu uſque ad Illyricum repleverim Euangelium Chriſti.* *In virtute,* id eſt per virtutem, *ſignorum & prodigiorum,* id eſt qua ſigna & prodigia patrantur, per genitivum effecti. Opera notat quæ divinæ veritatis & potentiæ ſunt ſigna, & quia naturæ viribus fieri non poſſunt, homines in admirationem ac ſtuporem agunt.

In virtute, id eſt per virtutem, *ſpiritus Dei.* Id eſt qua ſpiritus Dei datur hominibus fidem amplexis, itidem per genitivum effecti. Virtutis iſtius interventu Chriſtus per Paulum operatus eſt ſigna & prodigia, & ipſam ſpiritus Dei dationem credentibus. Notanda vero eſt modeſtia Apoſtuli. Non enim ſimpliter affirmando iſta de ſe dicit, ſed tantum negando ſe auſurum mentiri & ſibi tri-

buere quæ per ſe à Chriſto facta non ſint, ſermone & opere.

Ita ut ab Hieruſalem &c. Effectum notat ſuæ prædicationis, ut ex ipſo effectu quiſque colligat divinam, quam dicit Chriſti manum & virtutem ipſi adſuiſſe: ὥστε με πεπληρωκέναι, per infinitivum. *Ab Hieruſalem.* Non quod prædicationis ſuæ initium inde fecerit, res enim aliter habuit Gal. j. 17, 18; ſed in Hieruſalem & ejus circuitu centrum veluti ponit circuli regionum, quas quoquo verſum cum Euangelio peragravit, quem tantæ amplitudinis eſſe dicit, ut ejus peripheria Illyricum attigerit. Ingens profecto terrarum ambitus. *Repleverim Euangelium Chriſti*, pro repleverim Euangelio Chriſti, per hypallagen.

Verſ. 20. *Sic vero ambiens Euangelium prædicare, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ut non ſuper alienum fundamentum ædificem.* Docet quo pacto ſe geſſerit in Euangelio prædicando, ne quis diceret, alios etiam fuiſſe qui priores cum Euangelio multa in in loca venerint quam ipſe. Ait ſe ſic φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι. ſic in prædicando Euangelio ambientem honoris (quæ ſancta erat ambitio) fuiſſe, ut non ibi prædicaret, ubi jam nominatus eſſet Chriſtus, ſed ubi nomen ejus necdum eſſet auditum.

Ut non ſuper alienum &c. Cauſam iſtius rei addit Apoſtolo dignam & convenientem. Apoſtolorum enim erat fundamentum ponere eccleſiarum Chriſti, non ſuper fundamento alieno ſeu ab alio jam poſito ædificare.

Verſ. 21. *Sed ſicut ſcriptum eſt, quibus non annunciatum eſt, de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent.* Contrarii affirmatione rem illuſtrat & amplificat, atque etiam Scripturæ auctoritate ſeſe tuetur. *Sed*, intellige ſic me geſſi,

Sicut ſcriptum eſt. Scripturę convenienter. *Quibus non annunciatum eſt &c.* Ipſa Scripturę verba producit Eſa. LIJ. 15. *Non annunciatum eſt*, nempe unquam antea, *de eo*, nempe de Meſſia.

Videbunt. Nempe oculis animi, cognoſcent Meſſiam, & in Meſſia Deum ipſum. *Et qui non audierunt*, ſimiliter unquam antea, *intelligent*, per Euangelium edocti.

Verſ. 22. *Propter quod etiam impeditus fui ſæpe venire ad vos.* Dicit hanc ſuam φιλοτιμίαν εὐαγγελίζεσθαι etiam cauſam fuiſſe quod ſæpe fuerit impeditus quominus ad ipſos Romam veniret. *Propter hoc.* Quia ambiebam iis prædicare qui nondum audiverant, impeditus fui ſæpe, dum ſcilicet ſeſe ſubinde offerrent loca nondum per Euangelium luſtrata.

Sæpe, τὰ πολλά. Neutrum plurale pro adverbio, Gręca phraſi. Sic Philip. 2. verſ. 6. τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, id eſt æqualiter ſe habere Deo, ſeu eſſe inſtar Dei.

Venire ad vos. Præſertim cum ſcirem vobis jam Euangelium allatum eſſe.

Verſ. 23. *Nunc vero non amplius locum habens in regionibus iſtis, deſiderium autem habens veniendi ad vos à multis annis.* Quaſi dicat, adhuc fui impeditus. *Nunc vero non amplius locum habens &c.* Credo quod nullus reſtaret amplius locus in regionibus illis in quem Euangelium non pervenerit. Dicat aliquis, cur in Illyrico & aliis finitimis regionibus non prædicavit? Haud dubie quod aliæ Gentes eſſent minus barbaræ, & ſuſcipiendo Euangelio magis maturæ, præſertim in Hiſpania, cujus adeundæ etiam propoſitum, ut in ſequentibus dicit, animo & cogitatione verſabat.

Deſiderium autem habens &c. Alterum movens erat Pauli ut Romanos adiret, deſiderium veniendi ad ipſos ab annis compluribus.

Veniendi ad vos. Non ad urbem Romam, gentium dominam, illius videndæ cauſa, ſed ad vos fratres meos in Chriſto Jeſu dilectos.

Verſ. 24. *Quando proficiſcar in Hiſpaniam veniam ad vos; ſpero enim ut tranſiens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi veſtri prius ex parte implear. Quando*, ὡς ἐὰν videtur poni pro ὅταν, *proficiſcar in Hiſpaniam, veniam ad vos.* Promittit iis ſuum adventum, ſed iturus in Hiſpaniam, ad quam feſtinabat, quod eo cuperet Euangelium inferre, quo forte nondum erat illatum. Hac ratione propoſuerat Apoſtolus Romam venire, veluti in tranſitu, ſed ut aliter veniret, Deo viſum erat.

Spero enim &c. Cauſam reddit cur dicat ſe ad ipſos venturum, quia, inquit, ſpero me tranſeuntem Italiam venturum Romam & vos viſurum; venit ſane & vidit, neque eum ſpes in hoc ſefellit, ſed non tranſiens in Hiſpaniam.

Videam vos, θεάσασθαι ὑμᾶς. Non Romanum Papam, & univerſalem ac ſuum quoque Epiſcopum, ſed vos fratres,

Et à vobis. Nempe per viros ad id à vobis deputatos,

Deducar illuc. Nempe in Hiſpaniam. Hoc etiam me ſperare jubet veſtra pietas, & mei, quamvis vobis nondum viſi, amor, & divinæ gloriæ ardens ſtudium. An vero Paulus Roma ex vinculis dimiſſus in Hiſpaniam iverit, incertum eſt, imo multo certius videtur id factum haud eſſe. Neque enim veriſimile eſt Paulum ex Hiſpania iterum Romam eundem ad ſcopulum revertiſſe. Nam Romæ eum propter Euangelium occiſum fuiſſe poſterior ad Tim. Epiſt. cap. IV docet. Ex vix credibile eſt, de Hiſpanico Pauli itinere, & in Hiſpaniis prædicatione non aliquem commentarium exſtiturum fuiſſe.

Si veſtri prius ex parte implear. Quaſi dicat, non me tam celeriter à vobis proripiam, ſed tum demum abibo, poſtquam veſtri prius ex parte impletus fuero. Neque hic Apoſtolum ſpes deſtituit, fore ut Romanorum fratrum conſpectu & conſuetudine repleretur, ſed non ita ut facultatem ab iis abeundi, & in Hiſpaniam proficiſcendi haberet cum vellet. Non ſimpliter dicit *impleat*, ſed *ex parte impleat*, ſignificans ex parte ſe tantum illorum conſpectu & converſatione impleri poſſe, non in totum exſatiari, ut non ſemper reſtet cum illis verſandi amor & cupiditas,

Verſ. 25. *Nunc autem proficiſcor Hieroſolymam, miniſtrans ſanctis.* Significat illis quo nunc interea proficiſcatur, & quo divertat antequam Italicum & Hiſpanicum iter aggrediatur.

Hieroſolymam. Sic Deus iter & conſilium Pauli dirigebat, quanquam alio fine quam Paulus intenderat, qui ſe Heroſolymis vinctum iri, & inde non ita cito Romam in vinculis mittendum eſſe, ignorabat.

Miniſtrans ſanctis. Cauſam reddit itineris iſtius ſui in Jeruſalem, nimirum ut ſanctis miniſtraret. *Sanctis.*

ctis, id eſt credentibus in Chriſtum. fides enim in Chriſtum homines ſanctos, id eſt in Dei uſus ſegregatos ac ſepoſitos facit.

Verſ. 26. *Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes ſanctorum qui ſunt in Jeruſalem.* *Macedoniæ & Achaiæ*, id eſt fratribus in Macedonia & Achaja. Cauſam iſtius miniſterii ſui docet, ſimulque miniſterium hoc quale ſit oſtendit.

Communionem aliquam facere. Id eſt collectionem nummorum ex communi omnium contributione voluntaria,

In pauperes ſanctorum qui ſunt in Jeruſalem. Non in omnes ſanctos qui in Hieruſalem ſunt, ſed in ſolos pauperes, nec rurſus in omnes pauperes Hieroſolymitanos, ſed in pauperes *Jeroſolymitanos ſanctorum*, id eſt qui ſunt ex numero ſanctorum Hieroſolymitanorum.

Verſ. 27. *Placuit enim & debitores ſunt ipſorum: ſi enim ſpiritualibus ipſorum communicaverunt Gentes, debent & in carnalibus miniſtrare ipſis.* *Placuit enim.* Quaſi dicat, placuit, inquam, intellige iis quos dixi, communicare pauperibus ſanctorum Hieroſolymitanorum.

Et debitores ipſorum ſunt. Quaſi dicat, & merito id ipſis viſum eſt, nam & debitores ipſorum ſunt, proinde non ex liberalitate tantum, ſed etiam ex debito id faciunt.

Si enim ſpiritualibus. Probat debitores eſſe, *ſpiritualibus*, intellige bonis. *Ipſorum*, id eſt ſanctorum Hieroſolymitanorum. Ex Hieruſalem enim Euangelium profectum eſt & ad Gentes venit.

Communicarunt Gentes. Non ſoli ſancti Judæorum ſpiritualibus ac cæleſtibus ſuis bonis fruuntur, ſed ea etiam cum Gentibus communicarunt.

Debent. Nimirum Gentes viciſſim quæ ſpiritualibus bonis communicant.

Et in carnalibus. Quæ multo minora ſunt quam ſpiritualia, in nummis videlicet, quorum uſus ad carnem & carnalia, cibum, potum, veſtitum, fomentum ſpectat.

Miniſtrare. Suggerendo nimirum carnalia, vel nummos quibus carnalia comparantur, *ipſis*, id eſt ſanctorum Hieroſolymitanorum pauperibus, quorum ſpiritualibus bonis communicant, cum pauperes ut carnalibus communicent opus habeant.

Verſ. 28. *Hoc igitur ubi perfecero & obſignavero ipſis fructum hunc, abibo per vos in Hiſpaniam.* *Hoc igitur ubi perfecero.* Nimirum nummos collectos deportavero, *& obſignavero*, id eſt fideliter reddidero, [illegible] obſignata ſolent, *ipſis*, pauperibus ſanctorum Hieroſolymis *fructum hunc*, id eſt nummos collectos, quos tanquam fructum ex arboribus frugiferis, id eſt ex Gentibus ad Chriſtum converſis percipient. Unde Apoſtolus ad Titum cap. iij. 14: *diſcant vero & noſtri*, nempe Cretenſes, *bonis operibus præcellere in neceſſarios uſus, ut non ſint infructuoſi.*

Abibo per vos. Id eſt per Italiam & urbem Romam, in qua habitatis.

In Hiſpaniam. Ut ſcilicet ibi Euangelium prædicem. Sic tu proponis Paule, ſed Deus te tui juris eſſe nolet, vincieris Hieroſolymis, & vinctus venies Romam, & Romæ pro Chriſto morieris.

Verſ. 29. *Scio autem quod veniens ad vos in plenitudine benedictionis Euangelii Chriſti veniam.* *Scio autem*: quaſi dicat, ne quis exiſtimet non multum boni adventum meum vobis allaturum eſſe, *Scio*, quia Deo confido.

Quod veniens ad vos. Id eſt quod cum venero ad vos, *in plenitudine*, id eſt cum plena copia, *in* pro cum, *benedictionis.* Id eſt bonorum ac opum, per metonymiam cauſæ; benedictio enim divina divitiarum eſt cauſa.

Euangelii Chriſti. Id eſt quæ Euangelium Chriſti in ſe continet.

Veniam. Quaſi dicat, non quidem vobis nummos adſeram, cum quibus nunc tendo ad pauperes ſanctorum in Hieruſalem, ſed adferam vobis alias longe majores ac veriores opes, in ſumma abundantia, dona nimirum ſpiritualia ac cæleſtia.

Verſ. 30. *Rogo autem vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſpiritus, ut mecum una certetis in precibus pro me ad Deum.* Commendat ſe diligenter illorum precibus: quaſi dicat, ego quidem hęc agito, *rogo autem vos fratres*: quaſi dicat, fratres mei eſtis, fraternum etiam officium à vobis peto.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Quaſi dicat, communis noſtrum Dominus Jeſus Chriſtus vos moveat, cujus me ſervum & Apoſtolum eſſe ſcitis.

Et per charitatem ſpiritus. Quaſi dicat, moveat vos & charitas quam ſpiritus, nempe Dei, mutuam & ardentem in nobis excitat. *Charitas ſpiritus* dicitur, cujus auctor eſt ſpiritus, per genitivum cauſæ.

Ut una mecum certetis. Id eſt ut mihi in certamine meo adjumento ſitis.

In precibus pro me. Id eſt per preces pro me: modum explicat ſui in certamine juvandi, qui erat preces pro ipſo

Ad Deum. Exprimit ad quem preces ſint dirigendæ.

Verſ. 31. *Ut liberer ab infidelibus in Judæa, & ut miniſterium meum in Hieruſalem acceptum ſit ſanctis.* Docet quid pro ſe precari debeant. *Ut liberer ab infidelibus in Judæa*, ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων, id eſt à Judæis Euangelio obedire ſeu credere nolentibus. Præſagiebat illi animus aliquid mali ab iſtis hominibus, à quibus tamen illum Deus liberavit, & ex manibus ipſorum eripuit.

Et ut miniſterium meum &c. Alterum eſt quod pro ipſo Deum orent: *ut miniſterium meum in Hieruſalem.* Id eſt quod in Hieruſalem obiturus ſum, tradendo nummos collectos pauperibus, & alia peragendo ad munus meum ſpectantia.

Acceptum ſit ſanctis. Id eſt credentibus qui in Hieruſalem habitant, ne à me & miniſterio meo averſum gerant animum, quod Gentibus promiſcue ſine circumciſione & ritibus Moſaicis ſalutem annunciem per ſolam in Jeſum Chriſtum fidem obtinendam.

Verſ. 32. *Ut in gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, & refocilier vobiſcum.* Finem & effectum notat iſtius quam dixit rei à Deo obtentæ: quaſi dicat, ita fiet ut in gaudio, id eſt cum gaudio *veniam ad vos*, proinde ut & vos multo plus ex me gaudii ac ſolatii capiatis, quam ſi animo contriſtatus venirem. Venit vinctus, ſed vincula hæc nihil ex animi gaudio delibabant. Neque enim patiebatur ideo, quod

ſanctis ingratum eſſet illius miniſterium, ſed quod ingratum eſſet Judæis Chriſti adverſariis, à quibus pro Chriſto pati, & in vincula, imo in mortem ipſam conjici ac tradi, uberrimam habet veri gaudii ſegerem ac materiam.

Per voluntatem Dei. Id eſt Deo volente, in cujus manu ſunt omnia noſtra conſilia & incepta, cujus etiam voluntati omnia ſubmitrimus.

Et refocillet vobiſcum. Quaſi dicat, & ſic & vos mecum recreemini & ego recreer vobiſcum.

Verſ. 33. *Deus autem pacis cum omnibus vobis. Amen.* Voto ſuperiora concludit: quaſi dicat, ego hæc à vobis peto, viciſſim autem vobis voveo, ut Deus pacis ſit cum omnibus vobis.

Deus pacis. Per genitivum effecti, Deus qui auctor eſt pacis, id eſt omnis veræ beatitatis, quæ pacis nomine apud Hebræos merito deſignatur; neque enim eſt cauſa ut hoc loco pacis vocem ad ſolam concordiam reſtringamus. Ubi vera & abſoluta beatitas non eſt, ibi nec pax eſt, ubi vera pax eſt, ibi & vera beatitas.

Cum omnibus vobis. Intellige ſit, omnibus vobis adſit favoris & amoris & curæ ac providentiæ ſuæ præſentia, proinde & pace vos beet ac cumulet. Ubi enim Deus eſt, ibi pax eſt.

Amen. Confirmat votum voce ſolita, qua verum eſſe, proinde effectu ipſo compleri quod vovemus, cupimus.

CAPUT XVI.

Verſ. 1. *Commendo autem Phœben ſororem noſtram, quæ eſt miniſtra eccleſiæ quæ eſt in Cenchreis.* Veniens ad ſalutationes, & ad finem Epiſtolæ tendens, ante omnia illis commendat Phœben, quę forte negociorum ſuorum cauſa, proficiſcens Romam, literas iſtas portabat, ut vetus habet Epiſtolæ hujus ſubſcriptio; ex hoc ipſo, ut arbitror, loco ſumta.

Sororem noſtram. Magnum ad eam juvandam fratribus incitamentum.

Quæ eſt miniſtra eccleſiæ. Non tantum ſoror eſt, ſed etiam officium miniſtræ exercet in eccleſia, tanto magis amari & juvari digna, quod & ipſa miniſtret ſanctis ſororibus pauperibus, earum uſibus ex publica eccleſiæ pecunia proſpiciens.

Quæ in Cenchreis. Intellige eſt. Notat cujus ſit eccleſiæ miniſtra ſeu Diaconiſſa. Cenchreæ, Corinthiorum portu nobiles, adjacebant Corintho.

Verſ. 2. *Ut ipſam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis, & aſſiſtatis ei in quocunque negotio veſtri indiguerit. Nam & hæc adſtitit multis & ipſi mihi.* Exprimit quid ab iis pro Phœbe petat. Primum hoſpitalitatis officia, dum eam ſuſcipi petit. *In Domino*, id eſt per vel propter Dominum, Domini, qui Jeſus Chriſtus eſt, cauſa.

Digne ſanctis. Id eſt ut ſanctis dignum eſt, qui Chriſtiani ſunt. Nam ſi omnes, etiam profanos, hoſpitalitas decet, quanto magis ſanctos, idque erga ſanctos.

Et aſſiſtatis ei. Hoc alterum eſt quod pro ipſa petit, nempe amicitiæ & charitatis fraternæ officium, ut ſcilicet illi aſſiſtant & auxilium præbeant, quocunque in negotio ipſorum operâ indigeant.

Nam & hæc aſtitit multis [illegible] προστάτις πολλῶν ἐγενήθη. Opitulatrix, patrona multis fuit. Cauſam affert cur ei in omnibus adeſſe & patrocinari debeant. Nam & ipſa, inquit, multorum fuit patrona.

Et ipſi mihi, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ. Et ipſius mei. Magnum adjicit ſuperpondium, officia & beneficicia ſororis iſtius ipſi Apoſtolo exhibita. Vide quam diligens & accuratus fuerit Apoſtolus in ſanctis eccleſiæ commendandis, quam etiam officiorum ſibi exhibitorum memor. Ita ſimul & amans ſanctorum, & gratus fuit.

Verſ. 3. *Salutate Priſcillam & Aquilam, cooperarios meos in Chriſto Jeſu.* Nunc ſuo nomine ſalutari nominatim petit quos in eccleſia Romana noverat, ſuis quemque elogiis proſequens: ut profecto admirationi eſſe debeat Apoſtoli tanta humanitas & amoris diligentia.

Salutate. Id eſt meo nomine ſalvere jubete.

Priſcillam & Aquilam. Nobile par conjugum, & ante omnes alios nominari meritum, uxor etiam tanto nobilior quod in nominatione viro ſit antepoſita, de quibus vide Act. xviij. 2, 26.

Cooperarios meos in Chriſto Jeſu. Id eſt in Chriſti Jeſu negotio, in Euangelii prædicatione: quos ſuos dicit συνεργοὺς, cooperarios, quod Paulo, Euangelii curis occupato, ipſi proſpicerent de rebus neceſſariis. Quatenus enim faciebant ut Apoſtolus vacaret Euangelio, hactenus & partem in opere ipſius habebant. Idem elogium tribuit quibuſdam mulieribus Philip. iv. 3, & Johannes συνεργοὺς cooperarios eſſe dicit veritati, qui præcones veritatis hoſpitalitate & officiis juvant 3 Johannis verſ. 8. Non fruſtra addit *in Chriſto Jeſu*, nam alioquin & in opificio tabernacula conficiendi cooperabantur Apoſtolo, vel Apoſtolus ipſis Act. xviij. 3. Priſcilla ſane Euangelium non prædicavit.

Verſ. 4. *Qui pro anima mea ſuam ipſorum cervicem ſuppoſuerunt, quibus non ego ſolus gratias ago, ſed & omnes Eccleſiæ Gentium.* Commemorat ipſorum illuſtre erga ſe factum, ut oſtendat quam merito ipſos primo loco nominandos duxerit, *qui*, tam uxor quam maritus, & fortaſſis uxor præibat marito, ideo & prius nominata eſt.

Pro anima mea. Id eſt pro vitâ mea per [illegible] miam cauſæ, ut me morti eriperent.

Suam ipſorum cervicem ſuppoſuerunt. [illegible] ſe objecerunt, & haud dubie occubu[illegible] ſingulari Dei providentia fuiſſent liber[illegible], ſed in [illegible] ipſis nulla fuit mora, quin pro me mo[illegible]tur. Hoc tamen cervicis ſuæ objectu pr[illegible] quod me conſervarint. Quid hoc facto majus præ[illegible]e poterant?

Quibus non ego ſolus &c. Quaſi dicat, qui ſuo facto non me ſolum ſibi obſtrinxerunt, ſed & omnes eccleſiæ Gentium ſeſe iis obſtrictas putant, cum videant ex vita mea maxima in ſe dimanaſſe & dimanare commoda.

Gratias ago. Gratum animum verbis teſtor, & hoc ipſorum factum celebro, ſed idem [illegible] fa[illegible]unt omnes eccleſiæ Gentium, quę quod ipſis ſeu eorum bono

vivam,

vivam, Priſcillæ & Aquilæ poſt Deum ferunt acceptum. Vide quantam laudem, quas gratias mereantur qui pro Chriſti ſervorum vita ſuam vitam in diſcrimen dant, & ipſi mori volunt, ut ſervi Dei vivant. Majorem profecto ex hac Apoſtoli & omnium Eccleſiarum laude & gratiarum actione & ſua conſcientia voluptatem capiebant conjuges iſti, quam quantam ex vita vel longiſſima percipere potuiſſent, quæ tamen & ipſa forte iis non defuit. Diſcant horum exemplo fratres, pericula ſua miſcere cum proſcriptis Chriſti.

Verſ. 5. *Et quæ in domo illorum Eccleſiam. Salutate Epænetum dilectum meum, qui eſt primitiæ Achaiæ in Chriſtum.* Superior verſiculus in parentheſi legendus eſt, nunc enim addit ſalutationem Eccleſiæ quæ in domo erat Priſcillæ & Aquilæ.

Et quæ in domo illorum eccleſiam. Intellige ſalutate. Priſcillæ & Aquilæ adjungit Eccleſiam, quæ in domo illorum congregabatur, quod & ipſum ad commendationem iſtorum conjugum valde pertinebat. Domum ſuam operire ſanctorum congregationibus, iiſque patrocinari, & incommoda quæ inde proveniunt libenti animo tolerare, argumentum eſt ſummi erga gloriam divinam & hominum ſalutem amoris. Videmus Chriſtianorum Eccleſias etiam in domibus privatis peragi poſſe, & ſolitas fuiſſe, cum non licet domos publicas eum in finem habere. *In domo illorum*, κατ' οἶκον αὐτῶν.

Salutate Epænetum dilectum meum. Et huic encomium appoſuit.

Dilectum meum. Quem ego valde diligo. Magnum erat dilectum eſſe apud tantum virum: neque enim fruſtra & ſine juſtis cauſis ac meritis à tanto viro poterat peculiariter diligi.

Qui eſt primitiæ, ἀπαρχὴ, *Achaiæ in Chriſtum.* Addit adhuc quod in iſto homine peculiare ac ſingulare erat, id eſt qui primus in Achaia nomen dedit Chriſto, primus ex meſſe Achaïca Chriſto demeſſus eſt. Et hoc eximiam continet laudem.

In Chriſtum. Id eſt in Chriſto, εἰς pro ἐν; vel per ellipſin, credentium in Chriſtum.

Verſ. 6. *Salutate Mariam, quæ multa laboravit in nos.* Et hæc ſua merita laude non caruit apud Apoſtolum.

Multa laboravit. Id eſt multos labores ac moleſtias ſuſtinuit.

In nos, εἰς ἡμᾶς. Id eſt erga nos, ſeu ut nobis bene eſſet, ne nobis deeſſent ad vitam neceſſaria, vel de ſe ſolo loquitur Apoſtolus in plurativo, vel quia ſimul includit ſuos comites, & in Euangelii prædicatione ſocios & adminiſtros, eodem modo loquitur & verſ. 9.

Verſ. 7. *Salutate Andronicum & Juniam cognatos meos, & concaptivos meos, qui ſunt inſignes in Apoſtolis, qui & ante me facti ſunt in Chriſto.* Neque iſtos non commendatos dimiſit Apoſtolus.

Cognatos meos. Mihi generis cognatione junctos.

Et concaptivos meos. Hoc ſpirituale vinculum eſt, illud carnale. Mecum captivi fuerunt propter Chriſti Euangelium. Ita non tantum fratres mei ſunt & ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum, ſed etiam captivitatis meæ pro Chriſto ſocii.

Qui ſunt inſignes in Apoſtolis. Id eſt inter Apoſtolos. Non forte quod & ipſi alioqui Apoſtoli eſſent, ſed quod Apoſtolorum judicio & æſtimatione eſſent & haberentur inſignes viri, propter ſuas haud dubie ſingulares virtutes & dotes animi & facta. Junias derivatur a nomine Junius.

Qui & ante me fuerunt in Chriſto. Neque hoc tacuit quo ipſum Apoſtolum ſuperabant, quod ſcilicet ante ipſum Chriſto inſiti eſſent, & eum ad Chriſtum prævertiſſent, quamvis Apoſtolus ipſorum cognatus eſſet, & fortaſſis etiam ætate major.

Verſ. 8. *Salutate Ampliam dilectum meum in Domino.* Et hunc commendatione decorat, id eſt dilectum meum, non ob carnis aliquam conjunctionem, ſed ob communem Dominum Chriſtum, quod maximum maximæ dilectionis eſt vinculum; peculiariter tamen eum ob peculiares virtutes ac merita dilectum fuiſſe, ex eo quod eum peculiariter dilectum ſuum Apoſtolus vocet.

In Domino. Id eſt Domini cauſa. *In* habet hic ſignificationem cauſæ, ex Hebręorum idiotiſmo.

Verſ. 9. *Salutate Urbanum, cooperarium noſtrum in Chriſto, & Stachyn dilectum meum.* Vide verſum tertium. Niſi quis putet Urbanum etiam Euangelium prædicaſſe.

In Chriſto. Non in rebus ad vitæ uſus ſpectantibus, ſed in rebus ad Chriſtum pertinentibus. Chriſtus ponitur pro rebus ad Chriſtum pertinentibus, per metonymiam ſubjecti.

Et Stachyn dilectum meum. Qui ſciat ſe à me valde diligi, haud dubie ſimiliter in Domino, ut verſu 8 addit.

Verſ. 10. *Salutate Apellen probatum in Chriſto. Salutate eos qui ex Ariſtobuli.* Etiam hic, debitum ſibi refert encomium;

Probatum in Chriſto. Id eſt probatum in fide Chriſti, qui experimenta dedit haud dubia ſuæ in Chriſtum conſtantis fidei & immotæ pietatis. Chriſtus accipitur hic pro fide ac pietate quam tradidit, per metonymiam cauſæ.

Salutate eos qui ex Ariſtobuli. Intellige ſunt domo vel familia, & Chriſto nomen dederunt. Ariſtobulum ipſum ſalutare non jubet, quod ipſe Chriſtianus non eſſet, forte quod eſſet in opibus ac dignitate conſtitutus, quales non facile accedunt ad Chriſtum: in eo tamen laudandus ſi domeſticis ſuis impedimento non erat.

Verſ. 11. *Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui ex Narciſſi, qui ſunt in Domino &c.*

Salutate Herodionem &c. Vide ỳſ. 7. *Salutate eos qui ex Narciſſi.* Intellige domo & familia ſunt, ut verſ. 10. Narciſſus hic, Claudii Cæſaris fuit libertus, in flagranti gratia; opibus ac potentia pollens, ideo nec Chriſtianus ipſe.

Qui ſunt in Domino. Id eſt qui Domino ſunt per fidem inſiti.

Verſ. 12. *Salutate Tryphænam & Tryphoſam quæ laborarunt in Domino.* Id eſt in rebus ad Dominum ſpectantibus, vel Domini cauſa.

Salutate Perſidem dilectam quæ multa laboravit in Domino.

Verſ. 13. *Salutate Rufum, electum in Domino, & matrem illius & meam. Electum in Domino.* Id eſt

 non

non vulgarem in Chriſti fide ac pietate. *Et matrem ejus & meam.* Magnum teſtimonium: quaſi dicat, merito filio adjungo matrem, non tantum quod mater ipſius ſit, nec minus pia quam filius, ſed etiam quod & mea mater ſit, non quidem natura, ſed quod majus eſt, amore ac beneficiis.

Verſ. 14. *Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen & qui cum ipſis fratres.* Plures ſimul nominat, & quos nominare non poterat, ipſis tamen adeſſe & adhærere noverat. In genere ſalutare jubet, quippe fratres in Chriſto, quamvis forte quoſdam conditione ſervos. Ne minimos quidem faſtidivit Apoſtolus, & ſua ſalutatione dedignatus eſt, quos Chriſto inſitos, & ſic ad maximam dignitatem evectos eſſe ſciebat; quorum ſi domini ac patroni erant iſti quos nominat, eo ipſo maxime commendantur quod & ipſi in Chriſtum crederent, & in Chriſtum credentes apud ſe foverent.

Verſ. 15. *Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympam & qui cum ipſis omnes ſanctos.* Iterum certa ponit nomina, & illis ſimiliter addit credentem familiam. *Qui cum ipſis*, intellige ſunt, *omnes ſanctos*, id eſt in Chriſtum credentes. Magna & hæc laus ac commendatio eſt, familiam alere ſanctam, & in Chriſtum credentem, vel quod eos tales effeceris, vel quod elegeris, ſanctos profanis præferens.

Verſ. 16. *Salutate alii alios in oſculo ſancto. Salutant vos Eccleſiæ Chriſti.* Cum plures non noſſet, in genere poſtulat ut alii alios ipſius nomine ſalutent, ne quiſquam ſeſe prætermiſſum aut neglectum putaret.

In oſculo ſancto. Id eſt per ſanctum oſculum. Solebant enim inter ſe oſculari Chriſtiani, & oſculo teſtari quam ſeſe amarent invicem, quamque alii aliis bene vellent ac cuperent, quod ſanctum vocat, quia ſanctis ex cauſis, ſancto animo, & ſanctum in finem. Sanctum oſculum profano, purum impuro, caſtum inceſto opponit. Vult igitur Apoſtolus ut in Eccleſia ſeſe mutuo, nomine ipſius, oſcularentur fratres. Ex tot vero ſalutationibus apparet, Petrum Apoſtolum Romæ tum non fuiſſe. Quo pacto enim fieri potuiſſet, ut eum Paulus inſalutatum dimitteret, & non potius primo omnium loco ſalutaret? At qui eum Romæ fuiſſe dicunt, jam in hoc tempus habitationem ejus Romæ conjiciunt. Imo, nec Epiſtola hac quidquam fuiſſet opus, Petro Eccleſiam illam regente.

Salutant vos Eccleſiæ Chriſti. Nunc aliorum nomine incipit Romanos fratres ſalutare: & primum Eccleſiarum Chriſti in genere, nempe inter quas tum verſabatur Apoſtolus, quæ haud dubie ut id faceret ad Romanos ſcribens poſtulabant, quo ſuum fraternum teſtarentur amorem, quamvis non omnes inter ſe noti. Satis inter ſe noti ſunt, qui Chriſtum noverunt, & Chriſtiani ſunt.

Verſ. 17. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos qui diſſidia & ſcandala, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* Antequam ad particulares aliorum nomine ſalutationes veniat, ſubjungit monitum Apoſtolo dignum, quod ad extremum ſervaſſe videtur, ut illud peculiariter animis illorum infigeret: Scrupulum, ut ajunt, abeuntibus.

Rogo autem vos. Quaſi dicat: ſalutaſſe vos non contentus, παρακαλῶ, quod etiam ſignificat adhortor, admoneo, idque hic locum habet non minus quam rogo. *Fratres.* Subinde hunc titulum uſurpat, quod facere non ſolent qui dominatum in alios affectant aut exercent.

Ut obſervetis, σκοπεῖν. Per infinitivum. Græca phraſi, ut diligenter & veluti ex ſpecula obſervetis.

Eos qui diſſidia, τὰς διχοστασίας &c. Id eſt dogmata aliqua afferunt, quæ ſuſcepta diſſidere faciunt alios ab aliis.

Et ſcandala. Id eſt quæ ſcandalo ſunt & nocent in via ſalutis.

Faciunt. In præſenti, quod jam inter illos eſſent, qui iſta facerent. Tangit, ut arbitror, eoſdem, quos & alibi notat, qui circumciſionem & ritus Moſaicos adjungere conabantur Euangelio 2 Cor. xi. 13, 14. Gal. 1. 7, & ij. 4. v. 10, 12. vj. 12. Philip. iij. 18, 19.

Præter doctrinam quam vos didiciſtis. Docet unde dogmata iſta cognoſci poſſint; inde nimirum, ſi ſint præter doctrinam quam ipſi didicerant: ſi doctrinæ iſti aliquid vel addant, vel demant, vel eam ulla in re mutent, vel ei contradicant. Habemus ergo regulam, ad quam exigenda ſunt omnia quæ afferantur dogmata; doctrinam nimirum primitus in eccleſia traditam, quidquid præter illam eſt, ſcandalum eſt, vitandum eſt. Vide Gal. 1. 8, 9.

Et declinate ab illis. Docet quomodo ſe erga tales homines gerere debeant. Declinare ab illis debent, omnem cum illis familiaritatem & conſuetudinem fugere, nec cibum cum illis capere. *Hæreticum*, inquit alibi, *poſt unam & alteram admonitionem devita* Tit. iij. 10. Non jubet hæreticum occidi, aut armis perſequi, quod Chriſti Eccleſia nunquam fecit, niſi poſtquam ipſa in hæreſes prolapſa eſt, quæ perſecutionem hæreticorum arripuit, ut hæreſes protegeret. Nec induci in Eccleſiam Chriſti nocentior hæreſis unquam potuit, quam dogma de hæreticis occidendis & perſequendis, quo non divina veritas ſed hæreſis armata eſt. Non enim eget armis carnalibus veritas Chriſtiana, ipſa ſe ſuis armis contra hæreſes ſatis ſuperque ſuſtentat, nec curat, ſi ab ea deficiant, quibus errare placet, & qui ſibi non ea qua par eſt, diligentia cavent, nec ut ab errore liberentur, multum curant, imo liberari ab eo nolunt.

Verſ. 18. *Nam tales Domino noſtro Jeſu Chriſto non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per blandiloquentiam & benedictionem decipiunt corda innocentium.* Cauſam affert cur obſervandi & vitandi ſunt iſti tales, quia, inquit, *Domino noſtro Jeſu Chriſto non ſerviunt.* Quamvis id præferant, non Chriſti rem agunt, ſed ſuam.

Sed ſuo ventri. Intellige ſerviunt, ventris ſui rem agunt, &, ut alibi loquitur, venter ipſorum Deus eſt. Id agunt, ut placentium multis dogmatum prædicatione ventrem ſuum paſcant.

Et per blandiloquentiam & benedictionem. Altera cauſa eſt cur ſibi ab ipſis cavere, eoſque fugere debeant, quia ſciunt blande loqui, & verbis uti ſuavibus, ac merum amorem ſpirantibus, & nil niſi benedictionem habent in ore, crederes Angelos lucis eſſe, & recens è cælo delapſos,

Per quæ, *decipiunt corda*, id eſt animos, *innocentium*, τῶν ἀκάκων. Id eſt hominum qui ab omni noxa alieni ſunt,

ſunt, & alios ex ſe judicant, & quia ipſi alios non decipiunt, decipientium fraudes non intelligunt, iiſque patent. *Decipiunt*, in præſenti, oon tantum quod ita ſoleant facere, ſed etiam, quia jam tum dicipiebant, ut ℣ſ.17 vidimus. Decipiunt autem, dum homines in bonam de ſe, proinde & de ſuis dogmatis opinionem adducunt. Decipiunt, quia ſibi homines non ſatis cavent. Neque enim ſufficit ἄκακον eſſe & ab omni noxa & fraude alienum, etiam prudentem & circumſpectum eſſe requiritur.

Verſ. 19. *Nam veſtra obedientia ad omnes devenit. Gaudeo igitur quod ad vos. Volo autem vos ſapientes quidem eſſe ad bonum, ſimplices autem ad malum.* Cauſam & occaſionem narrat, quæ ſeductores iſtos induxit, ut Romanam eccleſiam adgrederentur.

Nam, inquit, *veſtra obedientia*. Intellige erga Euangelium & veritatem vobis prædicatam.

Ad omnes. Proinde etiam ad impoſtores iſtos,

Devenit. Ex eo igitur quod vos tam faciles & obſequentes veritati præbuiſtis, ſpem conceperunt fore, ut eadem facilitate ipſorum etiam dogmata recipiatis, qua ſpe freti vns adorti ſunt.

Gaudeo igitur &c. Quaſi dicat: igitur, ut vobis animum meum aperiam, voſque moneam ac præmuniam. *Gaudeo quod ad vos*, ἐφ' ὑμῖν, id eſt quod ad vos attinet, ſeu de vobis, quod tam faciles ſitis ad obediendum veritati. De ſeductoribus minime lætor, qui veſtra iſta facilitate abuti volunt ut obediatis erroribus & falſis dogmatibus.

Volo autem vos &c. Quaſi dicat: bonum ae lætandum eſt, quod tam faciles fueritis ad obediendum veritati. *Volo autem*, id eſt cupio & opto, idque ut fiat moneo & obſecro,

Vos ſapientes quidem eſſe ad bonum, ſimplices vero ad malum. Quaſi dicat, nolo vos ita abſolute ſimplices eſſe, ut cuivis dogmati, cuivis ſanctitatem præferenti credatis. Volo vos ita ſimplices eſſe, ut ſimul etiam ſitis ſapientes: ſicut & Dominus ipſe monet, ut ſimplices ſimus ſicut columbæ, & prudentes ſicut ſerpentes.

Volo, inquam, *ut ſapientes quidem ſitis ad bonum.* Id eſt ut ſciatis bene agere, ſciatis veritati obedire, ſciatis falſum à vero diſcernere, & falſum quidem vitare, verum autem amplecti.

Simplices autem ad malum. Id eſt ut neſciatis male agere, neſciatis ſeductoribus obſequi.

Verſ. 20. *Deus autem pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros cito. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum, Amen.* Monitioni ſubjungit votum, ſeu potius divini auxilij promiſſionem: quaſi dicat, vos facite quod moneo, quod veſtrarum eſt partium.

Deus autem. Faciet quod ſuarum item eſt partium, ne quis deſperet de mali iſtius evitatione.

Deus pacis. Id eſt qui auctor eſt pacis, pacem hoc loco accipit pro pace inter Chriſtianos, cum nulla inter ipſos ſunt diſſidia, ſed ſummus eſt animorum & ſententiarum & dogmarum ſecundum Chriſtum Jeſum conſenſus. Hac enim de re nunc agitur.

Conteret Satanam ſub pedes veſtros. Alludit ad factum Dei in paradiſo. Satanas olim per ſerpentem decepit innoxios parentes noſtros: idem Satanas nune per aſtutos impoſtores decipit innocentes homines. Sed ſicut olim Deus Satanam in ſerpente contrivit, ſub pedes parentum noſtrorum: ſic etiam nunc eundem Satanam in ſerpentibus iſtis conteret ſub pedes veſtros.

Sub pedes veſtros. Id eſt pedibus veſtris conterendum dabit, ſicut olim ſerpentem in ventrem dejecit ac repere fecit, ut pedibus parentum noſtrorum conteri & conculcari poſſet. Senſus eſt; Deum effecturum, dummodo & ipſi ſibi, ea qua par eſt diligentia caveant, ne Satanas per iſtos ſuos emiſſarios iis nocere eoſque ſeducere poſſit.

Cito, i. ἐν τάχει. Non diu innocentes ſeducent, patefiet brevi dolus illorum, & coarguentur falſa dogmata. *Non proficient multum. Inſipientia enim illorum manifeſta fiet omnibus* 2 Tim.iij. 9. Nec feſellit prædictio ac promiſſio. Cito enim iſti Legis, ut ſibi videbantur, doctores, cum ſuis dogmatibus evanuerunt, & Chriſti Eccleſia ſemel arrepta à Legis ritibus libertate, in ea permanſit. Sed proh dolor! aliis mox diſſidiis & ſcandalis præter doctrinam, quam ab initio didicerat, repleri cœpit, adeoque repleta eſt, ut præ multitudine dogmatum ae traditionum in Eecleſiam invectarum, veritas vix appareat. Sperandum tamen eſt fore, ut Deus humani generis miſertus, depulſis errorum nebulis puram veritatis ſuæ lucem hominibus reducat.

Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. Votum addit, monitionibus ſuis vota ſubinde intermiſcens. Gratiam iis precatur Jeſu Chriſti. Merito: Dominus enim noſter eſt, nobis à Deo datus. Dum vero gratiam iis tanti Domini precatur, ſimul etiam precatur omnia bona, & ad ſpiritum & ad carnem ſpectantia, quæ ex gratia & favore ipſius promanant. Omnia enim Deus dedit in manum ejus.

Vobiſcum. Intellige ſit, vobis adſit, nec unquam vos deſerat ac deſtituat, quod haud dubie fiet, ſi vos quoque Chriſtum nulla in re deſeruerit is.

Amen. Ipſe ſuum votum approbat, & ratum ac verum vult eſſe. Vide cap. xv. ℣ſ. ult.

Verſ. 21. *Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei.* Nunc ad ſalutationes venit ſpeciales eorum qui cum ipſo erant.

Timotheus cooperarius meus. Id eſt qui mecum operatur in Euangelii prædicatione, de quo Actor. xvj. 1, & ad quem duæ exſtant Pauli Epiſtolæ.

Et Lucius. Forte Cyrenenſis ille, de quo Actor. xiij. 1.

Et Jaſon. De quo Actor. xvij. 5, 7, 9.

Et Soſipater cognati mei. Id eſt mihi genere & ſanguine conjuncti, ut ℣ſ. 7, 11.

Verſ. 22. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam, in Domino.* Noluit extremus inter ſalutatores eſſe, ipſe ſuam quoque inſerit ſalutationem, quæ ut tanto gratior Romanis accideret, addit ſe ſcriptorem fuiſſe iſtius Epiſtolæ, id eſt ſe Paulo manum in ſcribenda hac Epiſtola commodaſſe.

In Domino. Verba hæc ad verbum, *ſaluto* referri debent.

Saluto vos in Domino. Id eſt non vulgari ſalutatione, ſed quæ fit in Domino, qua ſcilicet Chriſtiani, Domino Jeſu Chriſto inſiti, alii aliis, per eundem Dominum ſalutem precantur.

Verſ. 23. *Salutat vos Gajus hoſpes meus & Eccleſia*

totius. Salutat vos Eraſtus Oeconomus civitatis, & Quartus frater. Tertio ſubnectit adhuc quoſdam Apoſtolus.

Gajus hoſpes meus. Qui & mihi & toti eccleſiæ domum ac hoſpitium præbet, dignus omnino cujus nomen in hac Epiſtola extaret, tam inſigni erga Paulum & erga univerſam eccleſiam pietate commendati. Hujus Gaji imitatores ſunt, qui eccleſias, & eccleſiarum miniſtros ſuis in domibus fovent, iiſque patrocinantur. Eundem hunc Gajum ſuis ipſe manibus Apoſtolus baptizaverat 1 Cor. 1. 14.

Salutat vos Eraſtus Oeconomus civitatis. Id eſt Corinthi. Unde apparet Epiſtolam hanc Corintho ſcritam eſſe, Paulumque Corinthiacam Eccleſiam intellexiſſe, cujus Gajus eſſet hoſpes ac patronus.

Oeconomus. Credo, quod publicam pecuniam fidei ſuæ commiſſam haberet, quam ex uſu publico diſpenſaret; quo ipſo non parum hominem commendavit Apoſtolus, quod in hac publici officii non poſtrema dignatione conſtitutus, Chriſtianam fidem illo tempore contemptam & exoſam & perſecutionibus ſubjectam amplecteretur. Videmus etiam eos qui publica tractant munia, Chriſtianos eſſe poſſe.

Et Quartus frater. Hic ſalutantium agmen claudit. Ὁ ἀδελφὸς cum articulo, forte quod Romanis fratribus, ſi non de facie, ſaltem de nomine notus eſſet. Nam & Quarti nomen Latinum eſt; vel etiam quod præter ſupra nominatos ſolus tum ex fratribus Apoſtolo adeſſet, & ſuam quoque ſalutationem nominatim adſcribi poſtularet, quem ſatis commendavit fratrem (in Chriſto nimirum) appellando.

Verſ. 24. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Iterum ad votum redit, iiſdem quibus paulo ante verſ. 20, verbis conceptum; credo quod hæc verba ſua ipſe manu adſcriberet, ut Epiſtolæ à ſe miſſæ ſignum eſſet. *Salutatio*, inquit alibi, *mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni Epiſtola, ſic ſcribo: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* 2 Theſſ. iij. 17, 18. 1 Cor. xvj. 21, 22. Coloſſ. iv. 18.

Verſ. 25. *Ei vero qui poteſt vos confirmare ſecundum Euangelium meum & præconium Jeſu Chriſti, ſecundum revelationem myſterii temporibus æternis taciti.* Claudit Epiſtolam δοξολογίᾳ, ſua itidem, ut arbitror, manu adſcripta, ut non tantum vota funderet ad Deum & Chriſtum, ſed etiam Deo per Chriſtum debitam redderet gloriam. Deſcribit Deum ea ex re, quam Romanis maxime cupiebat, ut ſcilicet in ſuſcepto ſemel Euangelio, firmi & conſtantes eſſent.

Qui poteſt vos confirmare, στηρίξαι. Qui efficaciam habet vos confirmandi ac ſtabiliendi, proinde nec de efficaciæ iſtius effectu dubium eſſe poteſt ullum, propter ſummam Dei bonitatem, & fidem, & ſalutis veſtræ amorem, dummodo ipſimet vobis non deſitis.

Secundum Euangelium meum. Id eſt in Euangelio meo, κατὰ pro ἐν, cujus exempla occurrunt paſſim. Vide Matth. 1. 20. ij. 12. 2 Tim. iv. 1. *Suum* vocat, quod ſibi eſſet à Deo traditum & ad publicandum commiſſum ac demandatum, quodque à ſe præcipue ac principaliter adminiſtraretur.

Et præconium Jeſu Chriſti. Id eſt in præconio Jeſu Chriſti, idem dicit aliis verbis, in præconio quo vobis Jeſus Chriſtus eſt annunciatus, per genitivum objecti.

Secundum revelationem myſterii. Id eſt in revelato myſterio, per duo ſubſtantiva, pro ſubſtantivo & adjectivo, conſueto Hebraiſmo. Eam inprimis Euangelii partem deſignat Apoſtolus, quæ ipſius erat propria, quamque maxime impetebant ſeductores illi, de quibus egit verſ. 17, 18, qua gentibus promiſcue omnibus, per ſolam in Jeſum Chriſtum fidem ſalus annunciabatur, poſthabita circumciſione, & Legis Moſaicæ ritibus, & omni illa, quam ex Lege ſibi arrogabant Judæi, juſtitia.

Myſterii. Id eſt arcani Dei conſilii & decreti.

Temporibus æternis taciti. Docet quantum hoc fuerit Dei arcanum, de Gentium omnium univerſali vocatione & per ſolam in Jeſum Chriſtum fidem, ſalute. Per æterna tempora, id eſt per ſecula omnia Deus id apud ſe continuit, nec Angelis nec hominibus id revelans. Angelis enim per eccleſiam demum id innotuit Epheſ. iij. 10. χρόνοις αἰωνίοις, *temporibus ſecularibus.* Videntur intelligi tempora, à quibus creaturæ & ſecula eſſe cœperunt. Nam antequam creaturæ eſſent ullæ, eæque rationales, cui poterat arcanum hoc revelari? Dari etiam aliquid prius χρόνων αἰωνίων, docet locus 2 Tim. 1. 9, & in Epiſtola ad Epheſios, eandem rem docens, *quod myſterium*, inquit, *in aliis generationibus non fuit cognitum filiis hominum* cap. iij. 5. Commendat hanc doctrinam Apoſtolus, & ei ſingularem venerationem hoc nomine conciliat.

Verſ. 26. *Manifeſtati autem nunc, & per Scripturas Propheticas ſecundum præceptum æterni Dei in obedientiam fidei in omnes gentes ſignificati. Manifeſtati autem nunc.* His præſentibus temporibus, per Paulum præcipue Epheſ. iij. 7, 8. Loquitur enim de maniſeſtatione, quæ facta eſt per publicam prædicationem. Nam alioquin etiam aliis Apoſtolis & Prophetis per Spiritum Sanctum myſterium hoc innotuerat Epheſ. iij. 5, etiamſi ad illius publicam annunciationem & executionem adhibiti non eſſent; quo miniſterio Deus Paulum præ cæteris honorare voluit.

Et per Scripturas Propheticas ſignificati. Huc enim participium γνωρισθέντος referendum eſt. Docet myſterium hoc fuiſſe tamen per Scripturas Propheticas ſignificatum, *ſed per Propheticas*, id eſt nullius intellectui pervias, niſi poſtquam eventus eas interpretaretur. Nunc demum patet Gentium vocationem & ſalutem à Deo præcognitam, & Prophetarum oraculis prænunciatam eſſe. *Omnis enim Prophetia Scripturæ*, ut Petrus docet 2 Petr. 1. 20, 21, *propriam non habet explicationem. Neque enim voluntate hominis allata quondam Prophetia eſt, ſed à Spiritu Sancto acti locuti ſunt ſancti Dei homines. Secundum præceptum*, κατ᾽ ἐπιταγὴν, *ſecundum ordinationem.* Id eſt per ordinationem, vel ex ordinatione ſeu præcepto.

Æterni Dei. Docet hoc ex Dei ordinatione & præcepto factum eſſe, ut Prophetæ talia oracula proderent ac ſcriberent. Quem æternum αἰωνίου vocat, quod ſicut ante ſecula ſemper, ſic per omnia & in omnia ſecula vivat, proinde ſua conſilia & decreta pro arbitrio ordinat & exequitur, eorumque eventus & effectus multis ante ſeculis prænunciat.

In obedientiam fidei. Id eſt ad efficiendam ac promovendam obedientiam fidei, id eſt obedientiam quæ eſt fides, ſeu quæ in eo conſiſtit, ut Euangelio fides